E. 10.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
19 A
35

libris Caroli Moroni:

M

C 32

5.0

13-febb-71

Digitized by Google

PRO

CANONIBVS APOSTOLORVM, ET EPISTOLIS DECRETALIBVS PONTIficum Apoſtolicorum, aduerſus Magdeburgenſes centuriatores, Defenſio, in quinque libros digeſta.

Ad Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum D.D. Staniſlaum Hoſium S.R. E. Cardinalem, & Epiſcopum Varmienſem.

Franciſco Turriano Societatis IESV, auctore.

Nuper adiecimus triplicem indicem, capitum ſcilicet, rerum & locorum ſacræ ſcripturæ in his libris explicatorum.



LVTETIÆ,
Apud Sebaſtianum Niuellium, ſub Ciconiis, via Iacobæa.
M. D. LXXIII.

Illuſtriſſimo, & Reue-
RENDISS. D. D. STA-
*NISLAO HOSIO S. R. E. CAR-
dinali, & Epiſcopo Varmienſi.*

Franciſcus Turrianus So-
cietatis IESV.

QVIA neque ſemper, nec omnes, qui ad vtilitatem eccleſiæ vel aliis ſæculis, vel etiam hoc noſtro ſcripſerunt, Reuerendiſsime Domine, cui nominatim opera ſua dicarent, curaſſe videntur, nõ enim eſt hæc ſcriptorum lex, aut vice legis mos, fieri ſolet, vt cum clarum & inſigne alicuius nomen apparet operi inſcriptum, cui opus dicatum ſit, continuo quidam tacita quadam curioſitate audire aueãt, quid cauſæ in auctore fuerit, vt dicaret: præſertim, ſi auctor huiuſmodi dicationibus alias in aliis libris ſuis non ſtuduiſſe videatur, vt nobis cum in ſæculo eſſemus, contigit. Quare, vt curioſis iſtis, & auidis, ſi qui erũt, principio ſatisfac. Libros quinque, quos pro defenſione Canonum Apoſtolorum & epiſtolarum decretalium Pontificum Apoſtolicorum confecimus, vt tibi dedicatos emitterem, plura erãt, quæ ſuaderent, primum, quod cũ ipſe tanto ſtudio nobiliſsimã Germaniam tibi chariſsimam adiuuandi, eoſque, qui in ea à recta via maiorum ſuorum, miſerabiliter à principio ſeducti, deflexerunt, ad lucem reuocandi tenearis, nihil magis cupias, nihil aliud te iam diu dies, ac noctes ſolicitet, tu occurrebas maximè dignus hoc munere. cuius ſemper aures his beati Iacobi vocibus videntur vn-

dique circumſonare. Fratres mei, inquit, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & cõuerterit quis eum, ſcire debet, quoniã qui cõuerti fecerit peccatorẽ ab errore viæ ſuę, ſaluabit animã eius à morte: & operiet multitudinem peccatorũ: & Iudas apoſtolus, vos autem chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in nouiſſimis temporibus venient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. vos autem chariſſimi ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in ſpiritu ſancto orantes voſmetipſos in dilectione dei ſeruate, expectantes miſericordiã domini noſtri Ieſu Chriſti in vitã æternam. & hos quidẽ arguite iudicatos: illos verò ſaluate de igne rapientes: aliis autem miſeremini in timore, odiẽtes eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicã. Hoc tu hactenus ſtrenue, & feliciter feciſti, & facis adhuc, libris tuis eruditiſſimè illis quidem, & vberrime, ac multa ſermonis ſuauitate ſcriptis, qui alios quidem arguunt, cum ab eis legantur, legendo enim manifeſta fiunt, ſicut apoſtolus ait, occulta cordis eorum: alios verò ſaluant, de igne rapientes, qui enim ab hæreſi eripitur, tanquam torris eſt erutus de igne, ſicut
Zach. 3. *propheta Zacharias de populo Iudaico iugo ſeruitutis Babylonicæ liberato dixit, quẽ nomine Ieſu ſacerdotis filiĳ Ioſedec ſignificauit: ſacerdos. n. pro toto populo ſecundum ſcripturã accipi ſolet, vt in eo ipſo loco à beato Cyrillo interprete notatũ eſt. Cui nam igitur munus meorũ librorũ potius debebatur, quã tibi, qui in hoc ſtudio defendẽdi aduerſus Luteranos veritatẽ, tãto cum fructu, & laude iã pridẽ laboras? qui quod ego pro mea virili parte facio, idẽ multos alios ad hoc magis idoneos & præparatos facere velles. Deinde cum libri tui catholicæ cõfeſſionis, &*

reliqui, quos pro defenſione dogmatum catholicorũ præclare ſcripſiſti, tãto ſtudio, vtilitate, et delectatione vbique legantur, ipſe quoq; confidebã, ſi hi noſtri libri in tuo nomine apparerẽt, & ad tui, tuorũmq; librorũ ſtudioſos profecti eſſent, libẽter ab eis legendos eſſe: auctoritatisq; plurimum, & commendationis ex tuo nomine eiſdẽ acceſſurũ. habes cauſas dedicationis meorũ librorũ. taceo reliquas, quas ab aliis intelligi malo, quã à me dici. in quo modeſtiæ tuæ, & pudoris mei habita eſt ratio: ne ſi de tuis laudibus, & in nos meritis verbũ facerẽ, tibi quidẽ multo plura, quam oporteret, cõtinuo dicere viderer: ego verò, neque ſi omnia libere dicerem, quæ dicenda eſſent, grate mihi ſatisfacerẽ. Dicendũ nunc eſt, cur alÿ ante me canonibus, & epiſtolis Pontificũ patroni nõ extiterunt, ne aut illi officium neglexiſſe videantur: aut ego officioſior exiſtimer videri velle: deinde quid iſtos ad negandũ canones apoſtolorum, & epiſtolas impulerit, vt vnde eorum accuſatio prodeat, & quo tẽdat, ab omnibus intelligatur. Legimus in euangelio Matthæi & Marci, cum multi falſum teſtimonium aduerſus dominum dicerent tacuiſſe eum & non reſpondiſſe ad vllũ verbum, idque, quia, vt Origenes contra Celſum ſcripſit, vniuerſa vita eius, & doctrina ipſa, quam tradebat, & qui eum audierant, & quæcunq; fecerat, multo melius, & clarius loquerẽtur, et grauius, ac vehementius pro eo reſponderent. vnde interrogatus prius à põtifice de diſcipulis, et de doctrina ſua. ego (inquit) palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga et in templo, quo oẽs conueniũt: & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui me audierũt, quid locutus ſim ipſis: ecce hi ſciũt, quid dixerim ego. Cũ ergo ad noſtram hoc doctrinam, vt cætera, ſcriptũ ſit, merito profecto poteſt, & debet

diuini huius ſilentij imitatio eorum ſilentium excuſare, qui cum eſſent alioqui multo magis, quàm ipſe ſim, ad hoc apti, & inſtructi, hactenus tamen aduerſus tam multa, & tã vana, & minimè conuenientia Magdeburgẽſium Centuriatorum in Canones ſanctorũ apoſtolorum, & in epiſtolas pontificum apoſtolicorũ teſtimonia nihil prorſus reſpondere voluerunt, non ob aliam cauſam, niſi quia ecclesia catholica per cunctum Orientem, & Occidentem apoſtolicis traditionibus, quæ canonibus Apoſtolorũ, & priſcorũ Pontificum epiſtolis plurimæ continentur, omni tempore, & in conſpectu omnium vſa eſt: & vſque in hodiernũ diem vtitur, quo nullum poteſt grauius teſtimonium iis ipſis canonibus, & epiſtolis dari, nec vlla eorum eſſe maior, neque firmior defenſio, nihil enim eorum, quæ in canonibus, & in epiſtolis iſtis ſunt, in occulto vnquã fuit: ſed potius ſemper factũ eſt palàm. Interrogẽt ergo Magdeburgenſes eos, qui audierunt, quid in his vnquam aut reprehenderint, aut negauerint, aut nõ probauerint? vel, ſi minus noſtris credunt, dicamus eis, ſicut ſcriptũ eſt, interrogate patres veſtros, & dicent vobis. nõ dico, vt interrogent eos, qui nunc viuunt, quorum maior pars poſt Luterum nata eſt, ſed maiores ſuos, quæ tunc in eccleſia Dei de ſacris myſteriis ab initio traditiones? quæ miniſtrorũ ordinationes? quæ cõſtitutio rei eccleſiaſticæ? quæ doctrina fidei? quæ diſciplina vitæ? quæ regulæ ad ſciendũ, quomodo oporteret, in domo dei, quæ eſt eccleſia, miniſtros eius conuerſari? Quid ergo, ſi illorum ſilentium & quidem imitatione euangelici exempli nõ excuſo ſolum, ſed laudo, non cum ipſis nunc taceo? canonũ horum, & epiſtolarum ſtudioſiſsimus ego ex omnibus? minime: neque enim huius laudis cupidus ſum: aut zelus meus ardentior quam cæterorum? ne id quidem: aut paratus

magis & inſtructus ad recipiendũ hanc cauſam? nec hoc mihi ſumo. Quæ me igitur res preter ceteros hoc impulit? tempus (inquit) Salomon, tacendi: & tempus loquẽdi. ſi enim ex cauſis iuſtis ratio loquẽdi, & tacẽdi opportune, ſumenda eſt, profecto qui iuſſus eſt loqui, ab eo, qui & ſermonis & ſilentij eius poteſtatem habet, opportune ille quidẽ loqui iudicãdus eſt. Quare vt illis, qui ante me tacuerũt, fuit tacẽdi tempus, qui, ſaluo officio, tacere potuerunt, ita mihi tempus loquẽdi eſt, cui, ſicut apoſtolus ait, neceßitas incumbit: miniſtratio .n. ſermonis mihi cõmiſſa eſt, non quidẽ vt magis idoneo, ſed vt ab aliis fortaſſe melioribus officiis, & grauioribus occupationibus magis vacuo. cauſa itaque huius mei officij in obedientia poſita eſt tota. Sed forſitã quærat aliquis quæ res ad hoc oneris mihi imponendũ adduxit. nõ enim canonũ & epiſtolarũ auctoritas ſine defenſione laborabat, vt indigerent patroni opera: neque videri poterãt deſerti canones, aut epiſtolæ, ſi nullus, qui accuſatoribus reſponderet, extitiſſet. Quid .n. periculi erat? aut quã auctoritatẽ accuſatio iſtorum habitura ſine teſte, ſine ratione, ſine argumento, ſine coniectura? verũ: at, quia nõ omniũ eſt ſcientia, ſicut apoſtolus ait, nec rurſus omnium eſt, poſſe non falli, alioqui non ſic moneret apoſtolus, videte, ne quis vos decipiat per philoſophiã & inanẽ fallaciam ſecundum traditionem hominũ, ſecundum elemẽta mundi, & nõ ſecundũ Chriſtum, idcirco qui dixit per prophetã, tacui à ſæculo, nunquid ſemper tacebo? cum tẽpus adeſſe viſum eſt, voluit, ne incauti & imperiti fallerentur, vt exiret alicuiũs ſermo, & in vulgus emanaret, quo iſtorũ cõmenta, machinæ & fallacia coarguerẽtur. multi .n. diuerſis temporibus hæretici extiterũt, qui cũ teſtimonia, vt veriſimile eſt, in eccleſiaſticas apoſtolicarum regularum traditiones

Eccl. 3. · 1. Cor. 9. · 1. Cor. 8. · Eſ. 42.

qu æſiuiſſent, nec inuenire poſſent, nulla.n. inueniſſe, aut obieciſſe legimus, tandem nouiſsimis tẽporibus ante paucos annos duo paria teſtiũ velociũ iuxta prouerbiũ Salomonis, & linguã iniquam habentiũ Magdeburgi ſurrexerunt ad dicendũ falſum teſtimonium in eccleſiaſticos, eoſdemque ſaluberrimos, & neceſſarios canones apoſtolorũ & in ſanctiſsimas, atque omni ſapiẽtia, & grauitate ſententiarũ, ac decretorũ ſalutariũ refertas apoſtolicorũ pontificum epiſtolas. Si quis vero quærat, vnde isti ſurrexerunt? ex quo conſenſu, aut grege? ex eorum ſciat, qui ab ortu ſuæ diſciplinæ omnes apostolicas traditiones, ſi poſſent, velut morte afficere, id eſt, omni auctoritate, & reuerẽtia ſpoliare, & obliuione delere decreuerũt, aliquid ſimile dicentes, vt eſt in ſapientia Salomonis de falſis in dominũ testibus prophetatum. Venite negemus apostolicos canones cum pontificũ apoſtolicorum epiſtolis, quæ apostolicis traditionibus plenæ ſunt: quia mutiles ſunt nobis, & contrarij operibus noſtris: & improperãt nobis peccata legis euangelicæ, & apostolicæ: & diffamant in nos peccata diſciplinæ nostræ. facti ſunt in redargutionem cogitationum noſtrarum: graues ſunt nobis ad videndum, quoniam diſsimilis est vita illorum: id est, quæ ſecundum canones apoſtolicos, & harum epiſtolarũ decretales traditiones instituitur: & immutatæ ſunt viæ illorum, tanquam nugaces æstimati ſumus ab illis. Videamus ergo, dixerunt veteres illi Iudæi, ſi ſermones illius veri ſunt: & tẽtemus, quæ ventura ſunt illi. ſic ab istis factum est. tẽtata est ab eis reprehẽſio, & criminatio canonum & epiſtolarum, quia inde istorũ diſciplina palam condemnatur. feceruntque hic, quod in epiſtola Iacobi fratris domini primus auſus est Martinus Luterus. Quia enim nõ potuit illud pati, fides ſine operibus

Prou.12.

Sap.2.c

mortua eſt, quo tam aperte hæretica ſua opinatio de fide ſola iuſtificante redarguebatur, totam epiſtolam reiecit. iſti igitur, qui ab euangelio, quod praua ſua intelligentia tranſuertere volunt, ſe euangelicos appellarũt, omnes traditiones non ſcriptas, ſemel negant. quos cum premimus, & ad traditionem, quæ per ſucceſſionem presbyterorum in eccleſia, vt beatus Irenæus *libro 3. contra hæreſes ait, cuſtoditur, prouocamus, eamque in antiquorum patrum libris indicamus, non iam corruptam eſſe dicunt, vt olim Cerinthus & Baſilides ac Valentinus aiebant, cum ad eã ſimiliter à catholicis prouocabantur, ſed eam penitus repudiant: & corruptelam ſanæ doctrinæ vocant. ac denique quæcunque in apoſtolicis ſcriptoribus ad apoſtolorum traditiones pertinent, vt ſunt plurima tum in aliis, tum in canonibus, & epiſtolis priſcorum pontificum, næuos eſſe aiunt eorum auctorum, & inclinationes doctrinæ. Hinc ortæ centuriæ eccleſiaſticæ hiſtoriæ capita 15. ceu totidem fontes, ac ſedes eorum omnium, quæ deſcribuntur, ac notantur, complexæ, quas Matthias Flaccius Illyricus, & militiæ eius contubernales Magdeburg. compoſuerũt: & adhuc forte componunt: in quibus tria præcipua capita ſunt omnium fere dogmatum Lutheranorum euerricula de doctrina, de cerimoniis, & de gubernatione eccleſiæ, ſiue de eccleſiaſtica politia, vt ipſi loquuntur.* Huc *omnia, quæ in omnium ætatum auctoribus legere, & obſeruare potuere, contulerunt, ita vt quæcunque cum doctrina, & diſciplina ſua diſcrepare videant, aut eorum auctores negent: aut, cum negare non audent, næuos eſſe dicant eorum auctorum, & ſanæ doctrinæ corruptelas. vt huiuſmodi machinis arcem apoſtolicæ traditionis, in qua ſtamus, oppugnent: diſcipuliſque ſuis, atque alumnis, quos decipiunt, ſuadeant, ea dogmata, quæ Catholici*

profitentur, neque fuiſſe ab initio: nec ea nos, vt prædicamus, per multos teſtes audiuiſſe, ſicut ad Timotheum Paulus ſcripſit. quod quidem in eos omnes, qui per verbum apoſtolorum in Chriſtũ crediderunt, conuenire debet. quod enim ab initio, vt beatus Ioannes ait, auditum eſt, neceſſe eſt, vt in quibus permanet, per multos id teſtes auditum ſit. quorum neutrum quadrat in nouam Lutheri diſciplinam, nec enim ab initio fuit ſed heri, & nudius tertius: neque per multos teſtes, ſed per Lutheri diſcipulos audita eſt. Itaque cum Lutherani traditionem ſine ſcripto ſemper antea contempſiſſent, intellexerunt tandem Magdeburgenſes cẽturiatores vt acutiores planè & ſagaciores, quanti ponderis, & auctoritatis ea eſſet, & conſcientia conuicti, cum diſſimulare non poſſent, in nulla re iam pridem maiore ſtudio laborant, quam in ſcriptis eorum tentandis, reiiciendis, & calumniandis, qui ſanctos apoſtolos, aut eorum diſcipulos audierunt: & tanquam eorum ſucceſſores ea, quæ ab illis acceperunt, & per ſermonem eorum didicerunt, ſuis item ſucceſſoribus, & illi aliis deinceps vſque ad noſtram ætatem tradiderunt. Hac enim traditione non ſcripta, eccleſia catholica per vniuerſum orbem teſtimonia diuinarum ſcripturarum obſignat, vt Euſebius Cæſar. auctor eruditiſſ. in libris contra Marcellum Ancyræ epiſcopum his verbis ſcripſit, ἡ ἐκκλησία ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων τὰς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν μαρτυρίας ἐξ ἀγράφου παραδόσεως ἐπισφραγίζει. *quare ſcripturæ, & ſcripturarũ teſtimonia, quæ hac obſignatione carẽt, non poſſunt fideliter cuſtodiri, ſed adulterari potius neceſſe eſt.* Hoc *& qui huiuſmodi ſcripturis ſigillo traditionis carentibus vtuntur, hi ſunt* ἱερόσυλοι γράμματος, *dicamus nos ſacrilegos prædones ſcripturarũ: ſic enim eos vocat Greg. Naz.*

qui iis inquit, quæ ſcripta ſunt, ſenſum ſurripiũt. eſt ergo iſtorum conſilium in centuriarum fabrica, negare teſtes omnium ſæculorum, per quos omnibus tẽporibus, & omnibus locis, vtraque lingua Græca, & Latina tum legitimus ſenſus verbi dei traditus eſt nobis, & ab omnibus auditus: tum diſciplina regulæ eccleſiaſticæ, & eccleſiaſticæ conſuetudines apoſtolicæ traditionis omni memoria ætatum, in omnibus eccleſiis conteſtatæ ſunt. vt autem facilius, ac probabiliore ſpecie veritatis & auctoritatis hoc facere viderentur. nouum genus hiſtoriæ eccleſiaſticæ, accomodatæ ad fallendum ſcribere aggreſſi ſunt, partim cũ veris dogmatibus, partim cũ peſtiferis, & venenatis diſciplinæ ſuæ commentis permiſtum. & confuſum, vt facere ſolent, qui mortiferam potionem porrigunt, in qua, ordine ſuo de cuiuſque ſæculi ſcriptoribus meminerũt, ex quibus quæ eſſet tũc in eccleſia de ſingulis fides doctrina, & morum diſciplina tanquam euangelici trapezitæ iudicium faciunt. ita vt cum auctores, de eo, quod ipſi profitentur, taceãt, verbi gratia. ſi de principatu pontificis Romani, aut de purgatorio non meminerunt, continuo concludant, nõ credidiſſe eos fuiſſe, alioqui meminiſſent: cum autem meminerunt, ſi negare eos non audent, næuos eſſe dicunt, & corruptelas. ipſi itaque Magd. diligenter teſtes noſtros producunt: & eorũ teſtimonia recitant: id eſt gladios noſtros diſtringunt, & poſtquam in eos irruerunt, dicunt ſe nihil mali paſſos. quia, vt de patre eorum ait ſanctus Iob, *in ſtipulã verſi ſunt eis lapides fundæ: quaſi* Iob. 41. *ſtipulam æſtimant malleum: & derident vibrantem haſtam. Quare quod nos facere oportebat, & ſæpe facere ſoliti ſumus, vt conſtet, audiſſe nos per teſtes omnium ſæculorum ea, quæ docemus: & vt Apoſtolus in epiſ. ad Coloſſ. præcepit, idẽ nos ſapere, quod a principio, & in eãdẽ* Col. 3.

regula fidei & eccleſiaſticæ diſciplinæ, permanere, hoc Magdeburg. nutu atque prouidentia dei faciunt, vt efficiatur in eis, quod idem dominus per ſanctum Iob dixit.

Iob.5. Pſal.93.

Comprehēdam ſapientes in aſtutia eorum: & iterum nouit dominus cogitationes eorum, quoniam vanæ ſunt. ita factum eſt, vt ſicut in libro Iudicum de Madianitis & Amalechitis ſcriptum eſt, miſerit dominus gladium in omnibus caſtris Luteranorum: vt Magdeburgicas centurias legendo mutua ſe cæde trucidarent. Quandiu enim

Iud.7.

Lutherani nubem teſtium noſtrorum non videbant, quā Centuriatores iſti ſtudio, & labore diuturnæ lectionis ex omnibus ſæculis à principio euangelij in Cēturiis ſuis coegerunt, facilius eorum profanæ vanitates, & fallaciæ latere, & diſsimulari poterant. nunc vero facti ſunt tanquam ſorices, vt in prouerbio eſt, indicio ſuo pereuntes. Referant igitur Lutherani Magdeburgenſibus ſuis gratiam, per quos conſilio dei factum eſt, vt ipſis teſtimonia omnium ætatum recitantibus, Apoſtolici ſenſus ſcripturarum, & eccleſiaſticæ Conſtitutionis, ac diſciplinæ traditio, quæ in eccleſia cuſtoditur, omnibus hominibus palā iam oſtenſa, & demonſtrata ſit. Pulchros ergo patronos Lutherani repererunt, qui vel eo ſe ipſi argumento, conſcientia conſtricti, produnt, & reos faciunt, quod, cum nullum alioqui teſtem ſuum in Centuriis producant, per ſingulos tamē centenos annos, id eſt, per ſingula ſæcula diligēter colligunt noſtros, qui contra ipſos teſtimonia dicant: vt eos poſtea tanquā fictos impudenter reiiciant: vel tanquam corruptos, temere refellant, quo quid dementius fieri poteſt? Quis enim illum reum ſanæ mentis eſſe credat, qui cum nullū, qui ipſi teſtimoniū tribuat, reperire queat, in indagandis, & colligendis aduerſum ſe teſtibus laboret: vt repertos, & ad dicēdum teſtimonium à ſe vocatos,

ſua tantum auctoritate poſtea refutet? Quare hoc ſolum operis, & negotij reliquerunt tum iis, qui legendo eorum Centurias decipi nolint: tum iis, qui vel iam deceptos, ex errore eripere, vel, ne alij in errorem inducantur, præcauere ſtudeant, nempe vt videant intentis, vt dici ſolet, ocu lis, quam ſine iudicio, ac nulla ratione teſtes noſtros reſpuant. noſtrorum enim teſtium grauiſſima confirmatio eſt conſuetudo omnium eccleſiarum, & omnium ſæculorum. quæ cum aliunde, quàm ex Apoſtolorum traditione profecta eſſe non poſſit, & ſi teſtes negent, conſuetudine tamẽ certiſſimo teſte, qui negari nulla malitia poteſt, eos conuincimus. Quare tametſi Apoſtolici canones à Clemente Romano monumentis litterarum proditi nunquã eſſent, & epiſtolæ Pontificum Apoſt. adhuc ignorarentur, tamen eccleſiaſticæ regulæ S. Apoſt. & epiſtolarũ decreta ex Apoſtolica inſtitutione deducta, nihilominus in more maiorum, & in conſuetudine eccleſiarum fuiſſent, quam nunc ſunt. id quod ſigillatim de canonibus lib. primo, & de decretis epiſtolarum pontificum Apoſtolicorum extre mo libro fuſe docebimus. Nihil itaque ad ſummam cauſa, & propoſiti ſui Magdeburgenſes canones, & epiſtolas negando profecerunt, quorum conſilium erat, traditiones Apoſtolicas delere. etenim ſi res geſta, inquit Calliſtratus iuriſconſultus, ſine litterarũ quoque cõſignatione veritate factũ ſuũ præbeat, non ideo minus valebit, quod inſtrumentum nullum de ea re interceſſit. Huc etiam pertinet, quod ait Doctiſſimus auctor Tertull. in libro de Corona militis. Nihil intereſt, vtrum conſuetudo, quæ idoneus teſtis eſt traditionis, ſcriptura, an traditione conſiſtat, quando & legem ratio commendat. porro, inquit, ſi lex ratione conſtat, lex erit omne, quod ratione conſtiterit, à quocunque productum. neque tam quæ-

rendus eſt auctor, quam auctoritas conſuetudinis, cuius eſt, inquit idem, traditio inuentrix: ratio confirmatrix: fides obſeruatrix. ex qua Tertulliani Oratione facile iam intelligi poteſt, quam nunc accuſationem in iudicium afferant Magd. & quam nos defenſionem. illi enim conſuetudinem à S. Apoſtolis inſtitutam & traditam, quam nos habemus, & eccleſiæ Dei habent, Apoſtolicis regulis, & decretis per epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum denunciatis, & aditis vtendi. accerſunt: eccleſiarum fidem, quæ illa ſemper ſeruauit, criminantur: rationem, in qua conſiſtunt, omnia in eccleſia honeſte, & ſecundum ordinem faciendi, arguunt. nos contra, hæc omnia defendimus, non quod defenſionem propter ſe requirant, quæ enim perenni, & conteſtata veritate fundata ſunt, lædi non poſſunt: ſed ne ignari decipiantur: & ne imitatio exempli periculoſa negandi hæc, & alia huiuſmodi, aliis prodatur. Ad omnia ergo, quæ in canones Apoſtolorum obiecerunt, ita, vt ſpero, primo libro reſpondebimus, vt omnibus pateat, nihil aliud ea eſſe, quàm commenta, & calumnias: eiſque vel ignorantiam, vel malitiam accuſatorum manifeſtè redargui. atque hoc ſolum eos velle, vt quales ipſi ſunt, tales nos, ſi aſſequi poßint, appareamus, ideſt, ſine vllo ordine, ſine vllis legibus eccleſiaſticis, ſine vllis regulis, à S. Apoſtolis derelicti, & ad illa tempora reuocati, de quibus ſcriptum eſt, in illis diebus nõ erat rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat: vt iam non opus ſit ſcire, quemadmodum, vt Apoſt. præcepit, omnia apud nos honeſte, & ſecundum ordinem fiant, quod quidem ſine canonum ſcientia cognoſci non poteſt. Quia vero nõ ſatis eſt aliena refellere, ſed propria etiam probare: opus eſt, ſecundo loco eoſdem canones Apoſt. tum firmißimis, & permultis

teſtimoniis veterum conciliorum, & patrum ſanctorum, tum rationibus, & argumentis probabimus. Deinde reliquis 4. libris eodem ordine ad omnes reprehenſiones, quas epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum oppoſuerunt, ſic item, vt confido, reſponſum erit, vt reſponſione non ſolum leuitas, imò vanitas earũ coarguatur, ſed grauitas, antiquitas, & vera, ac ſolida auctoritas epiſtolarum demonſtretur. id quod extremo loco tota iam accuſatione à Magd. perorata, & à me conuicta, vberius fiet, pluribus teſtimoniis citatis, multis rationibus, & documentis oſtẽſis, ac plurimis coniecturis. & indiciis inueſtigatis. Quia vero ſunt quidam ita difficiles, & moroſi, vt nihil illis ſatisfaciat, admonendi ſunt iſti, cum ea, quæ contra dicuntur, refellimus, non tam quæri oportere, quid rurſus ex aduerſo, vtcunq́ue reſponderi adhuc poßit ab iis, quibus nihil ſatis eſt, quam conſiderate expendi, quid cum ratione poßit. non enim is exiſtimandus eſt potens eſſe ad arguendum eos, qui contradicunt, qualem Apoſtolus requirit, qui arguendo efficit, vt nihil contradicatur: ſed vt nihil recte cõtra dici queat. ſic enim iſte obtinuerit illud ἀνεξελεγκτὸν, quod diuinus Dionyſ. à Sopatro poſcit. dicamus nos pluribus verbis, quando vno non poſſumus, non poſſe redargui, quod dicatur. Neque rurſus ſi non omnibus de veritate canonum Apoſtolorum, & epiſtolarum Pontificum Apoſtolicorum diſputatione vlla tandem perſuaſum erit, continuo non erit demonſtratum. Dicendum enim eſt quod beatus Petrus dixit, cum vellet confutare. quod Simon falſo contendebat, non poſſe, qui impius eſſet, verum ſomnium videre. καὶ τοῦτο φησί ψεῦδός ἐστι, καὶ περὶ τούτου ἀγράφως ἀποδεῖξαι δύναμαι, πεῖσαι δὲ οὐκ ἐπαγγέλλομαι. ὁ γὰρ πρὸς ἔρωτα μοχθηρᾶς νεύσας γυναικὸς

Ex lib. 8. alterius æditionis Recognitionum Clem.

εἰς ἑτέρας κατὰ πάντα καλῆς συμβίωσιν νόμιμον τὸν ἑαυτοῦ οὐ μετατίθησι νοῦν, ἐνίοτε καὶ ἑαυτοῖς συνειδότες τὴν κρείττονα, προειλημμένοι ἀγαπῶσι τὴν χείρονα. τοιοῦτόν τι καὶ σὺ πάσχων ἀγνοεῖς. *interpretemur nos latine, falſum, inquit Petrus, eſt hoc, idque ex iis, quæ ſcripta ſunt, & quæ non ſunt effici, demonſtrare quidem poſſum: perſuadere vero ita eſſe, non promitto. Qui enim ad amorē mulieris turpis, & fœdæ ſe inclinauit, non traducit animum ſuum ad viuendum ex lege coniugali cum alia, licet ex omni parte pulchra. quinetiam interdum non ignari, quæ ſit melior, amore ante occupati, peiorē diligunt. hoc tibi Simon imprudenti accidit. Vereor, ne hoc ipſum nunc Magdeburgenſibus & aliis Lutheranis eueniat, vt amoris ſectæ ſuæ anticipatio non ſinat transferri eorum mentes ad contemplandam meliorem formam Apoſtolicæ diſciplinæ, quæ in canonibus Apoſt. & epiſtolarum Pontificum Apoſtolicorum decretis continetur, quibus vniuerſus ſtatus eccleſiæ ceu neruis quibuſdam colligatur, ſed tempus eſt iam Staniſlae Hoſi Card. lectiſſ. & Domine venerande, vt propoſitum aggrediamur.*

SVMMAE CAPITVM
PRIMI LIBRI.

CAp. 1. *Reſponſio ad ea, quæ Magdeburgenſes Centuriatores in proœmio accuſationis Canonum Apoſtolorum in eos obiiciunt: & defenſio Canonis 17. de ſecundis nuptiis ordinando Clerico prohibitis, & explanatio loci Pauli ad Titum de continentia ſacerdotum, Collatis locis ſcripturæ, & examinata proprietate & conſuetudine verbi continentiæ in ſcripturis.* fol. 1.a

Cap. 2. *Defenſio Canonis Apoſtolorum 27. & quomodo hic Canon interpres ſit loci Pauli de cœlibatu ſacerdotum, & diaconorum. item interpretatio loci Pauli de poteſtate mulierem ſororem circumducendi ex proprietate verborum, & collatione alterius loci Pauli, & auctoritate veterum.* fol. 6.b

Cap. 3. *Defenſio Canonis Apoſtolorum 48. de quadrageſima ieiunio, & quartæ, ac ſextæ feriæ. Et quomodo Dominus noſter, & Apoſtoli eius, & Sancti Prophetæ ieiunia indixerũt: & ieiunia indicta ſeruat eccleſia per vniuerſum mundum. Et quomodo conuincatur, nõ pertinere ad delectum ciborum, quo Catholici vtuntur, id quod Paulus ſcripſit, nemo vos iudicet in cibo, & potu, &c. & quid in hiſtoria Salisburgenſiũ Archiepiſ. pro religione indicendi ieiunia legatur.* fol. 8.a

Cap. 4. *Defenſio Canonum Apoſt. de nuptiis, quos Magdeburgenſes dicunt repugnare inter ſe: & de interpretatione Canonis 5. ex vi verborum, & collatione ſcripturæ Pauli: & quomodo conuincantur Magdeburgenſes ignorare, quæ ſint & dicantur pugnantia. item defenſio aliorum duorum Canonũ de ieiunio, quos falſo tradunt pugnare inter ſe.* fol. 10.b

Cap. 5. *Defenſio Canonum, qui eos excõmunicant, quos Magdeburg. volunt non eſſe excommunicandos: & quomodo conuincantur errare in eo, & facere Apoſtolum ſibi repugnantẽ: & quomodo non ſint leuia, vt Magdeburg. falſo putant, quæ in Canonibus Apoſtolorum pœna excommunicationis ſancita ſunt, vt illud, nõ abſtinere à ſanguine, & ſuffocato. item ieiunare die Dominico, & die ſabbati in eccleſia Orientis, & non ieiunare quadrageſima, & vaſa ſacra ad profanos vſus adhibere.* fol. 13. a.b

Cap. 6. *Defenſio Canonis Apoſt. tẽpus præſcribentis agenti pœnitentiã, & de exemplis in ſcriptura ſancta, eiuſmodi præſcri-*

ptionis temporũ ad agendũ pœnitẽtiã. Et cur Epiſ. presbyter, & diaconus pro crimine deponantur tantũ, & non excõmunicentur: & de antiquis patribus, qui hunc Canonem de deponendis clericis, & non excõmunicandis ſecuti ſunt fol 16 b

Cap. 7. *Defenſio Canonis de celebratione paſchæ ex Apoſtolica traditione profecti, & quid de hoc feſto Synodus Nicena decreuerit: & quemadmodum non ſolum ſine ſcripto traditus ſit hic Canon à ſanctis Apoſtolis, ſed etiam per Epiſtolam Pauli ad Coloſſ. inſinuatus. & de Audianis paſcha cum Iudæis celebrantibus, & conſtitutionem Apoſtolorum de celebratione paſchæ male interpretantibus.* fol.19.a

Cap. 8. *Defenſio Canonis prohibẽtis fieri Clericos fideiuſſores: & quid B. Cypr. de Clericis tutoribus, vel curatoribus ſcripſerit. item Canon Synodi Nicenæ, ne Clerici ſponſiones pro vllo faciant: & quid ſcholiis Græcorum notatum ſit in hoc Canone de duplici ſignificatione verbi* ἐγγυᾶσθαι, *quod ſpondere ſignificat.* fol.21.a

Cap. 9. *Defenſio Canonis Apoſtolorum, qui iubet, vt Epiſco. non faciat extra Diœceſim ſuam ordinationes Cleric. & demonſtratio ex ſcriptura, quod eſſent tempore Apoſtolorum termini Diœceſim aſſignati Epiſcopis, qui tunc erant. & de qua ordinatione loquatur Canon Apoſt. & de qua beatus Cyprianus quod quidem Magdeb. non diſtinxerunt* fol.23.a

Cap. 10. *Defenſio Canonis Apoſtolorum iubentis bis ſingulis annis concilia celebrare: & quæ ſint teſtimonia, eſſe hũc Apoſtolicum Canonem, & quæ item ratio, & de neceſſitate, & vtilitate habendi huiuſmodi Synodo ſingulis annis ſecundum rationem, & ſcripturam, & priſcam conſuetudinem* fol 24.b

Cap. 11. *Reſponſio ad ea, quæ à quibuſdam obiici, vel potius quæri ſolent in extremo Canone Apoſtolorum de euangelio Ioannis vtrum ante mortem Clementis, imò Beati Petri ſcriptum ſit. & quomodo intelligendum, quod eſt in Canone Apoſt. 19. penitus à communione abſcindatur, vt Simon Magus à me Petro. item de tertio lib Macab. & de lib Actorum Apoſt. vbi, & quomodo à Clem. Rom. inter lib. Canonicos relatus ſit.* fol.26.a.b

Cap. 12. *Reſponſio ad id quod Magd. obiiciunt, reperiri Canones Apoſt. in Concilio Niceno. & Antiocheno, & Calcedonenſi: & quomodo hoc ipſum auctoritatem Canonũ Apoſtolorum magis confirmet. & de 16. capitulis Epiſtolæ Innocẽtij*

primi, collatis canonibus Apoſtol. vnde illa ducta ſunt, idque Nicena Synodo in quibuſdã ex his capitulis teſtante. fol.30.b

Cap. 13. *Quomodo, & qua forma, quibus ve nominibus Canones Apoſtolorum in decretis ſanctorum patrum, & veterum Conciliorum citari ſoleant. Ac primum de Nicena Synodo, quos Canones Apoſtolorum citet, ita vt negari non poßit, quin eos citet. fol.34.a*

Cap. 14. *De Canonibus Apoſtolorum renouatis, & interdum citatis in Antiochena Synodo, & vnde id conſtet. item quomodo, & vbi Synodus Epheſina Canones Apoſtolorum citauerit nomine Apoſtolorum. præterea de Canonibus Apoſto. citatis in Synodo Calcedo. Gangrenſi, & Carthagin. 2. & 5. & in Synodo Africana. Rurſus de Canonib. citatis nomine Apoſtolorum in Synodo Nicena 2. & in 8. Conſtantinopol. poſt illam priorem 8. item in Synodo Romana ſub Greg. 7. & in Synodo Triburienſi, ac poſtremo in Tridentina. fol.38.b*

Cap. 15. *De teſtimonio quod ſexta Synodus canonibus Apoſtolorum in tertio Canone tribuit ſecundum confeßionem Magd & quomodo illud eludant ridicule, & reſponſio ad id, quod ex Leone 9. obiiciunt, & de 50. capitulis, quæ ab eo feruntur approbata, & de libro apocrypho Canonum Apoſtolorum apud Gelaſium: & de canonibus Apoſtolorum à beato Gelaſio in epiſtolis, & decretis ſuis citatis. item de beato Iſidoro, quid ille de canonibus Apoſtolorum ſenſerit, & quid de eo reſpondendum ſit Magd. fol.46.b*

Cap. 16. *De 70. ſententiis Apoſtolorum in epiſtola Zepherini, vbi, & quando ſint à Sanctis Apoſtolis ſancitæ, & qui vſus, & officium earum. & reſponſio ad ea quæ Magdeb in epiſtolam Zepherini obiiciunt, & in ſentẽtias iſtas 70. de quibus in epiſtola Zepherini ſcriptum eſt. fol.51.a.b*

Cap. 17. *Reſponſio ad ea, quæ in epiſtolam Zepherini obiiciũtur, ac primum de genere ſermonis, deinde de non cohærentibus, poſtea de teſtimoniis ſcripturæ temere citatis, & de ratiocinationib⁹ ineptè cõfectis, deinde de manifeſte falſis. fol.55.a*

Cap. 18. *Reſponſio ad alia crimina, quæ adhuc in epiſtolas beati Zepherini Centuriatores obiiciunt, quæ ad hiſtoriam illorum temporum pertinent, in quibus erraſſe manifeſte conuincuntur, & quomodo Demetrius Alexandriæ Epiſcopus, ex Apoſtolorum traditione, cuius teſtis eſt Synodus Nicena, cognoſcere potuit principatum Epiſc. Rom. Item reſpon-*

ſio de forma gubernationis eccleſiaſticæ ex Patriarchis vel primatibus, & Epiſcopis, quam tempore Zepherini fuiſſe negant: & de tempore, quo datæ ſunt litteræ, & itē reſponſio ad ea quæ ſecundum analogiam fidei ſe aiunt reprehendere: & de Euſebio, & Hieronymo & aliis, quos obiiciunt, non vidiſſe Epiſtolas Zepherini, & de cap. Si Romanorū diſ. 19. quod in epiſtolam Zepherini, imò in epiſtolas omnium veterum pōtificum obiecerunt. fol. 58.b

Cap 19 *Quomodo ipſa epiſtola Zepherini conuincat, antiquiores has epiſtolas Hieronymi ætate, id eſt ante annos mille ducentos & amplius ſcriptas eſſe, & quomodo in his epiſtolis tantæ antiquitatis Canon Apoſt. 74. citetur.* fol. 62.a

Cap 20. *Quomodo liceat 70. ſententias Apoſtolorū, quas Zepherinus dixit, redigere ad numerum 85. canonū exemplo Synodi Nicenæ. quem canonem 5. vnam ſententiam dixit duobus canonib. Apoſt. contentā. & demonſtratio huius rei multis exemplis.* fol. 63.a

Cap. 21. *Teſtimonia alia multa antiquorum de canonibus Apoſtolorum Iuſtiniani Imperatoris, id eſt eccleſiæ Catholicæ illius temporis, Baſilij, Clementis Romani, Euſebii Alexādrini, Petri Alexandrini, Hieronymi, Epiphanii, Anaſtaſii Antiocheni, Cyrilli Alexandrini, Ioannis Damaſceni, Taraſii Conſtant. beati Ignatii, Auguſtini. Item teſtimonia auctorum, qui Canones Græce compoſuerunt: & qui latine, & veterum Imperatorum catholicorū qui eos religioſiſſime ſeruarunt: præterea Photii Conſtant, Bonifacii Apoſtoli Germaniæ, Dionyſii Areopagitæ. Poſtremo beati Petri, & de Canone Apoſtolorum non ieiunandi ſabbato, & Dominico.* fol. 64.a

Cap. 22. *Teſtimonia veterum Pontificum Apoſtolicorum ſententias canonum Apoſtolorum frequenter citantium, & quibus in locis Anacleti, Alexandri, Eleutherii, Sixti, Marcelli, Euſebii, Iulii, collatis ſententiis citatis cum ipſis canonibus.* fol. 73.b

Cap. 23. *Quomodo ex canonibus Apoſtolorum manarint poſtea acceſſiones legum eccleſiaſticarum, veluti ſupplementa canonum Apoſtolorum, & exempla huius rei tum in epiſtolis pōtificum Apoſtolicorum, tum in Concilio Niceno. Item teſtimonia alia plura de canonibus Apoſtolorum in epiſtolis pontificum citatis Innocentii primi, Leonis magni, Aniceti, Ca-*

lixti, Lucii, Eutychiani, Damaſi, Nicolai primi, Leonis 4. Ioannis & Cœleſtini, Amberi. fol. 80. a. b

Cap 24. De canonibus Apoſtolorum quos Magdeburgenſes, ſe reperiſſe gloriantur, cuiuſmodi ſint, & de exemplis ſimilium canonum: & quid ipſi Magdeburgenſes addiderint in ſummis canonum, ſiue rubricis, quas vocant, à ſe appoſitis ſecundum ſuam diſciplinam vt de lingua vulgari, & non ignota vtendi ad populum: & confutatio huius erroris ex ipſo Paulo ducta: item de abrogatis ſacrificiis, ſeu de Miſſa quomodo conuincantur Magd. addidiſſe hoc, & de adminiſtratione cœnæ dominicæ, quid etiam ibi addiderint, & quomodo addidiſſe conuincantur. fol. 85. a

Cap. 25. De quibuſdam canonibus Apoſtolicis Synodi Antiochenæ Apoſtolorum, repertis in Bibliotheca Origenis à Pamphilo martyre: & de canone Apoſtolico imaginum Saluatoris, & ſanctorum, & de canone de ciborum delectu, & de teſtimonio Innocentii primi, quod Apoſtoli Synodum Antiochiæ celebrarint. fol. 91 a

Cap. 26 Quæ ratio neceſſaria fortius multis teſtimoniis canones Apoſtolorum defendat, & de comparatione ſtatus eccleſiæ cum naui, & legum eccleſiaſticarum cum legibus naualibus, & quibus in locis de legibus eccleſiaſticis Apoſtolorum Paulus ſignificauerit: & quid contra omnem rationem neget, qui Apoſtolorum canones negat. fol. 94. a b

Cap 27. Quanta veneratione digna ſit antiquitas legum eccleſiaſticarum. & de neceſſitate earum, & de primis eccleſiæ legiſlatoribus, & de nominibus canonũ, quæ eorũ vim, & vſum declarant. & quomodo quæ Plato diuine de officio perfecti legiſlatoris ſcripſit, ſancti Apoſtoli ſpiritu ſancto docente intellexerunt, & ſeruauerunt, & de iis, quæ in libris Clementis de conſtitutionibus Apoſtolorum continentur, cum iis collatis, quæ Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes notauit, & diſtinxit, & quæ teſtimonia ſcripturæ ſint, diſpoſuiſſe Apoſtolos eccleſiaſtica legibus eccleſiaſticis, id eſt, canonibus. fol. 96. b

Cap. 28. De Synodis, quæ ad exemplum Apoſtolorum canones ediderunt, & de Apoſtolorum canonibus in capita 50. cum canonibus Synodorum, ante annos mille à quodã Conſtantino relatis. item quibus rationibus conſtet gubernationẽ eccleſiarum eccleſiaſticis legibus Apoſtolos conſtituiſſe. Et cur Apoſtoli canones ſine ſcripto tradiderunt, & de diſpenſationibus

canonum Apoſt, & quomodo iuſtæ ab iniuſtis diſtinguātur, & quid de ea re Extychianus Pont. & Igmarus Rhem ſcripſerint. *fol.100.b*

Cap.29. *Quomodo ex eo, quod Magdeburgenſes in prima Centuria conſitentur, & quod Paulus ad Corinthios ſcripſit, conuincatur, leges eccleſiaſticas ordinis, ac decori datas eſſe ab Apoſtolis item ſigillatim de quibuſdam canonibus Apoſtolorum, quos ex lo.o Apoſtoli ad Corinthios neceſſario concluditur, ab Apoſtolis traditos eſſe, & vnde nati ſint canones iſti, & qui eorum finis, & vſus. rurſus ſigillatim de aliis canonibus Apoſtolorum pertinentibus ad locum Apoſtoli in epiſtola ad Corinthios de myſterio ſacræ Eucharistiæ, rite celebrando, & quid in eo Corinthii peccarent auctore Cyrillo, & quomodo id Paulus, & canon Apoſtolorum correxerit. Cur Apoſtoli omnes canones eccleſiaſticos, quos poſtea Synodi conſecutæ, tanquam eccleſiæ neceſſarios, ædiderunt, non cōpoſuerunt. & de exemplo Platonis rationi conſentaneo, & quorſum ſpectent leges eccleſiaſticæ inſtar legum ciuilium, & quid de eis diuinus Plato ſcripſerit, & quomodo qui canones Apoſt. negare audent, plus Platoni, id eſt, rationi naturali, quam Apoſt. ab ſpiritu ſancto eruditis tribuant. fol.* 104.b

Summæ capitum ſecundi librum.

CAP. 1. *De ſimilitudine, quam Magd. in epiſtolas pontificum Apoſtol obiiciunt, ſtyli, argumēti, & materiæ: & de charactere epiſtolæ primæ Clementis collato cū charactere librorum eiuſdem Clementis de conſtitutionibus Apoſtolorum.* *fol.112.b*

Cap. 2. *De inelegan ti ſermone, qui contra epiſtolas obiicitur, & de ſimili vitio ſermonis Pauli à magnis auctoribus notato, & de vocabulis, quæ Magd. reprehendunt. item de quibuſdam veteribus rudi ſermone delectatis, alioqui eruditis in ſtudiis humanitatis, & de vocabulis vulgaribus, quibus vſus eſt Clemens ſcriptor elegantiſſimus.* *fol.*114 *b*

Cap 3. *Reſponſio ad reprehenſionem interpretationis in epiſtola Anacleti, Cephas, id eſt, caput: de conſuetudine ſcripturarū in mutandis obſcuris verbis in clariora ſecundū vſum vulgi, & de conſuetudine eccleſiaſtica, & antiquiſſima ſimilis interpretationis in vocabulo Paſcha, ex obſeruatione Gregorii*

Naz. & quomodo Dionyſius Areop. & Optatus Afer ſimiliter interpretati ſunt Cephas, & de ſimili interpretatione aliorũ verborũ apud magnos, & antiquos auctores fol. 110 a
Cap. 4. Reſponſio ex ſcripturis ſanctis ad reprehenſionẽ interpretationis. Super hanc petram. i. ſuper Petrum, vel ſedem Apoſtolicã, & de interpret. illius loci, Tu autem conuerſus confirma fratres tuos, & de exemplo Petri pro firmandis fratribus in fide in epiſt. ad Galat. & quomodo Paulus fidem Euangelii quod prædicabat, cum fide Petri contulit ad firmandũ fidẽ ſuam: & de traditione Apoſt. conferendi fidem cum Pontifice Rom. per Synodicas litteras ad eum & de Patriarchis, qui hoc fecerunt ad confirmandam fidem ſuam. fol. 124 a
Cap. 5. De alio exemplo Petri ad firmandum in fide fratres in actibus Apoſtolorum c. 15. & quomodo Iacobus fidem ſuam firmauerit ſententia beati Petri, & quomodo non Simeon legendum eſt ibi in Actibus Apoſtolorum, vt Chryſoſtomus, & Græci legunt, ſed Simon, vt latini meliora exemplaria Græca ſecuti, & collatio illius loci Actuum, cum Clemente Romano in lib 6. de conſtitutionibus Apoſt. & quid Tertull. de Petri ſententia illa Synodo Hyeroſolimitana ſcripſerit, & quomodo omnia concilia imitata ſemper fuerint illam formã firmandi ſua decreta. fol. 129. a
Cap. 6. Quomodo ex locis ſcripturæ ſanctæ de confirmandis fratribus in fide per Petrum concludatur ſuper Petrum ædificatã eſſe eccleſiam: & quomodo qui Petrus proprie vocatus eſt, idẽ quoque Petra tranſlate ſecundum conſuetudinem ſcripturæ dictus eſt, & de comparatione promiſsionis factæ Abrahæ cũ promiſsione facta Petro & de teſtimoniis veterum patrum Græcorum. & Latinorum, qui ſic interpretati ſunt, ſuper hãc Petram, id eſt ſuper Petrum, Tertullianus, Cyprianus, Athanaſius, Ambroſius, Hilarius, Euſebius Alexandr Hippolytus, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus, Theodoretus, Theophanes Cerameus, Baſilius, Chryſoſt. & alii. fol. 133. a
Cap. 7. Quomodo Anacletus non ſcripſerit ſuper hanc petram, id eſt, ſuper Eccleſiam Romanam, vt Magdeburgenſes finxerunt, & quomodo, ex eo quod eccleſia catholica ædificata eſt ſuper Petrum neceſſario ſequatur eccleſiam Rom. cui præeſt ſucceſſor Petri, eſſe principem omnium eccleſiarum, & quomodo non credit vnam eccleſiã catholicam iuxta Symbolũ, qui non credit vnam determinate, vnam rurſus determinate

non credere,qui caput eius pontificem non credit. fol.140.a.b
Cap.8. Reſponſio ad aliam reprehenſionem allegationis ſcripturæ ex Geneſi tanquam violenta, vbi redarguuntur Magdeburgenſes de mendacio,& ignorantia,& explanatio loci ſapientiſſime,& accommodatiſſime allegati. Item reſponſio ad aliam reprehenſionem argumentationis in epiſtola Clementis quarta,& in epiſt.Theleſphori.vbi etiā redarguuntur Magdeb.de ignorantia,& malitia. fol.141.b
Cap. 9. Quomodo quod Eleutherius ad Epiſcopos Galliæ ſcripſit,commiſiſſe eis eccleſiam vniuerſalem, quia non intellexerunt Magd.falſo exiſtimarunt primatui eccleſiæ Rom.repugnare,& quomodo intelligendum ſit, ex ipſo Eleutherio intelligi & ex iis,quæ Greg.Naz. de S. Athanaſio & Cypriano in eorum epitaphiis ſcripſit,& ex epiſtola Ioannis Hieroſolymitani Patriarchæ ad Theophilum Alexand. & ex Sidonii Apollinaris ſenſu de inſcriptione epiſtolæ Clem.ad Iacobum. fol.143.b
Cap. 10. Reſponſio ad id,quod obiiciunt,quomodo Anacletus citet litteras Clemētis cum ſit Anacletus à Petro ordinatus, teſte Irenæo & Euſebio,& quemadmodum intelligēdum ſit, quod tam varie de ſucceſſione Clementis à variis ſcriptū eſt, vt alii ſecundum poſt Petrum numerent,alii tertiū,alii quartum,& de Lini morte viuente Petro: & quare à quibuſdam antiquis auctoribus prætermiſſus eſt Anacletus in deſcribēda ſucceſſione Pontificum. fol.146.b
Cap.11. Reſponſio de formulis citationum, quas obiiciunt, hæc ab antiquis.hæc ab Apoſtolis,hæc à ſanctis Patribus accepimus quaſi longo poſt Apoſt.tēpore illi pontifices ſcripſerint: & quomodo Centuriatores nō intellexerint,quos illi antiquos, neque quos Patres,neque quare Patres vocauerint. fol.148.b
Cap. 12. Reſponſio ad id,quod obiiciunt ad probandum falſas eſſe epiſtolas,quia nō ſcribant de rebus illorum temporum, de perſecutionibus,de doctrina,de officio Epiſcopi, & cura gregis.non refutent dogmata hæreticorum,non ſcribant conſolationes martyrum,& quomodo aperte mētiti ſunt Magdeburgenſes.ſubiectis exemplis demonſtratur. fol.149.b
Cap.13. Reſponſio ad ea,quæ dicunt aliena eſſe ab hiſtorica veritate,ac primū ad id,quod obiicitur de morte Iacobi ante mortē Petri,& quomodo Clemens epiſt transfigurauerit in perſonā mortui,& quæ cauſa, & vtilitas huiuſmodi transfigu-

rationis perſonæ, & quomodo ſit vſitata in ſcripturis ſanctis, & in magnis, & antiquis auctoribus. & quomodo inducere, Apoſtolos iam mortuos loquentes in libris de conſtitutionibus Apoſt. quos Clemens in perſona eorum ſcripſit, ſimile ſit, vt ſcribere ad mortuum: & quomodo vtrunque ad imitationem perſonæ pertineat, & de exemplo antiquo ſcribendi ad mortuum: itẽ quomodo Clemens Iacobum vocauerit Epiſcopum Epiſcoporum, & regentem omnes eccleſias. fol. 151. a. b

Cap. 14. *Reſponſio ad illud in epiſtolæ Clementis quomodo Petrus dictus ſit primitiæ electionis Domini, cum prius Andreas ad Chriſtum venerit, & in quo conſiſtat ratio primitiarũ ſecundum ſcripturam, & de excellentia fidei Petro reuelatæ: & quomodo propter excellentiam fidei meruit fieri primitiæ electionis Apoſtolorum: & quomodo in eadem epiſtola Clementis dictus quoque ſit idem Clemens primitiæ gentium, cum prius fuiſſet conuerſus Cornelius Centurio: Item reſponſio de nota infamiæ, quomodo non tantum ciuilis, ſed canonica pœna etiam ſit, & de tradendo curiæ ſeculari.* fol. 160. b

Cap. 15. *Reſponſio ad illud, quod obiicitur ex epiſtola Clemẽtis, quod Petrus potuerit integre ſeruare præceptum, & quomodo non hoc intellexerunt Magdeburgenſes: item reſponſio ad illud, cur Paulus in epiſtola ad Philippẽſes nõ appellauerit Clementem Pontificem Romanum, ſicut appellauit cooperarium. Item ad illud, cur beatus Petrus in epiſtola 2. paulo ante mortẽ ſcripta, non meminit Clemẽtis ſucceſſoris ſui.* fol. 164. a

Cap. 16. *Deinde ad illud Petrus 1. cap. 5. de gradibus Epiſcoporum non meminit, ſed tantum presbyteros nominauit, & quomodo de gradibus Epiſcoporũ per traditionẽ ſine ſcripto acceperit eccleſia, & quomodo id per ſcripturam probetur: & de loco Epiſtolæ Pauli ad Titum, Conſtitue presbyteros per ciuitates, ſicut conſtitui tibi, & quomodo Clemẽs potuerit videre Hieroſolymis cum Iacobo diſcipulos, qui habebant omnia communia.* fol. 165. b

Cap. 17. *Reſponſio ad ea, quæ obiiciuntur de oleo ſacro & de myſtica vnctione eorum, qui baptizantur, & qui auctores Iuſtino, quem Magdeburgẽſes requirebãt, antiquores de his meminerint, & de tranſubſtãtiatione, quam in Iuſtino falſa interpretatione eludunt Centuriatores contra rationem omnis philoſophiæ diuinæ, & humanæ.* fol 172 a

Cap. 18. *De Apoſtolica traditione myſticæ vnctionis baptizato-*

rum, quæ confirmatio dicitur, & de figura eius in vetere teſtamento, auctore Cyrillo Hieroſolymitano, & quid de eo Ioannes in epiſtola canonica dixerit. & Eſaias prophetauerit, ex eodem Cyrillo authore: & cur Satanas perſuaſerit Lutheranis negare hoc ſacramentum, & quid hoc ipſum ſacramentum operetur, & de locis Apoſtoli ad hoc ſacramentum pertinētibus: & quomodo eos, qui hoc ſacramentū acceperunt, varie appellet idē Apoſtolus, vnctos. ſignatos, confirmatos, perfectos: Itē demonſtratio ex prophetia Eſaiæ, quod ſcripturam neceſſario negat, qui hoc ſacramentum neget. fol. 175. a

Cap. 19 De conſecratione eccleſiarum ad orationem, & ſacra operanda ex Paulo, & euangelio, & Eſaia, & quomodo qui conſecrationem eccleſiarum negat, idem ſcripturas negare cogatur. Item quomodo id ipſum ex libro 2. Clementis de conſtitutionibus Apoſt. probetur ſecundum conſuetudinem ſcripturæ ſanctæ ex nominibus templi, quæ in teſtimonium conſecrationis factæ vſque in hodiernū diē ſeruantur. fol. 179 a b

Cap. 20. Quomodo conſecratio eccleſiæ neceſſario demonſtretur ex prophetia Aggæi collatis conſequentibus, & ex iis, quæ Salomon dixit in cōſecratione templi, & quid ſanctus Maximus de eccleſiis dicat, & de ritu multiplici conſecrandi domos Dei ex Iuone Epiſcopo Carnotenſi. fol 183. b

Cap. 21. De impoſitione libri aperti euangeliorum ſuper caput eius, qui ordinatur Epiſcopus, quam Magd. accuſant, qui auctoris Apoſtolici meminerunt: & quid in ænigmate ſignificet auctore Dionyſio. & quomodo ipſa ſignificatio, ac theoria ſatis declaret Apoſtolicæ traditionis eſſe hunc ritum: & quomodo naturæ, & ſcripturæ repugnet, qui eum negat. & quomodo Lutherani ſint contentioſi, dum conſuetudines eccleſiæ negant. & quid hoc verbum contentioſi ſignificet ex Philonis obſeruatione, item quando Apoſtoli ordinati ſunt Epiſcopi, & quid in eorum ordinatione fuerit loco libri euangeliorum aperti ſuper caput eorum impoſiti. fol. 188. a b

Summæ capitum tertij libri.

CAP. I. Reſponſio ad id, quod obiicitur contra decretum de appellationibus ad ſedem Apoſtolicam, quemadmodum illi ſæculo Pontificum Apoſtolicorum, & veritati, quod Magd. negant, congrueret: & quomodo de falſitate redar-

guatur,quod iidem finxerunt,refutatum eſſe Primatum Pon. Rom.in Synodo Carthaginenſi. Quomodo intelligendum ſit, quod eſt in Synodo Cartha.ne Epiſcopus primæ ſedis appelletur vniuerſalis, & quare Africani decretum de appellationibus recipere nolebant, quamuis primatum concederent. fol.193.a

Cap.2. Reſponſio ad id,quod Magd.in V.Centuria obiecerunt de Zoſimo Pontifice,quod non citaſſet cõſuetudinem de ſumma poteſtate Põtificis, & quomodo redarguantur de falſitate. Rurſus quemadmodum Patres Africani Primatum Pontificis Romani agnoſcerent, & de decreto de appellationibus in conc.Carth.3. recepto,& de canone 92 concilii Africani, quem Magd.obiiciunt, & quomodo canon conc. Carth 3 conuincat,non eſſe illum accipiendum, vt à Magd. contra decretum de appellationibus accipitur. Quid interſit inter Lutheranos non recipientes decretum de appel. & patres conc.6. Carthag. Item de actis Synodi Nicenæ diligenter perſcriptis: & de iudicialibus decretis ad ea pertinentibus: & quomodo inde ſumpti ſunt canones Niceni à Iulio Pontifice relati,& duo illi canones Sardicenſis concilii in concilio Cartag. ex Niceno recitati. fol.198.b

Cap.3. De ſexto Canone Conc. Niceni,& quemadmodũ in eo ſumma poteſtas Pontificis neceſſario contineatur,& Apoſtolicũ ius eccleſiaſticæ prouocationis ad eũ: & quomodo ex 34. canone Apoſtolorum, & ex epiſtola 3. Sancti Anacleti canon ortum duxerit, & de interpretatione euidenti eiuſdem Canonis Sexti, & quid verbum πρεσβεῖον in eodem Can. Sexto ſignificet contra patronum Molinei. Item reſponſio ad id,quod in 4. Centuria obiiciunt Magd diſſentire inter ſe qui auctoritatem Primatus Pontifi. ad conſuetudinem referunt: & qui ad Chriſtum, & quæ iſta conſuetudo ſit intelligenda in epiſtolis Pontificum. De epiſtola Iulii cum Athanaſio, cum hiſtoria, & teſtimonio Theodoreti, & Socratis, & Synodo Sardicenſi collata. De eo,quod Magd. Sextum canonem falſatum eſſe obiecerunt, & quare, & vbi eum, vt nunc habet,iidem receperunt,& de praua interpretatione canonis 6. & 9. Niceni in hiſtoria Rufini. Quid ſignificet parilis mos eodem Sexto Canone. fol. 204.a

Cap.4. De Canone 9. Conc. Calced. quomodo ſextum canonẽ conc. Nic. confirmet pro primatu Pontif. & pro decreto de

appellationibus ad eum, itẽ de interpretatione canonis 9. conc. Chalced. facta à Theodoro Balſamone, & de altera facta à Zonara, quomodo de falſitate, & repugnantia redarguãtur. Quomodo conſtitutio Leonis Imperatoris de non appellando intelligenda ſit. Item exempla priſca appellationis ad Pōtifi. ex Cypriani epiſtolis, ex hiſtoria Gregorii Turonen. ex Socrate, ex epiſtolis Theodoreti. ex hiſtoria Amiani Marcelli, ex Tertulliano, ex epiſtola Orientalium, ex Baſilio. fol. 212. a

Cap. 5. *Reſponſio de pulſis, ante iudicium reſtituendis: Quomodo decretum Euariſti illi ſæculo, & veritati cõueniret ſecundum æquitatem naturalem, & eccleſiæ catholicæ decentiam, & ſecundum legem priſcorum imperatorum, quam eccleſia à principio approbauit, & recepit: & quid de legibus ſæculi iuſtis ab eccleſia recipiendis Sixtus Pont. ſcripſerit. Itẽ de epiſtola canonica Cyrilli ad Dominum Archiepiſcopum de reſtituendo pulſo. fol. 222. a*

Cap. 6 *Defenſio decreti Euariſti de ſacris vaſis non tangendis niſi à ſacratis, & quomodo congruat tempori. Item de aqua & ſale benedicto, & de aſpergendo populo, quid hæc ſignificent & operentur, & de myſterio aquæ ſuper terram effuſæ in libro 1. Reg. tum de iis, quæ Lutherani hodie ſecundum apoſtolicas traditiones faciunt, quamuis eas negent. Itẽ quomodo benedictio aquæ & ſalis ſit in ſcriptura Pauli fundata, & de interpretatione illius loci Pauli ad Tim. de ſanctificatione creaturæ per verbum, & orationem, ex proprietate verborum. ſecundum ſcripturas de prompta, & quomodo ſcripturis, & ſibi ipſis repugnare neceſſe ſit eos, qui virtutem ſpiritualem in ſanctificatione aquæ & ſalis negant. Item teſtimonia, & exempla virtutis aquæ benedictæ ex hiſtoria Euſebii, & ſancti Epiphanii. fol. 224. a*

Cap. 7. *Defenſio decreti de non ſeruandis chirographis vi extortis, & quomodo tempori, & veritati congrueret, & quomodo auctore Deo, & Apoſtolis factum ſit, vt teſtatur idẽ Pontifex. & de canone Apoſtolorum 74. in quo vis. & ſententia huius decreti continetur, & quid de confeſſionibus vi extortis Cyrillus, & Athanaſius cenſuerint, & quid interſit inter confeſſionem extortam, cum eſt ſemiplena probatio criminis, & cum non eſt. fol. 229 b*

Cap. 8. *De forma eccleſiaſticæ politiæ, quam Magdeburgen. negant, quomodo in epiſtolis Pauli: & actis Apoſtolorũ, &*

in libro ſecundo Clementis de conſtitut. Apoſtolorum & in epiſtola Dionyſii ad Demophilum continetur. Item de alia forma generali eccleſiaſticæ politiæ in epiſt.2. & 3. eiuſdem Anacleti, quæ ad illam generaliorem in epiſt. prima pertinet, quomodo ex Apoſtolica traditione profecta ſit teſtimonio magnæ Synodi Nicenæ, & de canone eiuſdem Synodi 6 idem de canone 44 ex Arabico Codice tranſlato, & de ratione cōſtituendi iudicia eccleſiaſtica, ſecundum deſcriptionē priſcam ciuitatum in prouincias à Gentilibus factam, & de primis flaminibus, quos Clemens in epiſtola ſua ad Iacobum dicit, qui ſint & cur ſic nominauerit. Reſponſio ad id, quod Molineus obiicit ex cap. Conſtantinus diſt. 96. & quid Conſtantinus Pontifici Roman. in Patriarchas contulerit. De tomo. quem Anacletus, dixit ſe ſcripſiſſe de primatu, quomodo Magdeburgen. non intelligentes quæ legerunt, neque de quo primatu Pontifex loqueretur, de primatu Petri dici putauerunt, & quomodo nihil ad primatum Pontificis referat, vtrū extet, an non extet ille tomus de primatu ciuitatum Metropolitanarum. fol. 232. a

Cap.9. *Reſponſio ad id quod obiicitur in epiſtolam Euariſti de epiſcopis pulſis, & de litteris præfectorum adiunctis ad litteras Pontificis, & quomodo non præfectorum ſed prophetarum legendum ſit ex fide veterum exemplarium, & ex ratione.* fol.241. b

Cap.10. *Reſponſio ad id quod contra epiſtolam Victoris obiicitur, & quomodo, & quamobrem, non ad Theophilum Cæſarea Paleſtinæ ſcripſerit Victor, & cuius Alexandriæ eſſet epiſcopus ille Theophilus, ad quem ſcripſit, & quomodo ex hac ignoratione profectus ſit error Magdeburgenſium, & quomodo ex ipſo Euſebio Cæſarienſi, & ex ipſa epiſtola Victoris demonſtretur, neque ſcripſiſſe, neque ſcribere debuiſſe ad Theophilum Cæſareæ: & quare Magdeburgenſes ſtuduerunt, vt hæc epiſtola Victoris ficta eſſe videretur. item quomodo ex iis, quæ Polycrates ad Victorem ſcripſit, videatur agnouiſſe eum caput eccleſiæ, & quomodo hoc ipſum ex Irenæo clarius adhuc demonſtretur.* fol.243. b

Cap 11. *Reſponſio ad id quod obiicitur de cauſis ſæcularibus in eccleſia iudicandis, quomodo id Paulo conueniat, quod Clemens, & Anacletus de hac re ſtatuerunt, neque ſit contra euangelium, cum ait, Principes gentium dominantur eorum,*

vos autem non ſic, & de ratione & cauſa huius decreti, & quomodo quod Clemens in epiſt. prima de huiuſmodi iudicio cauſarum ſæcularium ſcribit, ex 2.lib.de conſtit. apoſto.liceat clarius intelligere. Item reſponſio de eo, quod ſimiliter accuſatur in epiſtola Anacleti, & quatenus liceat de omnibus rebus ſæcularibus iudicare in eccleſia, & de poteſtate iuriſdictionis ciuilis eccleſiæ data, & de ratione eius, & fundamẽto. fol.2. 744.b

Cap. 12. Reſponſio ad ea, quæ obiiciuntur in decretum de non arguendis, neque damnandis epiſcopis in epiſtola Clemen Anacle. Euariſt. Alexand. Teleſph. & Pii, de quibus epiſcopis non arguendis hoc ſtatutum ſit, & quando, & qua cauſa. Defenſio rationum, quas Pontifices attulerunt pro epiſcopis non accuſandis, quas Magdeburgenſes reprehendunt, quaſi ineptas, & à propoſito alienas, & quomodo ſint prudentiſſimè, & maxime ad rem accommodatæ. Item reſponſio ad ea quæ Molinæus in epiſtolam Clementis obiicit Sexta, Quæſtione prima in margine decreti Gratiani. Quomodo ex illis ipſis teſtimoniis veteris ſcripturæ, quæ beatus Petrus citat in epiſtola Clementis, cum accuſationes epiſcoporum prohibet, doceatur, de quibus epiſcopis non accuſandis, & de quibus accuſatoribus loquatur. De regula à ſanctis Apoſtolis Paulo, & Ioanne tradita ad cognoſcendum, vtrum ſpiritu Dei, an ſpiritu mundi doctrina aliqua tradatur: & quomodo per eã regulam doctrina falſa Lutheri redarguatur, & de loco epiſtolæ Clementis à Magdeb. diſſimulato. fol. 252.a

Cap.13. Defenſio reliquarum rationum in epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum de non accuſandis epiſcopis, quas iidem Magdeburgenſes tanquam ineptas & falſas more ſuo accuſant, quas nos rurſus aptiſſimas. ac veriſſimas, & ex ratione & ſcripturis ſanctis petitas eſſe docebimus. Item quare tanta cautione à Pontificibus illius ſæculi prouiſum ſit, ne temere à quibuſuis epiſcopi accuſaretur, & quæ cauſa ſit, cur tantopere Magdeburgenſes huic decreto de non accuſandis epiſcopis repugnent, & quomodo quæ de hac re in epiſtola Teleſphori notarunt, eos de malitia redarguant. Item, quæ Igmarus Remenſis Archiepiſcopus de non accuſandis epiſcopis diligenter obſeruauit, & eruditè ſcripſit. fol.258.a

Cap 14. Reſponſio ad ea, quæ contra principatum Rom. Pontificis obiiciuntur, quomodo non illis rationibus, quas Magd.

ſinxerunt Principatum Pontificis Anacletus probauerit, neque nos probemus exceptis prima, & quarta, & quomodo appareat non intellexiſſe Magd. quæ Anacletus ſcripſit. Itē quomodo Necena Synodus in 6. canone de primatibus ſecuta ſit auctoritatem canonis 34. Apoſtolorum, & interpretationem Anacleti, qui hunc canonem in epiſtola ſua citat. 267.a

Cap. 15. Quomodo quæ dicunt Centuriatores ſcripta eſſe in nos à Paulo in epiſt. ad Tim 1. c. 4. non in nos quadrare poſſint, ſed proprie in ipſos quadrent. item quomodo ipſi teſtimonium in centuriis ſuis prohibeant, non nos, ſed ipſos à fide diſceſſiſſe, & ex quibus teſtibus ſuæ patriæ, & extra patriam cognoſcere poſſint, quod ipſi à fide diſceſſerint, & quomodo ſi non fuit alius prædicatum purum euangelium, niſi Germanis, ſequatur nondum impletam eſſe prophetiam, in omnem terram exiuit ſonus eorum &c. & quæ ſit Lutheranorum hypocryſis, quam Paulus prædixit hic, & quomodo fides ſine dilectione nihil valeat ad iuſtitiam, demonſtrari hoc ex ipſa ſcriptura Pauli. fol. 258 b

Cap. 16 Quomodo illud prohibentium nubere non in nos competat, qui ad nuptias iuſtas quandoque hortamur, & quomodo Lutherani magiſtri, dum omnibus laxant habenas libidinis, ſponſionem fidei negare docent contra ſcripturam Pauli expreſſam, & de grauiſſima interpretatione Synodi 4. Carthaginenſi in locum Pauli de illis viduis, quæ primam fidem negauerunt, & de interpretatione loci Cypriani de Virginibus, & qui hæretici ſint, quos Apoſtolus prædixit prohibituros nubere: deinde de prohibentibus cibos, & quid Clem. in conſtit. Apoſtol. ſcripſerit de abſtinendo à cibis, & quid Cyrillus Hiero. quid item ex epiſtola Pauli intelligatur, cū Timotheū prohibuit, ne aquam biberet propter ſtomachum. fol. 274. a

Cap. 17. Quomodo quæ Apoſt. 2. Tim 2. ſcribit, non in nos, vt Magdeburg. volunt, ſed in Lutheranos potius, conueniat: & quomodo nos non de verbis cum eis contendimus, ſed de re, & quæ ſit regula ab Apoſtolis tradita recte tractandi verbum veritatis, & quomodo eam repudiarunt Lutherani magiſtri. Item de profano vaniloquio, quid ſit & de exēplis eius, & quomodo dogma Lutheranorum de iuſtificatione ex ſola fide, ſit prophanum vaniloquiū, vt illud Himenæi & Phileti, reſurrectionem eſſe iam factā, & quomodo hoc veteres inter-

pretati ſunt, & quomodo in noſtra eccleſia cauetur omne vaniloquium profanum ſtudio inquiſitorum, quo carent Lutherani, & de neceßitate, & antiquitate huius officii in Eccleſiis catholicarum. fol. 267.b

Cap. 17. Quomodo quæ Magdeb. ſcripta eſſe dicunt de nobis 2. Theſſ. 2. in ipſos quoque proprie quadrent, & in nos nullo modo poßint, & quomodo myſterium iniquitatis in ipſis nunc operetur tanquam in Antichriſtis, docuiſſe Ioannem in epiſt. ſua. Item collatio eorum quæ Daniel de Antichriſto prædixit, cum præcurſoribus eius Lutheranis magiſtris, & quomodo mira eorum ſimilitudo demonſtretur, & cernatur. De 2. Pet. 2. quomodo quæ nobis falſo tribuunt Magd. ipſis verè congruant, vt introducere nouas ſectas, & negare eum qui redemit eos, & ſequi multos eorum luxuriam, & viam veritatis per eos blaſphemari. fol. 279.a

Summæ capitum quarti libri.

CAP. I. Reſponſio ad accuſationem doctrinæ de ſacerdotio externo in epiſtola ſecunda Anacleti: & quomodo ſcripturam Moyſis, & Pauli negare cogantur, qui relicto tantum ſpirituali ſacerdotium reale, externum & viſibile in nouo teſtamento negat. item de ſpirituali ſacerdotio ſimul cũ externo in vetere teſtamento: & in quo ſitum ſit diſcrimen veteris & noui teſtamenti, & reſponſio ex ſcriptura Pauli ad ea, quæ Lutherani, & Caluiniani contra ſacrificiũ verũ, externũ & viſibile ex epiſtola ad Hebræos obiiciunt. 288.a

Cap. II. Defenſio doctrinæ de libero arbitrio in epiſtola Clementis: quomodo conſonet ſcripturæ: & quomodo ſcriptura in mandatis de faciendis coniungere ſoleat gratiam cum libertate voluntatis: & quomodo hanc conſuetudinem ſancti patres imitati ſint, teſtimonio etiam ipſorũ Magdeburgenſium in centuria quarta in iis, quæ de libero arbitrio ab antiquis ſcripta approbant: & de obſeruatione conſuetudinis ſcripturæ apud Philonem Alexandrinum, quando in ſcriptura tota poteſtas electionis noſtræ Deo tribui videtur: & quando homini. Item explicatio Methodii martyris de libertate, quæ quomodo cum gratia Dei cohæreat, exemplo aptißimo demonſtrat. fol. 294.a

Cap. 3. Defenſio doctrinæ in epiſtola Anacleti ſecunda de pænitentia

nitentia cum ſatisfactione ex variis locis, & exēplis ſcripturæ ſanctæ, & de ſatisfactione Chriſti in cruce pro nobis, quomodo non ſuſtulit, ſed potius confirmauit noſtram ſatisfactionē temporalem, & quomodo probandum ſit ſecundum regulam Apoſtoli, vtrū ſpiritus, qui dicitur eſſe ſcripturæ, ex Deo ſit. item explicatio & demonſtratio de ſacrificio ſanctæ Euchariſtiæ ex epiſtola Pauli ad Hebræos. Quomodo nō deroget morti Chriſti, ſed potius fructum eius nobiſcum communicet. fol. 299.a.b

Cap. 4. Defenſio doctrinæ de fide, & iuſtificatione in epiſt. 1. Clementis ex teſtimoniis ſcripturæ ab eodem Clemente ibidē citatis. Et quemadmodum ex eis redarguatur commentum Magdeburgenſium de fide: quod ſit in doctrina Petri apud Clementem ſola notitia Symboli, Et quod eiſdem teſtimoniis ſcripturæ à Clemente citatis euidenter refellatur dogma hæreticorum de iuſtificatione ex ſola fide. Et quod tradunt, fidē peccatis mortalibus amitti, neque poſſe fidem ſolam ſine charitate in homine reperiri, contra ſcripturam eſſe. fol. 306.a.b

Cap. 5. Confutatio eorum, quæ Heerbrādus doctor Hæreticus Tubingenſis de iuſtificatione ex fide ſola contra Synodū Tridentinum ſcripſit, & quomodo fides ſola non tantum ſit Dæmonum, vt ille tradit, ſed etiā hominum peccatorum dilectione carentium, & quod non amittatur propter peccata mortalia: idque probari pluribus locis ſcripturæ ſanctæ, & auctoritate ſanctorum patrum. Idem de fiducia, quod ignorāter eam à fide nō diſtingat: & quæ eius, & ſpei vis, & quomodo primus motus ad diuina ſit, non fides, ſed dilectio. fol. 311.a.b

Cap. 6. Interpretatio teſtimonii Eſaiæ, Niſi credideritis, nō intelligetis, quod citauit Clemens in doctrina Petri, quo redarguitur, quod finxerūt Magdeburgenſes, fidem eſſe ſolam notitiam Symboli, in epiſtola Clementis. Item demonſtratio ex duobus locis Pauli & Salomonis, quod fides ſine dilectione vim iuſtificandi nō habeat, ēt qui talem vim ſoli fidei tribuit, negare eum gratiam domini noſtri, & ad legem ſeruitutis redire. fol. 315.a

Cap. 7. Defenſio eius, quod Petrus in epiſtola Clemētis ſcripſit, fidem eſſe initium, & fundamentum ſalutis, quod Magdeburgenſes reprehendunt, & explicatio, quam vim habeat hoc fundamentum fidei ad rationem iuſtificationis ex variis parabolis à magnis auctoribus notatis. Item, quod quidam anti-

i

qui patres fidem ſolam laudarunt, quomodo ſolam, intellexerint, ex eorum verbis conſtare. fol.317.b

Cap.8. *Defenſio adhuc doctrinæ Petri de iuſtificatione ex operibus in epiſtola Clementis. Quomodo ea doctrina in ſcriptura Petri & Pauli contineatur: & quæ opera ſint ſecundum ſcripturam, ex quibus homo iuſtificatur: & quæ ſint, ex quibus non. Et locus Pauli ex epiſtola ad Roman. capit. tertio copioſe explicatus, & collatus cum iis, quæ à Magdeburgenſibus in doctrina Petri apud Clementem reprehenduntur. itē reſponſio ad ea, quæ in tertia, & quarta epiſtola Clementis iidem reprehendunt de iuſtificatione ex operibus, & eorum collatio cum doctrina beati Petri in epiſtola eius ſecunda.* fol.320.

Cap.9. *Reſponſio ad locos ſcripturæ, quibus Magdeburgenſes conantur probare hominem iuſtificari per ſolam fidem cum contraria demonſtratione euidenti ex eiſdem locis non ex fide ſola iuſtificari. Item ſecundum ſcripturam, fidem eſſe mortuā, & infructuoſam ſine dilectione* fol 325.a

Cap.10. *Defenſio doctrinæ de exauditione orationis per fidem cum bonis operibus, quam Magdebur. in epiſtola Clementis & Alexandri accuſant, & demonſtratio ex ſcripturis, non exaudiri eum, qui cum ſola fide orat, & quomodo latro in cruce nō ex fide tantū orauerit, & exauditus fuerit* fol.327.a

Cap.11. *Reſponſio ad ea, quæ Magd. obiiciunt contra doctrinā Alexandri epiſt.2 de exauditione orationis per oblationes, & dignitatē ſacerdotis. & demōſtratio euidens quod hæc doctrina ſecundum ſcripturas ſit: contra verò quod tradunt Magd. exaudiri orationem in ſola fide, contra ſcripturam eſſe.* fol.329.a

Cap.12. *D[e]fenſio doctrinæ beati Petri in epiſtola Clementis de orando pro mortuis, & de exequiis mortuorum, quam Magdeburgenſes accuſant contra ſcripturam epiſtolæ prioris eiuſdem Petri, collatis teſtimoniis Zachariæ, & Eſaiæ ad interpretationem eius.* fol.313.a

Cap.13. *Explicatio loci Pauli 1 Corinth. 3. de Purgatorio ſecūdum proprietatem verborum, & idioma ſcripturæ, & rationem conſequentiæ, & collationem ſimilium locorum Eſaiæ, & Zachariæ: & quomodo illos paulus imitatus, & interpretatus eſt: & de Conſtitutione Apoſtolica accedente etiam conſuetudine omnium Eccleſiarum exequias mortuorum*

ſemper, & vbique, etiam in Germania ante octingentos annos celebrantium. fol. 336 b

Cap. 14. *De aliis locis ſcripturæ pro ſacrificiis, & orationibus mortuorum in epiſtola ad Romanos, in Tobia, in Maccab. in epiſtola ſecunda ad Corinth. in Eccle. in Apocalypſi, non repetitis, quæ ab aliis ſcripta ſunt de iis, ſed adiectis potius, quæ ſunt prætermiſſa.* fol. 340. a. b

Cap. 15. *Reſponſio ad illud in 3 epiſtola Clementis neminem iudicandum pro eo, quod ignorauit, cum videatur contradicere euangelio, de ſeruo ignorante voluntatem domini, & vapulante. Item reſponſio ad illud, quod in eadem epiſtola reprehenſum eſt, quod merita Apoſtolorum Dæmonia eiicerent, quodque neutrum eorum Magdeb. intellexerint, ex verbis ipſius epiſtolæ demonſtrari.* 343. a. b

Cap. 16. *De Conſtitutionibus eccleſiaſticis, in vniuerſum: & quomodo eas hæretici, ad legem ſeruitutis pertinere falſo credãt, & de lege libertatis, quid ſit ſecundum doctrinam ſcripturæ ſanctæ, & quid lex ſeruitutis, & quomodo hæc Lutherus ignorauit.* fol. 345. b

Cap 17. *Defenſio doctrinæ beati Petri in epiſt. Clemen. de confeſſione auriculari, & collatio eius doctrinæ, cum epiſtola 2. eiuſdem beati Petri, & cum loco Salomonis in Prouerbiis & cum epiſtola prima beati Ioannis, & explanatio horum locorum, & quod confiteri in genere ſe peccatorem, non facit erubeſcere, & quomodo beatus Ioannes in epiſtola ſua omnino loquatur de confeſſione peccatorum in ſpecie, & quomodo hæc non ſit impoſſibilis, neque ardua.* fol 349. b

Cap. 18. *Reſponſio ad ea, quæ Magdeburg. obiiciunt contra doctrinam de confeſſione ſecreta. De loco pſal Delicta quis intelligit, quomodo eum veteres interpretati, & quomodo Paulus imitatus, & interpretatus ſit. Itẽ de interpretatione loci Pauli. Quod enim operor, non intelligo, ex Methodio Martyre.* fol 354. b

Cap. 29. *Reſponſio ad reprehenſionem de reliquiis corporis Dominici ſumma religione cuſtodiẽdis, & de anathemate beati Petri in cuſtodientes eas negligenter: & in eos, qui pallam, quæ corpus Domini tetigit, ad alios vſus transferũt: & quomodo iſta contra ſcripturam Magd. reprehendant.* fol. 357. a

Summæ capitum quinti libri.

Cap.1. Defenſio doctrinæ de non accedendo ad menſtruatã in epiſtola Clementis quarta, quod eam reprehendant Magdeburgenſes contra naturæ decentiam & honeſtatem. Item de purificatione, ſiue lauatione cõtra naturalem quoque honeſtatem & honeſtæ conſuetudinis decentiam à Magdeburgenſibus reprehenſa. fol.367.a
Cap.2. Defenſio doctrinæ de communi vita in epiſtola 5. Clementis: & de origine communitatis rerum, & de perfectione eius: & de errore in ea veterum hæreticorum, & noſtræ ætatis: item de vita communi religioſorum, & de voto, quo ſuſcipitur, item de communi vita clericorum ex communi ſumptu eccleſiæ. fol.370.a
Cap.3. Defenſio doctrinæ de ſolẽni benedictione ſacerdotali nuptiarum in epiſtola Euariſti: de cauſa eius, & vtilitate: & reſponſio item ad id, quod in huiuſmodi traditiones obiiciunt Magdeburgenſes, eſſe laqueos conſcientiæ. 375.a
Cap.4. Defenſio doctrinæ de aqua benedicta cum ſale ad ſanctificationem populi aſpergenda in epiſtola Alexandri. Et cõtra ſcripturas eſſe, quod tradunt Magdeburgenſes, idololatriam eſſe, quicquid fiat ad cultum Dei ſine mãdato eius. & aliquid de traditionibus Apoſt. ſine ſcripto. fol.367.b
Cap.5. Reſponſio ſecundum ſcripturam, & apoſtolicum canonẽ ad accuſationem Magdeburgenſium in epiſt. 2. Sixti de ſupplicio populi quaſi iniuſto propter laicum, qui vaſa ſacra tetigit. Item reſponſio ſecundum ſcripturam ad accuſationem in epiſt. 2. Sotheris de ſacratis fœminis prohibitis tangere ſacra vaſa, & ferre incenſum ad altare, & quorſum tendat eiuſmodi accuſatio. fol.380 a
Cap.6. Defenſio doctrinæ de delectu ciborum in epiſtola Teleſphori: & explanatio loci epiſt. 1. ad Timoth. cap. 4. de cibis, quem locum Lutherani deprauant. & de ieiunio ex ſcripturis & de fabulis apud Paulum abſtinentium olim à cibis, item explanatio loci Pauli de exercitatione corporali ad modicum vtili, ex auctoritate multorum veterum patrum. fol.382.b
Cap.7. Explanatio loci difficilis epiſtolæ ad Coloſſ. 3. de abſtinentia ciborum, & de cultu voluntario, & variis exemplis eius in ſcripturis & de interpretatione ridicula Marlorati in locum epiſtolæ ad Coloſſen. & quomodo Lutherani magiſtri ex proprietate verborum Pauli, & conſequentia eorum coarguantur de falſa ſua interpretatione eiuſdem loci ad tollen-

dum delectum ciborũ tum iuſſum, tum volũtarium. fol 387. b

Cap 8. *Reſponſio de ſeptem hebdomadis ieiunii Quadrageſimæ quas in epiſtola Teleſphori Magdeburgenſes accuſant: & de earum differentia, & ratione in eccleſiis Orientis & Occidẽtis, & qui Patres antiqui de eis meminerint: & de octo hebdomadis Arianorum. fol. 391 b*

Cap. 9. *Defenſio doctrinæ, quam in epiſtola 1. Clementis & Anacleti 1. reprehendunt Magdeburgenſes. Quòd maiores ſint Epiſcopi, & ſacerdotes, quam Principes & Magiſtratus ex ſcripturis, & Apoſtolicis conſtitutionibus: & de loco Pauli, Subditi eſtote non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam, quem hæretici deprauant. fol 394. a*

Cap 10. *Defenſio doctrinæ in epiſtola Euariſti de matrimonio non diſſoluendo per fornicationem Euangeliſtis cum Paulo collatis, & Apoſtolico canone, ac pluribus conciliis, & patribus cum ſcriptura conſentientibus. fol 400. b*

Cap. 11. *Quid reſpondendum ſit pro matrimonio non diſſoluendo propter fornicationem ad id quod obiiciunt ex commentariis, qui feruntur eſſe Ambroſii: & quid beatus Ambroſius de hoc dogmate ſenſerit. De falſa interpretatione Auguſtini Marlorati in locum Pauli: Mulierem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, aut reconciliari, aut manere innuptam & confutatio eius. fol. 403. b.*

Cap. 12. *Defenſio doctrinæ de cœlibatu in epiſt. 2 Clementis: & confutatio eorum, quæ* Heerbrandus *de hac re contra ſynodum* Tridentinam *ſcripſit. Et doctrina Apoſtoli de continẽtia, quam à Sacerdotibus, & Diaconis, & eorum vxoribus requirit, ex virtute verborum, & ex traditione ſanctorũ deprompta. fol 406. b*

Cap. 13. *Reſponſio ad id quod Heerbrandus Tubingẽſis doctor contra Cœlibatũ obiicit ex epiſt. ad Heb. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: & de falſa & repugnante interpretatione eius: & propria, ac vera interpretatione ex cauſis dictorum, & circunſtantiis perſonarũ, & collatio . e ſimilium locorum ſcripturæ concluſa. 409. b*

Cap. 14 *De falſa interpretatione, & repugnante Auguſtini Marlorati in lo um epiſt. ad Hebr. de honorabili coniugio in omnibus contra Cœlibatũ, & in locum epiſt. ad Tim. de viduis illis, quæ primã fidẽ negauerũt, & de vera interpretatione vtriuſque loci, ex propria virtute ſcriptu. ducta. fol. 413. a*

Cap.15. Reſponſio ad reliqua Heerbrandi Tubingenſis doctoris contra Cœlibatum: & de canone Niceni Concilij, & interpretatione eius, ex ſynodo Arelatẽſi ante mille ducentos annos, & ex epiſtola Baſilii. Itẽ de hereſi contra ſacrũ cœlibatũ ante mille annos, iterũ poſt Nicolaitas renouata. fol. 416. a

Cap.16. Reſponſio ad reliqua Heerbrandi contra ſacramẽtum matrimonii, quod negat: & explanatio loci epiſtolæ ad Ephesios pro ſacramẽto matrimonii ex propriis ipſius loci cum adſtipulatione veterum patrũ, & collatione aliorum locorũ ſcripturæ ſanctæ & de ſanctitate matrimonii fidelium, vnde exiſtat & quomodo, quæ S. Sixtus 3. ſcripſit, Tubingenſem doctorem redarguant. fol 418. a. b

Cap.17. Defenſio doctrinæ de obſeruatione vniformi paſchali: & quæ eius cauſa, ac neceſſitas: item de obſeruatione vniformi diei dominici: & cur eam Magdeburgenſes non audeant reprehendere. fol. 423. b

Cap.18. De obſeruatione dierum ac temporum ad ieiunandum, & ad legendum in eccleſia ſcripturas, quomodo ſit ſecundum ſcripturas, & rurſus de obſeruatione paſchali item ſecundum ſcripturam. fol. 427. b

Cap.19. Reſponſio ad accuſationem epiſto. Aniceti de radendo caput Clericis in modũ ſpheræ: & de propria ratione tõſuræ: & quòd tonſura nõ pertineat ad traditionẽ hominum, quam Apoſt. in epiſt. ad Coloſſ. dãnat, ſed ad traditionẽ hominũ ſecundũ Chriſtũ, quã probat Et de exẽplis traditionis hominũ, quã dãnat. & inter multiplices rationes, & Theorias tõſuræ Chriſtian quæ ſit propria ratio eius in Clericis. fol. 432. b

Cap.20. Reſponſio ad id quod Magd. de Euſeb. Cæſarienſi, & Hierony. ac Dama. obiiciunt, quod de epiſt. Pontificum Apoſtolic. nõ meminerint. & de quibus epiſt. Damaſus mẽtionem fecerit, & de modo, quo vitas pontificum ſcripſit. Cur Leo 4. de epiſt. Pontific. Apoſtolic. non meminerit, vbi aliorũ poſteriorum pontificũ epiſt. commemorat. Item de decretis harum epiſtolarum, quæ Gratianus in ſuo volumine decretorum earum auctoribus aſſignauit, & de decretis quibuſdam epiſtolarum, quæ in iis ipſis epiſtolis, ex quibus ab eo citantur, non reperiuntur. Item de vno tantum teſte à Magd. producto ad dicendum teſtimonium contra epiſt. pont. & quid ille contra Hierony., & Damaſi, quos citat, ſententiam finxerit, vt differentiam epiſcop. & presbyterorum tolleret. fol. 437. b

Cap. 21. *De interpretatione Hieronymi, quæ in locis veteris teſtamenti in epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum citatis, reperitur loco interpretationis 70. qua illi Pontifices vſi ſunt, cur hoc factum ſit, & quo exemplo, & quomodo probetur manifeſte vſos eſſe auctores harum epiſt. interpretatione 70. item de interpretatione 70. in epiſt. Pauli ad Heb. quomodo, & quare Paulus non ſit ea vſus in epiſtola ipſa, quam Hebraicè ſcripſit, ſed interpres potius epiſto. 9. Quomodo diuino conſilio factum eſſe videatur, vt in plerisque locis veteris teſtamenti citatis interpretatio Hieronymi in his epiſt. poſita ſit ad eos redarguendos, qui aliquando dicturi erant, fuiſſe factas epiſt. tempore Caroli Magni. & quid argumēti antiquitatis harū epiſt. ex hac interpretatione acceſſerit & quomodo. fol. 446. a*

Cap. 22. *De genere teſtium ſanctiſſimo pro Pontif. Apoſtolic. quod eſt fama vetus. Quomodo quæ Auguſt. ſcripſit contra Fauſtum negantem nouum teſtamentum ſcriptum eſſe ab Apoſtolis, ad coarguendum Magd. valeant, & ad probandum ſcriptas eſſe epiſtolas à Pontificibus, quorum eſſe feruntur. itē quomodo refellendum ſit, quod aiunt Magdeb. corruptas eſſe epiſtolas iſtas, & ſi concedant eſſe Pontificum. fol. 450 a*

Cap. 23. *De iis, qui epiſt. Pontificum Apoſtolicorum apud veteres citarūt, & reſponſio ad cap. Diſt. 19. Si Rom. quod Magdeb. in epiſtolas obiiciūt, & quemadmodum Nicolaus primus citatus teſtis contra epiſtolas à Magd. earum auctoritatem probet. Item de epiſtola Clementis prima ad Iacobum libris Recognitionum præpoſita, & de altera epiſtola Clem. ex perſona Petri ad Iacob. de qua Photius, & de veteribus ſynodis, quæ epiſtolas Pont. Apoſtolicorum citarunt. fol. 453. b*

Cap. 24. *De decretis epiſtolarum quinque Clementis quomodo non auctoritate ipſarum epiſtolarum ſed conſuetudinis omnium dei Eccleſiarum à ſanctis Apoſtolis inſtitutæ & traditæ conſiſtant, & de argumentis antiquitatis quæ ex iis ipſis decretis earum colliguntur, & quomodo probetur, ſcriptas eſſe Græce, & de aliis quibuſdam obſeruationibus item de epiſtolis 3. Anacleti & de decretis earum, & quæ in ipſis veſtigia illius ætatis, qua ſcriptæ ſunt, impreſſa cernantur, & quæ argumenta ſcriptas eſſe latine. fol. 459. b*

FINIS.

Franciſci Turriani Societatis IESV,

Aduerſus Magdeburgenſes Centuriatores pro Canonibus Apoſtolorum.

LIBER PRIMVS.

Reſponſio ad ea, quæ Magdeburgenſes Centuriatores in proœmio accuſationis Canonum Apoſtolorum in eos obiiciunt: & defenſio Canonis xvii. de ſecundis nuptiis ordinando Clerico prohibitis: & explanatio loci Pauli ad Titum de continentia Sacerdotum, Collatis locis ſcripturæ, & examinata proprietate & conſuetudine verbi Continentiæ in ſcripturis. *Caput* I.

VT igitur ad omnia, quæ Magdeburgenſes Centuriatores in Eccleſiaſticos Canones Sanctorum Apoſtolorum obiiciunt, reſpondere iam incipiamus, ordiamur ab eorum proœmio, ſic enim illi orſi ſunt, Canones illos, qui a Clemente Romano verſi dicuntur, & nomine Apoſtolorum circunferuntur, ab Apoſtolis non eſſe cõſcriptos, nec hoc ſæculo tales extitiſſe, multis firmis argumentis probari poteſt.]

Hactenus proœmium, in quo illud primum non intelligo, quid ſibi velit, quod aiunt, Canones illos, qui à Clemente Rom. verſi dicuntur. Ex qua enim lingua verſi? aut quis vnquam dixit à Clemente verſos præter

Quā inſcitè dixerint Mag eſſe Canones Apoſtolorū verſos à Clemente.

Magdeburgenſes?an verſi è Græco in Latinum?ecquis ignorat, Clementem Romanum lib. 8 de conſtitutionibus Apoſtolorum Græcè ſcripſiſſe, eſſéque Apoſtolorum Canones extremam partem libri octaui? tametſi ignoraſſe quidem Magdeburgenſes non mirum erat, ſi hi libri non eſſent iampridem in lucem æditi, & in publico verſarentur. An fortaſſis exiſtimarunt Magdeburgenſes ex lingua Hebraica, aut Syra, aut Arabica, in Græcam à Clemēte tranſlatos? ipſi ergo viderint, quid dicere voluerint, aut quomodo à Clemente verſos intellexerint. Libenter equidem diſſimulaſſem hoc, quia parum, aut nihil ad cauſam refert niſi cum iis agerem, qui ſe in omnibus acutos & perelegantes viros putant, & præ ſe cæteros homines nihili faciūt. Præterea quod in eodém procemio dicunt, non eſſe ab Apoſtolis conſcriptos canones iſtos, Quis hoc negat? aut quis vnquā ex catholicis ſcriptos ab Apoſtolis dixit? aut eſſe eos ſcripturam ſacram, & diuinitus inſpiratam? vt quidem eſſet, ſi ab Apoſtolis ſcriptos eſſe ſic probaretur, quomodo probatur, ſcriptum eſſe ab eis nouum teſtamētum. Quod autem adiunxerunt, Nec hoc ſæculo tales extitiſſe: hoc illud eſt, de quo cum eis contendimus. Et hoc nos multis grauiſſimis teſtimoniis loco ſuo probabimus, ſi prius iſtorum argumenta, quæ ipſi firma vocant, & in ſex locos diſtribuerunt, refellerimus. Primùm, nā reperiuntur (inquiunt) inter eos aliquot Canones, qui probatis authenticis, quos paulò ante recenſuimus, Apoſtolorum Canonibus, & doctrinæ aduerſantur, quales ſunt Canon 17. qui ſecundas nuptias damnat, quas tamen Paulus 1. Tim. 5. & 1. Cor. 12. mādat, & præcipit.]

Canones Apoſtol. ſine ſcripto traditi ſunt.

Defēſio, & explicatio canonis Apoſt. 17. de nuptiis ſacerdotū, & diaconorum prohibitis.

Hactenus Magd. recitemus nos Canonē, Si quis poſt baptiſma ſecundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuit, non poteſt eſſe Epiſc. aut presb. aut diac. aut prorſus ex numero eorum, qui miniſterio ſacro deſeruiunt. Hactenus Canon: qui ſi nuptias damnat, damnat etiam Paulus 1. Tim. 3. cùm præcipit, vt ſit Epiſcopus, & preſbyter vnius vxoris vir, id eſt, ne ſit ſecundis nuptiis copulatus. Ita enim eſſe intelligendum, quia hoc iſti ſine vlla ratione, & auctoritate negabunt, nos ex ipſius Pauli verbis, & verborū eius virtute do-

cemus, & probamus, quia, quem hoc loco dixit Apoſtolus, debere eſſe vnius vxoris virum, ſobrium, pudicum, filios habentem ſubditos, eundem dixit in Epiſ. ad Titum, debere eſſe item vnius vxoris virum, filios habentem non in accuſatione luxuriæ, pudicum & cõtinentem. Interrogate ergò Paulum Magdeburgenſes, cur continentem addidit ad pudicum? cur inquam, ad pudicitiam, quæ laicis quoque coniugibus neceſſaria eſt, continentia non eſt, continentiam addidit in Sacerdotibus? Quid ſibi voluit iſtius verbi adiunctio, ſi vxore vti Epiſcopo & presbytero licere volebat? Verbum enim ἐγκρατὴς quod continentem declarat, cum ſolùm ponitur, id eſt, ſine additione eius rei, cuius aliquis continens eſt, vt iræ, inanis gloriæ, (iræ enim continẽs quis dicitur, & gloriæ, & auri, ac ſimilium.) Tunc ad voluptates guſtus, & tactus propriè refertur, vt Ariſt. in priore libro magnorum moralium notauit. Requirit ergo Paulus, qui vim & proprietatem horum verborum non ignorabat, quibus in tam neceſſaria nobis doctrina vtebatur, requirit, inquam, vt ſacerdos, ſiue libidine tentetur, ſiue non contineat ſe ab omni concubitu. Hoc enim ſignificat, debere eſſe caſtum ſimul & continentem. σώφρων enim, ait idem Ariſtoteles id eſt caſtus, non patitur: ἐγκρατὴς verò, id eſt continens, patitur. Si qui verò putabunt non accipi hic ἐγκρατῆ id eſt continentem propriè, putent quoque, vt errorem ſuum augeant, neque cætera, quæ hoc eodem loco Paulus cum continente coniunxit, ad proprias virtutes pertinere, ſed ad communes & generales, quos ſtatim ratio ipſa verborum & doctrinæ, & ſcripturæ ſanctæ conſuetudo redarguet: & non ita eſſe quod putant, cõuincet. Quia enim ad Epiſcopum pertinet, & ad Sacerdotem, vt eleemoſynas tribuat, vt ſciat non ſolum pauperibus eccleſiæ ſuæ tribuendum eſſe, ſed etiam peregrinis, quod ſine ſcripto etiam traditum eſt canone Apoſtolorum 41. idcirco iubet ei Apoſtolus per epiſtolam, hoſpitalem eſſe. Itaque ad charitatem erga pauperes eccleſiæ ſuæ debet adiungere Sacerdos eccleſiæ charitatem erga peregrinos: ſicut beatus Petrus ad charitatem fraternitatis ſiue erga fratres, quam vocat

Vſus, & proprietas verbi ἐγκρατὴς id eſt, continens.

Quomodo redarguendi ſint, qui putauerint continẽtem in epiſ. Pauli, ad Tit. ad generalem virtutem pertinere.

2.Pet.cap.1.

philadelphiam,iubet adiungere charitatem generalem erga omnes,etiam inimicos ne quis exiſtimet ſatis eſſe diligere fratres noſtros, qui ex eodem vtero myſtico baptiſmali nobiſcum renati ſunt,niſi diligat etiã quoſcumque alienigenas. Similiter iubet eſſe φιλάγαθον id eſt, ſtudioſum eorum, qui probi ſunt, vt ſic ſtudio ſuo improbos alios ad probitatem prouocet: item caſtum, ſiue pudicum, vt alios exemplo ſuo hortari poſſit ad pudicitiam: nã oculis etiam & auditu & ſermone pudicum ſiue caſtum eſſe oportet. Præcipit deinde iuſtum eſſe, vt ſit ἀπροσωπόληπτος, ſicut apoſtolica conſtitutio in 2.lib.Clementis Romani eidẽ præcipit,id eſt,vt non ſit acceptor perſonarum,qui(inquit)neque diuites reuereatur: neque pauperes cõtemnat,& opprimat. Nihil enim magis ſacerdoti, qui eccleſiæ præeſt,neceſſarium eſt, cùm ſit iudex in eccleſia ſua. Sequitur deinde vt ſit ὅσιος,id eſt,ſanctus:hæc quoque propria & ſpecialis virtus eſt,ſicut ſuperiores. Differt autem,vt Photius Conſtantinopolit in Lexico ſuo notauit ὅσιος,id eſt ſanctus à iuſto. quod iuſtus(inquit) ſeruat æqualitatem iuſtitiæ erga ſui ſimiles, id eſt, erga homines, ὅσιος verò ὁ περὶ τὰ θεῖα ἐσπουδακὼς ἑαυτὸν καθοσιώσας θεῷ,ideſt, ſanctus; qui ſtudio diuinorum tenetur,& ſe Deo conſecrauit. Sequitur deinde vt ſit ἐγκρατὴς,id eſt,continens, quod verbum ἐπίτασιν τῆς σωφροσύνης ſecundum proprietatem ſuam declarat,ideſt,incrementũ & amplificationem caſtitatis,ſiue pudicitiæ: ſignificat enim non tangere vxorem, ſicut Paulus loquitur in Epiſtola ad Corinth.cùm ait. De quibus ſcripſiſtis, bonum eſt homini mulierem non tangere, de vxoribus enim interrogauerãt Corinthii,& de eis Paulus reſpondit, vt & ratio ipſa conuincit:& nos alio loco,autore etiam & interprete S.Sixto ſecundo, copioſe docuimus. Si igitur præceptum Chriſti eſt, vt ſit ſacerdos,qualis hic ab Apoſto.deſcribitur,ſit etiam præceptũ eius,vt continens ſit:aut ſi hoc non eſt,nec illud, vt ſit hoſpitalis,benignus, ſobrius, iuſtus,ſanctus. Ipſe denique viderit, qui aliter locum hunc Pauli, & verba eius interpretanda eſſe putet. De huiuſmodi continentia carnis,id eſt,de virtute ſpeciali etiam vxorẽ propriã

Quid iuſtus differat ab eo, qui dicitur ὅσιος, id eſt, ſanctus.

lib 2.de dogmaticis chor.

quid abſurdi, & falſi concedere cogatur qui legem continẽtiæ ſacerdotalis ſolui poſſe exiſtimat.

non tangẽdi diſputabat Paulus coram Fælice præſide, & Druſilla vxore eius, ſicut diſputauit apud Corinth. quæ fuit cauſa, vt ad eum Corinthij de ea re ſcriberẽt: & Paulus eis reſponderet. De quibus ſcripſiſtis, bonum eſt homini mulierem non tangere, id eſt, vxorem. Diſputabat etiam Paulus coram Fælice de iuſtitia ſpeciali virtute. Quid enim accommodatius, & opportunius eſſe poterat, quàm vt reus coram Iudice de iuſtitia inter homines, diſſereret, & de iuſtitia Dei in iudicio futuro? aut quid rurſus alienius à ratione & propoſito & loco ac tempore illo, quàm ſi dicatur diſſeruiſſe de iuſtitia, quæ vniuerſam virtutem ſignificet; & de continentia, quæ vniuerſam item virtutem ſignificet? Quis enim ita Lucam locutum fuiſſe vnquam dixerit, vt bis virtutem vniuerſam duplici vocabulo Iuſtitiæ & Continentiæ in eodem loco otioſe affecerit? Præterea cùm Paulus de ſecularibus dicit, Si non continent, nubant; an non neceſſe eſt omnino, verbum continendi, vnde continentia deriuatur, ſicut ἐγκράτεια ἀπὸ τοῦ ἐγκρατεύεσθαι referri ad continentiam carnis? Quare, ſi permittit Apoſtolus iis, qui continentes eſſe nolunt. id eſt, qui nolunt cõtinere ſe ſemper ab omni cõcubitu muliebri, vt vxores ducant, vt ſuis vtentes, fornicari deſinant; & iis, qui vxores habẽt, vt, poſtquam ad tempus ex conſenſu ſe ab eis continuerunt, reuertantur in id ipſum, ne propter incontinentiam tentẽtur, ergo vxore ſua vti non eſt ſecundum Paulũ continentis, licet poſſit eſſe caſti, ſiue pudici. Ex quo rurſus fit, vt ſi ſacerdos debet eſſe continens, ſicut Apoſtolus præcepit, neceſſe ſit ſecundum ſcripturam Pauli diuinitus inſpiratam, vt vxorem ſuam non tangat. Idcirco continentem eſſe, nulli in toto nouo teſtamento præcipitur, niſi miniſtris ſacri altaris, Epiſcopo, presbytero, & diacono, & iis, qui continentiam Deo promiſerunt. Rurſus cũ ait idem Apoſtolus, omnis autem, qui in agone contẽdit, ab omnibus ſe abſtinet, quod Græce eſt ἐγκρατεύεται, neceſſe eſt ad ea referre quæ ſunt propria continentiæ ſpecialis, id eſt, ad voluptates, & concupiſcentias ventris, & ſub ventre, vt Græci loquuntur, quas hæc virtus ſpecialis cohibet. Hæ enim ſunt, quæ pugilli, & ei qui

Act. 24.

Quod nulli in toto nouo teſtamento, præcipiatur vt ſit ἐγκρατὴς *id eſt continens præterquã miniſtro altaris epiſcopo presbytero, diacono, & iis, qui ſe voto continentiæ obligarunt.*

in ſtadio currit,& in agone certat,nocere poſſunt vnde inquit Theodoretus hunc locum interpretans,nō omnibus cibis veſcuntur iſti, quamquam expetant: ſed eum ſolum,quem magiſter eorum eis adhibet. In illo

1.Cor 9.
2.Pet.c.1.

autem loco Epi. Pet.2.c.1. miniſtrate in ſcientia continentiam, accipiendum quoque eſſe verbum continentiæ pro virtute continentiæ carnis, id eſt, continentiæ voluptatum guſtus,& tactus (ex vtroque horum enim conſtat hæc virtus, ſcitéque dixit Tertullianus in libro de ieiunio contra pſychicos, monſtrum eſſe libidinem ſine gula, vnde ſcriptum eſt, nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria)ſatis declarat quod ſequitur, in continentia patientiam ſcilicet miniſtrate: quia enim voluptates carnis,ſiue concupiſcentiæ,à quibus vnuſquiſq; tentatur abſtractus,& illectus,ſicut ait beatus Iacobus, vehementiſſimæ omnium ſunt,ac vehementiores etiã quàm impetus iræ, vt philoſophi quoque tradunt; idcirco in his cohibendis maxime opus eſt patientiæ virtute. hæc igitur eſt præcipua ratio, cur in cognitione, ſiue ſcientia ſtudioſius continentiam,quàm aliam virtutem miniſtremus,quod,vt dixi,cõcupiſcentię,in quibus refrænandis, & coercendis virtus continentiæ verſatur,vehementiſſimæ omnium ſint Iubet ergo B.Petrus miniſtrare in fide virtutem, id eſt, adiungere ad fidem opus virtutis, quia fides ſine virtutis opere mortua eſt:& miniſtrare in virtute ſcientiam: id eſt,operari virtutem cum cognitione,ſiue prudentia ſpiritus, quæ eſt regula, & norma veræ virtutis: γνῶσιν enim vocat B. Petrus, quam Philoſophi in operatione virtutũ vocant φρόνησιν, id eſt, prudentiam. Vnde Apoſtolus in epiſtola ad Rom. iubet vt probemus, id eſt, vt per inſtructionem legis Dei examinemus, quæ ſit voluntas Dei bona,& beneplacens,& perfecta.Sic enim intelligẽdum eſſe,quod ait, vt probetis,quæ ſit voluntas Dei bona,intelligi poteſt ex c.7.eiuſdem epiſ ad Rom cùm ait, & probas quæ ſint meliora inſtructus per legem. Propter hanc ergo cognitionem,ſiue prudentiam ſpiritualem, quæ miniſtranda eſt in operatione virtutis, vt ſit recta,ac perfecta,dixit Eſaias.Diſcite benè facere, vt eruditè magnus Baſilius in eo loco obſeruauit.Sine

Eph.c 5.
Iac.c.1.
Rom.12.
Rom.c.7.
Eſa.c.1.

perceptione enim ſcientiæ ſiue prudētiæ ad bene operandum, non poſſumus benè operari: & rurſus idem Eſaias cum iudicia tua (inquit) feceris, iuſtitiam diſcent habitatores terræ. Ergo poſtquam beatus Petrus præcepit miniſtrare in fide virtutem generaliter, & in virtute cognitionem, ſiue ſcientiam, quæ diſcenda eſt ex inſtitutione legis Dei, & ſanctarum ſcripturarum, pergit iam ad ſpeciales virtutes, quarum primam poſuit continentiam, propter cauſam iam dictam. Non perſequor reliqua quia non eſt locus. Per ſe intelliget, qui ſcripturas ſanctas ſcrutari didicerit. Redeo ad locum Pauli in Epiſtola ad Titum, cui conſonat præceptum Beati Petri in epiſtola Clementis ſecunda. Miniſtri (inquit) altaris ſiue diaconi ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem ſuam coniuges ſuas reliquerunt. Sic enim ſcriptum eſt in vetuſto exemplari bibliothecæ Vaticanæ; non dixit, coniuges ſuas eiecerunt, ſiue excluſerunt. Hoc enim vetat canon v. Apoſtolorum, quia inhumanum ſit hoc facere: ſed dixit reliquerunt: id eſt, iam ante ordinationem deſierunt cum eis miſceri; niſi enim ante ordinationem vxor ordinationi mariti aſſentiatur, & ambo deinceps ſemper ex conſenſu continētes eſſe velint, non poteſt ordinari. Hoc ergo ſignificat, ante ordinationem coniuges ſuas relinquere. in extrema autem parte epiſtolæ, hæc (inquit) præcepta à Sancto Petro accepi. & nè quis aliquando dicere poſſet, eſſe hoc prȩceptum humanum, & non diuinum, ſubiungit. Hæc tibi fili chariſſime inſinuari curaui, vt ſeruari omnia præcipias ſine macula. ſi quis verò audierit te, vtilis erit miniſter Ieſu Chriſti: qui autem non audierit te, immo loquentem dominū per te, ipſe ſibi damnationem acquiret. Ergo hoc præceptum beati Petri de continentia ſacerdotum diuinum eſt, & non humanum. Cum enim quis loquitur, quæ aut prius ipſe dominus immediate, & ore ſuo locutus eſt, vt ea quæ ſunt in euangelio, aut poſtea locutus eſt per Apoſt. ſuos ſiue ſcripto, ſiue ſine ſcripto, diuina tunc & non humana loquitur Vnde reddens rationem Dionyſius c.4. cæleſtis hier. quare Deus cū legē dederit per Angelos, vt S. Stephanus in actis apoſt.

Eſa.22.

Locus epiſ. Clementis conſonans epiſt Pauli ad Titum de continentia ſacerdotum.

Act 7.

Gal 3.
Exod.19.

& Paulus in epiſt.ad Galatas teſtantur:ſcriptura tamen Exodi ab ipſo Deo datam eſſe dixit: Scilicet non ob aliam cauſam, inquit, niſi vt doceremur, diuinam eſſe legem. Vt igitur lex data per Angelos,non erat angelica,ſed diuina, ſic omnia, quæ Dominus per homines; quos Apoſtolos & miniſtros noui teſtamenti elegit,& miſit;tradidit,nõ ſunt, neque dicuntur humana, ſed diuina,ſicut non humana,ſed diuina fuerunt, quæcunque Deus per Moyſem populo ſuo tradidit. Vnde diuinus Dionyſius vnum genus tantum traditionum Apoſtolicarum à ſanctis Apoſtolis didicit, id eſt, diuinum: non duplex,alterum humanum,alterum diuinũ: vt ex extrema parte capitis primi eccleſiaſticæ hier. perſpici poteſt. Deinde ſi ſunt Apoſtoli magiſtri Eccleſiæ Catholicæ, vt quidem ſunt;ſi quidem Spiritus Sanctus per eos, & per eorum prædicationem Eccleſiæ Catholicæ traditam docet Eccleſiam omnem veritatem; Apoſtolos autem Dominus per ſe & immediate erudiuit, & illuminauit in omnibus, quæ eccleſiæ tradiderunt; contra enim ſentire error eſt;ſunt igitur non humana,ſed diuina omnia,quę Apoſtoli à Chriſto miſſi,in eccleſia Dei docuerunt, & ſtatuerunt. Nec enim, cum Apoſt.dixit,nam cæteris ego dico, non Dominus, diuina ab humanis diſtinguere voluit: ſed ea,quæ Dominus ore proprio in Euangelio docuit, vt illud,Vxorem à viro non diſcedere,ab iis diſtinxit, quæ nõ prius ore proprio, ſed tunc primum ore Apoſtoli docuit, quale eſt,Si quis frater vxorem habet infidelem,& quę ſequuntur. Vt ſapienter Theodoretus in diuinis ſcripturis valde exercitatus,& eruditus ſua interpretatione admonuit.Immo ipſe idem Paulus,ne quis male interpretaretur, quod dixerat, Ego dico, non Dominus; & ad humanam auctoritatem,quod diuinæ erat,referret, de iis omnibus, quæ paulo ante ſcripſerat, ſubiunxit, Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam.ſi quoque beatus Chryſoſtomus ſenſit ſed, vt ante dixi, qui præceptum de continentia ſacerdotum in epiſt.,Pauli ad Titum humanum putat, putet etiam humanum eſſe præceptum de hoſpitalitate, & iuſtitia ac ſanctitate. Denique ſi Paulus in epiſ. ad Tit. à ſenibus laicis

Quare quæcũque Apoſtoli tradiderunt, diuina ſint.

Dionyſius vnũ tantum genus traditionũ Apoſtolicarum monit.

1 Cor 7.

Quæ diſtinxerit Paulus,& à quibus,cum dixit, ego dico, non Dominus.

ad Tit.cap. 2.

requirit, vt ſint caſti, ſiue pudici, idem item à nuptis adoleſcentulis. & idem rurſus item à coniugibus in epi. 1. ad Titum c 2. an cum à ſacris miniſtris requirit, vt ſint ſimul σωφρόνες & ἐγκρατεῖς, id eſt, caſti, & continẽtes, nihil amplius requirit? quod ſi requirit, dicant nobis, iſti qui cœlibatum proprie iuris diuini eſſe negant, quid illud erit? ad communem enim & generalem virtutem continentiæ cõfugere non poſſunt; cum, vt ante oſtenſum eſt, nunquam in nouo teſtamento niſi proprie hoc verbum accipiatur. Poſtremo cõſcientias iſti ſuas, qui contradicunt, interrogent, vtrum honeſtum exiſtiment, quod ad voluptates carnis pertinet, non plus caſtitatis, à ſacris miniſtris, quàm à laicis & ſæculi hominibus hoc loco epiſtolæ à Paulo requiri? quod ſi non exiſtimant, quid iſtud plus caſtitatis eſſe poteſt, niſi vt illi, id eſt ſacri miniſtri, omnino ab vxoribus abſtineant: hi, id eſt laici, non abſtineant, ſi nolint; ſint tamen caſti, & pudici? Sed reuertamur tandem ad locum Pauli, vnius vxoris vir. Si enim ſua vxore vti, licere ſacerdoti, noluit, quod ipſa nunc vis verborum, vt demonſtraui, confiteri cogit; quis iam non videt, abſurdum eſſe, hoc ſolum hic prohiberi, cùm ait, vnius vxoris vir, ne duas ſimul ducat, quod ne apud Gentiles quidem licuit, ex quo leges Imperatorum hoc prohibuerunt, vt Theodoretus quoque in eodem loco teſtatur: aut ne duas ſimul habeat? quod Iudæis licebat, nos autem non ſumus ſub lege. vtrumque vero horũ omnibus laicis Synodus Nycena c. 26. interdixit, Nemo (inquit) duas ſimul vxores in matrimonium accipiat: aut vxori prius ductæ alteram ſuperinducat. Ab epiſcopis verò, & presbyteris, ac diaconis an non decebat, vt plus aliquid Apoſtolus requireret? niſi fortaſſe nihil inter populum, & ſacerdotes Domini diſtare volunt. Reſtat ergo, vt hoc velit hæc Pauli Apoſtoli lex, vt qui Epiſcopus aut presbyter fieri debet, ſi non eſt vxoris inexpertus, ſemel tãtum duxerit vxorem, ſiue illa mortua ſit, ſiue viuat, à qua deinceps abſtinendum ei ſit. Diximus quod eſt legis: dicamus etiam, quod eſt rationis. Quomodo enim Epiſcopus aut presbyter filios habebit ſubditos cum omni caſtitate, ſicut Apoſtolus

Magd. nihil inter populum, & ſacerdotes diſtare volunt.

in eodem loco præcipit, ſi licet Epiſcopo, aut presbytero non abſtinere ab vxore ſua: quomodo poterit filios ad continentiam hortari, ſi ipſe non eſt continens? aut quemadmodum cum auctoritate eos reprehendere poterit, ſi noluerint ſubditi eſſe in omni caſtitate? aut quid, inquit beatus Ambroſius, intereſſet inter populum & ſacerdotem, ſi eiſdem adſtringerentur legibus? debet (inquit) præponderare vita ſacerdotis, ſicut præponderat gratia. Diximus quod eſt legis, & rationis: dicamus quoque quod eſt teſtimonii. Beatus Ambroſius in epiſtola illa longa & eruditiſſima ad Eccleſiam Vercellen. Epiſcopo carentem, quæ eſt in x. libro epiſtolarum eius. Hunc locum grauiſſimè explanans Apoſtolus (inquit) eſt, qui vnius vxoris virum præcipit eſſe non quo exortem excludat coniugij, nam hoc ſupra legem præcepti eſt, ſed vt coniugali caſtimonia ſeruet ablutionis ſuæ gratiam: nec vt iterum filios in ſacerdotio creare Apoſtolica inuitetur auctoritate: habētem enim dixit filios, non facientem: neque coniugium iterare. & paulo poſt, Sed prius cognoſcamus, nō ſolū hoc Apoſtolum de Epiſcopo, & presbytero ſtatuiſſe, ſed etiam patres in cōcilio Niceni tractatus addidiſſe, neque clericum quemquam debere eſſe, qui ſecunda coniugia ſortitus ſit. Hactenus Ambroſius. ſane quidem ſecuti ſunt Niceni patres Canonem Apoſtolorum 17. loci Pauli interpretem. An dicturi ſunt Magd. damnaſſe etiā ſecundas nuptias Synodū Nicenam? ſed negabunt fortaſſis & hunc Canonem Nicenum, & teſtem eius Ambroſium, qui nihil credunt, niſi quod ipſi fingunt? & ſe ipſis teſtibus probant. Sed quid mirū, ſi negent, qui aliquos etiam libros ſcripturæ ſanctæ Canonicos negare audent? Præterea Beatus Baſilius in commētariis Eſaiæ c. 3. oportet, inquit, vt ſit presbyter omnis concubitus inexpertus, aut, ſecundum legem Domini, vnius vxoris vir. Paulus ergo requirit, vt ſi expertus ſit concubitum, vnius tantū vxoris concubitum expertus ſit, à qua deinceps abſtinendum ei ſit, alioqui non fuerit pudicus, & continens, vt eſſe præcipit Apoſtolus. Item Tertullianus lib. 1. ad vxorem, (tametſi in eo non ſequimur, quod ſecundas nuptias contra eccleſiaſticum, & apo-

1. Tim. c. 3.

Quid legis, & rationis, & teſtimonii ſit in canone apoſt. 17. de nuptiis ſacerdotum, & diaconorum interdictis.

1. Tim. c. 3.

Ambroſius.

Niceni patres.

ſtolicum dogma damnauit,quas Apoſtolus manifeſte probat, ſed in interpretatione loci Pauli de Epiſcopo & presbytero vnius vxoris viro) quantum (inquit) fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ diſciplina eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli declarat. cum digamos non ſinit præſidere: cum viduam allegi in ordinationem, niſi vniuirã non cõcedit. aram enim Domini mundam proponi oportet. Tertulliano ergo auctore ara munda non ponitur, quæ à non continentibus tractatur. Siquidem oportet ita vnius vxoris virum pudicum eſſe, vt viduam vnius viri vxorẽ: quæ, cum vidua ſit, non poteſt non continens eſſe. Ad hæc Innocentius primus in epi. 11. c 9. Hunc ipſum locum Apoſtoli explanãs, vnius (inquit) vxoris virum dixit nõ permanentem in concupiſcentia generãdi, ſed propter futuram continentiam. Interrogemus hic Magdeburgenſes, Vnde vos probatis, quod dicitis? Quid legis, quid rationis, quid teſtiũ profertis? aut cur vobis credi vultis contra ſcripturam, contra rationem, contra teſtes? Quòd ſi adhuc nobis nõ creditis, à quibus diſceſſiſtis? interrogate Græcos, qui de cœlibatu quoque à nobis diſſentiunt, tametſi non tanto errore, quanto vos: apud illos enim presbyteri non ducunt vxores: & ſi ab iis, quas habent, quas ante duxerunt, non ſe deinceps continent, quod Apoſtolus præcipit. conſulite, inquam, omnes Græcos interpretes Canonum Apoſtolorum, an Canonem iſtum 17 negent, & eo nuptias ſecundas damnari dicant? tametſi illi Canonum ſextæ Synodi in Trullo conditores in canone 13. cœlibatum Eccleſiæ Romanæ matris omnium eccleſiarum reprehendere audent. Cuius continentiam ſacerdotalem accuſare, quid aliud eſt, quàm libidini ſacerdotum patrocinari? Et qui illos reprehendere, & patronos libidinis in hac parte appellare, procacis eſſe putet, an non applaudere illis videatur? & eccleſiæ Catholicæ nolens noceat? Sed de his ſi quis plura requirit, relegat, quæ poſtea Magdeburgenſibus in tertio libro defenſionis Epiſtolarum pontificum Apoſtolicorum reſpondebimus, & inde aſſumat, ne eadem ſine neceſſitate hic repetamus.

Qui traditionẽ ſacri cœlibatus humanam eſſe dicit eccleſiæ nocet.

Defenſio Canonis Apoſtolorum 27. & quomodo hic Canon interpres ſit loci Pauli de Cœlibatu ſacerdotum, & diaconorum: item interpretatio loci Pauli de poteſtate mulierem ſororem circumducendi ex proprietate verborum, & collatione alterius loci Pauli, & auctoritate veterum.

Caput 2.

" PErgamus reſpondere ad reliqua, & Canon
" (inquiunt) 27. tantum clericis lectoribus, &
" cantoribus nuptias permittit: aliis verò non
" obſcurè vetat, quod eſt contra doctrinam
Pauli 1. Tim. 3. & 1. Cor. 9. & 1. Timoth. 4.]

Cùm aiunt Magdeburgenſes, Aliis verò non obſcurè vetat, vtrum aliis clericis vetari intellexerint Magdeburgenſes, præterquam clericis lectoribus, & cantoribus, vt canon vult: an verò vetari aliis non clericis, quod falſum eſt: non ſatis intelligo. quia obſcurè dixerunt, vt ſolent, qui fallere volunt. Apertè dicit canon, Ex iis, qui ad clerum acceſſerunt coniugio liberi, ac ſoluti, lectoribus tantum, & cantoribus permitti vxorem ducere. ſi hoc iſti dicunt eſſe contra 1. Timoth. 3. ideo dicunt, quia quod ibi præcipit Apoſtolus Epiſcopis, preſbyteris, & diaconis, vt ſint vnius vxoris viri. hoc, tanquam indocti, qui non intelligunt, vt Eccleſia Catholica ſemper intellexit, quos Apoſtolus vnius vxoris viros vocet, & tanquam inſtabiles, qui noluerunt permanere in iis, quæ eorum maiores, ac patres didicerũt, & tradita illis fuerunt, ad ſuam & ſuorum perditionem deprauant. Explicate ergo Magdeburg. ſi poteſtis, diſcipulis veſtris, vnde hoc probetis, quo argumento, quo teſte? aut ex quibus didiciſtis, niſi ex patre, & propheta veſtro Lutero, ſic locum Apoſtoli interpretari, quaſi ibi permittat clericis omnibus vxorem ducere? nos enim ex verbis Apoſtoli, & ratione atque auctoritate ſancto rum patrum adhibita, probauimus illud ab Apoſtolo hoc loco præcipi, ſi quis Epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus fiat, qui non ſit matrimonij inexpertus, vt hic ſemel tantum vxorem duxerit, ſiue illa mortua ſit, ſiue viuat, à qua deinceps abſtinendum ſit, hic verò Canon planè vetat, cum iã quis factus eſt Epiſcopus, aut preſ-

1. Tim. 3.

byter, aut diaconus, vt tunc vxorem ducat. Quomodo *1. Tim. 3. ad Tit. 1.*
enim non hoc iſtis prohibeat, quibus nec ea, quam habent vti permittit: immo iubet eſſe pudicos, & continẽtes? Ne verò intelligamus, hoc ipſum omnibus quoque clericis prohiberi, ne ſcilicet vxores ducant, poſtquam in Clerum aſciti ſunt, accedit Apoſtolica traditio hoc canone 27. ſancita, & commendata, quę, tanquam ſcripturæ Pauli interpres, lectoribus, & cantoribus tantum permittit, vt hi ſoli poſtquã facti ſunt Clerici, poſſint, ſi voluerint, vxorem ducere iſtis, inquam, licet in clero non continentes eſſe, id eſt, vti vxoribus ſuis, quibus eas in clero ducere licet. Videamus iam de capite 9. prioris epi. ad Corinth. quod iidem Magd. citant etiam contra Canonem 27. Apoſtolorum ſola indicatione capitis, quaſi locus facilis ſit, & omnibus in promptu ad intelligendum, cum ipſa noſtra diſceptatio teſtis ſit nõ ita facilem eſſe. Locus igitur, quem indicare voluerunt, eſt ille, Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli fratres Domini, & Cephas? Quæſo vos quadrumuiri Magde. vnde didiciſtis mulierem ſororem hoc loco vxorem interpretari? Quæ grãmatica ſermonis Græci, aut quis vetus auctor hoc docuit? quis literas Græcas deguſtauit, & de vſu articulorum aliquid percepit, qui ignoret, ſi de vxore Paulus dixiſſet, vſurum fuiſſe, vt neceſſe erat, articulo Græco, dicturumque τὴν γυναῖκα? an verò quia Paulus ſermone imperitus erat, idcirco exiſtimabitis, neſciſſe ſpiritum ſanctum ſignificare ſine ambiguitate quod volebat? ἀορίστως ergo dixit γυναῖκα id eſt, infinitè, ac ſine articulo, vt non de certa vxore, ſed de quauis muliere intelligeretur. Sic Tertullianus in ſcripturis ſanctis exercitatiſſimus, idemq́; linguæ Græcæ peritiſſimus intellexit. Sic enim in libro de Monogamia ſcripſit, Petrum ſolum inuenio maritum per ſocrum. & paulo poſt interpretans hunc locum, vbi ea (inquit) ſubiungit de victuaria exhibitione, abſtinentiam eius oſtendunt dicentis, Nunquid non habemus poteſtatẽ manducandi & bibendi? nunquid non habemus poteſtatẽ mulierẽ ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? non vxo-

Defenſio, & explicatio Canonis Apoſto. 27. de nuptiis lectorũ & cantorum.

Locus Apoſtol. de poteſtate circumducendi mulierem ſororem. 1. Cor. 9.

res(inquit) demonſtrat ab apoſtolis ductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi, & bibendi habent, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes, miniſtrabant. Hæc Tertullianus idem atque eodem modo intellexerunt Ambroſius Græce quoque peritiſſimus, & alij Latini patres: idem quoque Theodoretus, Aecumenius, & Theophylactus, ac plerique alij Græci, ne omnes enumerem. Sed diſſimulemus interim proprietatem ſermonis Græci, dum cum Matthia Illyrico, & condiſcipulis eius agimus, quos linguam Græcam ignorare ſcimus. fingamus dixiſſe Apoſtolum τὴν γυναῖκα, & vxorem ſignificaſſe. an, quod ſororem addidit, non ſatis apertè declarabat, non iam illam, vt vxorem, circumduci, ſed vt ſororem, vt quamuis vxorem haberet, eſſet alioqui tanquam non habens, vt idem in Epi. ad Cor. priore dixit Miror Magdeburgenſes non notaſſe etiam hoc loco, quod idem Apoſtolus in Epiſt. ad Philipp. c. 4. ſcripſit, inquiens, rogo etiam & te germane compar, quod quidam veteres de vxore Pauli dictum eſſe exiſtimarunt, quos Theodoretus in commentariis ſuis refellit, ſic enim ait. Imprudenter quidam hoc loco ſuſpicati ſunt Paulum de vxore ſua dicere, immemores epiſtolæ ad Corinth. cùm illud de non nuptis, & viduis ſcribit, bonum eſt, ſi ſic maneant, vt ego Nunquam autem habuiſſe vxorem verius eſt, adoleſcens enim vocatus eſt. Hactenus Theod. Quomodo ergo Paulus poteſtatem habebat circumducendi vxorem, ſi vel erat ex non nuptis, vel ex viduis, ſicut idem affirmat? an forte habebat poteſtatem circumducendi vxorem quam nõ habebat, ſed habere poterat? Hoc enim ſupereſt, vt cũ Apoſtoli dixerint, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, vos Magdeburgenſes mendaces eos faciatis, ſi vel non reliquerunt, quæ habebant: vel potuerunt accipere, quæ non habebant: nihil enim intereſt. Siue igitur nunquam vxorem habuit, quod Theodoretus veriſimilius eſſe iudicat, & Hierony. in Epiſtola ad Euſtochium de virginitate, non audiendos eſſe ait, qui cõtradicũt, ſiue viduus fuit, vt Tertull Methodius, Chryſoſt. ſenſerunt, Ignatius enim in vetere interpretatione

Quomodo Magdeb. mendaces faciunt Apoſtolos, cũ dixerunt, ecce nos reliquimus omnia.

De Paulo vtrũ vxorem habuerit.

Latina manu ſcripta epiſtolæ ad Philadelph. quę in Vaticano eſt, non habet, quod in Græca Epiſtola nuper in publicum emiſſa legitur de Paulo inter eos, qui vxoré habuerũt, ſiue inquam, hoc ſiue illud ſit, certe quod ait idem Apoſtolus, Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic maneant, ſicut ego, apertè conuincit, non poſſe de vxore intelligi, quod in eadem epiſt. c. 9. Magdeburgenſes volunt. Citant præterea contra hunc Canonem Apoſtolorum cap. quartum Epiſtolæ prioris ad Titum, quaſi hic canon omnibus prohibeat nubere: & nuptias cum Manichæis, & Marcioniſtis damnet, quas tamen Apoſtolorum canones celebrant, & probant, & earum vituperatores condẽnant. Sed Magdeburgenſes, quia nihil intereſſe putant, vtrum damnẽtur nuptiæ, an aliquibus interdicantur, quia omnibus licere volunt, vt ſit ſacerdos, ſicut populus, non poſſunt aliter diſciplinam Luteri defendere, niſi Apoſtolorum Canones, & pontificum Apoſtolicorum epiſtolas negent. In hunc quoque locum epiſtolę ad Tim. c. 4 multa à me in tertio libro defenſionis epiſtolarum ſcribuntur. illinc item aſſumat, qui plura hic deſiderat.

Magd. nihil intereſſe putant, vtrum nuptiæ damnentur an aliquibus interdicantur.

Defenſio Canonis Apoſtolorum 48. de quadrageſimæ ieiunio, & quartæ, ac ſextæ feriæ. Et quomodo Dominus noſter, & Apoſtoli eius, & Sancti Prophetæ ieiunia indixerunt: & ieiunia indicta ſeruat eccleſia per vniuerſum mundum. Et quomodo conuincatur, nõ pertinere ad delectum ciborum, quo Catholici vtuntur, id quod Paulus ſcripſit, nemo vos iudicet in cibo, & potu, &c. & quid in hiſtoria Salisburgenſium Archiepiſcoporum pro religione indicendi ieiunia legatur.

Caput 3.

TRanſeamus ad ſecundum locum argumẽtorũ contra Canones. ad ieiunia (inquiũt) „ in quadrageſima Paſchæ, & feriæ quartæ, „ & paraſceues alligant conſcientias in Ca- „ none 67. contra illud Pauli, nemo vos iudicet in cibo, & potu, aut parte diei feſti.]

Hactenus Magd. hoc ipſum de ieiunio quadrageſimæ accuſarunt quoque in epiſtola Teleſphori, quare quæ de hac re, & quæ de toto loco Pauli ad Coloſ. c. 2.

& 1.Tim.c.4.pluribus locis, & exemplis ſcripturæ ſanctæ, & veterum patrum teſtimoniis, & omnium eccleſiarum per orientem, & occidentem Apoſtolica conſtitutione inter ſe collatis in 5. libro defenſionis epiſtolarum c.6.copioſe reſpondemus, eadem hic iſtis reſponſa ſint. Qui enim epiſtolam Teleſphori ſeptimi poſt Beatum Petrũ pontificis de ieiunio quadrageſimæ defendit, Canonem Apoſtolorum defendit. Sed quia Luterani, & Caluiniani tradunt, ieiunandum quidem eſſe ſponte ad caſtigandum corpus, ſed non ſecundum legem, & præceptum, quod hoc ſit alligare conſcientias, illud tãtum hic à Magdeburgenſibus quæram, qui indicere ieiunium, inücere laqueum conſcientiis, & imponere onera iudaica interpretantur, & ideo ieiunium quadrageſimę, & Canones Apoſtolorum, qui illud ſeruare iubent, negant, cum indictum eſt ieiuniũ in Pauli adeo electi, & Barnabæ ordinatione, quæ Antiochiæ per impoſitionem manuum cum oratione, vt Lucas narrat, facta eſt, eſt ne tunc laqueus iniectus, & iudaicum onus impoſitum, an non? Sed negabunt fortaſſis indictum tunc fuiſſe ieiunium: at indictum fuiſſe, conuincit omnium eccleſiarum per orientem, & occidentem priſca conſuetudo Apoſtolicæ traditionis locupletiſſimus teſtis. Sic enim vſque in hodiernum diem, ſicut ab initio acceperunt, indicto ieiunio cum oratione, & per manus impoſitionem ordinationes faciunt: vt idem quoque Paulus, & Barnabas indicto ieiunio presbyteros per ſingulas eccleſias ordinarunt, quod idem Lucas narrat. Immo ſic etiam Tito præcepit, vt per ciuitates presbyteros ordinaret, cum ad eum ſcripſit, Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quę deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Quis enim credat præter Magd Paulum Tito, vt ordinationes presbyterorum aliter faceret, diſpoſuiſſe, quàm vt ipſe idem Paulus eas faciebat? diſpoſuit igitur Tito, vt cum oratione, & indicto ieiunio faceret ſicut ipſe fecit, & ſicut hodie omnes eccleſiæ Catholicorum faciunt, & ſemper fecerunt. Vel docete vos Magd. in quibus eccleſiis catholicorum vel nunc ordinationes fiant, vel vnquam factæ ſint extra ieiunia

Acto.13.

Apoſtolica traditio de ordinationibus clericorũ indicto ieiunio.

Acto.14.

ieiunia quatuor temporum,& quadrageſimæ:de ordinarijs ordinationibus loquor. Huius verò antiquitatis Apoſtolicæ traditionis ieiunandi in ordinationibus teſtis quoque eſt magnus Leo in epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum, Nam præter auctoritatem (inquit) conſuetudinis, quam ex Apoſtolica nouimus venire doctrina, etiam ſacra doctrina manifeſtat, quod cùm Apoſtoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus ſancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunãtes, & orantes impoſuerunt eis manus: vt intelligamus quanta & dantium, & accipientium deuotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis ſacramentum neglig͠eter videatur impletum, & quæ ſequũtur. Hæc Leo antè mille prope ducentos annos, cuius vos epiſtolas nõ negatis, & ſi in Centuria quinta earum teſtimonio abuti ſoletis. Rurſus quæſo vos Magd. cùm Rex Niniuitarum indixit ieiunium Niniuitis inquiens, homines, & iumẽta, & boues & pecora non guſtent quicquam, alligauitne eorum cõſcientias, an nõ: Si alligauit, quomodo placauit iram Dei? & miſericordiam eius nouo crimine conciliauit? Sicut ſcriptum eſt, & miſertus eſt Dominus ſuper malitia, quã locutus eſt, vt faceret eis. Quid hic veſtris reſpondebitis, ſi quis eorum paulò acutior hoc à vobis quærat? Quæro deinde, vnde didicit Rex, indicere ieiunium Niniuitis: nonne ex prędicatione Ionæ prophetæ pœnitentiam, & fructum pœnitentiæ ieiunium prædicantis? Ergo Ionas laqueos conſciẽtiæ prædicabat, ſi conſcientiam alligat, qui ieiunium indicit. poteſtis ne elabi aut ſubterfugere hinc? Quod ſi hæc vera ſunt, & refelli nullo modo poſſunt, quemadmodum Canon Apoſtolorum, quia ſanctionem ieiunij quadrageſimæ continet, conſcientias alligat? Adhæc, ſi indicere ieiunium, eſt laqueos conſcientiæ iniicere, vt iſti noui Euangeliſtæ tradunt, Ergo laqueos cõſcientiæ iniecit Dominus noſter, cum reſpondens Phariſæis, qui reprehendebant, quod diſcipuli Domini nõ ieiunarent, vt diſcipuli Ioannis, Venient (inquit) dies cũ ablatus fuerit ab illis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Quis enim eſt nunc præter Luteranos, aut olim fuit præter Aërium hæreticum, & Aërianos, qui

Laqueum iniecit conſcientiæ Rex Niniuitarum, cũ ieiuniũ indixit ad prædicationẽ Ionæ ſecundũ Magd. Ioan. 3.

Laqueũ conſciẽtiæ iniecit Dominus ſecũdum Magdeb. cùm ieiunium indixit iis diebus, quibus ablatus fuit.

non videat, aut olim non videret, impletum eſſe hoc in ecclesia Catholica, quod Dominus dixit, cùm ablatus fuerit ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus: Qui enim dies iſti ſunt, quibus ablatus fuit? nonne quarta, & ſexta feria? quarta enim die cœperunt Iudæi tollere eũ de medio, ſiquidem eo die facta eſt à Iuda pactio cum Iudæis de prodendo Domino: ſexta verò crucifixus eſt, & de medio ſublatus Quibus diebus per vniuerſas eccleſias orientis, ſicut à ſanctis Apoſtolis traditum illis eſt, ab initio vſque in hodiernum diem ieiunāt. In eccleſiis verò occidentis, vt earum deuotioni magis conuenire viſum eſt, ieiunium ſextæ feriæ, & ſabbati, loco quartæ feriæ iidem ſancti Apoſtoli tradiderunt. His enim diebus, ſexta inquam feria, & ſabbato, quo corpus Domini, poſtquam crucifixus eſt, in ſepulchro iacuit, omnes ſecundum eccleſiaſticam legem à ſanctis Apoſtolis iuxta verbum Domini indictam, quotquot ætas, aut inualetudo non impedit, ieiunant, id eſt, à carne abſtinent, quod eſt ieiunium quoddam, vt tradit Ioannes Damaſcenus in libello de ieiuniis ad Cometam, quod Tertullianus vocat in libro contra pſychicos ieiunium portionale, id eſt, exceptio, vt ille ait, quorundam eduliorum Itaque quod Dominus ieiunium indixerit, cùm dixit, cùm ablatus fuerit ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus, res ipſa loquitur: & nos priſcæ traditionis Apoſtolorum teſtem producimus omnium eccleſiarum conſuetudinem. Vos verò Magd. vnde iſtam veſtram nouam conſuetudinem, quam patres, & maiores veſtri ignorarunt, accepiſtis, niſi à propheta veſtro Martino Lutero? qua in re melius ſaltem, quàm vos, veſtri illi pſychici ſentiebant, contra quos Tertullianus diſputat, qui illos inquit) in Euangelio dies ieiuniis determinatos putant, quibus ablatus eſt ſponſus: niſi quod tradebant, hos eſſe ſolos legitimos dies ieiuniorum Chriſtianorum abolitis legalibus, & propheticis vetuſtatibus. illi enim iudaicas quoq; dierum, & ciborũ obſeruationes falſo nobis obiiciebant, vt nunc Magd. qui hunc canonem Apoſtol. quia ieiunium quadrageſimæ, & quartæ ac ſextæ feriæ iubet, & pœna ſancit, ad iudaica onera pertinere tradunt: ac contra illud Pauli

Luc. 5

De ieiun. quartæ, & ſextæ feriæ: & ſextæ, ac ſeptimæ.

Omnium eccleſiarum conſuetudo teſtis indicti ieiunii à domino.

eſſe dicunt. Nemo vos iudicet in cibo, & potu, aut in parte diei feſti. Quem locum Pauli quia poſteà diffuſè tractamus lib. 5. principio repetito ab eo loco, Videte, ne quis vos decipiat, & quæ ſequūtur, quo magis pateat, quorſum illa cōcluſio pertineret, Nemo ergo vos iudicet, & reliqua, ne eadē hic repetā, illud tātùm hic addam quod illic prætermitto: quodque ad refellendos iſtos, & reuincendos ſatis fuerit nūc. Quia enim Apoſt. cōtra eos ſcribebat, qui iudaicas ciborū obſeruationes de mundis, & immundis reuocabant, quod ipſe idē Apoſtolus apertè docet, vt demum vno eos verbo refelleret, ſubiungit, Quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autē Chriſti: etenim ſi illæ iudaicæ obſeruationes vmbra erant futurorum, vmbram enim habebat lex futurorum bonorum, nō ipſam imaginem rerum, vt idem ait, corpore autem adueniente, vmbra cedat neceſſe eſt: fruſtra igitur, & vanè colitur vmbra, quæ iam euanuit, & ceſſit. Videamus nūc, an hic locus Pauli ad nos pertineat, vt ipſe idem locus vos coarguat, & calumniari conuincat. Quæro enim à vobis Magd. abſtinebant ne Iudæi ab omni genere piſcium? minimè, dicetis: quin potius ab alio abſtinebant, ab alio non abſtinebant: quia aliud genus erat immundum, aliud non, non natura, ſed lege, quæ vmbram habebat. Et in figura hoc genus vetabat: illud non vetabat. At nos à nullo genere piſciū in ieiuniis noſtris lege indictis abſtinemus. Rurſus quæro abſtinebant ne Iudæi omni eſu carnis? ne id quidē dicetis, Sed potius ſecundum leges Leuitici ab alio abſtinebant, ab alio non. At nos omni genere carnis in ieiuniis apoſtolica, & eccleſiaſtica lege indictis abſtinem⁹. Quorſum igitur illud Pauli nobis obiicitis, Nemo vos iudicet in cibo, & potu, aut parte diei feſti? Præterea ſi cū Saul, vt ſe de inimicis ſuis vlciſceretur, ieiunium indixit, & quidem pœna propoſita maledictionis, laqueū conſcientiis iniecit, quemadmodū ieiunio indicto tantam Deus, vt ait Tertull. auctoritatem præſtitit, vt filius Ionathas, quanquam ignarus edicti, ſorte tamē ſit diuinitus de delicto cōuictus? Addit præterea idem Tert. Bene autē, quod & Epiſcopi vniuerſæ plebi mandare ieiunia aſſolent, non dico de induſtria

Coloſ. 2.

Heb. 10.

Quomodo cōuincantur Mag. cū reliquis Luter. locum Pauli ad Coloſſ. quē obiiciunt de delectu ciborum, nihil ad nos pertinere.

1. Reg. 14.

ſtirpium conſerendarum, ſed interdum ex aliqua ſolicitudinis eccleſiaſticæ cauſa. Denique, vt hunc locum ſemel finiam, legite hiſtoriam Salisburgenſium Archiepiſcoporum, vnde quantum ad placandum Deum ieiunium indictum valeat, facilè ſi vultis, intelligetis. Cũ enim, ante annos prope octingentos poſt mortem Beretici Archiepiſcopi Salisburgenſis, tam ingens frigus menſe Maio præter naturam eſſet, vt aues ipſæ interirent, & imber guttarum ardentium, ac coloris ſanguinei efflueret, quæ quibus inciderent, celeri eos morte perimerent, Epiſcopi Bauariæ in ea plaga, ac calamitate ieiunium per totam Bauariam indixerunt: iidemque cum Principe Bauariæ Beſſalio nudis pedibus in cinere, ac ſacro tum publicè tum priuatè pœnitentiam egerunt, & peccata confeſſi ſunt ita factum eſt, vt plaga illa inflicta curata, & ira Dei placata fuerit. An igitur tã admirabilis beneficij tam ingrata memoria veſtra erit, vt indicta ieiunia condemnetis, & ad laqueos conſcientiæ, & traditiones hominum, ac non potiùs ad pietatẽ, & pœnitentiam, ac veniam impetrandam pertinere dicatis? idque cum permulti nationis veſtræ ex Bauaris oriundi nunquam nati eſſent, nec huius lucis vſuram cœpiſſent, niſi ieiunium illud indictum eſſet.

Defenſio Canonum Apoſtolicorum de nuptiis, quos Magdeburgenſes dicunt repugnare inter ſe: & de interpretatione Canonis 5. ex vi verborum, & collat ones ſcripturæ Pauli: & quomodo conuincantur Magdeburgẽſes ignorare, quæ ſint & dicantur pugnantia. item defenſio aliorum duorũ Canonum de ieiunio, quos falſò traduut pugnare inter ſe.

Caput 4.

SEd pergamus ad alia, quæ in accuſatione Canonum ſequuntur. Deinde (inquiunt inter eos reperiuntur Canones repugnantia præcipientes quales ſunt 5. 17. & 16. 40. & 41. quorum alij nuptias ſacerdotum dãnant: alij verò admittunt.]

Hactenus Magd. videamus deinceps, vtrum ita ſit. Canon quintus iubet, vt Epiſcopus aut presbyter vel

diaconus vxorem ſuam ne excludat prætextu religionis. Quia enim præcipit Apoſtolus, vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi ſint pudici, & continentes, vt ante docuimus. vetat hic Canon 5 Apoſtolorum, ne hoc prætextu continentiæ vxores, quas antequam Epiſcopi, presbyteri, aut diaconi fierent, duxerunt, domo eiiciant: & alere, ac curare deſinant. non enim iubet Apoſtolus, inhumanos eſſe, ſed cōtinentes. Hic mihi reſpōdeant Magd. ſi epiſcopi, presbyteri, & diaconi non tenentur lege cōtinentiæ, quæ iſta πρόφασις εὐλαβείας, id eſt, quæ iſta reuerentiæ ac religioſi metus cauſa, quam prætexit Epiſcopus, aut presbyter, vel diaconus, vt vxorem eiiciat? non enim dixit, qui eiicit propter βδελυρίαν, id eſt, abominationē, ſicut dixit Canon 51. ſed propter prætextū εὐλαβείας, quod verbum ſemper in bonam partem accipitur. Neq; dixit, Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, qui abſtinet διὰ ἄσκησιν, id eſt, propter exercitationem, quæ carnem menti ſubiiciat: quia, vt abſtinere ab vxoribus neceſſarium eſt Epiſcopis presbyteris, & diaconis, quibus Apoſtolus præcipit caſtos, & continentes eſſe propter iuge miniſterium orandi, & ſacrificandi, vt ait ſanctus Innocentius, ſic reliquis etiam clericis omnibus infra ſubdiaconum licet, ſi velint, ex conſenſu ad tempus abſtinere ab vxoribus ſuis non propter abominationem coniunctionis maritalis, ſed διὰ ἄσκησιν iuxta canonem 51. id eſt, ad exercitationem corporis, vt vacent ſcilicet ieiunio, & orationi, ſicut laicis quoque permiſit Apoſtolus. Reſtat igitur, vt hoc canon iſte quintus Apoſtolorum prohibeat, ne Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, quia eis non liceat vxoribus ſuis vti, ſed potius neceſſe ſit continentiam colere propter iuge miniſterium eccleſiæ, quod ſumma religione, & reuerentia tractandum eſt, ne, prætextu inquam huiuſmodi reuerentiæ, & continentiæ religioſæ, vxores domo eiiciant relicta earum cura. Hoc enim inhumanitatis, vt dixi, eſt, & à pietate alienum. Quod ſi aliquando accidat, vt propter ſuſpicionem & ſcandalum eiicere neceſſe ſit, non iam eiicitur prætextu religionis: ſed potius quia ita ratio ſacri, & iugis miniſterij poſtulat, ne aduerſario detur occaſio maledicti gratia: & vituperetur ſacrum miniſteriū

Explicatio canonis Apoſt. 5 & quomodo ex eo eliciatur continētia ſacri ordinis.

quod diuina lex à continentibus tractari voluit. Hic igitur Canon, quē hactenus interpretati ſumus, non ſolū non permittit Epiſc. preſbyteris, & diaconis nuptias i. vt vxores ducāt, vt Magdeburgenſes noui Nicolaitæ falſò interpretātur, ſed ſuis verbis ſatis clarè ſignificat, abſtinendū eſſe iſtis ab iis, quas ante ordinationē duxerunt: ſiquidē cauet, ne prætextu huiuſmodi continētiæ religioſæ, cuius lege tenentur, vxores eiiciant ſuas. Videamus iam de canone 17 an huic quinto repugnet, vt Magdeburgēſibus videtur nō intelligentibus neq; quę loquuntur, neq; de quibus affirmāt. Qui poſt baptiſmū (inquit) duobus coniugiis copulatus eſt, aut concubinā habuit, non poteſt eſſe Epiſcopus, presbyter, diaconus, aut denique ex numero clericorum. Hic canō, vt ante dixi, non damnat ſecundas nuptias: quis enim hoc vnquā dixit, aut dicit modò, præter Mag ſubuerſos, & ſuo iudicio condemnatos? ſed eos, qui vnis nuptiis contenti non fuerunt, probibet ordinari in miniſtris Eccleſiæ. Quare, qui dicunt hunc Canonem 17 & illum 5. pugnātia præcipere, ſi legem pugnantium didiciſſent, nunquā hoc, ne per ſomnium quidem, dixiſſent. Nunc autē iſti boni, & pulchri dialectici idem putant eſſe, præcipere pugnantia, & præcipere diuerſa. Immo, vt reſpondeamus iſtis, vt Salomon præcipit, reſpondere ſtulto contra ſtultitiā eius, ne ſapiens ſibi videatur. Si illi duo Canones pugnātia præcipiunt, neceſſe eſt, vt tanquam affirmatio, & negatio pugnent. Siquidem dicuntur ſecūdum complexionē, neceſſe item eſt, vt pugnant affirmatio, & negatio, ſic etiam pugnent ea quæ ſunt ſub affirmatione, & negatione, id eſt, ea, de quibus affirmatur, & negatur. Quęramus ergo à Mag. quid eſt ſub negatione in 5. Canone? neceſſe eſt, vt reſpondeant, nō eiicere vxorem prætextu religionis, hoc enim præcipit. Quid rurſus ſub affirmatione, aut negatione in Canone 17: neceſſe enim eſt alterutrum dare: neceſſe itē eſt, vt reſpondeant, aut præcipi, non eſſe Digamum, qui ſit ordinādus in clero: & tunc, cum illud quod in 5 Canone præcipitur ſit quoque ſub negatione, ille Canon & hic nō iam pugnantia præcipiūt, quia nō ſunt affirmatio, & negatio, ſed vtraque negatio. Si dicant, pręcipi in

Magd. noui Nicolaitæ.

Quomodo conuincātur Magdeb. ignoraſſe legē pugnantiū.

Prou. 26.

17 Canone, talem ordinare, qui non ſit Digamus, hoc rurſus, quod hic eſt ſub affirmatione, non eſt oppoſitũ illi, quod eſt in 5 Canone ſub negatione, immo aliud hic affirmatur: aliud illic negatur: & vtrunque eſt verum ſcilicet non debere eiici vxorem prætextu religionis, & ordinandum eſſe tälem qui non ſit digamus. nõ igitur pugnãtia præcipiunt. Magdeburgenſes verò ſi videri volebant aliquid ſapere, probare hoc debebant, & non præbere ſe ridiculos, more ſuo, ea quæ ignorãt, temerè reprehendentes. Videamus iam de aliis duobus canonibus præcipientibus quoque, vt iſti volunt, pugnantia Canon 40. iubet, vt bona Epiſcopi propria, ſi quæ habet, diſcernantur à bonis eccleſiæ. Et ſubiicit cauſam: Ne occaſione (inquit) eccleſiaſticarum rerum intercidant res Epiſcopi, qui nonnunquam vxorem, & liberos, & cognatos, aut ſeruos habet. Et hoc quoque de vxore dicit Canon, quam ante ordinationem duxit Epiſcopus, & de filiis, quos ante ordinationem procreauit. Etenim ſi poſt ordinationem poſſunt dare operam liberis, quemadmodum, vt ſæpius dicam, præcepit eis Apoſtolus caſtos ſimul & continentes eſſe? Canon 51. Si quis (inquit) Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut denique alius ex numero Clericorum à nuptiis aut carne, aut vino abſtineat, non δι' ἄσκησιν, id eſt, non vt carnem menti exercitatione corporis ſubiciat, ſed propter abominationem, oblitus quod ſcriptum eſt, Et erant omnia valde bona. & quod Deus maſculum, & fœminam fecit eos, atque ita blaſphemè creaturam Dei vituperet, aut corrigatur, aut deponatur & ex Eccleſia eiciatur, item & laicus. Nulli permittit hic Canon, vt nuptias, tanquam malas, damnet, & eas vituperet, qui enim vituperat, Deum accuſat, qui marem & fœminam creauit: quin potius iuxta hunc Canonem omnes qui à nuptiis abſtinent, abſtinere debent δι' ἄσκησιν. Itaque cauſa abſtinẽdi à nuptiis, omniũ abſtinentium debet eſſe communis, ſcilicet ne vllus eorum creaturam Dei vituperet: ipſa verò abſtinentia nõ eſt omnium comunis, nec omnibus neceſſaria, niſi Epiſcopis, prebyteris, & diaconis, quibus Apoſtolus continentes eſſe præcipit, quia ſit eis iugiter vacandum

Quòd nec Canõ Apoſt. 40. & 51. pugnent vt Magdeb. fingunt.

Gene. c. 1.

ſacris miniſteriis verbi, & orationis,& ſacramẽtorum; aliis verò ſiue clericis,ſiue laicis,libera eſt: illud autem eſt obſeruandum,quod hic Canon Apoſtolorum dixit vno verbo, δι' ἄσκησιν abſtinere à nuptiis,hoc Paulus de laicis coniugibus loquens dixit abſtinere ex conſenſu ad tempus,vt vacent ieiunio,& orationi,quod eſt abſti nere ab vxore δι' ἄσκησιν: vt iam ἄσκησις nihil aliud ſit, quam exercitatio corporis ad ſubiiciendam carnem menti,quod fit in primis ieiunio,& oratione. Verùm Magd & rerum,& verborum ignari nihil diſtinguunt, neque conſiderant,nec obſeruant:ſed potius omnia in conſideratè confundunt,& ſecundũ ſua deſideria inter pretantur. Quid enim inconſideratiùs eſſe poteſt,quã ita hunc Canonem interpretari, vt nuptias Epiſcopi, presbyteri,& diaconi Canon probet?Quaſi ita iſti argu mententur,ex negatione concludentes affirmationem: nõ poſſunt Epiſcopus,presbyter,& diaconus abſtinere niſi δι' ἄσκησιν, ergo poſſunt ducere vxores. Immo et iſtos,ſicut paulò ante fecimus,iterum ignorantiæ redarguamus. ſi hi duo Canones pugnantia præcipiunt,neceſſe eſt,vt vnum ſit ſub affirmatione, alterũ ſub negatione.In Canone 40 ſub affirmatione eſt. Epiſcopum vxorem ſuã debere alere:in Canone 51 ſub negatione eſt,non debere Epiſcopum à nuptiis propter abominationem abſtinere: Vtrunque verò horum cùm verum ſit non poſſunt eſſe pugnantia.Canonẽ quoque 64. de non ieiunando die dominico, & ſabbato,& Canonem 69 de ieiunio quadrageſimæ, & quartæ, ac ſextæ feriæ repugnantia item præcipere dicunt. Fateor pudet me ad hæc reſpondere,quæ magis digna ſunt, vt cum riſu prætereantur,quàm vt refellantur. Sed quia vereor, ne ſi prætercam, & diſſimulem, ſapientes ſibi videantur Magdeburgenſes, idcirco neceſſe eſt,vt iterum dicam, iuxta prouerbium Salomonis, contra fatuitatem eorũ reſpondere. Quæro igitur prius, ad quodnã genus oppoſitorum pugnantia iſta,quæ vocant,pertinent?an ad aliquid?an ad priuationem, & habitum? an ad contraria?an ad affirmationem,& negationẽ? Plura enim genera pugnantium non ſunt,niſi hic quoque nouum aliquem in Ariſtotelis arte reperiunt. Credo reſponde-

Explicatio canonis 51. & collatio eius cum loco Pauli.

Magd rerum, & verborum ignari.

Magd. ex negatione concludũt affirmationẽ vt boni dialectici.

Canon Apoſt. de non ieiunãdo die Dominico, & ſabbato, & Canõ de ieiunio quadrageſimæ non pugnant.

Prou.26.

bunt, ſi vel iſta deguſtarunt, pugnare iſta, quæ pugnare volunt, vt affirmationem, & negotiationem. Sed videamus nunc, an ita ſit. Nos 40. diebus ieiunamus exceptis dominicis quibus nõ ieiunamus, ita vt debere ieiunare 40. diebus exceptis dominicis ſub affirmatione ſit: debere nõ ieiunare dominicis dieb' ſub negatione: vtrunq; autẽ verũ eſt. Quare hoc iſtis probare oportebat, quod non probarũt: neq; probare conati ſunt Itẽ Græci 40 diebus ieiunant exceptis dominicis, ſabbatis enim ieiunant, quatenus à carne abſtinent. Quod quidem pro ieiunio ſabbati in quadrageſima relictũ, & traditũ eſt illis. quod Ioannes Damaſcenus, in epiſtola de ieiuniis ad Cometam, ieiunium inchoatũ vocat ſiue imperfectum, quatenus enim ſæpius prandent non ieiunant ſic etiam ait Zonaras Græcorum canonum interpres, licere Græcis, ſabbatis ieiunare *δι ὁρισμένων ἡμερῶν*. id eſt, quando eſt ſabbatũ ex numero dierum in quibus ieiunare præcipitur. Hanc conſuetudinem habent illæ eccleſiæ, ſicut eis à principio, vt illis conueniebat, traditum eſt. Apud illos igitur ſub affirmatione canonis eſt debere 40. diebus ieiunare, in quibus ponitur ieiunium inchoatum, ſiue imperfectum ſabbati: ſub negatione verò, non ieiunare dominico die: neque ſabbato integrè, quorum vtrunque verũ eſt. Ergo non præcipiunt Canones iſti pugnantia. Cum enim quod ſub affirmatione eſt, & quod ſub negatione, oppoſita ſunt, neceſſe eſt tũc alterutrum eorum eſſe verum, & alterum falſum Aut ſi hæc Magd. vera non putabant, debebant ſaltem probare falſa eſſe vtraque, vel alterum: ſed neutrũ conati ſunt, quia nõ potuerũt.

Defenſio Canonum, qui eos excommunicant, quos Magdeburg. volunt non eſſe excommunicandos: & quomodo conuincantur errare in eo, & facere Apoſtolum ſibi repugnantem: & quomodo non ſint leuia, vt Magdeburg falsò putant, quæ in Canonib. Apoſtolorũ pœna excommunicationis ſancita ſunt, vt illud, nõ abſtinere à ſanguine, & ſuffocato: item ieiunare die dominico, & die ſabbati in eccleſia orientis, & non ieiunare quadrageſima, & vaſa ſacra ad prophanos vſus adhibere.

Caput 3.

"TErtio(inquiunt) multum Canones apertũ
" vſum clauiũ præcipiunt,nam eos,qui ſciẽ-
" tes ſuſceperunt excommunicatos,excom-
" municare iubet Canõ.13 Laicos ſuffocato
" veſcentes excõmunicare iubet Canon 62.
" Propter ieiunia die dominico obſeruata deponit cleri-
" cos,& excõmunicat laicos Canõ 65.Nõ ieiunantẽ qua-
" drageſima paſchę excõmunicat Canon 58. Vaſa ſacra
" in prophanos vſus aſſumpta excõmunicat Canon 27.]
" Deinde ſubiiciunt cauſam,cur hos Canones à ſe no-
" tatos non approbent.quia ob huiuſmodi, inquiunt,tã
" leues res excommunicatione vſi,ſiue abuſi potius,Apo
" ſtoli nunquam leguntur Immo Paulus (aiunt) recitat
" Catalogum excommunicandorum 1. Cor c.5. Verũ in
" eo huiuſmodi peccatores non adnotantur.]

Hæc Magd. Reſpondete ergo mihi Magd.ſi putatis texuiſſe hic Apoſtolum Catalogum excommunicandorum omniũ,cur in his non numerauit blaſphemos? aut,ſi blaſphemus ſecundum vos non eſt excommunicandus,quia non eſt in hoc Catalogo cur idem apoſtolus Hymenæum,& Alexandrum , quia blaſphemauerant,excommunicauit?an fortè dicetis,eum,qui fornicator eſt,aut auarus,aut maledicus,aut ebrioſus, aut fur,ſimul eſſe blaſphemum?non ita deliri eritis,vt hoc dicatis:cum quotidie inter veſtros, videre poſſitis libidini deditos,& vino,& maledicentiæ,& aliena tollere, parcere tamen eos blaſphemus in Deum. An vero Hymenæum,& Philetum inter idolis ſeruientes referendos eſſe putabitis?ne id quidem neceſſe eſt. Non enim quicunque fidem amittit. neceſſe eſt, vt idololatra fiat: niſi exiſtimetis omnes hæreticos cultores eſſe idolorũ. Quod verò genus blaſphemiæ eſſet iſtorum, nõ explicauit Paulus,quia ad eum ſcribebat (inquit) Theodoretus,qui non ignorabat.fortaſſis ex iis fuiſſe videatur, qui conſcientiæ morſum,& accuſationem non ferentes,ne metu futuri ſupplicij torqueãtur, in blaſphemiã negandi prouidentiam Dei,aut iudicium futurum, incidunt. Ita enim Theodoretus , & Theophylactus intellexiſſe videtur id, quod Paulus hoc loco de conſciẽtia bona dixit, quam quidam repellentes circa finem

1.Tim. c.1.

naufragauerunt Deinde in 4.libro Clementis Romani de conſtitutionibus Apoſtolorum c.6 & 8. inter eos à quibus Apoſtolica conſtitutio iubet nō accipere oblationes,nempe excommunicatis punit eos,qui famulos ſuos durè tractant & inhumanè, id eſt, verberibus, aut fame afficiunt, & crudeli ſeruitute premunt. Item eos, qui iniquas cauſas publicè defendunt, & iniuriæ patrocinium ſuſcipiunt: item homicidas, inſidiatores, & alios huiuſmodi, ne omnes enumerem: at iſti non ſunt in Catalogo Pauli. An forte leuia crimina ſunt iſta, & excommunicatione indigna? Præterea cū Apoſtolus ait.1.Tim 3 Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecūdam correptionem deuita,ſciēs,quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt: & delinquit,cum ſit proprio iudicio condemnatus,an non iubet hic hæreticos excommunicare? Quis hoc negare audeat? at non ſunt hæretici in iſto Catalogo. Ergo ſecundum Magd nō ſunt excommunicandi: & Apoſtolum faciunt ſecum diſcrepantem: & vt in eo ſit, eſt. &, non. Rurſus in epiſtola ad Tit c.1. loquens in eos, qui adulterina, & corrupta quædam dogmata tradebant, Sunt enim (inquit) multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maximæ qui de circuncitione ſunt, quos oportet redargui, qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, Deinde ſubiungit, Quam ob cauſam increpa illos durè, vt ſani ſint in fide: excommunicare iubet iſtos, hoc enim ſignificare, ἐπιτιμᾶν ἀποτόμως, id eſt, increpare vel punire abſcindendo ceu membrum tabefactum, intelligitur ex lib.2.de cōſtitutionibus Apoſtolorum, vbi excommunicare iubet Apoſtolica conſtitutio, cùm opus eſt, his verbis vtens, κρίνε ἀποτόμως καὶ τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πυρὸς παραδώσεις, id eſt, iudica abſcindēdo, & trades gladio ignis, ſic enim vocat excōmunicationem Et paulò poſt, adhuc clarius ἔκκοψον τὸ διασαπὲν μέρος, id eſt, abſcinde, ſiue amputa membrū putreſcēs. At iſti, quos hoc loco Apoſtolus excōmunicare iubet, non ſunt in illo Catalogo. Non enim hos notat, quod eſſent fornicatores aut maledici aut ebrioſi, aut idolis ſeruientes, aut rapaces, aut fures, aut auari. Etſi enim turpis lucri gratia docebant, nō tamen excō-

A quibus non liceat accipere oblationes in eccleſia ex traditione Apoſt.

Secūdum Magd b hæretici nō ſunt excommunicandi.

Quomodo vocet Apoſtolica cōſtitutio, et Pauli ſcriptura excōmunicationem.

municare eos iubet propter turpe lucrum,ſed propter falſam doctrinam,quam tradebant. At falſam doctrinam tradentes non ſunt in Catalogo. Non igitur debuit Apoſtolus ſecundum Magd. iubere eos excommunicare, necare, ſe ſibi ipſe contradiceret Adhæc cùm Apoſtolus capite proximo ſequenti id eſt, in c. 6. epiſtolæ ad Corinth.dicit, An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? & deinde nominans iniquos,ſubiungit, Nolite errare, neque fornicarij, nec idolis ſeruiẽtes,nec adulteri,neque molles,neque maſculorum concubitores, neque fures nec auari, nec ebrioſi, neque maledici,neque rapaces regnũ Dei poſſidebunt.An dicturi ſunt Magd.texuiſſe hic Apoſtolum Catalogum eorum,qui damnandi ſunt?ita vt vel non ſint alij iniqui: vel cęteri iniqui ingreſſuri ſint in regnũ cœlorum;quod ſi hic non eſt poſitus totus Catalogus iniquorum,nec enim opus erat;cur non hoc ipſum dicendum ſit in Catalogo excommunicandorum? non eſſe ſcilicet poſitum totum Catalogum,nec enim opus fuiſſe.Immo,vt ſemel hũc locũ finiam,ſatis hoc ipſum idem Apoſtolus ſignificauit. cum in eodem loco poſt illum Catalogum ſubiungit, cum huiuſmodi neque cibum ſumere non dixit,cum his, vt quidem dicendũ eſſe videbatur, ſi totum Catalogum excommunicandorum nullo prætermiſſo deſcripſiſſet; ſed dixit, cum eiuſmodi, id eſt,cũ his,& cum iis, qui tales erunt,quales hi ſunt, Itáne tam hebetes & tardi ſunt Magdeb.vt hoc intelligere non potuerint?aut ipſi cæteros tam tardos eſſe exiſtimarũt, vt eos ſic fallere poſſe confiderẽt?

Quomodo redarguantur Magdeb.qui leuia putant,quæ ab Apoſtolis pœna excommunicationis ſancita ſunt.

Iam quod leuia eſſe iſta dicunt, quibus excommunicationis pœna canonibus Apoſtolorum decernitur, ſatis in eo demonſtrant, non intelligere, quam vim habeant iſta, id eſt, cur vetet Canon Apoſtolicus veſci ſuffocato:ieiunare die dominico,& reliqua. Etenim ſi leue eſt,veſci ſuffocato. de re ergo leui factum eſt decretum Apoſtolorum act. 15. & rurſus, Si de re leui factum eſt, quemadmodum Apoſtoli ipſi hoc inter neceſſaria poſuerunt?Sic enim ad eos,qui ex gentibus conuerſi erant ad fidem,ſcripſerunt, Viſum eſt,nihil vltra imponere vobis oneris,quam hæc neceſſaria,

vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorũ, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Cur, ſi leue erat, veſci ſuffocato, non dixerũt à fornicatione, quæ graue crimen eſt, & neceſſarium ad vitandum? Immo fornicationem cum illis tribus coniunxerunt, non quidem vt leuibus, ſed vt grauioribus quatenus ſcilicet ad cõtaminationes idolorum, ſiue idololatriam pertinent. Hac enim ratione prohibuiſſe iſta tunc Apoſtolos, auctores ſunt, ne more Magdeburgenſium ſine teſtibus loquamur. Tertull. in apologetico, Cyrillus Hyeroſolim in Catecheſi 4. Iuſtinus martyr in quæſtione 45 Gregorius Naz. in ſermone in ſanctum Paſcha, & Origenes lib. 8 contra Celſum. quod ſi adhuc contendant Magd. leue eſſe, ſuffocato veſci, quod tamen ſancti Apoſtoli excommunicationis pœna vetuerunt, & Synodus Gangrenſis ſanctos Apoſtolos ſecuta, crimen dãnatione dignum Canone ſecundo iudicauit, interpretentur nobis verbum neceſſarij in decreto Apoſtolorũ. Scit enim ſcriptura ſancta diſtinctionem facere eorũ, quæ neceſſaria ſunt & quæ neceſſaria nõ ſunt, tametſi non ſint prætermittenda. Vt cum apud Matth. cap. 23. Dominus exprobrat Iudæis, quod decimarent mentã, & anetum: Et reliquiſtis (inquit) quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem; illa enim erãt neceſſaria. Sic Apoſtoli neceſſaria in actis Apoſtolorũ vocant, non quæ oporteret nõ omittere, quaſi leuiora, vt Magd. volunt, ſed quæ omnino oportebat facere, vt neceſſaria. Quod ſi neceſſarium erat, non veſci ſuffocato, quod propter ſanguinem retentum immolatitiũ erat, &, vt ait Origenes, cibus dæmonum eſſe aſſerebatur, vt erat quoque neceſſarium, non veſci idolothyto, & ſanguine, quatenus hæc omnia ad idolorum item culturam pertinebant, hac enim ratione lex quoque Moyſis eadem prohibebat, an non erat conſequens, & par, vt qui parere nollet, excommunicaretur? Quare, cum hunc Canonem Magd. reprehendunt, decretum Apoſtolorum in actis ſimul neſcientes reprehendunt. Idcirco enim veſcenti ſuffocato iuſtè decernebatur excommunicatio, quia neceſſarium erat non veſci eo, vt Apoſtolico decreto tunc ſancitum eſt iis, qui ex gen-

Qua ratione prohibuerunt Apoſtoli, veſci ſanguine, & ſuffocato, & qui ex veteribus ſint auctores.

Conſuetudo diſtinguendi neceſſaria à non neceſſariis in ſcriptura.

Act. 15.

Vbique olim immolatitia ſanguis, & ſuffocatum.

tibus conuerſi erant, quibus erat inter gentes habitandum apud quas vbique erãt omnia plena idololatria, vbique erant immolatitia ſanguis, & ſuffocatũ propter ſanguinem re ẽtum: immo magna pars victus humani dęmonibus dedicata, vt ait Magnetes autor antiquiſſimus lib. 3. apologetico cõtra Theoſthenem, alia enim (inquit) mactabãtur ſpiritibus aeriis, alia terrenis, alia ſubterraneis. ſpiritibus aeriis immolabantur volucres: ἐπιχθονίοις, id eſt, terrenis quadrupedes nigri, quia ſit terra natura nigra: ὑποχθονίοις, id eſt, ſubterraneis, itẽ quadrupedes nigri in ſcrobibus, ſiue foueis. Hactenus Magnetes puto victimas iſtas, quæ in ſcrobibus defoſſæ immolabantur, ad ſuffocata pertinuiſſe. Canon igitur ſuffocatum immolatitium prohibebat, quod Canõ vocat comedere carnẽ in ſanguine animæ eius, idque, ne, qui comederent, ſocij dæmoniorum efficerẽtur, ſicut Apoſt. in Epiſt. ad Corint. priore ait. Hac enim ratione excepta, licebit veſci, & ſanguine, & ſuffocato, & idolothyto, ſi ad capiendum alimentum commoda ſint, & non obſtet ſcandalum: aut ſi conſuetudo in naturam quandam, vt fieri ſolet, iam conuerſa, non abhorreat, vt quidem à multis ſuffocatis abhorret, licet non omnibus; vt ſi quis gallinam ſtrangulet, quo tenerior fiat ſuffocando, vt ars coquorum docet. Captũ quoque à beſtiis, & morticinum ad idolorum cultum pertinebant: hoc propter ſanguinem retentum: illud propter beſtias, quas gentes pro diis colebant. Vnde Iſichius Hieroſolymitanus eruditiſſimus, & vetus auctor in Comment. Leuit. c. 22. per morticinum (inquit) & à beſtiis captorum prohibitionem nõ oportere participes fieri menſæ dæmoniorũ præcipit. Et ſubiungit: in his enim ſunt verè morticina, & à beſtiis capta. Sed de ſuffocato, & ſanguine ſi quis plura requirit hoc loco, legat quæ in explanationibus apologeticis librorũ Clementis Rom. de conſtitutionibus Apoſtolorum copioſius de re hac ſcripſimus, ne eadem hic repetamus. Pergamus reſpondere ad alia quæ ſequuntur quæ inter leuia quoque, & indigna excommunicatione referunt Magd. vt obſeruare ieiunium die dominico. Nec hic intellexerunt, quorſum ſpectet feſtiua agitatio do-

Quo genere ſuffocati Canõ Apoſtol. veſci prohibeat. 1. Cor. c. 10.

Quando ſanguine, & ſuffocato, atque idolothyto veſci liceat: & quãdo non.

minici diei: ſpectat enim ad culturam ſanctæ reſurrectionis Domini. Quamquidem qui ieiunando vitupe rare ſtudet, & eis qui dominico die ob hanc cauſam reſurrectionis nō ieiunant, hoc ipſum exprobrare vult ieiunando, hic Chriſti interfector à Beato Ignatio in Epi. ad Phi ipp. vocatur. Qui enim reſurrectionē Chriſti non honorare vult, quid aliud agit, quàm eū iterū, quantum in ſe eſt, crucifigere? alioqui ἰχοχησν. id eſt, vt quis ieiunio, & oratione carnem ſpiritui ſubiiciat, licet omnibus diebus per vniuerſam vitam ieiunare: ſicut ſancti patres tradiderunt, vt S. Epiphanius in extrema parte lib. 3. tomi 2. & S. Hieronymus in epiſtola ad Licinium teſtantur, vt alios nunc taceam. Leue itē putant, & excommunicatione indignum, non ieiunare laicum quadrageſima paſchæ. Nec hic intelligunt Magd. quid quadrageſima repreſentet, & efficiat, neq; quorſum ſpectet, alioqui non leue eſſe putarent: eſt enim, vt ait Gregorius Theologus in ſermone de ſancto baptiſmo, purgatio noſtra, & ad communionem Corporis Domini noſtri præparatio: &, vt Apoſtolica conſtitutio in lib. 5. Clementis Romani ait, continet in ſe memoriam, & imitationem vitæ Chriſti, & legis Euangelicæ. An leue eſt, hæc omnia contemnere? quæ quidem is contemnere videtur, qui cùm poſſit, & debeat ieiunare, ieiunium 40. dierum, quod S. Apoſtoli nobis tradiderunt, repudiat, vt ventri ſeruiat. Cur verò idem Canon clericos nō tunc ieiunantes deponat, ſed non excommunicet, vt quidem laicos excommunicat, dicam paulò poſt, quod iſti quoque boni doctores Magdeburgenſes ignorant.

Quomodo Magd. non intellexerint cauſam, cur graue eſſet, & excommunicatione dignum ieiunare die dominico, & rurſus quatenus hoc liceat.

Cur ſit excommunicatione dignum crimē non ieiunare quadrageſima ei, qui poteſt ieiunare.

Poſtremò, quod vaſa ſacra in prophanos vſus aſſumere, inter leuia quoque retulerunt, vt Canonem 80 qui iſtos excommunicat, Apoſtolorū eſſe negarent: Miror vehementer, non didiciſſe Magdeburgenſes aut ex interpretatione Danielis prophetæ, aut ex ſupplicio Baltaſaris regis Babyloniæ, vtrum leue, an graue ſit, ſacra vaſa ad prophanos vſus trāsferre. Niſi forte exiſtimāt, magis ſacra, & religioſa fuiſſe vaſa templi Salomonis, quā ſint tēpli eius, qui dixit, pluſquā Salomō hic: & Aggeum prophetam, immo Dominum fefelliſſe nos, cùm

Dan. 5.

Quomodo redarguat ſcriptura Magd. putantes leue eſſe, & excom-

municatione indignum vaſa ſacra ad profanos vſus transferre.
Matth 12.
Agg. c.1.

dicit, Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, quã primæ, dicit Dominus exercituum. O miſeros Germanos, qui tales magiſtros habetis, quibus vlla in re credendum eſſe putetis, cum eos videatis, paſſim tam abſona, & abſurda, atque impia dicere, ſcripturam, & omnis rationis, omníſque religionis oblitos.

Defenſio Canonis Apoſtolorum tempus præſcribentis agenti pœnitentiam, & de exemplis in ſcriptura ſancta, eiuſmodi præſcriptionis temporum ad agendum pœnitentiam. Et cur Epiſcopus, presbyter, & diaconus pro crimine deponãtur tantùm, & non excommunicentur: & de antiquis patribus, qui hunc Canonem de deponendis Clericis, & non excommunicandis ſecuti ſunt. Caput 6.

NOtant præterea Magd. Canonẽ 24 qui laicũ, qui ſe caſtrauerit, tribus annis excommu- „ nicari iubet. Sed Apoſtoli (inquiunt) nuſquã „ cuiquam pœnitentiam agendi tempus præ- „ ſcripſerunt, quando oporteat eum ad communionem admitti, vt patet ex 2. Corinth. 2.]

Defenſio Canonis Apoſtol. 24.

Hactenus Magd. ſi præſcriptio tempori in pœnitentia ab Apoſtolica, & diuina diſciplina aliena eſt, cur ſancti Apoſtoli ieiunium, ſpacio dierũ 40. præſcriptũ, omnibus eccleſiis, ad exemplum Domini, qui totidem diebus, ac noctibus pro nobis ieiunauit, tradiderunt? an ieiunare 40. diebus non eſt agere pœnitentiam? cur inquam, Dominus ad exemplum ieiunij 40. dierũ pro nobis ſuſcepti, tempus nobis pœnitentiæ præſcripſit, quam nos, ieiunio 40. dierum à ſanctis Apoſtolis tradito, agimus? Deinde, cum Dominus in parabola de arbore fici, quam habebat quidam plantatam in vinea ſua, introducit Agricolam deprecantẽ, ne illam propter ſterilitatem ſuccidat, ait enim, Domine dimitte illam, & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam; an non præſcripſit tempus vnius anni pœnitentiæ angelus pedagogiæ, & correctioni Synagogæ præpoſitus? hunc enim Angelũ repræſentat ille cultor vineæ, vt Beatus Cyrillus in cõmentariis,

Lucæ.13.
Interpretatio parabolæ apud Lucam de arbore fici.

mentariis Zachariæ c.1. interpretatur Pœnitentiā verò ſignificat, illud fodere circa illam, & mittere ſtercora, vt Gregorius Naz. in Sermone de recto ordine in diſſerendo interpretatus eſt, & Petrus Alexandrinus patriarcha, qui Deocletiano imperatore martyr factus eſt tertio canone ſtatuit, accommodandā eſſe hanc parabolam, in qua præſcriptio temporis agendæ pœnitētiæ continetur, ad eorum pœnitētiam, qui ſponte lapſi eſſent: & eos poſtea præteriti lapſus pœnituiſſet. Prætetea, cùm apoſtolus ait, Sufficit illi, qui eiuſmodi eſt, obiurgatio, quæ fit à pluribus, vt è cōtrariò magis donetis, ſatis profectò ſignificat, præſcripſiſſe Corinthio, vt tantiſper excommunicatus eſſet, donec fructus dignos pœnitentiæ oſtenderet. Quod cùm factū fuit, tūc dixit, ſufficere pœnā, quæ à pluribus irrogata erat, qui illum vitabant. Si Magd. & cæteri Luterani confiterentur, ſolui per pœnitentiam debitum ſatisfactionis pro peccatis, nunquam hunc Canonem reprehenderent. Quid enim vtilius, aut æquius eſſe poteſt, quam quid, ac quantū à debitore ſoluendum ſit, definire? Sed cū iſti huiuſmodi debita, vt mali creditores negent, non poſſunt approbare tales præſcriptiones pœnitentiæ. Rurſus, cùm Dominus iuſſit prophetæ Ionæ, vt prædicaret in Niniue ciuitate magna, & diceret, adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, an non præſcripſit propheta iuſſu Domini tempus pœnitentiæ? Perinde enim eſt ait Cyrillus, ac ſi diceret, Adhuc vos totidē diebus ſuſtinebo, vt poſſitis agere pœnitentiam hoc tēpore: & ſic futurum ſupplicium effugiatis. Siue ergo quadraginta dies legendum ſit, vt Aquila, Symmachus, & Theodotio interpretati ſunt, & vt Syrus, atq; Hebræus habet: ſiue quadraginta tribus, vt Iuſtinus martyr in Dialogo contra Tryphonem legit: ſiue tres dies, vt nūc eſt apud 70 interpretes, tempus præſcriptum eſt agendæ pœnitentiæ, qua peracta, alios mores induit Niniue: & alia facta eſt. Ita factum eſt, vt Dominus non fuerit mentitus, qui poſt dies illos præſcriptos excidium minatus fuerat. Sic Photius Conſtantinopolitanus hunc locum explanauit in quæſtionibus de locis obſcuris ſcripturæ ad Amphilochiū Archiep. Cyzici. Eſto

2. Cor. 1.

Quare Magd. præſcriptionem certi temporis ad agendā pœnitentiam improbent.

Ioan. c. 3.

Triplex lectio apud veteres loci Ionæ de numero dierum præſcripto ad pœnitentiam.

Quomodo impleta fuerit minatio Dei de ſubuerſione Niniues poſt illum numerum dierum præſcriptum.

C

igitur, non legant Magd. in ſcriptura præſcriptũ à ſanctis Apoſtolis numerum dierum, aut menſium, aut annorum pœnitentiæ, vt in hoc Canone legimus, an ideo negare cum ratione poſſunt, potuiſſe eos agenti pœnitentiam tempus præſcribere? eumque morem eccleſiæ tradidiſſe, & reliquiſſe? quod ſi hunc Canonẽ ideo negant, negent etiam ſcripturam Ionæ: reprehendant etiã in parabola Euãgelicam præſcriptionem anni ad correctionem per pœnitentiam. Denique vt finiam, negẽt quoque aut reprehendant Synodum Nicenam, & alias deinceps conſecutas, quæ annos certos pœnitẽtiæ frequenter præſcribunt.

„ Præterea nec illud (inquiunt) cum Apoſtolorum do-
„ ctrina congruit, quod Canon 25. Apoſtolorum, Epiſco-
„ pum, presbyterum, aut diaconum in fornicatione, aut
„ periurio, aut furto deprehẽſum deponi ab officio præ-
„ cipit: at communione priuari vetat. Cum (Paul. 1.
„ Cor. 5. fornicatores, & fures inter excommunicandos
„ numeret.]

Hactenus iſti. Hic quoque Magd. more ſuo, quod nõ intelligunt, reprehendunt. in Epiſtola enim 1. ad Cor. c. 5. de laicis locutus eſt Apoſtolus, qualis erat Corinthius ille incœſtus, qui vxorem patris ſui habebat. Si enim oportet talem eſſe Epiſcopum, & presbyterum, qualis in Epiſtola ad Tim. & Tit. deſcribitur, item & diaconum: vt qui non ſit talis, nec ordinari poſſit, vt in eccleſia miniſtret, (ad hoc enim diaconi, presbyteri, & Epiſcopi, ordinantur) nec iam ordinatus ſi talis poſtea euadat, poſſit deinceps miniſtrare in eccleſia, vt cõſentaneum eſt, quomodo poterant, aut debebant ab Apoſtolis cum laicis excommunicari tantum, & relinqui in miniſterio? aut cur priuatus miniſterio, & pœnitẽtia emendatus, priuari inſuper communione debeat? cùm dicat ſcriptura per Naum prophetam, non vindicabit Dominus bis in idipſum? Quod in ipſo eodem Canone citatum eſt. quem locum interpretans Beatus Cyrillus in commentariis huius prophetæ, vaſtata (inquit) Samaria à Salmanaſare cum aliis ciuitatibus Iuda, cũ ij, qui fuerant reliqui, & ex illo belli incendio euaſerant, in magno metu eſſent, & propter metũ ad regio-

1. Tim c. 3. ad Tit. c. 1.

Naum. c. 1.

Locus Naum. explanatus à beato Cyrillo.

nes gentium irent. exiſtimabant enim ſe iterum eſſe in ſimilem calamitatem adducendos, redeuntibus iterum Babylonijs, commodè eos Deus per prophetam cõſolatur, duo promittens, & quòd captos bello aliquando liberabit: & quod tradet Niniuem vaſtitati. Ne ergo, ſi metuerent in idem malum incidere, & ex eo metu occaſionem recedendi à Iudæa ad gentes caperent interrogat eos propheta, quid de Deo cogitent? & quid de illo ſentiant? an durum eſſe & βαρύμηνιν? id eſt, difficilem ad placandum, vt duplices pœnas de eodem exigat crimine: at erratis (inquit) etenim, ſi nihil à lege alienum faciatis, & quod ad iram Deum legiſlatorem prouocet, profectò non infliget ſecundam plagam. Satis enim vos propter præteritas impietates afflixit. Siſtite peccatum: & ipſe ſiſtet iram. Satis caſtigauit: miſerebitur in poſterum, ſi reſipiſcatis. Hactenus Cyrillus. in hanc ergo ſcripturam prophetæ intuentibus viſum eſt ſanctis Apoſtolis ſatis pœnæ ad pœnitẽtiam Epiſcopi, presbyteri, aut diaconi in fornicatione, aut periurio, vel furto deprehenſi, ſi deponerentur. Cùm verò nõ ſatis pœnæ viſum eſt in priuatione miniſterij vel proportione peccati commiſſi, vel quia commiſſum peccatum pœnitentia impoſita non emendatur, ſolent iidẽ ſancti Apoſtoli ad priuationem miniſterij adiungere excommunicationem: vt in Canone 28. 29. 51. & 65. factũ eſt. Ex hac Apoſtolica traditione profectum eſt, vt alienũ ſit à conſuetudine Eccleſiaſtica, ſicut magnus Leo in Epi 92. ad Ruſticum Narbonẽſem Epiſcopum ſcripſit, vt qui in presbyterali honore, aut diaconi gradu fuerint conſecrati, ij pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remediũ accipiant pœnitẽdi (quia ſcilicet nõ ſunt excõmunicati) quod ſine dubio (inquit) ex Apoſtolica traditione deſcendit. Hactenus Leo. obſeruauit hoc quoq; Igmarus Rhemenſis Archiepiſcopus in libro de varijs capitulis eccleſiaſticis c. 18 & 24. neq; ſolum obſeruauit, ſed obſeruationem quoque interpretatus eſt cùm ait, Vnde & laici abſque eccleſiaſtica cõmunione ſolent pœnitere, ſicut & clerici abſq; adminiſtratione officij. Deinde ſubiungit, Nõ ergo mirũ, ſi clerici per manus impoſitionem remediũ pœnitendi

Quando Apoſtoli ad pœnam depoſitionis clericorum pœnam excommunicationis adiungere ſoleant.

Laicis conuenit vt excommunicati agant pœnitentiam: clericis vero, vt depoſiti, & nõ excommunicati.

pro criminibus,pro quibus laici excommunicati iubẽtur,non accipiant. Si autem epiſcopi vſque ad Anathematis ſententiam inobedientes extiterint, conſequens eſt,vt per manus impoſitionem ſanctæ redintegrentur eccleſiæ,cùm redierint. Sicut ſanctum Concilium Nicenum de Nouatianis conſtituit. Hactenus Igmarus. Meminit etiam beatus Baſilius huius Canonis,& eum iam ante mille ducentos annos veterẽ Canonem vocauit,ne quis dubitare poſſit, Canonẽ apoſtolicum eſſe. Sic igitur Baſilius tertium ex ſuis Canonẽ ſanxit,25. Canonem Apoſtolorũ ſecutus: Diaconus (inquit) qui,poſtquàm in eum gradum aſcenderit,ſcortatus fuerit,gradu ſuo moueatur, in ordinem tamen laicorũ reiectus,eccleſia ne prohibeatur. Deinde ſubiungit,Eſt enim vetus Canon, vt qui de gradu ſuo deiecti fuerunt,eo ſolo ſupplicio mulctentur. Cuius Canonis conditores illud (inquit) ſecutos credo, quod ſcriptum eſt,nõ vindicabis bis in idipſum. Sed cur,dicet aliquis, ſi Canonẽ apoſtolorũ vidit beatus Baſilius,in quo hoc ex propheta citatũ eſt,non aſſeuerãter affirmat, ſecutos eſſe hoc,quod citatum eſt,Apoſtolos? quia ſcilicet ſciebat Baſilius,nõ eſſe ſcripturam Apoſtolorũ hos Canones, ſed traditiones ſine ſcripto, ſcriptos verò ab alio. Deinde ſubiungit,Tum etiam illam credo cauſam huius decreti fuiſſe, quod qui in ordine laicorum ſunt, poſtquã interdicta illis fuerit eccleſia, iterum in eundẽ locum reſtitui ſolent: at diaconus ſemel,quod ſatis ſit, ſupplicio priuationis mulctatus, nunquam in gradum diaconi reſtituitur: quare ea ſola pœna afficitur. Hoc quoque Beatus Baſilius ex Apoſtolica,& Eccleſiaſtica traditione didicit,quæ in Canone Apoſtolorum 28 cõtinetur,de quo poſtea dicemus At rurſus idem Baſilius Canone 31. Clerici (inquit) qui peccatum ad mortẽ peccant, gradu quidẽ ſuo mouentur, eccleſia tamen non prohibentur. Non enim bis in idipſum vindicandum eſt. Hactenus Canon. Quod ſi adhuc Magd. contẽdere velint, clericos in fornicatione, aut periurio, aut furto deprehenſos excommunicandos eſſe, vt laicos, reſpõdemus eis,talem cõſuetudinem eccleſia Dei nõ habet. Hanc igitur conſuetudinẽ antiquo, & Apoſtolico Ca-

Canon Apoſt. 25. citatus, vt antiquus à beato Baſilio.

Naum. c. 1.

Cauſa, cur depoſiti clerici non excommunicentur, ex Baſilio.

none ſancitam ſequens Synodus Nicena, hunc Canonem ſanxit: Si quis Epiſcopus in aliquo crimine ſcandaloſo deprehenſus fuerit, de gradu ſacerdotali deiiciẽdus eſt: nec iterum reſtituendus. Quod ſi pœnitentiam egerit, non eſt communione fidelium, neque communione ſacra prohibendus. Non enim conuenit, vt excõmunicetur, ſicut laicus excommunicari ſolet. Niſi fortaſſe dicant iſti, næuum hunc eſſe Synodi Nicenæ. Ac rurſus eadem Synodus alio Canone ſtatuit, vt ſi quis presbyter in fornicatione deprehẽſus eſſet, qui ſemper antea bene audiſſet, nec vxorem vnquam habuiſſet, agat (inquit) pœnitentiam vno anno in ieiunio, & oratione, & eleemoſynis ſecundum vires: & ne miniſtret in Clero, quandiu pœnitentia durat. Tranſacto autem hoc tempore reſtituendus eſt in gradum ſuum. quod ſi ad vomitum redierit, deponatur, ſed ne priuetur cõmunione fidelium, neque ſacræ communionis participatione. Sunt hi duo Canones ex illis Nicenis 80 qui Alexandriæ in libro vetuſtiſſimo Patriarchæ reperti ſunt, & ad nos iam pridem allati, de quibus plura proximo libro defenſionis Epiſtolarũ Pontificum Apoſtolicorum dicemus. Reſpondeamus deinceps ad aliud caput accuſationis Canonum.

Duo canones Niceni ex lib. vetuſtiß. patriarchæ Alex.

Defenſio Canonis de celebratione paſchæ ex Apoſtolica traditione profecti: & quid de hoc feſto Synodus Nicena decreuerit: & quemadmodum non ſolum ſine ſcripto traditus ſit hic Canon à ſanctis Apoſtolis, ſed etiam per Epiſtolam Pauli ad Coloß. inſinuatus. & de Audianis paſcha cum Iudæis celebrantibus, & conſtitutionem Apoſtolorũ de celebratione paſchæ male interpretantibus. Cap. 7.

Quarto (inquiũt) multa in his dicuntur, quę rebus huius ſæculi, & hiſtoriis refragãtur. Nam quod Canon 8 de paſchæ celebratione, ne fiat cùm Iudæis, vetat, non conſonat veritati, ſupra enim cõmemoratum eſt, Ioannem, Philippum & alios paſcha eodem die cũ Iudæis celebraſſe, nempe 14. luna primi menſis.]

Defenſio Canonis Apoſto. de celebratione paſchæ.

Hactenus Magd. videamus nunc, an conſonet veri-

tati Apoſtolicus Canon, quod iſti negant. Ac primum, Polycrates in illa ſua ad Victorem pōtificem Epiſtola Philippum tātum, & Ioannem ex Apoſtolis cōmemorauit, qui paſcha 14. luna celebrarent. Ecquis ergo dubitat, quin reliquos commemoraſſet, ſi reliqui eodem die celebraſſent? Quomodo enim reliquos Apoſtolos prætermiſiſſet, qui tres Philippi filias non prætermiſit? qui Polycarpum, Traſcam, & Sagarem, Epiſcopos, & Papyrium, ac Melitonē, & cognatos ſuos retulit? Cùm igitur Magdeburgenſes teſtimonio aliorum apoſtolorum careant, vt Polycrates caruit. nos verò non ſolum Victoris, & ante eum Pij, quorum iſti epiſtolas negāt, teſtimoniū habeamus, ſic Sanctos Apoſtolos ſtatuiſſe, ſed habeamus etiam teſtimonium omnium Epiſcoporum Palæſtinæ auctore Euſebio, ſic Apoſtolos paſcha celebraſſe, quo die eccleſia Catholica ſecundum traditionem eorum nunc celebrat, qua fronte audent iſti dicere, Canonem Apoſtolorum de celebratione paſchæ nō conſonare veritati? Sed recitemus quæ Euſebius lib. 5 hiſtoriæ ſuæ cap. 27. ſcripſit. Qui verò (inquit) in Palæſtina erant Epiſcopi, quorum paulò antè meminimus, Narciſſus, & Theophyl⁹, & cum eis Caſſius Eccleſiæ Tyri, & Clarus Ptolæmaidis Epiſcopi, & alij & qui cum iſtis venerunt, poſtquàm de traditione celebrandi Paſchatis, quę ad ipſos ex ſucceſſione Apoſtolorum deſcenderat, multis tractaſſent, circa calcem ſcripti ſui iſta ad verbum ſubiecerunt: Satagite autem noſtræ Epiſtolæ exemplar per totam parœciam mittere, ne rei ſimus erroris eorum, qui ſuas animas tam facilè ſeducunt. Significamus autem vobis, quod & Alexandriæ eadem die, qua nos, paſchatis feſtum agunt, &c. Alexandriā Africæ dicunt, non Alexandriam Aſiæ, in qua 14. luna ſicut cæteri Aſiani celebrabant. Vnde paulò ante cap. 23. ſic ſcribit idem Euſebius, Mota eſt eo tempore haud parua quæſtio, ex eo, quod cunctæ per Aſiam parœciæ, velut ex antiquiore traditione 14. luna ſalutaris paſchatis feſtum celebrandum eſſe putabant: qua die Iudæis agnū immolare præceptū erat: quaſi omnino eadē luna, in quācunque illa ſeptimanę diem incidat, ieiunia ſint ſoluenda: cùm reliquis eccle-

Qui veterū ſint teſtes ſic Apoſtolos paſcha celebraſſe vt hodie eccleſia Catholica celebrat.

ſiis per vniuerſum orbē conſuetudo non eſſet ad hunc modum celebrandi paſchatis, quæ ex Apoſtolica traditione morem hactenus durantem ſeruant: quod videlicet ieiunia nullo ſint alio, quàm reſurrectionis Saluatoris noſtri die ſoluēda, & quæ ſequuntur. Conferāt ergo Magd. conſuetudinē per vniuerſum orbē celebrādi paſcha in die reſurrectionis ex Apoſtolica traditione profectam cum conſuetudine per Aſiam celebrādi 14. luna cum Iudæis, & videant, vtris plus auctoritatis, & fidei tribuendum ſit? An Aſiani melius quàm Palæſtini nouerant Apoſtolicæ traditionis conſuetudinē? an melius Alexandrini in Aſia, quàm Cœſarienſes in Palæſtina? eſto, ſic Ioānes, & Philippus celebraſſent, id quod aliquando fortaſſe propter Iudæos facere coacti ſunt, vt omnibus omnia fierent, An, quia Paulus Timotheū circumcidit, & ſe in templo cum iis, qui votum ſuper ſe habebant, ſanctificauit, idcirco dicemus, fuiſſe Apoſtolicam traditionem, vt tunc cum Iudæis legalia ſeruarent? Quis hoc dicat, niſi qui iudaizare velit? Prætere a ſi Syri, & qui erant in Meſopotamia claudicabant in feſto paſchæ cum Iudæis celebrando, antequam Synodus Nicena haberetur, vt S. Athanaſius in epiſtola de Synodis Arimini, & Seleuciæ teſtatur, igitur nō rectè ambulabant ad Euāgelij veritatē, ſed errabant potius, ad errorem enim pertinet claudicatio, ſicut Apoſtolus ad Hebręos ſcribens, ne quis veſtrū, inquit, claudicans erret. Quod ſi errabant, ergo ſic feſtum paſchæ cum Iudæis celebrare, præter doctrinam erat à ſanctis Apoſtolis traditam. Ex quo factum eſt, vt neceſſe eſſet, tunc primum in Nicena Synodo decerni, vt omnes in die reſurrectionis domini paſcha neceſſario celebrarēt, quia Canon Apoſtolicæ traditionis nondum erat omnibus vbique promulgatus tanquam neceſſarius, nec ab omnibus tanquam neceſſarius ad ſalutem, ſeruabatur. Nō ſic autem de fide Symboli, cuius profeſſio toti eccleſię promulgata, & cognita erat, & tanquā neceſſaria ad ſalutē, ab omnibus Catholicis vbiq; cuſtodita. Itaq; quia Syri, & Meſopotamiani in eccleſia Catholica erant, licet in cauſa feſti Paſchæ ritè celebrādi claudicarēt, cùm Niceni patres decretū de paſcha fecerunt,

Actuum 16.

Actuum 21.

Conſuetudo per vniuerſum orbē celebrandi paſcha ex Apoſtolica traditione cum conſuetudine celebrandi per Aſiam collata.

Syri, & qui in Meſopotamia, in feſto paſchæ cum Iudæis celebrando ante Nicenam Sin. auctore Athanaſio claudicabant.

Heb. 12.

Formula decreti Niceni de fide

non potuerunt dicere, ad hunc modum eccleſia Catholica celebrat paſcha, ſed ſic, Viſum eſt, vt omnes obtemperarẽt. &c. Hic enim non abhorruerunt, ait Athanaſius, ab hac appendicula, immo placuit inquit, vt adderetur, viſum eſt, vt omnes obtẽperarent. de fide verò inquit Athanaſius. non ſcripſerunt, Viſum eſt, ſed ad hunc modum credit eccleſia catholica. Et ſtatim confeſſio ipſa fidei adiuncta eſt, vt oſtenderent (inquit) non nouam eſſe ſententiam, ſed Apoſtolícam: &, quæ ipſi ſcripſiſſent, non eſſe ſua inuenta, ſed Apoſtolorum documenta. hæc Athanaſius. Erat igitur, ne paſcha cũ Iudæis celebraretur, diuina quidem traditio, & Apoſtolicus Canon non ſolum per ſermonem, quem Clemens Apoſtolorum diſcipulus literis mandauit, traditus, ſed etiam per Epiſtolam inſinuatus. Quia Apoſtolus ad Coloſ. ſcripſit, inquiens, Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut potu, aut parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autẽ Chriſti: in parte enim diei feſti iudicatur, ſi quis paſcha noſtrum celebret, quo die paſcha ſuũ immolãt Iudæi. Sic quoque Pius Pont. Apoſtolicus hunc locum Apoſtoli intellexiſſe videtur. Poſtquam enim dixit, vnde & vos Apoſtolica auctoritate inſtruimus, omnes eadẽ die, id eſt, Dominica celebrare debere, ſubiungit, Cauete diligenter omnes, ne quis vos decipiat per aliquam Aſtrologiam, vel Philoſophiam, & inanem fallaciã, ſecũdum traditionem hominum, ſecundum elementa mũdi, & non ſecundum Chriſtum. His autem Apoſtoli verbis à Pio recitatis, ſubiungit idem Apoſtolus hanc concluſionem ad illa ſcilicet antè greſſa pertinentem, Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut potu, aut parte diei feſti. Sed vt dixi, quia nondum ab omnibus, tanquam neceſſarius, hic Canon ſeruabatur, tunc primum hæc noua ſententia decreti à Synodo Nicena ædita, & promulgata eſt, vt omnes vnam formam eodẽ die neceſſario paſcha celebrandi tenerent, ita vt, qui non tenerent, anathema fierent. Canon enim Apoſtolorum, etſi Epiſcopum, presbyterum, & diaconum deponi iubet, ſi paſcha noſtrum cum Iudæis cælebret, pro eo ſcilicet, quia non docet exemplo obſeruationis ſuæ religioſæ

Coloſſ. c. 2.

Quomodo Canon Apoſtolicus de celebratione paſchæ ad locũ Epi. Pauli ad Coloſſ pertineat.

In Synodo Nicena primũ excommunicati Laici, qui paſcha cũ Iudæis deinceps celebrarent.

populum, tamen laicum non excommunicat, vt quidem veſcentem idolothyto, & ſanguine, ac ſuffocato excommunicat, non inquam laicum excommunicat, ſicut Nicena Synodus poſteà excommunicauit, vt vt Synodus Antiochena primo Canone teſtatur. Poſtremò Andiani hæretici erant, qui cùm Iudæis paſcha celebrabant, qui, vt Apoſtolos ſic celebraſſe probarent, Apoſtolicam conſtitutionem ex libro 5. Clemẽtis malè interpretabantur, vt S. Epiphanius, qui eos refellit, in tertio lib. tomi ſecundi ſcribit. Horum ſimiles ſunt Magd. quos ſimul cum Audianis, idem Epiphanius, & nos cum eo auctoritate Apoſtolicæ conſtitutionis à S. Clemente ſcriptæ refellimus: quæ ſic ait in perſona Apoſtolorum, Oportet igitur vos, fratres, qui pretioſo Chriſti ſanguine redempti eſtis, diem paſchæ omni diligentia, & ſtudio cultus, poſt æquinoctium agitare, nec amplius obſeruare, vt cùm Iudæis paſcha agitetis. Eant ergo nunc Magd. & dicant, non conſonare veritati Canonem Apoſtolorum de celebratione paſchæ. Quantò meliùs, quã vos Magd. ſenſit Aceſius ille Nouatianorum Epiſcopus, quem cùm Conſtantinus Imperator lecta definitione Synodi Nicenę in Synodo ipſa interrogaſſet, quid ei videretur? & vtrum aſſentire vellet definitioni fidei, & definitioni celebrationis paſchæ, reſpondit, Nouum nihil Imperator Synodus conſtituit, οὕτω γὰρ ἄγωθεν ἅπαντες ἐκ τῶν Ἀποστολικῶν θρόνων παρειλήφαμεν, καὶ τὸν ὅρον τῆς πίστεως, καὶ τὸν χρόνον τῆς τοῦ πάσχα ἑορτῆς, id eſt, ſic enim omnes à principio à ſedibus Apoſtolicis accepimus, & definitionem fidei, & tẽpus feſti paſchæ.

Similiter ſentiunt Magd de celebratione paſchæ, vt Andiani hæretici iã olim damnati.

Defenſio Canonis prohibentis fieri Clericos fideiuſſores: & quid Beatus Cyprianus de Clericis tutoribus, vel curatoribus ſcripſerit. item Canon Synodi Nicenæ, ne Clerici ſponſiones pro vllo faciant: & quid in ſcholiis Græcorum notatum ſit in hoc Canone de duplici ſignificatione verbi ἐγγυᾶσθαι, quod ſpondere ſignificat. *Caput* 8.

ALiud caput accuſationis Canonum eſt, »
Canon (inquiunt) 20. damnat clericos, & »
fidei iuſſiones. Verùm hoc ſæculo Apo- »
ſtoli, & alij legibus politicis magiſtratus »

vſi ſunt,illud ſcientes,Euangelium non abolere politica iuſta & honeſta, & verbo Dei non repugnantia.]

Hactenus Magd. recitemus nũc Canonem: Clericus (inquit) qui ſpõſiones præſtat, deponatur. Quis hic præter Magd. fidei iuſſiones damnari dicat? interrogẽt Lutherani ſuos Magd. cur tam apertè mentiãtur? an quia Clericis prohibet, ne ſint fidei iuſſores, idem quoq; laicis prohibet? hoc enim neceſſe erat, prohibere ſcilicet Canonem omnibus hominibus, fieri fidei iuſſores, vt fidei iuſſiones quoque prohibere, ac damnare idẽ Canõ intelligeretur. At non omnibus hominibus prohibet, qui Clericis prohibet, niſi fortaſſe volunt Magdeburg. omnes clericos eſſe: neque differre gradu à laicis clericos. Dicant ergo ſimiliter omnes eſſe diaconos, omnes epiſ. omnes presbyt. & omnes miniſtros eccleſiarũ. Vt iã aut nihil ſint laici, quia omnes ſint clerici: aut iidẽ ſint clerici, & laici: eccleſiaſtici, & ſeculares: & negent ſcripturam, quæ gradus iſtos diſtinxit: & Canonem apoſtolorum de gradibus quem iidem Magd. ſic inſcripſerũt, & primum inter eos Canones collocarũt, quos ſic inſcriptos, vt ipſi aiunt, repererunt, qui nihil aliud ſunt, quàm ſententiæ quædam ex ſanctis ſcripturis ſumptæ. Sic enim aiunt. Canõ de gradibus: Chriſtus dedit alios quidem Apoſtolos, alios verò prophetas alios autem euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores ad inſtructionem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationẽ corporis Chriſti. Quod verò dicunt Magd. euangelium non abolere politica iuſta, & honeſta, & Verbo Dei nõ repugnantia. Ita eſt, nec enim ſcriptura prohibet, quin ſint laici fideiuſſores, procuratores, & tutores. Laici enim poſſunt, ſi opus ſit, negotiis ſecularibus implicari, quia ſeculares ſunt At de clericis, quos totos, ac ſemper Deo militare oportet, vt Paulus ad Tim. & per eum ad cæteros ordinis eccleſiaſtici ſcripſit, videant Magdeburgenſes, quid beatus Cyprianus, cuius teſtimonio, & auctoritate aliquando aduerſus nos abuti ſolẽt, ad diaconos, & plebem Furnis habitantes lib. 1. Epiſtolarum Epiſ. 9. ſcribat, Grauiter (inquit) commoti ſumus, ego & collegæ mei, qui præſentes aderant, & compresbyteri noſtri, qui nobis aſſidebant, fratres chariſſimi, cùm

Idem putãt eſſe Magd prohibere Clericis, ne ſint fidei iuſſores, & prohibere fidei iuſſiones.

Cur prohibeat Canon Apoſt. clericis, ne ſint fideiuſſores, & quid Cypr. de clericis tutorib⁹, & curatoribus ſcripſerit.

cognouimus, quod Benignus Victor frater noſter de ſæculo excedens Geminium Fauſtinum presbyterum tutorem teſtamẽto ſuo nominauerit, cùm iampridem in Concilio Epiſcoporum ſtatutum ſit, ne quis de Clericis, & Dei miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli diuino ſacerdotio, & in Cleri miniſterio conſtituti non niſi altari, & ſacrificiis deſeruire, & precibus, atque orationibus vacare debeant: ſcriptum eſt enim, Nemo militans Deo obligat ſe moleſtiis ſæcularibus, vt poſſit placere ei, qui ſe probauit. Quod cùm de omnibus dictum ſit, quantò magis moleſtiis, & laqueis ſecularibus obligari non debent, qui diuinis rebus, & ſpiritualibus occupati, ab eccleſia recedere, & ad terrenos, & ſæculares actus vacare non poſſunt? Cuius ordinationis, & religionis formã Leuitæ priùs in lege tenuerunt. & quæ ſequuntur: ne omnia deſcribam. Quantùm verò moleſtiarum, & laqueorum in ſponſionibus inſit, & iis maximè, quæ pro publicanis, & vſuris, & in litibus fiunt, nemo eſt qui ignoret. Nemo inquam, ignorat, quã multi fideiuſſores eiuſmodi ſolũ vertere coacti ſunt, quam multi per vniuerſam vitã litigare, & patrimonia vendere. An ignoratis Magd. qui ſemper verbũ Dei iactatis, quid ſcriptura dicat, & moneat: Fili, ſi ſpoponderis pro amico tuo defixiſti apud extraneum animam tuam: illaqueatus es verbis oris tui: & captus propriis ſermonibus. Fac ergo, quod dico tibi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manus proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis: neque dormitẽt palpebræ tuæ, eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis. Non damnat hic ſcriptura fideiuſſiones, ſed docet, quàm ſint moleſtæ, & difficiles, & quantum turbarũ habeant. An igitur Clericus miniſterium eccleſiæ deſeret, vt diſcurrat, & feſtinet, & amicũ ſuſcitet: id eſt, vt omni ſtudio, omni via & ratione quærat, vnde quod pro alio ſpopõdit, ſoluat? an non repugnat rationi, & verbo Dei, vt qui ſe Deo, & miniſt. eius obligarunt, ſe poſteà hominibus, & actibus, ac nexibus ſæculi obligẽt, vnde priori obligationi ſatisfacere impediantur? idem quoque Nicen. Syn. Canon. 26 pro-

Prou. c. 6.

Quid ſcriptura dicat de fideiuſſionibus.

Quomodo & quando rationi, & verbo Dei repugnet, vt ſint Clerici fideiuſſores.

hibuit,ne Clericus pro vllo ſpondeat.Sic enim ait:Nullus Clericus pro aliquo ſpondeat: neque teſtimonium contra vllum in cauſa criminis dicat : neque de ea apud regem agat : nec ad ea ſe ingerat , quæ ad ſe non pertinent:neq; diſſidia inter fideles ſeminet.& qui hæc commiſerit,ex eccleſia eiiciatur : ac fidelium communione prohibeatur. Clemens quoque Rom.lib. 2. de conſtit.Apoſt c.6.Ne ſe(inquit)negotiis vitæ implicet: neque pro alio ſpondeat : néve cauſas nummarias defendat . idem etiam in Epiſtola ad Iacobum fratrem Domini prohibuit. Sed iſti noui magiſtri omnia omnibus licere volunt.O miſeros Germanos , qui tales magiſtros habere vultis,qui omnia miſceant , & confundant.illud præterea hic addam , quod in hoc Canone Apoſtolorum ſponſiones Clericorum prohibentes in ſcholiis Græcorum notatum reperi , verbum ἐγγυᾶσθαι non ſolum ſignificare,ſpondere pro aliquo,cui non ſatis creditur,quod datum reſtituet , quod quidem,niſi quid aliud obſtet,officij ſit, & charitatis : quid enim aiunt,honéſtiùs eſſe poteſt, quàm etiam animam pro amicis,& ciuibus ſuis,cùm opus eſt,ponere? Sed ſignificare etiam paciſci de ſoluendo aut patiendo aliquid, ſi hoc,aut illud euenerit:quòd vulgo dicitur , facere ſcõmiſſam.quod genus ſponſionis,ἄγαν σφαλερὸν καὶ ἀπόβλητον eſſe dicunt,id eſt,valdè lubricum,& improbabile,& ad nihil aliud ſpectare, quàm ad caſum, &, quod turpiùs eſt,ad quandam diuinationem. Quid enim,inquiunt,ſi opera, & ſtudio diaboli , quod ſponſum eſt, eueniat,vt qui ſic ſpopondit,lædatur? huiuſmodi ergo ſponſiones tradunt , prohiberi hoc Canone Clericis, tanquam fallaces,& incertas,& diuinationi gentilium affines. cuiuſmodi fuiſſe aiunt , quod Iephthe vnus ex Iſraëliticis iudicibus fecit : tametſi nullus eum ad id coëgiſſet. immò ipſe ſponte promiſit,inquiens,Si tradideris filios Ammon in manus meas , quicũque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ,mihique occurrerit reuertenti cũ pace à filiis Ammõ,eum holocauſtũ offeram Domino.euenit autem,vt occurreret filia vnigenita,quam immolauit,vt hoc(inquiunt)exemplo diſcerét deinceps homines , cauere hoc genus ſpõſionis.

Iud.c.11.

Defenſio Canonis Apoſtolorum, qui iubet, vt Epiſcopus non faciat extra Diœceſim ſuam ordinationes Clericorum: & demonſtratio ex ſcriptura, quod eſſent tempore Apoſtolorum termini Diæceſum aßignati Epiſcopis, qui tunc erant, & de qua ordinatione loquatur Canon Apoſtolorum, & de qua Beatus Cypr. quod quidem Magdeb. non diſtinxerunt. Cap. 9.

PErgamus ad aliud caput. Canon 36 prohibet (inquiunt) ordinationes facere extra proprios terminos in ciuitatibus, & villis, quæ illis nullo iure ſubiectæ ſunt. Sed hoc ſæculo nondum fuerunt termini ſingulorum Epiſcoporum ita diſtributi: & ſolebant ex vicinia conuenire plures ad ordinationem, vt patet ex Canone Apoſtolorum, quem ſupra ex Cypriano deſcripſimus]

Hactenus Magd. Si illo tempore non fuit cuique Epiſcopo ſua parœcia aſſignata, quas nunc diœceſes vocant, qui ſunt termini cuique Epiſcopo diſtributi, vt Magdeb. loquuntur, Quomodo Paulus Apoſtolus Tito præcipit, Epiſcopos per ſingulas ciuitates conſtituere? *ad Tit. c. 1.* Etenim ſi ſingulis ciuitatibus ſinguli Epiſcopi præerant, erant igitur termini ſingulorum Epiſcoporum diſtributi, termini inquam ſingularum ciuitatum. Videte, quid Beatus Chryſoſtomus dicat hunc locum interpretans, Huius rei gratia reliqui te Cretæ, Veluti domum vnam (inquit) totum orbem diſtribuentes, ita omnia officia peragebant, vt omnium, qui eſſent vbique terrarum, curam gererent. Hoc dixit de Apoſtolis. Subiungit deinde explanans quemadmodum totius orbis curam gererent, Dum hic quidem, inquit, hanc partem, ille aliam ſuſciperet diſponendam. Erat ne hæc diſtributio terminorum? Clariùs adhuc Theophylactus, vt conſtituas (inquit) presbyteros per ciuitates, vt ego tibi diſpoſui, Epiſcopos (inquit) dicit hoc loco, vt in Epiſtola ad Timotheum. Per ciuitates verò ait, non enim volebat totam inſulam vni commiſſam eſſe, ſed vnamquamque ciuitatem ἴδιον ποιμένα ἔχειν, id eſt, habere proprium paſtorem. Si igitur cuiuſque ciuitatis

Quomodo verbum Dei neget, qui negat fuiſſe tempore Apo. terminos diœceſeon diſtributos Epiſcopis, qui tunc erant.

erat proprius paſtor, & rurſus cuiuſque paſtoris propria ciuitas, hoc enim neceſſario conſequens eſt, Erant ergo termini ſingulorum Epiſcoporũ diſtributi, quod iſti contra verbum Apoſtoli, id eſt, contra verbum Dei negant. Subiungit deinde Theophylactus rationem huiuſmodi diſtributionis, ſiue aſſignationis parœciarum, ſiue terminorum, Sic enim (inquit) & labor erat leuior καὶ ἡ ἐπιμέλεια ἀκριβεστέρα, id eſt, & cura exactior. Quomodo igitur minus laboris, & plus diligentiæ, niſi quia quiſque Epiſcopus terminum ad ſe pertinentem, id eſt, ſibi diſtributum, ſuam inquam, parœciam & diœceſim curabat? Quod ergo dicunt Magd. nondum ita fuerunt termini ſingulorum Epiſcoporum diſtributi, vt ſcilicet nõ ſic debuerint, aut potuerint S. Apoſtoli Canonem tradere, quo vetarent, ne quis Epiſcopus extra ſuam diœceſim, ſiue ciuitatem, vel parœciam, (idem enim pluribus verbis dicimus) ordinationes faceret, hoc inquam, & contra rationem rectæ gubernationis, & contra ſcripturam Pauli eſt, quod nemo eſt præter cæcos iſtos, qui non videat. Deinde quod Magd. addiderunt ad improbandum hunc Canonem Apoſtolorum, & ſolebant (inquiunt) ex vicinia conuenire plures ad ordinationem, vt patet ex Canone Apoſtolorum, quem ſupra ex Cypriano adſcripſimus, hoc inquam ſatis conuincit, non intelligere Magd. quod hic reprehendunt. Si enim eos interrogemus, de qua ordinatione loquatur hic noſter Canon Apoſtolorum, negare non poſſunt, quin loquatur de Epiſcopo, qui ordinationes Clericorum diœceſis ſuæ facere iubetur, & non Clericorum alienæ. quod (inquit) ſi feciſſe deprehendatur præter voluntatem eorum, ad quos illæ ciuitates, aut villæ quarum Clericos ordinauit, pertinebant, deponantur ordinator & ordinati. Quid æquiùs ſtatui potuit? aut quid iniquiùs eſſe poteſt? aut quod maius diſſenſionis & inimicitiarum ſeminarium, quàm vt Clericum ciuitatis, cui hic Epiſcopus præeſt, alius Epiſcopus, cui alia ciuitas aſſignata eſt, hoc inuito ordinet? Hunc Canonem Apoſtolorum ſecuta eſt Nicena Synodus, cum Canone 43 ex numero eorum, quos ſuprà diximus, ſanxit, vt nullus Epiſcopus presbyterum,

aut diaconum ex alterius Epiſcopi diœceſi ordinet abſque licentia proprij Epiſcopi. Idem quoque ſanxit Synodus Antiochena c. 22. Interrogemus ergo rurſus Magd. de Canone illo Apoſtolorum, quem ipſi ex Cypriano adſcripſerunt? certè negare non poſſunt, quin loquatur de ordinatione non Clericorum, ſed Epiſcopi quæ ab Epiſcopis comprouincialibus, ſi conuenire poſſunt, facienda eſt. Sed recitemus Canonem Apoſtolicum ex Cypriano, quem iſti adſcripſerunt, De ordinatione diuina (inquit) & Apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt, &c. Vt ordinationes ritè celebrandas ad eã plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem prouinciæ, proximi quique, conueniant: & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit: & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit Idem ſtatuit Synodus Nicena ſequẽs eandem auctoritatem Apoſtolicæ traditionis, quæ eſt in 8 libro Clementis cap. 4. quam Anacletus Pontifex in Epiſtola ſecunda atteſtatur, & poſt eum beatus Cyprianus Sic enim ait S. Anacletus, ordinationes Epiſcoporum auctoritate Apoſtolica ab omnibus qui in eadem fuerint prouincia, Epiſcopis, ſunt celebrandæ. Et paulòpoſt, Quod ſi ſimul omnes conuenire minimè poterunt, aſſenſum tamen ſuis precibus præbeant, vt ab ipſa ordinatione animo non deſint. De ordinatione verò reliquorum ſacerdotum, & diaconorũ ſubiungit idem S. Anacletus, Reliqui verò ſacerdotes à proprio ordinentur Epiſcopo, ita vt ciues, & alij ſacerdotes aſſenſum præbeant. De hac ergo ordinatione loquitur Canon Apoſtolorum 36. quod quidem Magd. minimè intellexerunt, non quia obſcurum eſſet, nihil enim magis perſpicuum eſſe poterat, ſed quia, more ſuo, ita legunt omnia, quæ notant, & reprehendunt, vt nihil prorſus conſiderent, vtrum quod primo aſpectu eis videtur, ita ſit, ne fortè excidat eis, quod poſteà cũ eorum dedecore refelli & redargui poſſit, quod paſſim eis contingit. Nihil horum curant, modo ſuos vtcunque fallant, quos nihil examinaturos eſſe, nec alia præterquàm eorum ſcripta lecturos confidunt. Rurſus alium Canonem accuſant, ſic enim aiunt.

Quomodo Cyprianus, quem contra Canonẽ Apoſt. produxerunt Magdeb. conuincat non intellexiſſe eos Canonem quẽ reprehendunt.

Magd. non conſiderant, vtrum quod primo aſpectu eis videtur, ita ſit, ne poſteà cum ſuo dedecore erraſſe conuincantur.

Defenſio Canonis Apoſtolorum iubentis bis ſingulis annis concilia celebrare: & quæ ſint teſtimonia, eſſe hunc Apoſtolicum Canonem, & quæ item ratio, & de neceſſitate, & vtilitate habendi huiuſmodi Synodos ſingulis annis ſecundum rationem, & ſcripturā, & priſcam conſuetudinē. Caput 10.

„ CAnon 38 bis in anno concilia celebrare
„ iubet, ſed in hiſtoriis non reperiuntur e-
„ ius rei teſtimonia, vna ſynodus ab Apo-
„ ſtolis celebrata legitur act. 15. de aliis, quæ
„ quotannis bis eſſent factæ non fit mētio.]

Quid ſignificet hæc formula, viſum eſt bene habere in Synod Nicena, & Antiochena ſuper canone de Synodis bis per annū habendis.

Hactenus Magd. Cùm Synodus Antiochena Canone 20. dixit, rectè habere, quod in ſingulis prouinciis bis quoque anno concilia habeantur, ſatis apertè ſignificauit, non tunc primum hunc Canonem ſancitū eſſe, non enim dixit, ſtatuit, ſed viſum eſt, bene habere. idem quoque ſignificauit Synodus Nicena, cùm ſimiliter dixit. c. 5. viſum eſt, benè habere, vt bis per vnam quamque prouinciam ſingulis annis concilia habeantur. Nō enim ignorabat Synodus Nicena, traditum eſſe hoc eccleſiæ tum Canone, tum conſuetudine de conciliis bis habendis per ſingulos annos. Confirmat quod dicimus S. Anacletus in Epi. 1. cùm ait, vbi fuerit ſummorum (Epiſcopos dicit) congregata congregatio, quę per ſingulos annos fieri ſolet & debet. Cùm dixit, ſolet, cōſuetudinem eccleſiæ ſignificauit, quæ aliunde, quàm ab Apoſtolica traditione proficiſci non potuit. Cùm verò dixit, debet, etiam Canonem ſignificauit. Vtrumque enim horum diſtingui ſolet, vt cùm Synodus Nicena Canone 18. dixit, ſicut neque Canon, neque conſuetudo tradidit. cùm ergo Synodus Antiochena hac formula verborum, Viſum eſt bene habere, quod iam prius ſtatutum erat, & in conſuetudine poſitum eccleſiæ, confirmet, conſequens eſt, vt Nicena Synodus eadem formula verborum idem quoque faciat, id eſt ſimiliter confirmet, quod priùs in Canone, & in eccleſiæ conſuetudine erat, de Synodis dico bis habendis per annum. Sed dicent fortaſſe Magd. Ante Nicenam Synodum non reperiuntur huius Canonis teſtimonia in

hiſtoriis,

hiſtoriis,non fuit igitur hic Canon ante Nicenam Synodum. An non eſt ſatis idoneus teſtis ipſa eadem Synodus,quæ dixit, ſicut Antiochena poſt ipſam, Viſum eſt bene habere?&c. Quæ igitur amentia eſt, negare Canonem Apoſtolorum de Synodis habendis ſingulis annis, quia eius rei teſtimonia in hiſtoriis non reperiantur? Sed bene habet,quod de hac re,id eſt, de præcepto,& lege bis habendi concilia per annum teſtimoniũ habemus in antiquiſſimo auctore Tertulliano. Sic enim in libro de ieiunio contra pſychicos ſcripſit, Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis cõcilia ex vniuerſis eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur. Et ipſa repræſentatio nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur. Dicant nobis Magd. à quibus ſunt præcepta concilia iſta, quæ Tertullianus dicit? an dicit præcepta à Nicena ſynodo, aut Antiochena? antiquiores enim ſynodos de hac re non habemus. minimè. Tertullianus enim multo ante Nicenam ſynodum fuit. Reſtat igitur, vt ex Canone Apoſtolico,id eſt, ex Apoſtolica traditione eccleſiaſticæ cõſuetudinis, quæ Canone, ac præcepto Apoſtolico ſancita eſt, hoc Tertullianus didicerit. Cùm enim ait, Aguntur præcepta per Græcias illas concilia,ſatis apertè ſignificat, loqui ſe de ordinariis conciliis: hęc autẽ ſunt quæ à ſanctis Apoſtolis bis per ſingulos annos præcepta ſunt. Adde huc,quod dicendo, per quæ & altiora quæque in commune tractantur,illa planè ſignificauit, quæ Canon ipſe Apoſtolorum 37. de ſynodis bis per annum habendis expreſſit, ſcilicet dogmata religionis chriſtianæ,& cõtrouerſias eccleſiaſticas,hæc enim ſunt altiora quæque, quæ Canon Apoſtolorum 14. Vocat τὰ περισσὰ quæ quidem Canon vetat ab Epiſcopis ſine auctoritate Metropolitani tractari, Scilicet quia quæ huiuſmodi ſunt ad cõcilium prouinciale,quod bis per annum agendum eſt, referenda ſunt. Vt ibi in commune,ſicut ait Tertull. tractentur. Deinde ſi tam neceſſariæ erant huiuſmodi Synodi ad eccleſiaſticas neceſſitates, & controuerſias dirimendas, vt Synodus Antiochena in Canone ſuo ait, cur non ſibi ſapientes iſti perſuadent, potuiſſe Sanctos Apoſtolos immò debuiſſe hanc

Teſtimonium Tertulliani de Synodis ſecundum canonem Apoſtolorũ habendis.

formam eccleſiis tradere? Quid enim intereſt, negare hunc Canonem, quia eius rei teſtimonia in hiſtoriis non reperiantur, an dicere, non potuiſſe Apoſtolos, aut non debuiſſe hunc Canonem tradere? Si enim potuerunt, & ſic oportuit, cur negant, quia in hiſtoriis non legunt, quod hic legunt? Etenim ſi negare liceat, quæcumque ſunt ſcripta, quorum teſtimonia in hiſtoriis non reperiuntur, ipſi ſint iudices, quam multa alia negaturi ſint. Præcepit Apoſtolus in Epiſ. priore ad Corinth. vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fierent in eis, id eſt, in eorum rebus tum eccleſiaſticis, tum non eccleſiaſticis. Hoc autem potiſſimum in Synodis iſtis binis cuiuſque anni prouidebatur, Vt omnia ſecundum ordinem fierent. Præterea, habenda erant huiuſmodi concilia, vt ſicut Nicena Synodus Canone 45. explicauit, quæ acta eſſent, in cuiuſque Epiſcopatu, & quæ deinceps agenda, ab omnibus Epiſcopis cum Archiepiſcopo ſuo congregatis conſiderarentur, ne eſſent Epiſcopi in futuro iudicio accuſandi. An verò ita fieret tunc, vt ab Apoſtolis ſanctis traditum eſſet, non neceſſe eſt, reperire in hiſtoriis teſtimonium, vt ſi non reperiatur, continuò ſit falſum, ſic Apoſtolos tradidiſſe: & ſic eos, quibus tradiderunt, feciſſe. Dicant enim Magd. an in hiſtoriis ſuis repererint, Vnde cœpit conſuetudo habendi bis ſingulis annis concilia prouincialia Epiſcoporum? an verò, quia nuſquam in hiſtoriis teſtimonium huius originis repererunt, idcircò Canonem Nicenum, & Antiochenum de huiuſmodi Synodis habendis negare audebunt? quod ſi hos Canones negare non audent, cur Canonem Apoſtolicum audent? præſertim cum, vt dixi, ſicut Antiochena Synodus verbis ſuis ſignificauit, non ſe primum eum Canonem ſanxiſſe, ſic quoque, vt anteà dixi, Nicena Synodus eiſdem verbis idem ſignificauit. Præterea, cùm Paulus ſcribit ad Titum, Reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas: & conſtituas preſbyteros per ciuitates, ſicut & ego tibi diſpoſui, non dixit, ſicut ego tibi diſpono, ſi quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, & quæ ſequuntur, ne ad hoc tantùm, quod ad qualitates ordinandorum pertinet, illud verbum referendum eſſe exiſtimaremus, ſed

Quæ vtilitas, & neceſſitas habēdi bis per annum ſynodos.

dixit, diſpoſui, vt intelligeremus, tradidiſſe Tito διατάξεις, id eſt, diſpoſitiones, ſiue conſtitutiones, quæ etiam Canones vocari ſolent. quemadmodum, quæ deeſſent, corrigere deberet: & quemadmodum conſtitui, & ordinari Epiſcopi deberent. Ad vtrumque enim referendum eſt illud verbum diſpoſui. Quomodo verò quæ deerant, corrigere melius poterat, qui toti inſulæ præerat, quam cum concilio Epiſcoporum prouincialiū, id eſt, caput cum membris? cum ſcriptum ſit in ſapientia Salomonis, Multitudo ſapientum ſanitas eſt orbis terrarum. Quo quidem nihil vtilius, neque ſalutarius prouiſum eſſe potuit, quàm ſi huiuſmodi correctio bis per annum fieret. Quare, vt hunc locum finiam, cùm tanta vtilitas hoc Canone prouiſa ſit, tanta in eo antiquitas, & auctoritas inſit, & cum Apoſtolicis præceptis tantopere congruat, quæ imprudentia eſt, tā ſalutarem diſpoſitionē Apoſtolici Canonis à Clemente Rom. Apoſtolorū diſcipulo deſcriptam negare? quia inquiunt, teſtimonia eius rei in hiſtoriis non reperiantur? Quæ iſta tanta inuidia, quòd iſtas diuinas regulas, ſiue Canones ad res eccleſiæ diuinæ, Apoſtolicæ conſtituendas, & moderandas à ſanctis Apoſtolis omnium eccleſiarū Catholicarum magiſtris traditas habeamus, & ſeruemus? Nos igitur rationem, ſcripturam, & priſcā eccleſię Catholicæ conſuetudinem in hoc Canone defendendo ſicut in reliquis, quos accuſant, ſequimur. Vos verò Magd. quid ſequimini in repudiando eum, & calumniando, niſi odium eccleſiæ noſtræ, & inuidiā, & illud veſtrum argumentandi genus ex negantibus, quod in ſchola Martini Luteri Germanici prophetæ didiciſtis? Non reperiuntur teſtimonia huius rei in hiſtoriis, ergo non eſt hic Canon Apoſtolorū. Iam ne videtis Germani, iam ne videtis iſtorum, qui vos decipiunt, ludos, nugas. & ludibria? Sed videamus reliqua, quæ ſequuntur.

Ad Tit. c. 1.

Sap. 6.

Canonē Apoſ. de Synodis bis habendis per annum ratio, ſcriptura, & vetus eccleſiarum conſuetudo, & patrum auctoritas defendit.

Quid Magd. moueat ad negandum Canonem Apoſt. de Synod bis per annū habendis.

Reſponſio ad ea, quæ à quibuſdam obiici, vel potius quæri ſolent in extremo Canone Apoſtol. de Euangelio Ioannis, vtrum ante mortem Clementis, imò Beati Petri ſcriptum ſit & quomodo intelligendum, quod eſt in Canone Apoſt. 19. penitus à communione abſcindatur, vt Simon Magus

à me Petro. item de tertio lib. Machab. & de lib. actorum Apoſt. vbi, & quomodo à Clem. Rom. inter lib. Canonicos relatus ſit. *Cap.* II.

QVia hæretici, qui ſemel Canones Apoſtolorum oppugnare cœperunt fortaſſe non cõtenti iis, quæ iam obiecerunt, qua ſunt pertinacia, ſemper, quid obiiciant, quæſituri ſunt, ne quid eis reliquum fiat; reſpondebo etiam ad ea, quæ à quibuſdam aliis quæri ſolent non ſtudio oppugnandi Canones, ſed, quæ obſcura eis videntur, intelligendi. ſic enim quidam ex iſtis ſcripſit: Illud etiam peculiarem in his Canonibus difficultatem facit, cum vltimo eorum recipitur Ioannis Euangelium. atqui (inquit) ſub Nerone martyrium paſſus eſt Petrus, hoc eſt 14. anno Neronis, qui fuit vltimus imperij eius, Ioannes verò ſcripſit ſuum euangelium ſub Domitiano, quò tempore iam Petrus erat mortuus, non potuit igitur Euangelium eius confirmare, & tamen 23. Canone habetur, & à me Petro immo nec ipſe Clemens Romanus, qui Canones ſcripſit ſuperſtes erat, quia ſecundum Damaſum non peruenit, niſi vſque ad Conſulatum Veſpaſiani 9 & poſt annos tres ab eo cõſulatu Domitianus imperium ſuſcepit, mortuo Tito Veſpaſiani filio. Quod verò Ioannes non prius, quàm regnaret Domitianus, Euangeliũ ſcrípſerit, ex eo quoque ſignificari poteſt, quia illud propter inſurgentes hæreſes Cherinti aliorumque Chriſtum negantium eſſe Deum, ſcribere neceſſarium eſſe iudicauit. quod virus ſub eiuſdem (vt narrat Euſebius) Domitiani regno euomi cœpit. Ioannes cùm eſſet in Aſia, vt Hieronymus in procemio ſuper Matthæum ſcribit, & iam tunc hæreticorum ſemina pullularent, Cherinti, Ebionis, & cæterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe, coactus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altiùs ſcribere. Et Aimo Alberſtatenſis Epiſcopus libro tertio de rerum chriſtianarum memorabilib. narrat Ioannem in vltimis vitæ temporibus ſcripſiſſe Euangelium ab Aſiæ Epiſcopis compulſum propter hæ-

reticos, qui eo exulante irruperant in Eccleſia cum va „
riis,& peruerſis dogmatibus. Dorotheus verò Epiſco „
pus Tyri,qui ſub Conſtantino Magno vixit, Ioannem „
ſcribit non à Domitiano,ſed à Traiano Neruæ filio in „
inſulam Pathmon exilio fuiſſe damnatum, vbi etiam „
ſanctum Euangelium ſuũ ſcripſit, quod poſteà Epheſi „
per Caium hoſpitem ſuum,ac diaconum ædidit. Ioan- „
nem vixiſſe vſque ad tempora Traiani, auctor eſt Ire- „
næus: & Clemens Alexandrinus pluribus in locis. Ha- „
ctenus iſte auctor. Dicamus nos rurſus,quæ in noſtris auctoribus obſeruauimus,vt conferat poſteà, ac iudicet,qui vtraque legerit. Ac primum quidẽ hoc ipſum de Euangelio Ioannis tẽpore Clementis ſcripto,eſt etiã in ſecundo libro, eiuſdem Clementis de conſtitutionibus Apoſtolicis c.57. Sic enim ait,Diaconus,aut preſbyter legat Euangelia,quæ ego Matthæus, & Ioãnes tradidimus vobis,& quæ adiutores Pauli Lucas & Marcus acceperunt, & tradiderunt vobis. Hactenus Clemens qui Matthæum, & Ioannem introduxit,loquentes hoc. Ad extremum ergo imperij Domitiani, vt auctor eſt Irenæus in 5. contra hæreſes libro, vidit Ioannes Apocalypſim,cum eſſet relegatus in inſulam Pathmos vnam ex Cycladibus, cùm iam antè Euangelium ſuum ſcripſiſſet, & prædicaſſet, teſtis eſt Epiſtola Dionyſij Areopagitæ,quam ad Ioannem,cũ eſſet in exilio, ſcripſit, in qua Ioannem appellat ſolem Euangelij: & Euangeliũ,quod ſcripſerat, appellat memoriam, & renouationẽ veræ theologię eius,cuius lectione fieri ait, ne radio illius ſolis priuari poſſent,qui legerent. Idẽ affirmat Sanctus Maximus in ſcholiis Epiſtolæ huius, & Georgius Pachimerus eũ ſecutus, idẽ quoque affirmat Euſebius,lib. tertio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap.24. poſt Euangelium ſcripſiſſe Apocalypſim,& epiſtolas. Hieronymus quoque narrat Ioannem rogatu Epiſcoporũ Aſiæ ſcripſiſſe Euangelium aduerſus Cherinthum. meminit autem Clemens libro ſexto de conſtitutionibus Apoſtolicis cap 8 Cherinti,Marci,Menandri, Baſilidis, & Saturnini, quorum hæreſes Irenæus in primo libro commemorat. quod ergo ait Dorotheus de Euangelio Ioannis ſcripto in exilio, ſolus Dionyſius, vt cæteros

Dionyſii Areop. teſtimonium fuiſſe euangelium Ioannis ſcriptũ ante Apocalypſim eius.

Quomodo Clemens auctoritate ſua cõuincat, falli eos, qui tradunt non potuiſſe Clementem euangelium Ioannis videre.

omittam, ſatis conuincit, falſum eſſe. Et qui dicunt non potuiſſe Clementem videre Euangelium Ioannis, ipſe idem Clemens conuincit eos falli: etenim ſi Clemens fuit tempore Cherinthi, vt idem ſcribit, potuit igitur videre Euangelium Ioannis ſcriptum contra hæreſim Cherinthi, nec enim diuturnitate temporis indiguit Ioannes ad ſcribendum, vt nos ſolemus. Accedit huc quod in Dorotheo Græco manu ſcripto non eſt hoc, ſed ſic ſcriptum eſt: Ioannes, qui Euangelium, & Apocalypſim ſcripſit, prædicato Euangelio Epheſi, & in cũcta Aſia, propter Euangelij prædicationem miſſus eſt in exilium in Pathmum inſulam. Deinde quid auctoritatis habere id debet, ſi idem Dorotheus dicit, relegatum fuiſſe Ioannem à Traiano, cùm cęteri omnes conſtanter affirment à Domitiano fuiſſe miſſum in exilium, id quod verum eſt, ſub Nerua verò, qui acta Domitiani reſcidit, reuocatum? Præterea ſcribit S. Epiphanius, libro primo contra hæreſes Tomo 2. c. 28. Cherinthum fuiſſe vnum ex illis, qui fratres Antiochię ad ſeruandam circumciſionem, & legem Moyſis commouerant, de quibus ſcripſerunt Apoſtoli, Quoniam audiuimus, quia quidam ex vobis exeuntes turbauerunt vos verbis, & quæ ſequuntur in actis Apoſtolorum: & fuiſſe item vnum hunc ex illis, qui reſtiterunt S. Petro, cùm iuit ad Cornelium, & huius doctrinam, ait ibidem idem Epiphanius, valde in Aſia viguiſſe. Euſebius autem nuſquam dicit ſub, Domitiano virus euomere cœpiſſe: imò libro tertio hiſtoriæ eccleſiaſticæ capite vigeſimo octauo hæreſim eius exponit, & quæ Irenæus, & Dionyſius Alexandrinus de eo ſcripſerint, recitat, & ſtatim capite proximo, id eſt, vigeſimo nono ſic incipit, Eodem tempore, & Nicolaitarum hæreſis haud diu durauit: conſtat autem Nicolaum vnum fuiſſe ex ſeptem diaconis. Quod verò ait Aimo, Ioannẽ in vltimis vitæ temporibus ſcripſiſſe Euangelium, conuincit non ita eſſe eadem Epiſtola Dionyſij Areopagitæ, quam paulo ante dixi: ex ea enim conſtat ſcripſiſſe Euangelium ante exilium. miſſus eſt autem in exilium anno 14. Domitiani, teſte Euſebio, in Pathmum, vbi Apocalypſim vidit, & ſcripſit: poſt annos verò duos, Im-

Cherinthus tempore Apoſtolorũ.

peratore Nerua Domitiani ſucceſſore,qui acta eius reſcidit,& exules reuocauit,& anno vno imperauit,liberatus fuit,& reuerſus Epheſum, mortuus in principio Imperij Traiani, anno 68. poſt paſſionem Chriſti, vt Hieronymus eſt auctor. quare Apocalypſim ſcripſit in vltimis vitæ ſuæ temporibus, non Euangelium, vt aiebat Aimo hoc autem fefellit iſtos, quod cùm legerent Ioannem ſcripſiſſe Epheſi Euangelium, & ab exilio Epheſum ſenio confectum ſeceſſiſſe, vt ait Euſebius in chronicis,atque ibi mortuum,exiſtimarunt,vltimis vitæ temporibus ſcripſiſſe Epheſi Euangelium.ſed aduertere debuerunt,fuiſſe eum bis Epheſi,vt Dorotheus teſtatur, & Beatus Hieronymus, qui ait reuocatum ab exilio,Epheſum reuerſum eſſe.Cùm ergo fuit primum Epheſi, tunc Euangelium quod ibi, & in cuncta Aſia prædicauit,ſcripſit.& non poſteà cùm poſtremò Epheſum rediit. Denique ſi poſtquam Euangelium Matthæi,& Marci,ac Lucæ vidit,& approbauit: & ab illis prætermiſſa,quæ ſcilicet antequam in carcerem Ioannes Baptiſta includeretur, geſta fuerant, ſupplere voluit, ſimulq́ue contra hæreſim Cherinthi Chriſti diuinitatem negantis ſcribere,quomodo veriſimile ſit,tam multis annis poſt aliorum euangeliſtarum ſcriptionem, & poſt hæreſim Cherinthi ante annos amplius 40. in Aſia ortam vſque ad extremum Imperij Domitiani Euangelium ſuum differre voluiſſe?A ſexto enim anno Claudij, quo Simon magus Romæ expugnatus fuit à Petro,& Iudæi ac Chriſtiani ex vrbe pulſi, quando Simonis ſucceſſores,ex quibus fuit Cherinthus, Irenæo auctore, ſuas hæreſes diſſeminare cœperunt,vſque ad extremum Imperij Veſpaſiani, cùm Clemens mortuus eſt,fluxerunt anni 31. teſte Euſebio. Quomodo igitur tot annorum ſpatio non potuit, aut Ioannes Euangelium ſcribere,aut Clemens ſcriptum videre? Ex hac quoque ratione temporũ conſtat,carere etiã omni probabilitate,falſumq́ue eſſe,non potuiſſe beatum Petrum Euangelium Ioannis videre, quia fuerit martyrium paſſus 14.anno Neronis,cùm à Simone mago ſuperato(cui Menãder,Saturninus,Carpocrates,Cherinthus,& Nicolaitæ ſucceſſerunt) vſque ad 14.annũ Ne-

Vnde ortum duxerit eorum error, qui Euangelium Ioannis vltimis vitæ ſuæ temporibus ſcriptum eſſe, tradiderunt.

Quomodo redarguantur, qui tradunt, nõ potuiſſe beatum.

Petrum videre Euangelium Ioannis.

ronis iam anni 22. fluxiſſent. Deinde, eſto, ita eſſe, ſcriptum fuiſſe Euangelium Ioãnis poſt martyrium beati Petri, & Pauli: Ponamus enim hoc, ne ſic quidem cõtradicit canon 28. in quo eſt. Priuetur omnino communione, vt Simon magus à me Petro, ſcribit enim Clemens μιμητικῶς, id eſt, per imitationem ſiue repręſentationem perſonæ, quo genere vſus eſt Plato, & ante eum Alexamenes Teius, vt Ariſt. in Poëtica notauit. hoc ergo genus ſcribendi ad morem dialogi pertinens, ſecutus eſt Clemens in libris de conſtitutionibus, & canonibus Apoſtoliicorum, & in hiſtoria diſputationum Petri cum Simone, introducit enim interdum Apoſtolos loquentes, quæ eis cõuenit loqui, vt hoc loco fecit. Petrus enim Symonem eccleſiæ communione priuauit, ac proinde communione ſanctorum, quam in eccleſia confitemur, cùm ei dixit, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, id eſt, propter hoc, quod commiſiſti, non es amplius particeps communionis fidelium, & ſanctorum, niſi pœnitentiam agas. partem enim, & ſortem ſic dixit hîc, ſicut Paulus in Epi ad Coloſſen. c. 1. Cum ait, gratias agentes Deo, & patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, id eſt, in baptiſmo, ſic enim vocat Dionyſius Areópagita, qui interpretans hunc locum Pauli, Cap. de baptiſmo, communicari, ait, diuinum lumen cum homine per baptiſmum, & fieri ex ſorte, atque ordine Sanctorum: ex hac ergo ſorte eiicitur, qui excommunicatur, vt Simon à Petro, Itaque interpretatus eſt Canon locum in actis Apoſtolorum, vt hoc obiter obſeruatum ſit. Hactenus de Euangelio Ioannis. Illud prætereà de tertio libro Machabæorum, in eodem Canone vltimo Apoſtolorum ab iſtis quæri ſolet, ſi inter libros Canonicos, hic tertius liber à principio relatus eſt, idque à ſanctis Apoſtolis teſte Clemente traditum, quemadmodum non eſt ab Eccleſia inter libros Canonicos hactenus receptus? Reſpondeant iſti, cur de Apocalypſi, vtrum Ioannis eſſet, ac proinde canonicus liber, aliquando dubitatum fuit, cum tamen Apocalypſis à principio canonibus liber, & ſui auctoris, id eſt, Apoſtoli Ioannis fuiſſet: ſimili ratio-

Quomodo quòd Petrus Simoni mago dixit, non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, excommunicatum fuiſſe ſignificet.

Coloſſ. c. 1.

Acto. 8.

De tertio libro Machabæorum.

ne fieri potuit, vt hic liber tertius Machabæorum à principio quidem canonicus fuerit, dubitatum tamen aliquando de eo ſit, idque in cauſa fuiſſe, & adhuc fortaſſis eſſe, cur inter libros canonicos non numeretur: ex quo tamen non continuò ſequitur, vt Canon iſte Apoſtolorum à Clemente ſcriptus negandus ſit, qui eũ à principio inter canonicos numerat: quin potius conſequens eſt, vt temerarium ſit, ante iudicium eccleſiæ illum reiicere. Plus enim auctoritas Clementis valere debet, ad dicendum canonicũ eſſe, quàm auctoritas teſtis nihil dicentis, id eſt, neque canonicum eſſe, nec non canonicũ, Eccleſia enim hactenus neutrum decreuit, neque canonem Apoſtolorũ à Clemente ſcriptum improbauit. Quod ſi teſtes quærimus, qui eum citent, tãquam auctoritate dignum, tametſi canonicum nõ appellent, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbũ, Euſebius quidem Ceſarienſis in annalibus eum citat, ſic enim ait, Quartus Aegypti Rex Ptolemæus Philopater annis 17. deinde ſubiungit, ea, quæ in tertio Machabæorũ libro ſcripta ſunt, ſub hoc Ptolemæo geſta referuntur. Item Theodoretus Cyri Epiſcopus in cõment. Danielis prophetæ c. 11. cum prædicit propheta bellum Ptolemæi Philopatoris cum Antiocho magno vt Hieronymus quoque interpretatur, Et veniet (inquit Daniel) ad robur. Robur inquit Theodoretus vocat Hieruſalem, vtpote fruentem gratia diuina, & propter miracula variis tẽporibus facta, quæ vim Dei declarabant. Deinde ſubiungit Euſebium ſecutus, atque hoc quidem docet tertius liber Machabæorum. Poſtquam enim Ptolemæus præter ſpem, & opinionẽ omnium, Antiochum cognomẽto magnum vicit, perrexit quidem Hieroſolymam, vbi victimas plurimas immolauit. cumque conaretur in interiora templi penetrare inuitis, & repugnãtibus ſacerdotibus, pœnas dedit occultè: minatúſque Iudæis, Alexandriam profectus eſt, & illa tentauit efficere, quæ narrat hiſtoria, ſcilicet tertij libri Machabæorum. Hoc ergo prædicit propheta inquiens, veniet ad robur, & ingredietur ad firmamẽta regis. & quæ ſequuntur. Hactenus Theodoretus. Accedit huc, quod cùm Dionyſius Areopagyta canonicos

Quæ cauſa eſſe potuerit, vt tertius liber Machabæorũ inter Canonicos libros non ſit relatus.

Qui auctores tertium librum Macabæorum citent.

ſanctarum ſcripturarum libros ex materia, atque argumento cuiuſque eorum in eccleſiaſt. hier.c. de communione denotat, libros Iob, Tobiæ, & Macchabæorũ ſignificat. cùm ait, narrari etiam in ſcriptura antiquorũ virorum in variis, ac multis acerbitatibus dolentiũ, inuictam virtutem tolerantiæ: iſta autem inuicta virtus in tertio iſto libro maximè illuſtris, & admirabilis cernitur. Narrat enim quanta animorũ firmitate, ac conſtantia, quanta religione, & orationis perſeuerantia ac Dei fiducia ſacerdotes, atque omnes Iudæi Ptolemæũ Philopatorem regem Aegypti potentiſſimũ Antiocho magno fugato, Hieroſolymã ingreſſum, vt amicum, & defenſorem, aditu tamẽ templi, ne illud pollueret, prohibebãt, parati omnes vitam pro lege patria profundere. Narrat deinde, quanta item conſtantia populus Iudæorum Alexandriæ in illo ſummo diſcrimine internecionis eiuſdem Ptolemæi iuſſu toti populo impendentis pietatem, & religionem, inter aſſiduas illas preces, & lacrymas ſeruauerit: & quam vindictam electorum ſuorũ clamantiũ ad ſe die, ac nocte in illa tũc incredibili regis pluſquã Phalaridis ſæuitia, admirabili ſua prouidẽtia, ac miſericordia fecerit Dominus. Deinde cum hiſtoria huius tertij libri hiſtorias primi, & ſecundi libri Machabæorum multis annis anteceſſerit, cur nõ fiat veriſimile, hunc librũ, quo hiſtoria tã vtilis eccleſiæ, & tẽpore antiquior contineatur, receptũ fuiſſe tunc cũ aliis duobus hiſtoriarum poſteriorum? eſt autẽ tertio loco collocatus, vt primus Machabæorũ primo, etſi hiſtoria eius poſteriorum temporum eſt, quàm hiſtoria ſecundi: & ſecundus ſecundo, etſi hiſtoria eius priorum temporũ eſt, quã hiſtoria primi, ſic inquã, tertio loco, etſi hiſtoria eius ſuperiorum adhuc temporũ eſt, quam hiſtoria vtriuſque, vt ex chronicis, ſiue annalibus Euſebij, & Ioſephi hiſtoriis perſpici poteſt. Non defendendo librum hunc tertium canonicum eſſe, donec mihi dicat eccleſia, ſed illud dico. vt non reprehendimus, quod ſanctus Athanaſius in Epi. 9. paſchali in enumeratione librorum canonicorum duos Macchabæorum alioqui canonicos prætermiſit, neque Gregorium Nazianzenum, nec Amphilochiũ Iconij Epiſco-

Argumentum 3. libri Machabæorum à Dionyſio Arep. notatum.

De ordine, & collocatione librorum de Machabæis.

Qui duos libros Machabæorum in canonicis olim non numerarunt, opinionem ſui tẽporis, & regionis ſecuti ſunt.

pum, neque Ioannem Damaſcenum, qui idem in ſuis librorum canonicorũ deſcriptionibus fecerũt, nec Euſebium Cæſ. qui in chronicis ait, libros Machabæorũ non recipi inter diuinas ſcripturas: loquitur enim de ſuo tempore, & regione ſua. ſic nõ eſt reprehendendus canon Apoſtolorum à Clemente Romano ſcriptus, in quo tres libri Machabæorum inter canonicos, relati ſunt. cauſam, cur ita, dixi ſupra, ne iterũ repetam. Illud præterea ab iſtis quæri ſolet, cur inter ſacros libros, nõ ſit in canone iſto Apoſtolorum, numeratus liber actuũ Apoſtolorum. Immò verò numeratus eſt, tametſi non omnes aduertant: non enim, quia poſt Epiſtolas duas Clementis, & libros de conſtitutionibus ab eodẽ Clemente ſcriptos liber actorũ collocatus eſt, idcirco non eſt inter ſacros, & canonicos relatus, vt nõ referuntur Epiſtolæ Clementis, neque libri conſtitutionum. quod quidẽ nõ obſcurè idẽ Clemẽs ſignificauit. vt enim auctoritatem libri actorũ, ab auctoritate Epiſtolarũ Clementis, & librorum de conſtitutionibus diſtingueret, dixiſſe mihi videtur Epiſtolæ Clementis duæ, & cõſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementẽ ſcriptæ, ſciebat enim ſe nec Apoſtolum, nec Euangeliſtam eſſe. De libro autẽ actorũ ſubiungit in perſona Apoſtolorum, & acta noſtra qui ſumus Apoſtoli. hoc enim ſignificat καὶ πράξεις ὑμῶν τῶν ἀποςόλων. Atque eſſe quidem hunc librum à Clemente inter canonicos relatum, magis ad huc ex ſecundo libro de conſtitutionibus c. 57. intelligi poteſt. ſic enim ait in perſona Apoſtolorum, de libris ſacris, & canonicis, qui in eccleſia legendi ſunt. Stet autem in medio in loco celſiore lector, & legat ex libris Moyſis, Ioſuæ, Iudicũ, Regum, Paralipomenon, Eſdrę, Iob, Salomonis, duodecim prophetarum, pſalmorum Dauid: poſtea legantur acta noſtra, & Epiſtolæ Pauli adiutoris noſtri, quas miſit ad eccleſias ſecũdum ſpiritus ſancti inſtructionem. Deinde diaconus, aut presbyter legat Euangelia, quæ ego Ioannes, & Mathæus tradidimus vobis, & quæ auditores Pauli acceperũt, & tradiderũt vobis Lucas, & Marcus. Hactenus Clemẽs. Hæc ſunt, quæ Magdeburgenſes non obiecerũt, qui ſi quãdo alias obiicere voluerint, ita ad ea reſpõſum ſit.

Quomodo Clemens auctoritatem libri actorum Apoſt. ab auctoritate librorum Clementis de conſtitutionibus Apoſt. diſtinxerit.

Ad reliqua verò, quæ quidam in quæſtionibus ponere ſolent, hæretici verò in criminibus obiicere, partim iã reſpondimus, partim deinceps reſpondebimus. Redeamus ergo ad Magd.

Reſponſio ad id, quod Magd. obiiciunt, reperiri Canones Apoſt. in Concilio Niceno, & Antiocheno, & Chalcedonenſi: & quomodo hoc ipſum auctoritatem Canonum Apoſtolorum magis confirmet. & de 16 capitulis Epiſtolæ Innocentii primi. collatis canonibus Apoſtolorum, vnde illa ducta ſunt, idque Nicena Synodo in quibuſdam ex capitulis teſtante. Caput 12.

"Q Vintò etiam (inquiunt) intelligi poteſt, nõ ab apoſtolis, ſed ab aliis, & quidem ſæculis inferioribus, iſtos pleroſque Canones, qui præſertim ab illis, quos ſupra recenſuimus, diſcrepant, compoſitos eſſe, quod plerique in conciliis, quæ lõgè poſthabita ſunt nempe Antiocheno, Niceno & Calcedonenſi tum conditi dicuntur, tum à patribus conſtituti, allegantur.]

Hæc Magd. Quod hic Magd in Canones Apoſtolorum obiiciunt, non ſolum eorum fidei. & auctoritati non derogat, ſed potius eam cõfirmat. Cùm enim Canones Apoſtolorum regulæ ſint περὶ εὐταξίας (ſic enim in vetuſtiſſimo Codice inſcriptos reperi, id eſt, de compoſitione rerum eccleſiæ) vt ſecundum hos Canones omnia, ſicut Apoſtolus ad Corinthios ſcripſit, honeſtè, & ſecũdum ordinem in eccleſia fiant: eorum autẽ, quæ ad huiuſmodi ordinem, & honeſtatem pertinent, maxima pars non per Epiſtolam ſed per ſermonem à ſanctis Apoſtolis tradita ſit, ne huiuſmodi traditiones nõ ſcriptæ, obliuioni traderentur, ſed potius in conſuetudinem abirẽt, quæ traditione conſiſtens, ſcripturæ vim haberet, neceſſe fuit traditiones iſtas Canonicas nõ ſolum à Clemente Romano literis mandari, ſed, quod plus eſt, in conciliis deinceps ſanctione Canonum ſynodicorum ſæpius renouari, ac roborari. Admonuit nos etiam de hoc pontifex Innocẽtius primus in Epiſ. ad Victricium Epiſcopum Rhotomagenſem cum qua

Traditiones Apoſtolorũ canonicæ ſæpe in conciliis renouatæ, & confirmatæ.

ſimul miſit ad eum regulas quaſdam ſiue Canones eccleſiæ Romanæ, de quibus ſic ſcripſit, Digeſtas vitæ & morum probabilium diſciplinas annexas litteris meis miſi per quas aduertant regionis veſtræ populi, quibus rebus & regulis chriſtianorũ vita in ſua cuiuſque profeſſione debeat contineri: qualiſque ſeruetur in vrbis Romæ eccleſiis diſciplina: & paulò poſt, Propter eos ergo, qui vel ignorantia, vel deſidia non tenent eccleſiaſticam diſciplinam, rectè poſtulaſti, vt in partibus iſtiuſmodi, quam tenet eccleſia Romana, forma ſeruetur, & ſubiungit, Non quòd noua præcepta aliqua imperentur, ſed, ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſeruari cupiamus, quæ tamen Apoſtolica, & patrum traditione ſunt conſtituta, Paulo monente, ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram Hactenus Innocentius. non dixit Apoſtolica, vel patrum traditione conſtituta: ſed Apoſtolica & patrum traditione. *2.Theſſ. 2.* nihil enim prohibet, quin quæ ab Apoſtolis conſtituta ſunt, eadem rurſus à patribus ſint, & dicantur conſtituta. Clarè ergo confitetur Pont quæ ſubiungit Capitula, per traditionem Apoſtolorum ſiue ſcripto, ſiue ſine ſcripto conſtituta eſſe. Cùm autem partim eorum in canonibus Apoſtolorum contineantur, qui ſunt traditiones eorum per ſermonem, conſequens eſt, nõ ignoraſſe eum hos Apoſtolorum Canones idest, has eorum traditiones, tametſi in ipſis Capitulis iſtos ipſos Canones Apoſtolorum nõ ſemper citet neque nominet, nec enim opus erat Similiter in aliis conciliis factum eſt, in quibus aliqui Canones Apoſtolorum renouati, ac confirmati ſunt, quaſi tunc primum æditi. Denique tũ pontifices, tum Synodi in huiuſmodi traditionibus, quæ in Canonibus Apoſtolorum continentur, ſæpe facere ſolent, quod in decretis ſuperiorum conciliorum, ſiue pontificum non raro faciunt, vt dicant ſæpe, Statuimus quæ tamen iam antea, & fortaſſe nõ ſemel, *16. capitula* aut iterum, ſed ſæpius ſtatuta erant. Vnde tot concor- *epiſ. Innoc. 1.* dantiæ Canonum & decretorum fluxerunt. Subiungit *collata cum ca-* ergo beatus Innocentius 16. Capitula, in quibus, & ſi *nonibus Apo.* non omnibus, ne longum ſit, aggrediar tamen quam *vnde fluxerũt.*

maxima poſtero breuitate, ſigillatim traditiones Canonum Apoſtolorum iudicare, id eſt, quæ in his Canonibus Apoſtolorum, quos habemus, continentur. Caput primum, vt extra cõſcientiam Metropolitani nullus audeat ordinare Epiſcopum: nec vnus Epiſcopus ordinare præſumat Epiſcopum. Deinde ſubiungit. S. Innocentius, hoc enim & Synodus Nicena conſtituit, atque definiuit, Non dixit, hoc enim ſynodus Nicena conſtituit, ſed dixit, cum coniunctione &, hoc enim & Synodus Nicena conſtituit. Vt ſignificaret, præter traditionem Apoſtolicam, eſſe etiam hoc in Nicena Synodo conſtitutum, vt congruat cum eo, quod in ipſa Epiſtola paulò ſupra dixerat, non imperari in his Capitulis aliqua noua præcepta, ſed quæ Apoſtolica & patrum traditione eſſent cõſtituta. Ductum itaque eſt hoc capitulum ex Apoſtolica traditione, quæ in Canone 1. Apoſtolorum continetur. Vt Epiſcopus á duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur. Quæ traditio plenior adhuc eſt in lib. 8. Clementis, in cuius extrema parte canones Apoſtolorum deſcripti ſunt. Capite enim 4. deſcripta eſt electio, & ordinatio Epiſcopi, & poſtquã facta eſt electio, & approbatio, vnus (inquit) primorũ Epiſcoporum (primos Epiſcopos vocat Metropolitanos, ſicut in Canone Apoſtolorum 34 vocantur) ſimul cum duobus aliis ſtans propè altare, reliquis Epiſcopis, & presbyteris tacitè orantibus, diaconis librũ Euãgeliorum ſuper caput eius, qui ordinatur, tenentibus, dicat, & quæ ſequuntur. Itaque quod eſt in hoc capitulo Niceno, vt extra conſciẽtiam Metropolitani nullus audeat ordinare Epiſcopum, ex Apoſtolica quoq; vt dixi, traditione fluxit. Secundum capitulum, conſtituit etiam atque definiuit eadem ſcilicet Synodus Nycena, Si quis poſt remiſſionem peccatorum cingulum militiæ ſæcularis habuerit, ad clericatum admitti omnino nõ debeat. Hoc quoque capitulum ex traditione Apoſtolica, quæ eſt in Canone 61. manauit. Si quis (inquit) fidelis accuſetur de fornicatione, aut adulterio, aut alia quapiam actione prohibita cõuictus ſit, ne fiat clericus Inter actiones autem iis prohibitas, qui clerici fieri volunt, ſecularis militia eſt, vt intelligi poteſt vel

Primum capitulum ex can. Apoſt. 1.

Can. Apoſt. 1.

Capitulum 2. ex can. Apoſt. 61

Epiſtola Magni Gregorij, in qua ille Mauritij Imperatoris legem laudat, qua prohibebat, ne quis publicis adminiſtrationibus implicatus eſſet, ad eccleſiaſticum officiū accederet: ac proinde neque clericus fieret. Nō enim eccleſiaſticum officium niſi clericus gerit.

Tertium capitulum. Si quæ autem cauſæ vel contētiones inter clericos, vel inter laicos fuerint exortæ, placuit, vt, ſecundum Synodū Nicenam, congregatis omnibus eiuſdem prouinciæ Epiſcopis iudicium terminetur. Hoc etiā capitulū ex Apoſtolica traditione, quæ eſt in Canone 37. ortum duxit. Iubet enim hic canon Apoſtolicæ traditionis, vt in Synodo prouinciali, quæ bis ſingulis annis habenda ſit, cauſæ, & cōtrouerſiæ eccleſiaſticæ quæ inciderint, dirimātur: ex quo rurſus fit, vt cōuenienter huic traditioni, nulli liceat, quod in eodem capitulo Niceno prohibetur, relictis Epiſcopis, qui in eadē prouincia eccleſias nutu Dei gubernāt, ad alias conuolare prouincias: & aliarū prouinciarum Epiſcoporum prius iudicium experiri. Si enim liceret cuique, relictis Epiſcopis prouinciæ ſuæ, ad Epiſcopos aliarū prouinciarum cauſas ſuas referre, fruſtrà Synodus prouincialis habenda eſſet. Item, quod eſt in eodem capitulo, vt ſi maiores cauſæ in medium fuerint deuolutæ, ad ſedem Apoſtolicam, ſicut (inquit) Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt iudicium Epiſcopale referantur. Hoc quoque ex Apoſtolica traditione profectum eſt, in hac enim conſiſtit cōſuetudo iſta, quam hîc dicit Pont. Innocentius, quæ quidem traditio eſt in Canone 34. in quo præcipiunt Apoſtoli, vt omnes Epiſcopi cuiuſque nationis agnoſcant ſuum primum: & eum tanquam caput habeāt: & nihil ex maioribus cauſis ſine ipſius ſententia agant. Quod ſi omnes Epiſcopi debent agnoſcere ſuum primū, ergo multo magis eū agnoſcere, & tanquā caput habere debēt, & ad eius tandē iudiciū maiora referre, qui eſt primus omnium, & ſummus. Vt etenim omnes Epiſcopi agnoſcunt primum ſuū Metropolitanum, & eum habent tanquā caput, ſic omnes primi, id eſt, Metropolitani agnoſcūt primum, & ceu caput habēt ſucceſſorē beati Petri Principis Apoſtolorum, ſicut beatū

Decretum Synodi Nicenæ ex Canone Apoſt. 34.

Petrum agnoſcebant Apoſtoli,& eum habebant,vt caput; cui Dominus dixit ſpecialiter, Tibi dabo claues regni cœlorum,& illud. Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam.talem conſuetudinem habet eccleſia Dei,quæ & ratione,& ſcriptura,& traditione conſiſtit. De quo copioſius proximo volumine defenſionis Epiſtolarum Pontificum Apoſtolorum diſſeremus. Quartum capitulum,vt mulierem viduam clericus non ducat vxorem. Deinde ſubiungit Pontifex rationem, ne, qui ad ſacerdotium contendit,hoc præiudicio impeditus,peruenire non poſſit. Quia ſcilicet debet eſſe ſacerdos caſtus, & continens, ſicut Apoſtolus præcipit, qui autem viduã incontinentem, quæ alium maritum experta eſt,vxorem ducit,ſuſpicio eſt quod ipſe quoq; futurus ſit incontinens. Quare nec hoc caput beati Innocentij nouum præceptum continet, Sed potius ductum eſt ex Apoſtolica traditione,tum ſcripta,tum nõ ſcripta. Apoſtolus enim præcipit,vt ſacerdos, & diaconus propter continentiam, quam ſeruare debent, ſint vnius vxoris viri:& Apoſtolica conſtitutio per ſermonem tradita,quæ eſt in canone 17.præcipit,propter eãdem rationem,vt,qui bis vxorem duxit, ne fiat Epiſcopus,aut presbyter,aut diaconus,& addidit,aut denique clericus. Idem dicendum eſt de 5.& 6. Capitulis Innocentij,in quibus cauetur,ne fiat clericus, de quo præiudicium futuræ incontinentiæ propter bigamiam, aut coniugium cum vidua ſuſcipiendo obſtet. Cap 7 vt de aliena eccleſia clericum ordinare, aut iudicare nullus vſurpet, niſi eius Epiſcopus precibus exoratus concedere voluerit, quod etiam (inquit) Nicena videtur Synodus continere. Hoc quoque non ſolùm decreto patrum Synodi Nicenæ; ſed etiam Apoſtolica traditione conſtitutum eſt vt S. Innocentius de omnibus iſtis capitulis in epiſtola ſua ad Victricium affirmauit. Eſt autem conſtitutio huius Apoſtolicæ traditionis de non ordinando extra diœceſim in canone 36. & de non iudicando item vllum alienæ diœceſis in canone 34. in quo cauetur, vt quiſque Epiſcopus de iis tantùm agat, quæ ad parœciam ſuam pertinent, & ad villas ei ſubiectas. Eſt præterea in eodem 7.cap. Innocen. ex concilio

Quartum capitulum ex Apoſtolica traditione.

Can. Apoſt. 17.

Quintum, & ſextum, & ſeptimum capitulum ex Apoſtolica traditione.

Can Apoſt. 36.

Can. Apoſt 34.

cilio Niceno, vt abiectus ex eccleſia ſua Epiſcopus, ab altero ne ſuſcipiatur, hoc quoque ex Apoſtolica traditione manauit, quæ eſt in Canone Apoſtolorum 12. Capitulum 8. Innocentij, vt venientes à Nouatianis, vel Montēſibus per manus tantùm impoſitionē ſuſcipiantur, quia quamuis ab hæreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati Hoc quoque Capitulum ex Apoſtolica etiam traditione deſcendit ſcripta prius in euangelio, & poſtea in Apoſtolicū canonē redacta, Canonē dico 47. 49. & 50. qui ſunt omnes de baptiſmo, quē dominus ſanxit: & quē non licet violare, neq; repetere. Cap. 9. vt ſacerdotes & leuitæ cū vxoribus ſuis non miſceātur. Et hoc ex traditione quoq; Apoſtolica deſcendit non ſolùm per ſcripturā, qua iubet Apoſtolus Epiſcopis presbyteris & diaconis, eſſe caſtos, & cōtinentes, ſed per Canonē ſine ſcripto traditū, & in cōſuetudine eccleſiæ Dei poſitū, qui eſt Canon 5. Apoſt. ex quo continētia horum neceſſario elicitur, vt ſupra, cùm de hoc Canone ageremus, demonſtrauimus. Capitulū 10. de monachis, qui diu morātes in monaſteriis, ſi poſtea ad clericatus ordinem peruenerint, ſancit nō debere eos, à priore propoſito deuiare. Hoc etiam diuinæ & Apoſtolicæ traditionis eſt, & quidē ſcriptæ, vt mutatio gradus nō ſoluat vinculū voti, cum ſcriptū ſi in Eccleſiaſte, ſi quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim Deo infidelis & ſtulta promiſſio. & in epi. ad Timotheum de illis viduis nubere volentibus, quas idē apoſtolus habere dicit damnationem, quia primā fidē negauerunt: fidem enim vocauit τὴν ἐπαγγελίαν id eſt promiſſionem, vt ex lib. 3. Clementis Romani de viduis cap. 1. perſpici poteſt. Sequitur deinceps alia cōſtitutio in eodē capitulo Innocentij, vt qui ante baptiſmum duxit vxorem, & poſt baptiſmum voluerit fieri clericus, ſpondeat, non amplius, mortua vxore, ducturum aliam: deinde ſubiungit, cum vetus hoc regula habeat, vt quiſquis corruptus baptizatus, clericus eſſe voluerit, ſpondeat ſe vxorem omnino non ducere. Veterem regulam vocauit canonem Apoſtolorū 17 qui ait, Qui duobus matrimoniis copulatus eſt poſt baptiſma, aut concubinā habuit, nō poteſt eſſe Epiſcopus

Can. Apoſt. 12.

Octauum Capitulū ex Apoſtolica traditione.

Can. Apoſt. 47. 49. & 50.

Nonum Capitulum ex Apoſtolica traditione 5 Canonis Apoſtolorum.

Decimum capitulum ex Apoſtolica traditione.

Eccl. c. 5.

1. Tim. 1. 5.

Conſtitutio Innocentii ex Canone Apoſtolorū deprompta.

Can. Apoſt. 17.

E

aut presbyter, aut diaconus, aut denique ex numero clericorum. Ex quo ſequitur, vt ſi quis poſt baptiſmũ non ſit virgo, quia ante baptiſmum corruptus eſt habẽdo vxorem, & velit fieri clericus, debeat promittere, nõ amplius ducere. Sequitur Capitulum 11. quod prohibet, ne curiales, vel quibuſlibet publicis functionibus occupati, clerici fiant. quia ſcilicet ſoleãt facti clerici, & quandoque etiam facti ſacerdotes, reuocari ab Imperatore ad munera & ludos edendos. Hoc etiam capitulũ ex Apoſtolica traditione natum eſt, quæ eſt in canone Apoſtolorum 28. qui vetat, ne ſeruus ſine voluntate Domini clericus fiat, niſi libertate donatus ſit. Similes ſunt munerarij, qui curiales dicuntur, qui ludos ædunt populo veluti miniſtri quidam publici. Capitulum. 15. Quæ Chriſto (inquit) ſpiritualiter nubunt, & à ſacerdotibus velantur, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel occultè corruptæ fuerint, non prius admittendas eſſe ad pœnitentiam, donec is, cui ſe coniunxerant, de hac vita deceſſerit. Et hoc capitulum ex canone Apoſtolorum 48. originem duxit, qui iubet, vt ſi laicus vxore ſua eiecta aliam duxerit aut ab alio eiectam in matrimonium acceperit, excommunicetur. Traxiſſe autem hinc originem docuit idem S. Innocẽtius, cùm ſubiunxit, inquiens, Si enim omnibus hæc ratio cuſtoditur, vt quæcunque viuẽte viro alteri nupſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia cõcedatur. niſi vnꝰ ex eis defunctus fuerit, (quia ſcilicet tãdiu videtur fore, vt non pœniteat eũ, quandiu vixerit, cui ſe iunxit, vir relicta ſua: aut mulier, relicto ſuo) quãto magis (inquit) de illa tenẽdum eſt, quæ antè immortali ſe ſponſo iunxerat, & poſtea ad humanas nuptias tranſire elegit? Hactenus S. Innocentij capitula Apoſtolica traditione prius conſtituta, vt oſtenſum eſt, cum Canonibus Apoſtolorum ſigillatim contuli, non tam propter Magd. qui omnes Apoſtolorum traditiones, & decreta pontificum contẽnunt, quàm propter Catholicos, & eruditos multos, quos ſcimus venerari quidem has regulas, &, vt pios decet, religioſè ſeruare, ad earumque præſcriptum vitam, & mores dirigere, & formare. Si quis verò quærendũ putet, ſi capitula iſta, quæ

Vndecimũ Capitulum ex Apoſtolica traditione.

Can. Apoſt. 82.

Capitulum 15. ex Apoſtolica traditione.

Can. Apoſt. 48.

Pont. ad Victriciũ Rhotomagenſem miſit, Apoſtolicas regulas, quas canones vocant continebant, cur nõ miſit capitula, quæ reliquas regulas, ſiue reliquos canones Apoſtolorũ continebãt, vt omnes regulas Apoſtolorum haberet? præſertim cùm ille normam eccleſiæ Romanæ quæ Apoſtolicis regulis & traditionibus vtebatur, deſideraret? facile eſt huic reſpondere, miſiſſe Põtificem ea capitula ex Apoſtolicis traditionibus ducta, quibus in prouincia illius magis opus eſſe ſciebat. Erat alioqui Victricius in regulis eccleſiæ Dei traditis eruditus: Sicut idẽ Innocentius in proœmio epiſtolæ ad eum teſtatur, ſic enim ait: Et ſi tibi frater chariſſime pro merito, & honore ſacerdotij, quo plurimum polles, viuendi & docendi eccleſiaſticas regulas, nota ſint omnia, nec eſt aliquid, quod de ſacris lectionibus tibi minus collectum eſſe videatur, tamen quia Romanæ Eccleſiæ normam poſtulaſti, & quæ ſequuntur.

Quomodo, & qua forma, quibusve nominibus Canones Apoſtolorum in decretis ſanctorum patrum, & veterũ Cõciliorum citari ſoleant. Ac primum de Nicena Synodo, quos Canones Apoſtolorum citet, ita vt negari non poſſit, quin eos citet. Caput 13.

SI qui igitur mirari ſolẽt, quòd cùm Synodis ſanctorum patrum ſingulos fere canones Apoſtolorũ reperiamus, nulla tamen, in iis ipſis Synodis eorũ citatio, aut mẽtio fieri eis videatur, ex quo fit, vt aliquãdo fortaſſe ſuſpicentur ignoraſſe hos Canones Synodos iſtas, alioqui eos, idẽ ſanciẽdo, citaſſent, deſinãt iam mirari, & intelligãt quomodo, & qua forma, non raro citentur, quod ipſi hactenus non obſeruabãt: neque tamẽ opus eſſe, vt ſemper citentur, quamuis quod Synodus, aut Põtifex decernit, in Apoſtolico Canone ſit Teſtimonio enim ſunt capitula iſta, ſiue regulæ eccleſiaſticæ de quibus proximè diſſeruimus, quas S. Innocẽtius primus ad Victricium Rhotomagenſem miſit, quas vocat diſciplinas vitæ, & morũ probabilium. Dixit enim nõ nouas eſſe eas, nec à ſe tunc primũ, ſed Apoſtolicas, & patrum traditione cõſtitutas,

quæ cùm ſint alioqui omnes ex Canonibus Apoſtolorum depromptæ, quod iam ex parte, ſupra conferendo docuimus, tamen cum eas ipſas regulas, ſiue decreta ſancit, & decernit, quæ in prouincia illa Rothomagẽſi ſecundum formam eccleſiæ Romanæ ſeruari iubet, canones ipſos Apoſtolorum, quorum traditiones ſuis illis capitulis ſanxit, non citat præterquam in duobus capitulis, tametſi non omnes citationem aduertant, & agnoſcant, vt in cap. 6. Ne is, qui ſecundã duxerit vxorem, clericus fiat. & paulò poſt in eodẽ capitulo, Ac ne ab aliquibus exiſtimetur, ante baptiſmum ſi fortè quis acceperit vxorem, & ea de ſæculo recedente, alterã duxerit in baptiſmo eſſe demiſſum, ſatis (inquit) errat à regula quia in baptiſmo peccata dimittuntur, non acceptarũ vxorũ numerus aboletur. Cùm enim dixit, ſatis errat à regula, regulã, ſiue Canonem Apoſtolorum 17. dicit, & citat: ac interpretatur, qui ſic ait, Duobus coniugiis copulatus, poſt baptiſmum, aut qui cõcubinam habuit, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel denique clericus, in quo Canone illud eſt aduertendũ, non vocari hic concubinam fornicariã, ſed, ſicut ſcriptura ſancta vocat cõcubinas patriarcharum: & vt Synodus Tol. 1 in c. 17. cùm iubet, vt ſit fidelis, vnius mulieris aut cõcubinæ coniunctione cõtentus. Eſt autem huiuſmodi cõcubina ea, quæ ſecundum legem matrimonij, infra dignitatem tamen vxoris ducitur. Hunc ergo Canonẽ malè quidã interpretabantur, quaſi duo coniugia tunc prohiberẽt, clericum fieri, cùm eſſent poſt baptiſmum contracta, non autem ante baptiſmum. Hos tamen à regula, quæ Græcè dicitur Canon, aberrare dicit S Innocẽtius, quia (inquit) in baptiſmo non acceptarũ vxorũ numerus aboletur, licet peccata in eo dimittantur. Vt iam duobus coniugiis copulatus, poſt baptiſmum, is intelligatur, qui vel bis duxit vxorẽ ante baptiſmum: vel ſemel ante baptiſmum, & iterũ poſt baptiſmũ: vel bis poſt baptiſmum. Ac rurſus, quod Canonẽ Apoſtolorũ 17. in hoc capitulo 6. S. Innocentius citauerit, ne quis neget, aut iã dubitet, clarius adhuc ex capitulo 10. eiuſdẽ Innocentij perſpici poteſt, in eo enim eundẽ Canonem his verbis

Citatio Canonum Apoſt. in epiſ. Innoc. à paucis animaduerſa.

Can. Apoſt. 17.

citat,cùm vetus regula hoc habeat,id eſt,vetus Canon, vt quiſquis corruptus baptizat', clericus eſſe voluerit, ſpondeat ſe vxorẽ omnino nõ ducere.Corruptũ baptizatum dicit eum,qui ante baptiſmũ vxorem duxit,vel concubinam habuit.Qui,ſi poſt baptiſmũ iterũ ducat priore mortua,non poſſit fieri clericus ſecundum Canonem:quare ſi fieri velit,neceſſe ſit conuenienter Canoni veteri Apoſtolico, vt promittat non amplius ducere vxorẽ,ne ſcilicet præiudicio futuræ incontinentiæ impeditus,ad ſacerdotiũ peruenire non poſſit: vt idem Innocen.in epi.2.c.4.dixit,ſanciens, ne Clericus viduã ducat vxorem.Sed videamus iam,an Synodus Nicena aliquando in decretis ſuis Canones Apoſtolorũ citet, & in quibus.Citat ſcilicet Canonẽ Apoſtolorum 20.in primo ſuo Canone,cũ ſanciens Synodus, vt qui à barbaris,& à Dominis ſuis caſtrati ſunt, ad clerũ admittãtur,Si inueniantur (inquit) digni, tales ad Clericũ admittit Canon,vetus ſcilicet,id eſt,Apoſtolorum, qui ſic ait.Si quis violentia hominũ factus eſt Eunuchus, aut in perſecutione exacta ſunt ei virilia, ſi dignus eſt, fiat Clericus.Citari autem hic veterem Canonem,qui non poteſt eſſe niſi Apoſtolorum, declarat articulus, quo vſa eſt Synodus,nõ enim dixit,tales admittit οὗτος ὁ κανὼν,id eſt,hic Canon:neque dixit,κανὼν,infinitè,ac ſine articulo,ſed dixit,ὁ κανών cum articulo, ſignificans, de noto,& vetere Canone ſe loqui.Sed ſi qui adhuc negare voluerint,aut certe dubitare,citari hic Canonẽ à ſanctis Apoſtolis traditum eccleſiæ Dei, oſtendat eum in aliqua Synodo,quæ Synodũ Nicenã anteceſſerit, vt in Ancyrana, aut Neocæſarienſi, harum enim Synodorũ Canones Nicena Synodus approbauit, excepto extremo Canone Synodi Neocæſarienſis, vt teſtatum eſt in Synodo Florẽtina actione 4.at in iſtis non eſt hic Canon.Rurſus eadẽ Synodus Nicena Canonẽ Apoſt. 80. in 2.Canone ſuo citat, cũ ait, Quia multa propter neceſſitatẽ,vel aliter vrgentibus hominibus,fiebant præter Canonẽ eccleſiæ, ita vt homines,qui paulò ante ex vita gentili ad fidẽ veniſſent,& paruo tẽpore Catechumeni fuiſſent,ſtatim ad lauacrũ ſpirituale ducerentur:& ſimul vt baptizati eſſent,Epiſcopi,aut preſbyteri fierẽt,

Canon.Apoſt. 20.citatus in 1.Canone Synodi Nicenæ.

Canon Apoſt. 80 citatus in 2.Canone Synodi Nicenæ.

rectè viſum eſt habere, vt deinceps nihil tale fiat. Si quidem & tempore opus eſt Catechumenis: & poſt baptiſma opus maiore probatione. Manifeſta eſt enim ſcriptura, quæ dicit, non neophytum, ne ſuperbia elatus in iudicium incidat, & laqueum diaboli & quæ ſequuntur. Canonem eccleſiæ vocauit hîc Synodus Nicena canonem à Sanctis Apoſtolis eccleſiæ traditum, qui ita ſuis traditionibus, ac regulis eccleſiam conſtituerunt, vt omnia in ea honeſtè, & ſecũdum ordinem fierent. Sic enim ait canon Apoſtolorũ, Qui ex vita gẽtili acceſſit ad fidem, & baptizatus eſt, non eſt iuſtum, vt ſtatim eligatur Epiſcopus. Cùm Epiſcopum dicit, presbyterum quoque intelligi vult, ſicut Paulus in Epiſtolis ſuis loqui ſolet, quod ex ratione ſubiecta magis adhuc intelligi poteſt, cùm ſubiungit, iniuſtum enim eſt, vt aliorum ſit doctor, qui nondum experimentum ſui oſtendit. Docere autem non ſolum ad Epiſcopum, ſed ad presbyterum quoque ſub Epiſcopo pertinet. Zonaras etiam græcorum canonum interpres, teſtatur citatum eſſe hic à Synodo Nicena Canonem Apoſtolorum. interpretans enim hunc Canonem ſecundum ſynodi Nicenæ, Sequitur (inquit) Synodus Nicena Canonem Apoſtolorum. Citat præterea Synodus Nicena in Canone ſuo 6. Canonem Apoſtolorum cùm ait, Antiquæ conſuetudines vigeant, quę ſunt in Aegypto, & Lybia & Pentapoli, vt Epiſcopus Alexandriæ horũ omnium habeat poteſtatẽ. &c. Quas enim in hoc Canone Synodus Nicena antiquas conſuetudines vocauit. Synodus Cõſtãtinopolitana eiuſdem Niceni Canonicis ſententiam repetẽs, vocauit Canones. Sic enim ait, Epiſcopi, qui vltra diœceſim ſunt, eccleſias, quæ vltra terminos ſuæ diœceſis ſunt, ne inuadant, neque cõfundant eccleſias, ſed potius ſecundum Canones Epiſcopus Alexandriæ, quæ in Aegypto ſunt, gubernet: & Epiſcopi Orientis ea ſolum, quæ ſunt in Oriente, & quæ ſequuntur. Sanè cùm ait ſecundum Canones, nõ alios intellexit, neque intelligere potuit, quàm Canones Apoſtolorum 34. & 35. ex horum enim traditione vſu eccleſiarum à principio recepta & cõfirmata, vnde cõſuetudines priſcæ dicuntur, Canon Nicenus, & Cõ-

1. Timoth. 3.

1. Timoth. 3. Ad Tit 1. Philipp. c. 1.

Teſtis Zonaras, citatũ eſſe à Synodo Nicena canonem Apoſtolorum.

Canon Apoſt. 34. & 35. citatus in Canone ſexto Synodi Nic. teſte Synodo Epheſina & Conſtantinopolitana.

ſtantinopolitanus fluxerunt. Iubent enim Canones iſti Apoſtolorum, vt cuiuſque gentis Epiſcopi ſuum primum ſiue ſuum Metropolitanū, qui caput prouinciæ eſt, agnoſcant: & ſine illius ſentētia & voluntate nihil agāt præter ea, quæ ad proprias eccleſias pertinēt. Ergo Metropolitanus ea ſolum, quæ in prouincia ſua ſunt, gubernare debet, & eorum tātùm poteſtatem habere. Ita vt Epiſcopi ipſi prouinciales Metropolitano ſuo ſubiecti, illa tantū, quæ ad eccleſias, ſiue parœcias ſuas pertinent, agant, & curent: & nullus eorum vltra fines eccleſiæ, ac diœceſis ſuæ ordinationes clericorum ſine licentia proprij Epiſcopi facere audeat. Immò ne quis vlla tergiuerſatione aut cauillo negare poſſit, citari hîc à Synodo Nycena Canones Apoſtolorū, Epheſina Synodus hoc teſtatur. Sic enim ait in ea parte Actorum, quæ poſt Canonem 7. Græcè ædita feruntur, παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων ἀποστόλων, id eſt, præter ius eccleſiaſticæ cōſuetudinis, (hoc enim ſignificat θεσμὸς, legem ſcilicet non ſcriptam & veterē morem) & præter Canones Apoſtolorum eſſe, quod Epiſcopus Antiochiæ in prouinciis Cypri ordinationes faciebat: de qua re Epiſcopi Cyprij Regius, Zenon, & Euagrius cōqueſti fuerant. Decreuitq́; Synodus Epheſina, vt ſecundum canones Sanctorū patrum, & ſecundum antiquam conſuetudinem Epiſcopi eccleſiarum Cypri, per ſeipſos ordinationes Epiſcoporum facerēt. Quod prius dixerat Synodus Epheſina, eſſe præter ius, eccleſiaſticæ cōſuetudinis, & præter Canones Apoſtolorum, paulò poſt hoc ipſum corrigere ſe dicit ſecundum Canones Sanctorum patrū, & antiquam conſuetudinē, Vt iā neceſſariò conſequens ſit, antiquam iſtam conſuetudinem, & Canones Sanctorū patrum ad traditionem Canonis Apoſtolorum referri. Siquidem ſecundum eos Canones hoc corrigat Synodus, contra quos hoc ipſum, quod corrigit, fiebat, quos quidem Canones Sanctorū Apoſtolorū eſſe dixerat. Sācti enim Apoſtoli patres noſtri diuino conſilio, & ſpiritus Sancti inſtinctu, tanquam primi magiſtri eccleſiarum bene conſtituendarum, inſtituerunt, Vt nullus Epiſcopus prouinciam, quæ non fuiſſet à principio ſub ſua

Teſtimonium Synodi Epheſinæ de citatione Canonū Apoſt. in Synodo Nicena.

Synodus Epheſina Canones Apoſtolorum nominatim citat.

poteſtate, id eſt, ſuorum anteceſſorum, inuaderet, Sed potius omnes Epiſcopi prouinciales eum agnoſcerẽt, qui à principio fuiſſet primus prouinciæ:& quiſque Epiſcopus in ea tantum eccleſia,ſiue parœcia ordinationes faceret, quæ à principio ſub poteſtate ſuorũ anteceſſorum fuiſſet: Viſa eſt Sanctis Apoſtolis hæc inſtitutio, ac traditio neceſſaria,& Apoſtolico ſpiritu,& ſapiẽtia digna, ne eccleſiæ, & eccleſiarũ iura deinceps perturbarẽtur,ac confunderẽtur:& violentia,atque ambitio magis ac magis paulatim dominarentur. Totã autẽ ſententiã, ſiue decretum iſtud de Epiſcopis Cypriis ex Apoſtolorũ Canonibus à Synodo Epheſina citatis ductum,paulò poſt loco proprio recitabo, & interpretabor. Rurſus Synodus Nicena in hoc eodem canone 6. Canonem aliũ Apoſtolorũ in extremo citat,cũ ſtatuit de electione Epiſcopi, vt, ſi duo aut tres contradicant electioni Epiſcopi,quæ omniũ alioqui cõſenſu & ſuffragio,& ſecundum eccleſiæ Canonẽ fit,maior numerus vincat. Quæramus ergo ab iſtis,qui Canones Apoſtolorum à Synodo Nicena citari negant,Quẽ canonẽ eccleſiæ dicat hoc loco Synodus? aut, quis eũ eccleſiæ tradidit? Vnde eccleſiaſticus dicitur? dicant nobis,regulam,quam eccleſia catholica in canonicis Epiſcoporũ electionibus ſemper tenuit, quæ nã alia Synodus ante Nicenam ſanxerit,& tradiderit, vt inde eam à Nicena Synodo citari exiſtimemus:quod ſi dicere nõ poſſunt, conſequens eſt, Velint, nolint, vt Synodus Nicena canonem ſiue conſtitutionem Apoſtolorum eccleſiæ Dei traditam citarit,quæ eſt in 8 lib. à Clemente Romano ſcripta c. 4. de eligendo Epiſcopo ex optimis, qui careat omni reprehenſione, aſſentiente populo cum preſbyteris,& Epiſcopis præſentibus die dominico & percontante primo Epiſcopo populum,& presbyteros,an placeat,& an tribuant teſtimonium,dignum eſſe eum, qui conſtituatur Epiſcopus, & quæ ſequuntur. Hoc ergo eſt,quod fallit non paucos,qui putant,non citari in Synodis Canones Apoſtolorum, quia non aduertunt,ſolere eos in Synodicis canonibus, & decretis Põtificum vocari Canones eccleſiaſticos,item regulas eccleſiaſticas, quod idem ſonat latinè, tum Veteres

Conſtitutio Apoſtolica citata in Synodo Nicena.

Canones Apoſtolorum variis nominibus citãtur in Synodis, & à patribus.

regulas, Vt S. Innocentius in Epi ad Victricium, veterem regulam vocauit canonem Apoſtolorum 17. vt paulo antè docuimus, vt Synodus quoque Antiochena in canone 9. Veterem canonem vocauit canonem Apoſtolorum 34. vocari etiam ſolere traditiones Apoſtolicas, inſtituta, ſiue conſtituta Apoſtolica, formas eccleſiaſticas, antiquas conſuetudines, eccleſiaſticas diſciplinas, planum eſt: vt idem S. Innocentius diſciplinas vitę & morum in Epi. ad Victricium vocauit. Hinc factum eſt, vt cùm aliquis Canon Apoſtolorum citatur, ſi alio nomine citetur, non Canon Apoſtolorum citari exiſtimetur. Quod quidem non ſine diuino conſilio, & nutu factum eſt, vt variis nominibus Canones Apoſtolorum appellati ſint, tum ne quis de eorum nomine aliquando diſceptaret, vt iſti nunc diſceptant: nihil enim intereſſe, vtrum ſic an aliter dicantur: tum vt variis nominibus eorum vis, & ratio declaretur. Quia enim ſunt normæ traditæ eccleſiæ ad bene viuendum, & vt fiat, quod decet, & ſciant Clerici, quomodo conuerſari debent in ea, dicuntur Canones, ſiue regulæ eccleſiaſticæ: Quia à Sanctis Apoſtolis traditi, & inſtituti, ſiue conſtituti, traditiones Apoſtolicæ, & inſtituta, ſiue conſtituta Apoſtolica nominantur: Quia ſunt ius quoddã Apoſtolorum, moribus in eccleſia per traditionem eorum inſtitutum, quod vim legis obtinet, conſuetudines & eccleſiaſtici mores ſunt, & dicuntur, Græcè ἔθοι. Quare qui hos Canones, Apoſtolorum eſſe negant, oſtendant nobis, quis eorum ſit, de quo non poſſit, aut non debeat dici, talem conſuetudinem habet eccleſia Dei. quod ſi eccleſia Dei tales conſuetudines habet, traditione ſcilicet ſanctorum Apoſtolorum à principio inſtitutas, aliam enim originem oſtendere iſti non poſſunt, & nolunt vocare Canones Apoſtolorum, teneant res, & vocent conſuetudines eccleſiæ antiquas: quæ vbi vigent, vim legis obtinent. Verùm Magdeburgenſibus non nomen diſplicet, ſed res, nolũt enim has recipere conſuetudines. & ſecũdum eas viuere, ſed potius ſicut Martinus Lutherus, eorũ propheta & magiſter, heri & nudius tertius inſtituit. Sed vt ad Synodum Nicenam redeamus, ſi adhuc iſti pernegant, notos ei

Quare Canones Apoſt. variè appellẽtur, & quæ ratio, ac vis variæ appellationis eorum.

Canonũ Apoſ. origo alia oſtẽdi non poteſt, præter traditionem Apoſt.

Antiquas & eccleſiaſticas cõſuetudines vbi vigent, vim legis habere.

Canones Apoſt. 6. 44. & 70. nomine Apoſt. citati in Can. Nic.

fuiſſe Canones Apoſtolorum, quia non ſic in locis à nobis paulò ante obſeruatis nominauerit, vt conuicti tandem obmuteſcant, ſciant in Canone 56. Synodi Nicenæ citatos eſſe Apoſtolorum nomine Canones 6. 44. & 70. ſic enim ait Canon Nicenus, ne ſacerdos curas ſæculares ſuſcipiat: neque lucris vſuræ ſtudeat: neque ſit ei cum Iudæis ſocietas, neque cum eis prandeat, aut potet, quia hæc (inquit) Apoſtoli ſancti conſtituerunt. Sed negabunt fortaſſe Magd. veros eſſe Canones Nicenos, qui ante paucos annos ex libro Patriarchæ Alexãdrini Arabico deſcripti, & huc allati ſunt. Sed quid mirum, ſi negent, qui non poſſunt aliter dogmata ſua falſa defendere, niſi epiſtolas Pontificum Apoſtolicorũ, & ſanctorum Apoſtolorum Canones, immo omnes veteres patres, quicunque eis contradicunt, næuis & corruptelis plenos eſſe calumnientur, qui neque ſacris, & canonicis ſcripturis parcunt? Quid verò fidem faciat omnibus, qui iudicij aliquid habeant, eſſe iſtos Arabicè ſcriptos, & nuper repertos, veros Canones Nicenos, dicam poſteà loco proprio, & commodiore, in tertio libro defenſionis epiſtolarum. Illud tantùm nũc dicam, vt in ore duorum vel trium, ſicut ſcriptum eſt in lege, ſtet omne verbum, vnum ex his Canonibus Nicenis in Arabico repertis citari à beato Baſilio in epiſtola ad Chorepiſcopos, is autem eſt Canon de clericis ordinandis, ac ducendis ad Chorepiſcopum, & à Chorepiſcopo ad Epiſcopum: item alium citari à beato Auguſtino, qui eſt de non relinquendo ſucceſſore ab Epiſcopo. Sed rurſus eadem Synodus Nicena in Canone 15. eorum, qui Græcè feruntur, Canonem Apoſtolorum 14. citat. Sic enim ait Synodus, Propter multas turbas, ac tumultus, & ſeditiones, quæ factæ ſunt, viſum eſt, omnibus modis delere conſuetudinem, quæ in quibuſdam partibus inuenta eſt præter Canonem, & quæ ſequuntur Hunc Canonem interpretans Zonaras, ſic ait, Non tranſire ex eccleſia ad alium Epiſcopatum, ſiue preſbyter ſit, ſiue diaconus, ab Apoſtolis quoque eſt Canone prohibitum. Sed quia, inquit, negligebatur præceptum, idcircò Synodus præceptum hoc Canone renouauit. Cùm ergo dicit, conſuetudinem, quæ præ-

Canon Nic ex numero eorum, qui Arabicè reperti ſunt citatus à B. Baſilio, & alius à beato Aug.

Canon Apoſt. 14. citatur in Can. Nic. 15.

Teſtis Zonaras, citari Canonem Apoſt. in ſynodo Nic.

ter Canonem inuenta eſt, Canonem Apoſtolorum neceſſe eſt intelligere, cùm nullum alium Canonem dicere poſſit. aut dicant iſti, qui omnia negant, quem alium Canonem dicat, ſi rationi, & interpretibus credere nolunt. Prætereà in Canone 5 citat eadem Synodus Nicena Canones Apoſtolorum 32. & 12. Sic enim ait Synodus de excommunicatis, ſiue clerici ſint, ſiue laici. Vigeat ſententia ſecundum Canonem, qui cauet, ne ab aliis excommunicati, ab aliis recipiantur. At qui de laicis excommunicatis, ne ab alio recipiantur, est Canon Apoſtolorum 12. De clericis verò, eſt Canon 32. itaque Synodus Nicena Canonem vocauit hic ſingulari numero vnam ſententiam Apoſtolorum duobus canonibus comprehenſam. Imitata eſt Synodus Nicena Epiſtolam Zephirini Pontificis, qui Canones Apoſtolorum, quos nunc habemus 85. vocat 70. ſententias ab Apoſtolis relictas. Sic enim vterque numerus conuenit, ſi vna ſententia pluribus quandoque canonibus comprehenſa intelligatur: quod ego poſteà ſuo loco ſigillatim in pluribus exempli gratia docebo. Poſtremò vt teſtimonia Synodi Nicenæ finiam, citauit etiam canonem Apoſtolorum 34 auctore & teſte Iulio Pontifice in reſcripto contra orientales Vbi inter alios Canones Nicenos ponit vigeſimum tertium, in quo Synodus Nicena poſtquam ſententiam illius Canonis Apoſtolorum 34. eiſdem verbis renouauit pœna à ſe adiecta, ſubiungit, iuxta ſanctorum conſtituta patrum. Legat qui voluerit & conferat vtrumque Canonem, vt ipſis verbis conuictus, fateatur citatum eſſe ibi à Synodo Nicena Canonem Apoſtolorum. Quòd ſi apud iſtos auctoritas Iulij teſtimonium huic Canoni Niceno 23. tribuentis non valebit, qui omnia veterum ſcripta negant, quia aliter ſua noua defendere nō poſſunt, valebit ſaltem apud eos, qui cùm canones Apoſtolorum non negent, libenter teſtimonia veritatis eorum legunt, & obſeruant, quæ iidem fortaſſis antea nō obſeruarant. Sed de hoc canone Apoſtolorum 34. à Synodo Nicena citato plura dicam paulò poſt.

Can. Apoſt. 12. & 32. citati in Canone 5. Synodi Nic.

Canon Apoſt. 34. citatus in Canone Nice. in reſcripto Iulii ad Orietales.

De Canonibus Apoſtolorũ renouatis, & interdum citatis in Antiochena Synodo, & vnde id conſtet. item quomodo, & vbi Synodus Epheſina Canones Apoſtolorum citauerit nomine Apoſtolorum. præterea de Canonibus Apoſtolorum citatis in Synodo Chalcedonenſi, Gangrenſi, & Carthaginenſi 2. & 3. & in Synodo Africana. Rurſus de Canonibus citatis nomine Apoſtolorum in Synodo Nicena 2. & in 8. Conſtantinopolitana, & in altera 8. Conſtantinopolitana poſt illam priorem 8. item in Synodo Romana ſub Gregorio 7. & in Synodo Tiburienſi, ac poſtremò in Tridentina. *Caput* 14.

VEniamus iam ad Synodum Antiochenã, quæ annis 5. poſt mortem magni Conſtantini habita eſt, quæ quot canones ſanxit, totidem canones Apoſtolorum & verbis, & ſententiis renouauit, ac confirmauit. Quæ in ipſo procemio nõ obſcurè ſignificaſſe & admonuiſſe mihi videtur, nihil ſe nouum ſtatuere, ſed quæ optimè ſtatuta erant, ea ſe confirmare, cùm ait. Quæ enim bene habere viſa ſunt, cum maiore noſtra omniũ Epiſcoporum conſideratione, iudicio, & confirmatione, qui ex diuerſis prouinciis Antiochiæ conuenimus, ad notitiam veſtram retulimus. Nec hoc ſolùm, ſed in ipſis etiam canonibus interdum Canones eccleſiæ traditos id eſt Canones Apoſtolorum ſigillatim citat, Vt in Canone ſecundo, quo Canonem Apoſtolorum 9. renouans, eum, qui communionem cum excommunicatis habet, excommunicat? & ſubiungit cauſam tanquam qui confundat (inquit) Canonem eccleſiæ. Canonem dicit eccleſiæ traditum à ſanctis Apoſtolis, qui eſt Canon Apoſtolorum 9. qui excommunicat communionem habẽtes cum excommunicatis. Idem quoque obſeruauit Zonaras Græcorum Canonum interpres, notatum eſſe hic à Synodo Antiochena Canonem Apoſtolorum. Item in Canone 3. renouat, ac confirmat eadem Synodus Canones Apoſtolorũ 15. & 16. ad hos enim Canones retulit, quod in extrema parte huius tertij Canonis addidit, excommunicandum eſſe eum, qui clericos deiectos de gradu recipit, tanquam qui leges

Canon. Apoſt. 9. citatus, ac cõfirmatus in Synodo Antioch.

Can. Apoſt. 15. & 16. cõfirmati in 3. Canone Synodi Antioch.

(inquit) eccleſiaſticas ſoluat. Canones Apoſtolorum vocauit hic θεσμοὺς ἐκκλησιαστικοὺς, quod ſint leges non ſcriptæ, & conſuetudines traditione Apoſtolorum ad vſum eccleſiæ inſtitutæ. hoc enim ſignificat, vt ante dixi, θεσμοὺς, quo verbo frequenter Dionyſius Areopagita in eadem ſignificatione vti ſolet. Clariùs adhuc in Canone 9. eadem Antiochena Synodus Canonem Apoſt. 34. citat: poſtquam enim eiſdem verbis eum repetiuit, ſubiungit, Secundum veterem patrum noſtrorum Canonem. Dicant ergo nobis, qui hîc etiam fortaſſe Canonem Apoſtolorum citari negant, cuius Synodi antegreſſæ, aut quorum patrum Canonem veterem hic vocet: aut vocare poſſit? Si nullum aliū reperire poſſunt, an non conuincuntur, citari hic Canonem Apoſtolorum? hos enim Synodus meritò vocat patres: & horū Canonem merito veterem, ſiue potiùs, antiquum, & priſcæ originis, hoc enim ſignificat ἀρχαῖον quo verbo vſa eſt Synodus. Prætereà in Canone 23. Canonem Apoſtolorum citat, cùm iubet ſeruari legem eccleſiaſticæ conſuetudinis de non conſtituendo Epiſcopo niſi in conuentu Epiſcoporum, & eorum delectu, & iudicio, idque poſt mortem eius, qui prius erat Epiſcopus. Eſt autem hæc conſtitutio, partim in libro 8. Clementis c. 4. partim in Canone Apoſtolorum 74. qui vetat Epiſcopo, ſucceſſorem eligere, quod nihil aliud hoc ſit, quam Eccleſiam facere iuris hæreditarij: nemo enim teſtamentum facit, quo hæredem relinquat, niſi dum viuit. Prætereà Canonem Apoſtolorum 14. qui prohibet, ne Epiſcopus relicta eccleſia ſua, ad aliam ſe transferat, citat in Canone 21. cùm ait, ſecundum Canonem iam prius æditum. nullus enim extabat eiuſmodi præter illum Apoſtolicum. Rurſus, etſi in aliis pleriſque etiam canonibus non obſcurè ipſis verbis, quibus Synodus vtitur, nihil ſe nouum ſtatuere, ſignificat: hoc tamen clariùs adhuc facit in Can. 24. qui eſt Canon Apoſt. 41. ſic enim ait, Bene habet, oportere bona eccleſiæ eidem eccleſiæ ſeruari. Bene enim habere, ſignificat, rectè conſtitutum eſſe, Canone ſcilicet antiquo Apoſtolorum. Vnde Paſchalis ſecundus citans hunc Canonem nonnullis verbis ex Antiocheno ſumptus, ſic ait

Canō Apoſt. 34. confirmatus, & citatus in Can. 9. Syn Antioch.

Vnde manarit Canon, qui vetat Epiſcopo ſucceſſorē eligere.

inter decreta ſua, canonibus Apoſtolorũ ſtatutum eſt, vt omnium rerum eccleſiaſticarum curam habeat Epiſcopus: & eas velut Deo contemplante, diſpenſet. hoc enim extremum ex Canone Antiocheno ſumpſit, totũ tamen Apoſtolis tribuit.

Accedat deinceps teſtis Canonum Apoſtolorum ſancta Synodus Epheſina, quæ tantæ auctoritatis etiam apud Magd. erit, vt non ſit verendum, ne næuum Synodo exprobraturi ſint. Interpretabor ad verbum, quod paulo antè promiſi, decretum eius ex quarta actione. Sententia ſanctæ Synodi Epheſinæ pronũciata in cauſa Epiſcoporum Cypri. Rem (inquit) præter id quod in iure, ac more eccleſiaſtico poſitum eſt, & præter Canones ſanctorum Apoſtolorum inuſitatam, & ad libertatem omnium pertinentem Rheginus Coepiſcopus, & cum eo Zenon, & Euagrius prouinciæ Cypri Epiſcopi nobis attulerunt. Vnde quia communes morbi maiore medicina opus habent, vt pote qui plus noceant, ſi nec antiqua conſuetudo ſeruata fuerit, ſed potius Epiſcopus Antiochiæ ordinationes in Cypro faciat, ſicuti Epiſcopi Cypri tum per libellos, tum ore ſuo Synodo, ad quam conuenerunt, expoſuere, decreuit Synodus, vt Epiſcopi, qui eccleſiis Cypri præſunt, teneant ius ſuum ab omni aliorum violentia liberum ordinandi ſecundum Canones ſanctorum patrum, & veterem cõſuetudinem per ſeipſos ſuos Coepiſcopos: id quod in aliis quoque diœceſibus, & vbique in omnibus prouinciis ſeruabitur, vt nullus Epiſcopus aliam prouinciam, quæ non fuerit ab ipſo ortu, & principio ſub poteſtate ſua, id eſt, ſuorum anteceſſorũ, occupet: Sed potius ſi quis eã occupauit, & ſub poteſtatem ſuã per vim miſit vt reſtituat, ne Canones patrũ violentur: & ne ſuperbia poteſtatis ſæcularis ſimulatione operis pij irrepat: & nos libertatem paulatim amittamus, quã Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnium liberator nobis ſuo ſanguine donauit. Hactenus ſententia & decretum Synodi Epheſinæ. Antiqua verò, & eccleſiaſtica cõſuetudo, & Canones Apoſtolorum, quos Synodus Epheſina nomine Apoſtolorum in hoc decreto citauit, ſunt Canones Apoſtolorum 34. & 35. vt idem Zonaras

Citantur Canones Apoſtolici nomine Apoſtolorũ in Synodo Epheſ.

quoque obſeruauit. hæc ergo citatio Canonũ expreſſo nomine Apoſtolorum in Synodo Epheſina tantę profectò antiquitatis,& auctoritatis eſt, vt hominibus alicuius iudicij,& non moroſis fidem facere debeat,citari quoque eoſdem Canones Apoſtolorũ in Synodo Nicena ,& Antiochena in iis locis & canonibus, quos paulo antè obſeruauimus: præſertim cùm verbis ipſis Canonum inter ſe collatis,ſatis vt opinor, id à nobis iã demonſtratum ſit. Sequitur, vt de Synodo Chalcedonenſi videamus, quæ in Canone ſuo 12. Canones quoque Apoſtolorum citat, vbi, quod quidam committebant, vt auctoritate principum ſæcularium per pragmaticam formam eorum ciuitates fierent Metropoles, ex quo fiebat, vt vna prouincia in duas diuideretur, hoc inquam, fieri dicit παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς, id eſt,præter ius eccleſiaſticæ conſuetudinis. hoc enim ſignificare, vt ante dixi,θεσμοὺς, conſuetudinem ſcilicet non ſcriptam,id eſt,quod ſine ſcripto traditũ eſt; à magnis auctoribus eſt obſeruatum. Quare ſi ſextum Canonem Nicenæ Synodi,Synodus Chalcedonenſis citare voluiſſet,nunquam hoc verbo vſa eſſet, quod in Apoſtolica potius ſtatuta, quàm in Nicena conuenit. Eſt autem huiuſmodi diuiſio prouinciarum præter Canonem Apoſtolorum 34 diuiſa enim prouincia fit,vt non vnum Metropolitanum agnoſcant, qui à principio ſecundum Canonem Apoſtolicũ agnoſcebant. Eſt prætereà præter Canonem Apoſtolorum 30. qui vetat, vt vllus auctoritate alicuius laici vſus honorem Epiſcopi conſequatur,vt quidem conſequitur, qui honore Metropolitani gratia principis ſæcularis afficitur. Rurſus in Canone 22 adhuc clariùs Canonem Apoſtolorum 40. citat, qui iubet, vt bona Epiſcopi à bonis eccleſiaſticis ſint ſeparata, ne accidat, vt eccleſia damnum faciat, dum bona Epiſcopi ignorantur: aut Epiſcopus, dum bona eccleſiæ: atque ita dilapſis bonis Epiſcopi,propinqui eius mendicare cogantur:& poſt mortem malè audiat Epiſcopus. Prohibet igitur Synodus Chalcedonenſis, ne clerici bona Epiſcopi poſt mortem eius diripiant.ſicut(inquit)antiquis canonibus vetitum eſt.In nulla autem Synodo ante Chalcedonẽ-

Can. Apoſt. 30. & 34. citati in can. xii. Synodi Calcedonen.

Can.Apoſt. 40. citatus in Canone 22.Synodi Chalced.

ſem eſt Canon de re hac, niſi in Antiochena Canon. 24. eadem ſententia, & eiſdem verbis cum Canone Apoſtolorum. longè autem probabiliùs eſt, cùm Canones antiquos dicit Chalcedonenſis Synodus, vt Canones Apoſtolorum dicat, quàm Canones Synodi Antiochenæ.

Deinde Synodus Gangrenſis, quæ poſt Nicenam in Paphlagonia habita eſt, Canones quoque Apoſtolorum citat, cùm Euſtachij nouitates damnat, in ſuorum Canonum aduerſus illum peroratione, Hæc (inquit) ſcribimus, non quidem, quod eos ex eccleſia eiiciamus, qui volunt in eccleſia ſecundum ſcripturas eſſe aſcetici, id eſt, volunt exercere ſe exercitationibus corporalibus ad pietatem relatis, ſed eos, qui hoc genus vitæ ad ſuperbiam ſuſcipiunt, efferentes ſe in eos, qui ſimpliciùs viuunt, nouitates præter ſcripturas & eccleſiaſticos Canones inducentes. Et rurſus in extrema parte huius perorationis, &, vt ſummatim (inquit) dicamus, optamus fieri in eccleſia, quæ à ſanctis ſcripturis, & Apoſtolicis traditionibus tradita ſunt. Quos paulo ſuprà dixerat Canones eccleſiaſticos coniungens eos cum ſcripturis, dixit hic Apoſtolicas traditiones, coniungens item cum ſcripturis. Vt iam neceſſe ſit intelligere, nihil aliud eſſe Canones apoſtolorum, quàm traditiones Apoſtolorum in eccleſia relictas, ad quas, ceu ad normas, & regulas omnia in eccleſia honeſtè, & ordine dirigenda ſint: vnde Canones eccleſiaſtici ſunt, & dicuntur, qui quidem ſunt velut nerui quidam, qui ſtatum & ſalutem eccleſiæ continent, & conſeruant, vt ex Canone Synodi Africanæ 65 & 66 intelligi poteſt. Sic verò intellexiſſe Synodum Gangrẽſem, illud etiam teſtimonio eſt, quod quæ iſtis canonibus Synodus cõtra Euſtachium ſanxit, aut ſecundum ſcripturas, aut ſecundum Canones Apoſtolorum ſanxit. Vt illud, quod eſt in Can. 6. de eo qui contempta eccleſia ſeorſum cõgregat, ſancitum eſt ſecundum Canonem Apoſtolorum 31 & Canonem 9. & quod eſt in Canone 7. de eo qui oblationes eccleſiaſticas præter voluntatem Epiſcopi accipere vult, ſancitum eſt ſecundum Canonem Apoſt 41 Item quod eſt in Canone 11. de agapis, ſancitum

Quomodo Synod. Gangrẽſis traditiones Apoſtolicas Canon. eccleſiaſticos vocauerit.

Can. Apoſt. eccleſiæ traditi velut nerui ſunt ad continẽdum ſtatum & ſalutem eccleſiæ ex Africana Syn.

Quales ſint Canones Syn. Gangren. contra Euſtachium.

tum quoque eſt ſecundum conſtitutionem Apoſtolorum de conuiuiis pauperum, quæ eſt in libro ſecundo Clementis de conſtitutionibus Apoſtolorum. Poſtremò quod eſt in Canone 19. de eo, qui ieiunia in commune tradita violat, ſancitum eſt ſecundum Canonem Apoſtolorum 69. Adhæc Synodus Carthaginienſis ſecunda Valentiniano Imperatore habita Canones quoque ſanctorum Apoſtolorum citat, cùm ſanciens Canone ſuo ſecundo continentiam ſacerdotum, & Leuitarum, ſubiungit, Vt, quod Apoſtoli docuerunt, & ex ipſa antiquitate tenetur, nos quoq; cuſtodiamus, id eſt, vt cuſtodiamus quod tum ſcripto, tum ſine ſcripto per longam conſuetudinem traditum eſt, ſic enim Zonaras quoque in ſuis canonum explicationibus interpretatus eſt. Interrogemus ergo iſtos, qui Canones Apoſtolorum in Synodis citari negant, ad quam aliam originem referri poſſit hoc, quod antiqua etiam conſuetudine teneri Synodus affirmat, præterquam ad regulam de continentia ſeruanda eccleſiæ traditam, quam vſque in hodiernum diem tenet eccleſia Romana, & tenuit ſemper orientalis eccleſiæ antiquitas, vt à nobis in libris de dogmaticis characteribus verbi Dei multis veterum patrum teſtimoniis demonſtratum eſt. Eſt autem hæc regula, ſiue Canon, à ſanctis Apoſtolis traditus, & à Clemente Romano litteris mandatus, qui iubet, ne Epiſcopus, presbyter, aut diaconus vxorem ſuã prætextu religionis eiiciat. Quod ſi ſacerdos, & diaconus non tenerentur religione continendi ſe ab vxore, quorſum Canon vetaret, ne prætextu religionis vxorẽ eiicerent? aut cur hoc magis vetatur iſtis, quàm laicis? Quia ergo abſtinere quidem debent ab vxoribus, ſed eas tamen curare, & alere, ac tanquam ſorores habere debent, idcirco iubet Canon, ne religione iſta continẽdi, qua tenentur, prætexant inhumanitatem non curandi illas, & alendi, quia non ſit eis vtendum, vt vxoribus, ſed habendæ ſint, tanquam non habeantur, ſicut Apoſtolus ait. Hoc ipſum rurſus ſtatuit Synodus Carthaginienſis 2. citans adhuc clariùs Canones Apoſtolorum, ſic enim ait Cap. 3. Prætereà cùm de quorũdam clericorum erga vxores proprias in continentia refer-

Can. Apoſt. 5. citatus in Syn. Carth. 2. & in c. 2.

1. Cor. c 7.

Can. Apoſt. 5. rurſus in Syn. Cart. 2. c. 3. citatus.

quæ cùm ſint alioqui omnes ex Canonibus Apoſtolorum depromptæ, quod iam ex parte, ſupra conferendo docuimus, tamen cum eas ipſas regulas, ſiue decreta ſancit. & decernit, quæ in prouincia illa Rothomagēſi ſecundum formam eccleſiæ Romanæ ſeruari iubet, canones ipſos Apoſtolorum, quorum traditiones ſuis illis capitulis ſanxit, non citat præterquam in duobus capitulis, tametſi non omnes citationem aduertant, & agnoſcant, vt in cap. 6. Ne is, qui ſecundā duxerit vxorem, clericus fiat. & paulò poſt in eodē capitulo, Ac ne ab aliquibus exiſtimetur, ante baptiſmum ſi fortè quis acceperit vxorem, & ea de ſæculo recedente, alterā duxerit in baptiſmo eſſe demiſſum, ſatis (inquit) errat à regula quia in baptiſmo peccata dimittuntur, non acceptarū vxorū numerus aboletur. Cùm enim dixit, ſatis errat à regula, regulā, ſiue Canonem Apoſtolorum 17. dicit, & citat: ac interpretatur, qui ſic ait, Duobus coniugiis copulatus, poſt baptiſmum, aut qui cōcubinam habuit, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel denique clericus, in quo Canone illud eſt aduertendū, non vocari hic concubinam fornicariā, ſed, ſicut ſcriptura ſancta vocat cōcubinas patriarcharum: & vt Synodus Tol. 1. in c. 17. cùm iubet, vt ſit fidelis, vnius mulieris aut cōcubinæ coniunctione cōtentus. Eſt autem huiuſmodi cōcubina ea, quæ ſecundum legem matrimonij, infra dignitatem tamen vxoris ducitur. Hunc ergo Canonē malè quidā interpretabantur, quaſi duo coniugia tunc prohiberēt, clericum fieri, cùm eſſent poſt baptiſmum contracta, non autem ante baptiſmum. Hos tamen à regula, quæ Græcè dicitur Canon, aberrare dicit S Innocētius, quia (inquit) in baptiſmo non acceptarū vxorū numerus aboletur; licet peccata in eo dimittantur. Vt iam duobus coniugiis copulatus, poſt baptiſmum, is intelligatur, qui vel bis duxit vxorē ante baptiſmum: vel ſemel ante baptiſmum, & iterū poſt baptiſmū: vel bis poſt baptiſmum. Ac rurſus, quod Canonē Apoſtolorū 17. in hoc capitulo 6. S. Innocentius citauerit, ne quis neget, aut iā dubitet, clarius adhuc ex capitulo 10. eiuſdē Innocentij perſpici poteſt, in eo enim eundē Canonem his verbis

Citatio Canonum Apoſt in epiſ. Innoc. à paucis animaduerſa.

Can. Apoſt. 17.

citat,cùm vetus regula hoc habeat,id eſt,vetus Canon, vt quiſquis corruptus baptizatꝰ, clericus eſſe voluerit, ſpondeat ſe vxorē omnino nō ducere.Corruptū baptizatum dicit eum,qui ante baptiſmū vxorem duxit,vel concubinam habuit.Qui,ſi poſt baptiſmū iterū ducat priore mortua,non poſſit fieri clericus ſecundum Canonem:quare ſi fieri velit,neceſſe ſit conuenienter Canoni veteri Apoſtolico, vt promittat non amplius ducere vxorē,ne ſcilicet præiudicio futuræ incontinentiæ impeditus,ad ſacerdotiū peruenire non poſſit: vt idem Innocen.in epi.2.c.4.dixit,ſanciens, ne Clericus viduā ducat vxorem.Sed videamus iam,an Synodus Nicena aliquando in decretis ſuis Canones Apoſtolorū citet, & in quibus.Citat ſcilicet Canonē Apoſtolorum 20.in primo ſuo Canone,cū ſanciens Synodus, vt qui à barbaris,& à Dominis ſuis caſtrati ſunt, ad clerū admittātur,Si inueniantur (inquit) digni, tales ad Clericū admittit Canon,vetus ſcilicet,id eſt,Apoſtolorum, qui ſic ait.Si quis violentia hominū factus eſt Eunuchus, aut in perſecutione exacta ſunt ei virilia, ſi dignus eſt, fiat Clericus.Citari autem hic veterem Canonem,qui non poteſt eſſe niſi Apoſtolorum, declarat articulus, quo vſa eſt Synodus,nō enim dixit,tales admittit οὗτος ὁ κανὼν,id eſt,hic Canon:neque dixit,κανὼν,infinitè,ac ſine articulo,ſed dixit,ὁ κανὼν cum articulo, ſignificans, de noto,& vetere Canone ſe loqui.Sed ſi qui adhuc negare voluerint,aut certe dubitare,citari hic Canonē à ſanctis Apoſtolis traditum eccleſiæ Dei, oſtendat eum in aliqua Synodo,quæ Synodū Nicenā anteceſſerit, vt in Ancyrana, aut Neocæſarienſi, harum enim Synodorū Canones Nicena Synodus approbauit, excepto extremo Canone Synodi Neocæſarienſis, vt teſtatum eſt in Synodo Florētina actione 4.at in iſtis non eſt hic Canon.Rurſus eadē Synodus Nicena Canonē Apoſt. 80. in 2.Canone ſuo citat, cū ait, Quia multa propter neceſſitatē,vel aliter vrgentibus hominibus,fiebant præter Canonē eccleſiæ, ita vt homines,qui paulò ante ex vita gentili ad fidē veniſſent,& paruo tēpore Catechumeni fuiſſent,ſtatim ad lauacrū ſpirituale ducerentur:& ſimul vt baptizati eſſent,Epiſcopi,aut preſbyteri fierēt,

Canon.Apoſt. 20.citatus in 1.Canone Synodi Nicenæ.

Canon Apoſt. 80 citatus in 2.Canone Synodi Nicenæ.

rectè viſum eſt habere, vt deinceps nihil tale fiat. Si quidem & tempore opus eſt Catechumenis: & poſt baptiſma opus maiore probatione. Manifeſta eſt enim ſcriptura, quæ dicit, non neophytum, ne ſuperbia elatus in iudicium incidat, & laqueum diaboli & quæ ſequuntur. Canonem eccleſiæ vocauit hic Synodus Nicena canonem à Sanctis Apoſtolis eccleſiæ traditum, qui ita ſuis traditionibus, ac regulis eccleſiam conſtituerunt, vt omnia in ea honeſtè, & ſecūdum ordinem fierent. Sic enim ait canon Apoſtolorū, Qui ex vita gētili acceſſit ad fidem, & baptizatus eſt, non eſt iuſtum, vt ſtatim eligatur Epiſcopus. Cùm Epiſcopum dicit, presbyterum quoque intelligi vult, ſicut Paulus in Epiſtolis ſuis loqui ſolet, quod ex ratione ſubiecta magis adhuc intelligi poteſt, cùm ſubiungit, iniuſtum enim eſt, vt aliorum ſit doctor, qui nondum experimentum ſui oſtendit. Docere autem non ſolum ad Epiſcopum, ſed ad presbyterùm quoque ſub Epiſcopo pertinet. Zonaras etiam græcorum canonum interpres, teſtatur citatum eſſe hic à Synodo Nicena Canonem Apoſtolorum. interpretans enim hunc Canonem ſecundum ſynodi Nicenæ, Sequitur (inquit) Synodus Nicena Canonem Apoſtolorum. Citat præterea Synodus Nicena in Canone ſuo 6. Canonem Apoſtolorum cùm ait. Antiquæ conſuetudines vigeant, quę ſunt in Aegypto, & Lybia & Pentapoli. vt Epiſcopus Alexandriæ horū omnium habeat poteſtatē. &c. Quas enim in hoc Canone Synodus Nicena antiquas conſuetudines vocauit. Synodus Conſtātinopolitana eiuſdem Niceni Canonicis ſententiam repetēs, vocauit Canones. Sic enim ait, Epiſcopi, qui vltra diœceſim ſunt, eccleſias, quæ vltra terminos ſuæ diœceſis ſunt, ne inuadant, neque cō fundant eccleſias, ſed potius ſecundum Canones Epiſcopus Alexandriæ, quæ in Aegypto ſunt, gubernet: & Epiſcopi Orientis ea ſolum, quæ ſunt in Oriente; & quæ ſequuntur. Sanè cùm ait ſecundum Canones, nō alios intellexit, neque intelligere potuit, quàm Canones Apoſtolorum 34. & 35. ex horum enim traditione vſu eccleſiarum à principio recepta & cōfirmata, vnde cōſuetudines priſcæ dicuntur, Canon Nicenus, & Cō-

1. Timoth. 3.

1. Timoth. 3. Ad. Tit 1. Philipp. c. 1.

Teſtis Zonaras, citatū eſſe à Synodo Nicena canonem Apoſtolorum.

Canon Apoſt. 34. & 35. citatus in Canone ſexto Synodi Nic. teſte Synodo Epheſina & Conſtantinopolitana.

ſtantinopolitanus fluxerunt. Iubent enim Canones iſti Apoſtolorum, vt cuiuſque gentis Epiſcopi ſuum primum ſiue ſuum Metropolitanū, qui caput prouinciæ eſt, agnoſcant: & ſine illius ſentētia & voluntate nihil agāt præter ea, quæ ad proprias eccleſias pertinēt. Ergo Metropolitanus ea ſolum, quæ in prouincia ſua ſunt, gubernare debet, & eorum tātùm poteſtatem habere. Ita vt Epiſcopi ipſi prouinciales Metropolitano ſuo ſubiecti, illa tantū, quæ ad eccleſias, ſiue parœcias ſuas pertinent, agant, & curent: & nullus eorum vltra fines eccleſiæ, ac diœceſis ſuæ ordinationes clericorum ſine licentia proprij Epiſcopi facere audeat. Immò ne quis vlla tergiuerſatione aut cauillo negare poſſit, citari hîc à Synodo Nycena Canones Apoſtolorū, Epheſina Synodus hoc teſtatur. Sic enim ait in ea parte Actorum, quæ poſt Canonem 7. Græcè ædita feruntur, παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων ἀποστόλων, id eſt, præter ius eccleſiaſticæ cōſuetudinis, (hoc enim ſignificat θεσμὸς, legem ſcilicet non ſcriptam & veterē morem) & præter Canones Apoſtolorum eſſe, quod Epiſcopus Antiochiæ in prouinciis Cypri ordinationes faciebat: de qua re Epiſcopi Cyprij Regius, Zenon, & Euagrius cōqueſti fuerant. Decreuitq́; Synodus Epheſina, vt ſecundum canones Sanctorū patrum, & ſecundum antiquam conſuetudinem Epiſcopi eccleſiarum Cypri, per ſeipſos ordinationes Epiſcoporum facerēt. Quod prius dixerat Synodus Epheſina, eſſe præter ius eccleſiaſticæ cōſuetudinis, & præter Canones Apoſtolorum, paulò poſt hoc ipſum corrigere ſe dicit ſecundum Canones Sanctorum patrū, & antiquam conſuetudinē, Vt iā neceſſariò conſequens ſit, antiquam iſtam conſuetudinem, & Canones Sanctorū patrum ad traditionem Canonis Apoſtolorum referri. Siquidem ſecundum eos Canones hoc corrigat Synodus, contra quos hoc ipſum, quod corrigit, fiebat, quos quidem Canones Sanctorū Apoſtolorū eſſe dixerat. Sācti enim Apoſtoli patres noſtri diuino conſilio, & ſpiritus Sancti inſtinctu, tanquam primi magiſtri eccleſiarum bene conſtituendarum, inſtituerunt, Vt nullus Epiſcopus prouinciam, quæ non fuiſſet à principio ſub ſua

Teſtimonium Synodi Epheſinæ de citatione Canonū Apoſt. in Synodo Nicena.

Synodus Epheſina Canones Apoſtolorum nominatim citat.

poteſtate, id eſt, ſuorum anteceſſorum, inuaderet, Sed potius omnes Epiſcopi prouinciales eum agnoſcerẽt, qui à principio fuiſſet primus prouinciæ:& quiſque Epiſcopus in ea tantum eccleſia,ſiue parœcia ordinationes faceret, quæ à principio ſub poteſtate ſuorũ anteceſſorum fuiſſet: Viſa eſt Sanctis Apoſtolis hæc inſtitutio, ac traditio neceſſaria,& Apoſtolico ſpiritu,& ſapiẽtia digna, ne eccleſiæ, & eccleſiarũ iura deinceps perturbarẽtur,ac confunderẽtur:& violentia,atque ambitio magis ac magis paulatim dominarentur. Totã autẽ ſententiã, ſiue decretum iſtud de Epiſcopis Cypriis ex Apoſtolorũ Canonibus à Synodo Epheſina citatis ductum,paulò poſt loco proprio recitabo, & interpretabor. Rurſus Synodus Nicena in hoc eodem canone 6. Canonem aliũ Apoſtolorũ in extremo citat,cũ ſtatuit de electione Epiſcopi, vt, ſi duo aut tres contradicant electioni Epiſcopi,quæ omniũ alioqui cõſenſu & ſuffragio,& ſecundum eccleſiæ Canonẽ fit,maior numerus vincat. Quæramus ergo ab iſtis,qui Canones Apoſtolorum à Synodo Nicena citari negant, Quẽ canonẽ eccleſiæ dicat hoc loco Synodus? aut, quis eũ eccleſiæ tradidit? Vnde eccleſiaſticus dicitur? dicant nobis,regulam,quam eccleſia catholica in canonicis Epiſcoporũ electionibus ſemper tenuit, quæ nã alia Synodus ante Nicenam ſanxerit,& tradiderit, vt inde eam à Nicena Synodo citari exiſtimemus: quod ſi dicere nõ poſſunt, conſequens eſt, Velint, nolint, vt Synodus Nicena canonem ſiue conſtitutionem Apoſtolorum eccleſiæ Dei traditam citarit,quæ eſt in 8 lib. à Clemente Romano ſcripta c. 4. de eligendo Epiſcopo ex optimis, qui careat omni reprehenſione, aſſentiente populo cum preſbyteris,& Epiſcopis præſentibus die dominico & percontante primo Epiſcopo populum,& presbyteros,an placeat,& an tribuant teſtimonium, dignum eſſe eum, qui conſtituatur Epiſcopus, & quæ ſequuntur. Hoc ergo eſt,quod fallit non paucos,qui putant,non citari in Synodis Canones Apoſtolorum, quia non aduertunt,ſolere eos in Synodicis canonibus, & decretis Põtificum vocari Canones eccleſiaſticos,item regulas eccleſiaſticas, quod idem ſonat latinè, tum Veteres

Conſtitutio Apoſtolica citata in Synodo Nicena.

Canones Apoſtolorum variis nominibus citãtur in Synodis, & à patribus.

regulas. Vt S. Innocentius in Epi ad Victricium, veterem regulam vocauit canonem Apoſtolorum 17. vt paulo antè docuimus, vt Synodus quoque Antiochena in canone 9. Veterem canonem vocauit canonem Apoſtolorum 34. vocari etiam ſolere traditiones Apoſtolicas, inſtituta, ſiue conſtituta Apoſtolica, formas eccleſiaſticas, antiquas conſuetudines, eccleſiaſticas diſciplinas, planum eſt: vt idem S. Innocentius diſciplinas vitę & morum in Epi. ad Victricium vocauit. Hinc factum eſt, vt cùm aliquis Canon Apoſtolorum citatur, ſi alio nomine citetur, non Canon Apoſtolorum citari exiſtimetur. Quod quidem non ſine diuino conſilio, & nutu factum eſt, vt variis nominibus Canones Apoſtolorum appellati ſint, tum ne quis de eorum nomine aliquando diſceptaret, vt iſti nunc diſceptant: nihil enim intereſſe, vtrum ſic an aliter dicantur: tum vt variis nominibus eorum vis, & ratio declaretur. Quia enim ſunt normæ traditæ eccleſiæ ad bene viuendum, & vt fiat, quod decet, & ſciant Clerici, quomodo conuerſari debent in ea, dicuntur Canones, ſiue regulæ eccleſiaſticæ: Quia à Sanctis Apoſtolis traditi, & inſtituti, ſiue conſtituti, traditiones Apoſtolicæ, & inſtituta, ſiue conſtituta Apoſtolica nominantur: Quia ſunt ius quoddã Apoſtolorum, moribus in eccleſia per traditionem eorum inſtitutum, quod vim legis obtinet, conſuetudines & eccleſiaſtici mores ſunt, & dicuntur, Græcè ἔθισμοί. Quare qui hos Canones, Apoſtolorum eſſe negant, oſtendant nobis, quis eorum ſit, de quo non poſſit, aut non debeat dici, talem conſuetudinem habet eccleſia Dei. quod ſi eccleſia Dei tales conſuetudines habet, traditione ſcilicet ſanctorum Apoſtolorum à principio inſtitutas, aliam enim originem oſtendere iſti non poſſunt, & nolunt vocare Canones Apoſtolorum, teneant res, & vocent conſuetudines eccleſiæ antiquas: quæ vbi vigent, vim legis obtinent. Verùm Magdeburgenſibus non nomen diſplicet, ſed res, nolũt enim has recipere conſuetudines. & ſecũdum eas viuere, ſed potius ſicut Martinus Lutherus, eorũ propheta & magiſter, heri & nudius tertius inſtituit. Sed vt ad Synodum Nicenam redeamus, ſi adhuc iſti pernegant, notos ei

Quare Canones Apoſt. variè appellẽtur, & quæ ratio, ac vis variæ appellationis eorum.

Canonũ Apoſ. origo alia oſtẽdi non poteſt, præter traditionem Apoſt.

Antiquas & eccleſiaſticas cõſuetudines vbi vigent, vim legis habere.

Canones Apoſt. 6.44.& 70. nomine Apoſt. citati in Can. Nic.

fuiſſe Canones Apoſtolorum, quia non ſic in locis à nobis paulò ante obſeruatis nominauerit, vt conuicti tandem obmuteſcant, ſciant in Canone 56. Synodi Nicenæ citatos eſſe Apoſtolorum nomine Canones 6.44. & 70. ſic enim ait Canon Nicenus, ne ſacerdos curas ſæculares ſuſcipiat: neque lucris vſuræ ſtudeat: neque ſit ei cum Iudæis ſocietas, neque cum eis prandeat, aut potet, quia hæc (inquit) Apoſtoli ſancti conſtituerunt. Sed negabunt fortaſſe Magd. veros eſſe Canones Nicenos, qui ante paucos annos ex libro Patriarchæ Alexādrini Arabico deſcripti, & huc allati ſunt. Sed quid mirum, ſi negent, qui non poſſunt aliter dogmata ſua falſa defendere, niſi epiſtolas Pontificum Apoſtolicorū, & ſanctorum Apoſtolorum Canones, immo omnes veteres patres, quicunque eis contradicunt, næuis & corruptelis plenos eſſe calumnientur, qui neque ſacris, & canonicis ſcripturis parcunt? Quid verò fidem faciat omnibus, qui iudicij aliquid habeant, eſſe iſtos Arabicè ſcriptos, & nuper repertos, veros Canones Nicenos, dicam poſteà loco proprio, & commodiore, in tertio libro defenſionis epiſtolarum. Illud tantùm nūc dicam, vt in ore duorum vel trium, ſicut ſcriptum eſt in lege, ſtet omne verbum, vnum ex his Canonibus Nicenis in Arabico repertis citari à beato Baſilio in epiſtola ad Chorepiſcopos, is autem eſt Canon de clericis ordinandis, ac ducendis ad Chorepiſcopum, & à Chorepiſcopo ad Epiſcopum: item alium citari à beato Auguſtino, qui eſt de non relinquendo ſucceſſore ab Epiſcopo. Sed rurſus eadem Synodus Nicena in Canone 15. eorum, qui Græcè feruntur, Canonem Apoſtolorum 14. citat. Sic enim ait Synodus, Propter multas turbas, ac tumultus, & ſeditiones, quæ factæ ſunt, viſum eſt, omnibus modis delere conſuetudinem, quæ in quibuſdam partibus inuenta eſt præter Canonem, & quæ ſequuntur. Hunc Canonem interpretans Zonaras, ſic ait, Non tranſire ex eccleſia ad alium Epiſcopatum, ſiue preſbyter ſit, ſiue diaconus, ab Apoſtolis quoque eſt Canone prohibitum. Sed quia, inquit, negligebatur præceptum, idcircò Synodus præceptum hoc Canone renouauit. Cùm ergo dicit, conſuetudinem, quæ præ-

Canon Nic ex numero eorum, qui Arabicè reperti ſunt citatus à B. Baſilio, & alius à beato Aug.

Canon Apoſt. 14. citatur in Can. Nic. 15.

Teſtis Zonaras, citari Canonem Apoſt. in Synodo Nic.

ter Canonem inuenta eſt, Canonem Apoſtolorum neceſſe eſt intelligere, cùm nullum alium Canonem dicere poſſit. aut dicant iſti, qui omnia negant, quem alium Canonem dicat, ſi rationi, & interpretibus credere nolunt. Præterea in Canone 5 citat eadem Synodus Nicena Canones Apoſtolorum 32. & 12. Sic enim ait Synodus de excommunicatis, ſiue clerici ſint, ſiue laici. Vigeat ſententia ſecundum Canonem, qui cauet, ne ab aliis excommunicati, ab aliis recipiantur. At qui de laicis excommunicatis, ne ab alio recipiantur, eſt Canon Apoſtolorum 12. De clericis verò, eſt Canon 32. itaque Synodus Nicena Canonem vocauit hic ſingulari numero vnam ſententiam Apoſtolorum duobus canonibus comprehenſam. Imitata eſt Synodus Nicena Epiſtolam Zephirini Pontificis, qui Canones Apoſtolorum, quos nunc habemus 85. vocat 70. ſententias ab Apoſtolis relictas. Sic enim vterque numerus conuenit, ſi vna ſententia pluribus quandoque canonibus comprehenſa intelligatur: quod ego poſteà ſuo loco ſigillatim in pluribus exempli gratia docebo. Poſtremò vt teſtimonia Synodi Nicenæ finiam, citauit etiam canonem Apoſtolorum 34 auctore & teſte Iulio Pontifice in reſcripto contra orientales Vbi inter alios Canones Nicenos ponit vigeſimum tertium, in quo Synodus Nicena poſtquam ſententiam illius Canonis Apoſtolorum 34. eiſdem verbis renouauit pœna à ſe adiecta, ſubiungit, iuxta ſanctorum conſtituta patrum. Legat qui voluerit & conferat vtrumque Canonem, vt ipſis verbis conuictus, fateatur citatum eſſe ibi à Synodo Nicena Canonem Apoſtolorum. Quòd ſi apud iſtos auctoritas Iulij teſtimonium huic Canoni Niceno 23. tribuentis non valebit, qui omnia veterum ſcripta negant, quia aliter ſua noua defendere nō poſſunt, valebit ſaltem apud eos, qui cùm canones Apoſtolorum non negent, libenter teſtimonia veritatis eorum legunt, & obſeruant, quæ iidem fortaſſis antea nō obſeruarant. Sed de hoc canone Apoſtolorum 34. à Synodo Nicena citato plura dicam paulò poſt.

Can. Apoſt. 12. & 32. citati in Canone 5. Synodi Nic.

Canon Apoſt. 34. citatus in Canone Nice. in reſcripto Iulii ad Orientales.

De Canonibus Apoſtolorũ renouatis, & interdum citatis in Antiochena Synodo, & vnde id conſtet. item quomodo, & vbi Synodus Epheſina Canones Apoſtolorum citauerit nomine Apoſtolorum. præterea de Canonibus Apoſtolorum citatis in Synodo Chalcedonenſi, Gangrenſi, & Carthaginenſi 2. & 3. & in Synodo Africana. Rurſus de Canonibus citatis nomine Apoſtolorum in Synodo Nicena 2. & in 8. Conſtantinopolitana, & in altera 8. Conſtantinopolitana poſt illam priorem 8. item in Synodo Romana ſub Gregorio 7. & in Synodo Tiburienſi, ac poſtremò in Tridentina. Caput 14.

VEniamus iam ad Synodum Antiochenã, quæ annis 5. poſt mortem magni Conſtantini habita eſt, quæ quot canones ſanxit, totidem canones Apoſtolorum & verbis, & ſententiis renouauit, ac confirmauit. Quæ in ipſo procemio nõ obſcurè ſignificaſſe & admonuiſſe mihi videtur, nihil ſe nouum ſtatuere, ſed quæ optimè ſtatuta erant, ea ſe confirmare, cùm ait. Quæ enim bene habere viſa ſunt, cum maiore noſtra omniũ Epiſcoporum conſideratione, iudicio, & confirmatione, qui ex diuerſis prouinciis Antiochiæ conuenimus, ad notitiam veſtram retulimus. Nec hoc ſolùm, ſed in ipſis etiam canonibus interdum Canones eccleſiæ traditos id eſt Canones Apoſtolorum ſigillatim citat, Vt in Canone ſecundo, quo Canonem Apoſtolorum 9. renouans, eum, qui communionem cum excommunicatis habet, excommunicat? & ſubiungit cauſam tanquam qui confundat (inquit) Canonem eccleſiæ. Canonem dicit eccleſiæ traditum à ſanctis Apoſtolis, qui eſt Canon Apoſtolorum 9. qui excommunicat communionem habẽtes cum excommunicatis. Idem quoque obſeruauit Zonaras Græcorum Canonum interpres, notatum eſſe hic à Synodo Antiochena Canonem Apoſtolorum. Item in Canone 3. renouat, ac confirmat eadem Synodus Canones Apoſtolorũ 15. & 16. ad hos enim Canones retulit, quod in extrema parte huius tertij Canonis addidit, excommunicandum eſſe eum, qui clericos deiectos de gradu recipit, tanquam qui leges

Canon. Apoſt. 9. citatus, ac cõfirmatus in Synodo Antioch.

Can. Apoſt. 15. & 16. cõfirmati in 3. Canone Synodi Antioch.

(inquit) eccleſiaſticas ſoluat. Canones Apoſtolorum vocauit hic θεσμοὺς ἐκκλησιαστικοὺς, quod ſint leges non ſcriptæ, & conſuetudines traditione Apoſtolorum ad vſum eccleſiæ inſtitutæ. hoc enim ſignificat, vt ante dixi, θεσμοὺς, quo verbo frequenter Dionyſius Areopagita in eadem ſignificatione vti ſolet. Clariùs adhuc in Canone 9. eadem Antiochena Synodus Canonem Apoſt. 34. citat: poſtquam enim eiſdem verbis eum repetiuit, ſubiungit, Secundum veterem patrum noſtrorum Canonem. Dicant ergo nobis, qui hîc etiam fortaſſe Canonem Apoſtolorum citari negant, cuius Synodi antegreſſæ, aut quorum patrum Canonem veterem hic vocet: aut vocare poſſit? Si nullum aliũ reperire poſſunt, an non conuincuntur, citari hic Canonem Apoſtolorum? hos enim Synodus meritò vocat patres: & horũ Canonem merito veterem, ſiue potiùs, antiquum, & priſcæ originis, hoc enim ſignificat ἀρχαῖον quo verbo vſa eſt Synodus. Præterea in Canone 23. Canonem Apoſtolorum citat, cùm iubet ſeruari legem eccleſiaſticæ conſuetudinis de non conſtituendo Epiſcopo niſi in conuentu Epiſcoporum, & eorum delectu, & iudicio, idque poſt mortem eius, qui prius erat Epiſcopus. Eſt autem hæc conſtitutio, partim in libro 8. Clementis c. 4. partim in Canone Apoſtolorum 74. qui vetat Epiſcopo, ſucceſſorem eligere, quod nihil aliud hoc ſit, quam Eccleſiam facere iuris hæreditarij: nemo enim teſtamentum facit, quo hæredem relinquat, niſi dum viuit. Præ tereà Canonem Apoſtolorum 14. qui prohibet, ne Epiſcopus relicta eccleſia ſua, ad aliam ſe transferat, citat in Canone 21. cùm ait, ſecundum Canonem iam prius æditum. nullus enim extabat eiuſmodi præter illum Apoſtolicum. Rurſus, etſi in aliis pleriſque etiam canonibus non obſcurè ipſis verbis, quibus Synodus vtitur, nihil ſe nouum ſtatuere, ſignificat: hoc tamen clariùs adhuc facit in Can. 24. qui eſt Canon Apoſt. 41. ſic enim ait, Bene habet, oportere bona eccleſiæ eidem eccleſiæ ſeruari. Bene enim habere, ſignificat, rectè conſtitutum eſſe, Canone ſcilicet antiquo Apoſtolorum. Vnde Paſchalis ſecundus citans hunc Canonem nonnullis verbis ex Antiocheno ſumptus, ſic ait

Canõ Apoſt. 34. confirmatus, & citatus in Can. 9. Syn Antioch.

Vnde manarit Canon, qui vetat Epiſcopo ſucceſſorẽ eligere.

inter decreta ſua, canonibus Apoſtolorũ ſtatutum eſt, vt omnium rerum eccleſiaſticarum curam habeat Epiſcopus:& eas velut Deo contemplante, diſpenſet. hoc enim extremum ex Canone Antiocheno ſumpſit, totũ tamen Apoſtolis tribuit.

Accedat deinceps teſtis Canonum Apoſtolorum ſancta Synodus Epheſina,quæ tantæ auctoritatis etiam apud Magd.erit,vt non ſit verendum, ne næuum Synodo exprobraturi ſint. Interpretabor ad verbum, quod paulo antè promiſi, decretum eius ex quarta actione. Sententia ſanctæ Synodi Epheſinæ pronũciata in cauſa Epiſcoporum Cypri. Rem (inquit) præter id quod in iure,ac more eccleſiaſtico poſitum eſt,& præter Canones ſanctorum Apoſtolorum inuſitatam, & ad libertatem omnium pertinentem Rheginus Coepiſcopus, & cum eo Zenon, & Euagrius prouinciæ Cypri Epiſcopi nobis attulerunt. Vnde quia communes morbi maiore medicina opus habent, vt pote qui plus noceant, ſi nec antiqua conſuetudo ſeruata fuerit, ſed potius Epiſcopus Antiochiæ ordinationes in Cypro faciat,ſicuti Epiſcopi Cypri tum per libellos,tum ore ſuo Synodo,ad quam conuenerunt, expoſuere, decreuit Synodus, vt Epiſcopi, qui eccleſiis Cypri præſunt, teneant ius ſuum ab omni aliorum violentia liberum ordinandi ſecundum Canones ſanctorum patrum, & veterem cõſuetudinem per ſeipſos ſuos Coepiſcopos: id quod in aliis quoque diœceſibus, & vbique in omnibus prouinciis ſeruabitur, vt nullus Epiſcopus aliam prouinciam,quæ non fuerit ab ipſo ortu, & principio ſub poteſtate ſua,id eſt,ſuorum anteceſſorũ, occupet: Sed potius ſi quis eã occupauit, & ſub poteſtatem ſuã per vim miſit vt reſtituat,ne Canones patrũ violentur: & ne ſuperbia poteſtatis ſæcularis ſimulatione operis pii irrepat: & nos libertatem paulatim amittamus, quã Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnium liberator nobis ſuo ſanguine donauit. Hactenus ſententia & decretum Synodi Epheſinæ. Antiqua verò,& eccleſiaſtica cõſuetudo, & Canones Apoſtolorum, quos Synodus Epheſina nomine Apoſtolorum in hoc decreto citauit, ſunt Canones Apoſtolorum 34. & 35. vt idem Zonaras

Citantur Canones Apoſtolici nomine Apoſtolorũ in Synodo Epiph.

quoque obſeruauit. hæc ergo citatio Canonũ expreſſo nomine Apoſtolorum in Synodo Epheſina tantę profectò antiquitatis,& auctoritatis eſt, vt hominibus alicuius iudicij,& non moroſis fidem facere debeat,citari quoque eoſdem Canones Apoſtolorũ in Synodo Nicena ,& Antiochena in iis locis & canonibus , quos paulo antè obſeruauimus: præſertim cùm verbis ipſis Canonum inter ſe collatis,ſat is vt opinor, id à nobis iã demonſtratum ſit. Sequitur , vt de Synodo Chalcedonenſi videamus, quæ in Canone ſuo 12. Canones quoque Apoſtolorum citat, vbi , quod quidam committebant , vt auctoritate principum ſæcularium per pragmaticam formam eorum ciuitates fierent Metropoles, ex quo fiebat , vt vna prouincia in duas diuideretur, hoc inquam , fieri dicit παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς, id eſt,præter ius eccleſiaſticæ conſuetudinis. hoc enim ſignificare, vt ante dixi,θεσμοὺς , conſuetudinem ſcilicet non ſcriptam,id eſt,quod ſine ſcripto traditũ eſt; à magnis auctoribus eſt obſeruatum. Quare ſi ſextum Canonem Nicenæ Synodi, Synodus Chalcedonenſis citare voluiſſet,nunquam hoc verbo vſa eſſet , quod in Apoſtolica potius ſtatuta, quàm in Nicena conuenit. Eſt autem huiuſmodi diuiſio prouinciarum præter Canonem Apoſtolorum 34 diuiſa enim prouincia fit,vt non vnum Metropolitanum agnoſcant, qui à principio ſecundum Canonem Apoſtolicũ agnoſcebant. Eſt præterea præter Canonem Apoſtolorum 30. qui vetat , vt vllus auctoritate alicuius laici vſus honorem Epiſcopi conſequatur,vt quidem conſequitur, qui honore Metropolitani gratia principis ſæcularis afficitur. Rurſus in Canone 22 adhuc clariùs Canonem Apoſtolorum 40. citat, qui iubet , vt bona Epiſcopi à bonis eccleſiaſticis ſint ſeparata, ne accidat, vt eccleſia damnum faciat , dum bona Epiſcopi ignorantur : aut Epiſcopus , dum bona eccleſiæ: atque ita dilapſis bonis Epiſcopi,propinqui eius mendicare cogantur:& poſt mortem malè audiat Epiſcopus . Prohibet igitur Synodus Chalcedonenſis , ne clerici bona Epiſcopi poſt mortem eius diripiant.ſicut(inquit)antiquis canonibus vetitum eſt.In nulla autem Synodo ante Chalcedonẽ-

Can. Apoſt. 30. & 34. citati in can. xii. Synodi Calcedonen.

Can. Apoſt. 40. citatus in Canone 22. Synodi Chalced.

tum quoque eſt ſecundum conſtitutionem Apoſtolorum de conuiuiis pauperum, quæ eſt in libro ſecundo Clementis de conſtitutionibus Apoſtolorum. Poſtremò quod eſt in Canone 19. de eo, qui ieiunia in commune tradita violat, ſancitum eſt ſecundum Canonem Apoſtolorum 69. Adhæc Synodus Carthaginienſis ſecunda Valentiniano Imperatore habita Canones quoque ſanctorum Apoſtolorum citat, cùm ſanciens Canone ſuo ſecundo continentiam ſacerdotum, & Leuitarum, ſubiungit, Vt, quod Apoſtoli docuerunt, & ex ipſa antiquitate tenetur, nos quoq; cuſtodiamus, id eſt, vt cuſtodiamus quod tum ſcripto, tum ſine ſcripto per longam conſuetudinem traditum eſt, ſic enim Zonaras quoque in ſuis canonum explicationibus interpretatus eſt. Interrogemus ergo iſtos, qui Canones Apoſtolorum in Synodis citari negant, ad quam aliam originem referri poſſit hoc, quod antiqua etiam conſuetudine teneri Synodus affirmat, præterquam ad regulam de continentia ſeruanda eccleſiæ traditam, quam vſque in hodiernum diem tenet eccleſia Romana, & tenuit ſemper orientalis eccleſiæ antiquitas, vt à nobis in libris de dogmaticis characteribus verbi Dei multis veterum patrum teſtimoniis demonſtratum eſt. Eſt autem hæc regula, ſiue Canon, à ſanctis Apoſtolis traditus, & à Clemente Romano litteris mandatus, qui iubet, ne Epiſcopus, preſbyter, aut diaconus vxorem ſuã prætextu religionis eiiciat. Quod ſi ſacerdos, & diaconus non tenerentur religione continendi ſe ab vxore, quorſum Canon vetaret, ne prætextu religionis vxorẽ eiicerent? aut cur hoc magis vetatur iſtis, quàm laicis? Quia ergo abſtinere quidem debent ab vxoribus, ſed eas tamen curare, & alere, ac tanquam ſorores habere debent, idcirco iubet Canon, ne religione iſta continẽdi, qua tenentur, prætexant inhumanitatem non curandi illas, & alendi, quia non ſit eis vtendum, vt vxoribus, ſed habendæ ſint, tanquam non habeantur, ſicut Apoſtolus ait. Hoc ipſum rurſus ſtatuit Synodus Carthaginienſis 2. citans adhuc clariùs Canones Apoſtolorum, ſic enim ait Cap. 3. Prætereà cùm de quorũdam clericorum erga vxores proprias in continentia referſ

Can. Apoſt. 5. citatus in Syn. Carth. 2. & in c. 2.

2. Cor. c 7.

Can. Apoſt. 5. rurſus in Syn. Cart. 2. c. 3. citatus.

retur, placuit, Epiſcopos, preſbyteros, & diaconos ſecundũ propria ſtatuta ab vxoribus abſtinere. Græcè eſt κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους Canones enim vocauit ὅρους, vt frequentiſſimè vocari ſolent Dixit autem Synodus debere iſtos abſtinere ſecundum ſuos Canones, ſiue ſecundum ſua propria ſtatuta: quia alij clerici non habent ſuos proprios de continentia Canones, quos ſeruare neceſſe ſit, ſed tantùm varias conſuetudines, ſecundùm quas aut abſtinere debeant: aut non debeant, iuxta hunc Canonem, & iuxta Canonem 37. concilij Africani, qui iubet etiam, cæteros clericos, præter ſacerdotes & diaconos, non cogi ad hoc, ſed ſecundum (inquit) vniuſcuiuſque eccleſiæ conſuetudinem obſeruari debere Rurſus eadem Synodus Carthaginienſis ſecunda c 8. Si quis (inquit) presbyter ab Epiſcopo ſuo correctus, aut excommunicatus, tumore, vel ſuperbia inflatus, putauerit ſeparatim Deo ſacrificia offerenda: vel aliud erigendum altare contra eccleſiaſticam fidem, diſciplinámque crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primus ſedis Numidiæ Epiſcopus dixit, neceſſario diſciplinæ eccleſiaſticæ, & fidei cõgrua ſunt, & quæ ſequuntur. Diſciplinam eccleſiaſticam vocauit hoc loco Synodus regulam eccleſiæ traditam, quæ eſt regula, ſiue Canon Apoſtolorum 31. cum quo congruit hoc Synodi decretum. ſic enim ait Canon Apoſtolorum, Si quis presbyter contempto Epiſcopo ſeorſum congreget, & aliud altare erigat, cùm tamen Epiſcopum de fide religionis non condemnet, deponatur. Quandiu enim catholicus eſt, & non hæreticus, contra fidem eccleſiæ, & regulam eius facit presbyter, qui altare aliud erigit. Idcircò Synodus intuens in hanc regulam ſiue Canonem eccleſiæ à ſanctis Apoſtolis traditum, ſi putauerit inquit, aliud altare erigendum contra eccleſiaſticam fidem, & diſciplinam. Græci verò in iſtis eiſdem locis proximè notatis dicunt contra κατάστασιν ἐκκλησιαστικήν, id eſt, ſtatum eccleſiæ. Vt iam vel hinc intelligere liceat, eos qui Canones Apoſtolorum eccleſiæ traditos negant, aut virtutem vocis ignorare, aut putare, reliquiſſe Apoſtolos eccleſiam ſine diſciplina, & certo ſtatu: ſi quidem diſciplina, & ſtatus eccleſiæ canoni-

Can. Apoſt. 31. citatus in can. 8. Synod. Carthag. 2.

Qui Can. Apoſt. negant, quid cõſequenter per ignorantiam exiſtiment.

bus,ceu neruis continetur. Hinc Innocentius primus in præfatione regularum Apoſtolicarum ad Victricium, de quibus antea commemoraui, quas prius vocauerat regulas, ſtatim vocauit digeſtas vitæ, & morum diſciplinas. Rurſus Synodus Africana cap. 32. decreuit vt quia Equitius Epiſcopus iuſtè damnatus erat, mitteretur aliquis legatus, vt ſi fortè eum illis locis, vbi fuerat Epiſcopus, reperiret, curaret aduerſus illum quicquid poſſet, & oporteret, pro defenſione ſtatus, ſiue diſciplinæ eccleſiaſticæ. Quis dubitare poteſt, quin hoc quod de diſciplina, & ſtatu eccleſiæ defendendo, hoc loco dixit Synodus, pertinere voluerit ad Canonem Apoſtolorum vigeſimumoctauum qui iubet, vt ſi Epiſcopus iuſtè depoſitus pro manifeſtis criminibus, auſus fuerit miniſterium, quod aliquando ei commiſſum fuit, attingere, omnino ab eccleſia abſcindatur? Rurſus adhuc eadem Synodus cap. quinquageſimo quarto id quod ex Concilio Mileuitano capite decimo quarto repetitum eſt, ſed illud (inquit) Scimus, inuiolatam ſemper māſiſſe eccleſiaſticam diſciplinam, ita vt nullus fratrum prioribus ſuis ſe aliquando auderet anteponere. Et paulò pòſt, quæ antiquorum ſententia ſtatuta ſunt, noſtro conſenſu mancipabuntur. Ad Canonem Apoſtolorum trigeſimumquartū retulit hoc, qui iubet, vt omnes cuiuſcunque gentis, ſiue nationis Epiſcopi ſuum primum agnoſcant: & nihil præter ea, quæ ad cuiuſque eccleſiam priuatim pertinent, ſine illius ſententia agere audeant. Et paulò pòſt eadem Synodus clariùs adhuc hunc Canonem citans, Omnes (inquit) Epiſcopi dixerunt, hic ordo, & à patribus, & ab antiquis ſeruatus eſt: & à nobis concedente Deo ſeruabitur, ſeruato iure primatum Numidiæ, & Mauritaniæ. patres diſtinxit à maioribus. ſiue ab antiquis, quos Synodus Græcè vocauit ἀρχαίους vt Apoſtolos proprietate verbi ſignificaret, quos patres Africani ſecuti ſunt. De hoc ordine eccleſiarum, & de hac diſciplina meminit etiam ſanctus Anacletus in epiſt. tertia, ſcribit enim illas Metropoles, quæ priſcis temporibus primatum tenebant, quia erāt ſcilicet capita plurium prouinciarum, primas omniū eſſe: & Patriarchas

Can. Apoſt. 28. citatus in Syn. Afric. c. 32.

Can Apoſt. 34. citatus in Syn. Afric. c. 53.

ſiue primates à beato Petro, & Clemente accepiſſe: eas verò Metropoles, quæ ſingularum prouinciarum capita fuerant, accepiſſe Metropolitanos, eſſeque primas ciuitates infra illas Patriarcharum, ſiue primatum. Inter alias verò ciuitates, quæ in vnaquaque prouincia ſunt, illas eſſe primas, quæ à ſanctis Apoſtolis, & à Clemente, ſiue ab Anacleto primos prædicatores acceperunt: quas ſe ait deſcripſiſſe in matricula, vt vulgò dicitur, quam vocat tomum, & Synodus Africana vocat ματρίκιον & ἀρχαιότητα. & ſubiungit idem Anacletus Canonem Apoſtolorum 34. inquiens, Inde namque & Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt, vt Epiſcopi ſingularum gẽtium ſcirent, quis inter eos eſſet primus. Hæc igitur omnia qui cõferre inter ſe, & cum Synodo Africana voluerint, facilè intelligent, agnouiſſe Synodum Africanam Canonem Apoſtolorum, & diſciplinam eccleſiæ traditam de ordine Epiſcoporum ſeruando, qui inter eos primi eſſent: & qui infrà primos: & Epiſtolam Anacleti, quæ de hoc ordine ſcribit: retuliſſeque ad hunc Canonem Apoſtolorum, & ad epiſtolã Anacleti, quod eadem Synodus Africana dixit, hic ordo à patribus, & ab antiquis ſeruatus eſt. Citat prętereа eadem Synodus in cap. 17. Canonem primùm Apoſtolorum. Sic enim ait, Aurelius Epiſcopus dixit, antiquus Canon ſeruabitur, vt non pauciores quàm tres, qui decreti ſunt, ſufficiant ad ordinationem Epiſcopi. Græcè eſt ἀρχαῖος τύπος. Typum enim vocat Canonem, vt ipſi quoque Gręcorum Canonum interpretes notarunt, pro quo formam dixerunt Latini patres. Quod ſi fortè Magd. hîc quoque negent citatum eſſe Canonem Apoſtolorum, ediſſerant nobis, ſi poſſunt, quam formam antiquam ſeruaturam ſe Synodus polliceatur? aut quid aliud ſunt Canones Apoſt. quam formæ eccleſiaſticæ? Veniamus iam ad Synodum 7. id eſt, ad ſecundam Nicenam Oecumenicam, quæ non ſemel, & iterum, ſed ſæpius Canones Apoſtolorum & quidem nominatim citat, Sic enim ait in primo Canone & diuinos Canones amplectimur: & integram, ac firmam ipſorum conſtitutionem, quos ſancti Apoſtoli, ſpiritus ſancti clariſſimæ tubæ, ædiderunt. item in Canone 5. citat Canonem Apo-

De canone Apoſt. 34. apud Anacletum collato cum Syn. Africa.

Can. Apoſt 1. citatus in Syn. Afric. c. 16.

ſtolorum 29. in eum enim qui præcio ordinatus eſt, Fiat(inquit) ſecundum Canonem Apoſtolorum, qui ait, Si quis Epiſcopus pecunia hanc dignitatem obtinuerit, aut presbyter vel diaconus, priuetur omnino communione, vt Simon magus à me Petro. Rurſus in Canone 10. Canonem Apoſtolorum ſextum citat, cùm ait, Non licet illis, ſcilicet presbyteris, mundanas vitæ curas ſuſcipere, vtpote prohibitis à diuinis canonibus. Præterea in Canone 12, producit, & recitat Canonem Apoſtolorum 38 in eum enim, qui bona eccleſiæ alienat, ſiue Epiſcopus, ſiue abbas monaſterij ſit, ſit, inquit, irritum ſecundum Canonem Apoſtolorum, qui ait, Omnium bonorum eccleſiaſticorum, & quæ ſequuntur.

Can. Apoſt. 19. citatus in 2. canone Syn. Ni 2.

Can. Apoſt. 6. citatus in can. 10. Syn. Ni. 2.

Can. Apoſt. 38. citatus in can. 12. Syn. Ni. 2.

Prætereà Syn. 8. quæ Ioanne Pont. Rom. ccclxxxiij. patrum Conſtantinopoli, habita eſt, cui præfuerunt legati Pont. Petrus presbyter, Paulus Anconitanus, & Eugenius Epiſcopus Oſtienſis grauiſſimum, & ſanctiſſimum teſtimonium canonibus Apoſtolorum dedit. Cùm enim Baſilius Imperator confeſſionem fidei ab eis poſceret, qui locum Pontificis tenebant, iique, ſicut in ſexta actione ſcriptum eſt, reſponderent, non decere alium canonem nominari præter veteres, qui in cuncto orbe vigerent, peterentque, vt de omnium ſententia legerentur, ac confirmarentur, Photius Patriarcha conſtant. dixit, iudicio omnium fratrum, & conſacerdotum noſtrorum legantur. Ac Petrus quidem diaconus & protonotarius legit inquiens. Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti diuinam, & veneratione dignam doctrinam ſinu mentis complectimur: & voluntate non diſcrepante, ac puritate fidei fundati ſanctorum quoque Apoſtolorum conſtitutiones, & κανονικοὺς τύπους, id eſt, canonicas formas iudicio veriſſimo ſeruamus: quin etiam 7. Synodorum Oecumenicarũ, vt quæ vnius ſpiritus ſancti afflatu directę, & actę ſunt, prædicationem, & canones ſanos, & non deprauatos ſyncera, & conſtanti ſententia, vt ſanctos honoramus, & cuſtodimus. Et quæ ſequuntur. An non eſt hæc grauiſſima, & celeberrima canonum Apoſtolorũ citatio, qui iudicio, ac ſententia ccclxxxiij. patrum ſecundo lo-

Can. Apoſt. cõfirmati in Syn. 8. conſtet conſtitutiones eorũ.

ca poſt euangelicam doctrinam collati ſunt? & eos per cunctum orbem vigere, & conſtanti ſententia, & pietate à Synodo honorari, & cuſtodiri pronunciatum eſt? Præterea etiam conſtātinopolitana Synodus, quæ Photio Patriarcha poſt 8. illam in templo ſanctorum Apoſtolorum habita eſt, quæ canones 17. ædidit, canones quoque Apoſtolorum nominatim citat. vt in canone 8. quem aduerſus eos ſanxit, qui alios faciūt eunuchos, canonem Apoſtolorum 22. citat, ſic enim ait Synodus Diuinus, & ſacer ſanctorum canon eos, qui ſe faciunt eunuchos, interfectores ſui eſſe iudicat, & quæ ſequuntur. Rurſus canonem Apoſtolorum 27. citat in canone ſuo 9. in eos clericos ſancito, qui canonem Apoſtolorum iubentem, ne ſacerdotes vllum verberent, malè interpretabantur. Sic enim incipit, cùm Apoſtolicus, & diuinus canon ſacerdotes, qui fideles, qui peccarunt, & infideles, qui iniuriam fecerunt, verberant, mouendos eſſe gradu decernat, qui iræ indulgentes, & Apoſtolicas conſtitutiones deprauantes, interpretati ſunt prohibere canonem, ne liceat ſacerdotibus manu propria verberare, non autem, ne liceat manu aliena, iubendo alteri, vt verberet, cùm hoc neque canon dicat, neque ratio intelligere permittat, & quæ ſequuntur. Item in canone 11. citat canones Apoſtolorum 7 & 83 Sic enim ait, Presbyteros, vel diaconos, qui curas aut magiſtratus mundi ſuſcipiunt, aut eas, quas in domibus principum vocant procuratorias, diuini, & ſacri canones deponi iubent. Hoc igitur & nos confirmātes idem in reliquos clericos ſtatuimus, & reliqua.

Can. Apoſt. 22. citatus in cano. 8. Syn conſt. ſub Photio.

Præterea in Synodo Pariſiēſi ex Epiſcopis Gallis diœceſis Senonen. Turonen. Rhotomagen. Ludouico, & filio eius Lothario Imperatoribus ante annos ſeptingentos, & amplius citatus eſt, & recitatus ad verbum canon Apoſt 41. nomine Apoſtolorum. Sic enim ait c. 15. ſanciēs, vt Epiſcopus habeat Oeconomum eccleſiæ, qui res eccleſiæ ſecundum ſententiam Epiſcopi diſpenſet, quod ſi hoc non fecerit, diuinis conſtitutionibus ſubiacebit in canonibus, qui Apoſtolorum titulo prænotantur, titulo 41. ita legitur. Deinde recitatur Canon ad verbum Rurſus cap. 26. Irrepſit (inquit) inter cætera,

quæ eccleſiaſticæ auctoritati, imò diuinæ contraeunt, miſerabilis & periculoſa noſtri temporis conſuetudo, quæ valde à veritate canonica abhorret, eo quod Epiſcoporum concilia bis in anno, ſicut mos canonicus docet, per vnamquamque prouinciam non fiunt. morem canonicum vocauit, morem ſiue conſuetudinem Apoſtolico Canone 37. ſancitam de Synodis bis quoque anno habendis. quod vel ex eo conſtat, quod non ſeruari hoc, contrarium diuinæ auctoritatis eſſe dixit: in quo ſatis ſignificauit Canonem Apoſtolicum. Deinde cap. 36. priſcis (inquit) temporibus, quando iura Canonum ſuum ſeruabant vigorem, nullus clericorum parœciam ſuam relinquere, & ad aliam, ſine Epiſcopi ſui commendatiiis litteris, audebat quoquomodo pergere. noſtri verò temporis miſerabilis inoleuit conſuetudo: & paulò pòſt, quod quantum & à diuina, & à canonica auctoritate, diſcordet, in promptu eſt. Cùm dicit, diſcordare à diuina & canonica auctoritate, proficiſci clericos ad alias eccleſias ſine litteris commendatitiis, ſatis clarè Canonem Apoſtolorum 33. denotauit, quo cautum eſt, ne Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, cùm peregrinantur, ſine litteris commendatitiis recipiantur.

Item Synodus Romana ſub Gregorio 7. in Canone ſuo ſecundo Canonem Apoſtolorum 25. citat, cùm ait, Quoniam inueſtituras contra ſtatuta ſanctorum patrum à laicis in multis partibus nouimus fieri, decernimus, vt nullus clericorum inueſtituras Epiſcopatus, vel abbatiæ, vel eccleſiæ de manu Imperatoris, vel regis, vel alicuius laicæ perſonæ viri, vel fæminæ ſuſcipiat, & ſi præſumpſerit, recognoſcat, inueſtituram illã Apoſtolica auctoritate irritam eſſe: & ſe vſque ad dignã ſatisfactionem excõmunicationi ſubiacere. Si autẽ Magd. more ſuo cauillari voluerint non citari hic Canonem Apoſtolorum, oſtendant ipſi ſi poſſunt, antiquiùs ſtatutum ſanctorum patrum, quod Romana Synodus citare potuerit, aut debuerit, quàm iſtud ſanctorum Apoſtolorum, in quo legunt prohibitum, ne quis vſus magiſtratibus, regibus, principibus ſæculi, aut imperatoribus, quos vno omnes vocabulo complexus canon

Can. Apoſt. 30. citatus in 2. Cã. Synod. Rom. ſub Greg. 7.

κοσμικὰς ἄρχοντας vocat, eccleſiam obtineat: & qui obtinet, deponitur, & excommunicatur, tamdiu ſcilicet, donec dignè ſatisfaciat, ſicut Romana Synodus interpretata eſt, Quod ſi oſtendi non poteſt grauiùs de hac re ſtatutum, neque quod ita propriè, & verè ſanctorũ patrum dici debeat, quæ iſta tanta peruerſitas, ac malignitas iſtorum, vt negare audeant citari, hîc Canonẽ Apoſtolorum? Deinde Synodus Triburienſis 22. Epiſcoporum Germanorum ante annos ſexcentos Canonem Apoſtolorum 11. de non orando cum excommunicatis citauit in cap. 2. Poſtremò Synodus Tridentina ccc. ferè patrum tot, ac tantas Synodos antiquas ſecuta ipſa etiam Canonem Apoſtolorum 38. citat Seſſ. 25. cap. 1. de reformatione.

Can. Apoſt. 11. citatus in cap. 2. Synodi Triburienſis.

Can. Apoſt. 38. citatus in Syn. Trident.

De teſtimonio quod ſexta Synodus canonibus Apoſtolorum in tertio Canone tribuit ſecundum confeſſionem Magd. & quomodo illud eludãt ridiculè, & reſponſio ad id, quod ex Leone 9. obiiciunt, & de 50 capitulis, quæ ab eo feruntur approbata, & de libro Apocrypho Canonum Apoſtolorum apud Gelaſium: & de Canonibus Apoſtolorum à B. Gelaſio in epiſtolis, & decretis ſuis citatis. item de beato Iſidoro, quid ille de Canonibus Apoſtolorum ſenſerit, & quid de eo reſpondendum ſit Magd. Cap. 15.

HActenus de citatione Canonum Apoſtolorum in Synodis, tũ Oecumenicis, tum prouincialibus. Iactent ergo nunc Magd. illud ſuum commẽtum, quod in centuria 1. his verbis ſcripſerunt, Et cõſtat, in nulla alia Synodo eos Canones pro authenticis, & Apoſtolorum eſſe receptos, quam in ſexta Conſtantinopoli, quę celebrata eſt cirter annum Domini 675. Nam eius Canon ſecundus ſic habet. Placuit huic ſanctæ Synodo, vt à modo confirmata, & rata ſint Canonum Apoſtolorum 85. Capitula.]

Hactenus Magd. confitentur ergo iſti boni viri receptos eſſe pro authenticis, & Apoſtolorum canonibus iſtos 85. Sed videamus nunc, quomodo hoc ſextæ Synodi teſtimonium, quod ccxxvij. patres in Synodico conuentu canonibus Apoſtolorum dederunt, refellãt,

Quia conſtat, inquiunt, in nulla alia Synodo pro authenticis Apoſtolorũ eſſe receptos. Sic ergo cogitaſſe mihi videntur, quaſi teſtimonium vnius Synodi, vnius teſtis teſtimonium eſſet. Vnius autem teſtimoniũ conſtat non facere fidem, cùm ſcriptum ſit in lege, in ore duorum, vel trium ſtabit omne verbum. Itaque obliti, quot teſtes in vna Synodo ſexta aduerſus ſuam opinationem citauiſſent, ex ducentis viginti ſeptem teſtibus vnum teſtem fecerunt, quia vna Synodus eſſet, & non ccxxvij Synodi. Videat ergo quadriga Magdeburgenſium, an eorum teſtimonium teſtimonio ccxxvij. patrum ſit ſatis conuictum. eſto, nulla alia Synodus eſſet, vt ipſi finxerunt, quæ canonibus Apoſtolorum vſa fuiſſet: & eos pro teſtimonio authentico, & Apoſtolico citaſſet, vt quidem ſunt multæ, vt à nobis ſatis ſuperq; hactenus demonſtratum eſt. Subiunxerunt deinceps Magd. ad refellendum teſtimonium ſextæ Synodi: Neque tamen defuerunt, qui negarent eſſe Apoſtolorum, nam Leo 9. qui circa annum Domini 1049. contra Epiſtolam Nicetæ abbatis ſcripſit, contendit exceptis 50. capitulis, Canones Apoſtolorum inter Apocrypha deputari. diſ. 15.]

Teſtimonium vnius Synodi, ccxxvii patrum quaſi teſtimonium vnius teſtis à Magd. reputatur.

Hæc iſti, qui auctoritate Leonis 9. auctoritatẽ Synodi ſextæ oppugnant. ſed rurſus iidem, tanquam boni architecti, vt deſtruerent, quod ſe putabant ædificaſſe, ſtatim eiuſdem Leonis, cuius teſtimonio vſi erant, auctoritatem negãrunt. Sic enim ſubiecerunt: Sed nec huius Pontificis Leonis tanta eſt auctoritas, vt Canones illos, quos antiquitas Apoſtolorum eſſe negat, iis adſcribere poſſit. Ergo ad probãdum Apocryphos eſſe Canones Apoſtolorum valet auctoritas Leonis pontificis, cuius teſtimonio vtuntur: ad probandum verò nõ eſſe apocrypha Leonis capitula, quæ idem Leo pontifex excepit ab apocryphis, non valet. Quis non ſentit iſtorum deliramenta, & inconſtãtiam, & totos mente, ac cõſcientia, & ſermone vacillare? Sed videamus, quomodo probant, negare antiquitatem, eſſe Canones hos Apoſtolorum? Scilicet illo ſuo familiari genere probãdi ex negantibus: Nõ meminerunt de canonibus Apoſtolorum Iuſtinus, aut Irenæus, aut Clemens, aut Ori-

Inconſtantia. Magd.

Genus argumẽtandi ex negantibus familiare Magd.

genes,aut Euſebius, aut Hieronymus, aut Ambroſius, ergo nullos Canones Apoſtoli reliquerũt. Sed de hoc, id eſt,de huiuſmodi teſtibus mox videbimus. Redeamus ad Pont. Leonẽ 9.de quo quia reſpondi Magdeb. ſecundum ſtultitiam eorum contra Salomonis præceptum, qui iubet reſpondere contra ſtultitiam eorũ, ſic enim eſt apud 70. & viſus fortaſſe ſum ſimilis eis,quaſi ipſe quoque crederem, dixiſſe hoc quod iſti fingunt, Leonem,idcirco, ne in Pontificem inſolentius iſti inſultent, quaſi exceptis 50.capitulis, reliquos Canones apocryphos eſſe affirmarit,reſpondebo rurſus ſecundũ præceptum eiuſdem Salomonis, ne ſibi ſapientes eſſe videantur.Non hoc ſcripſit Leo,qui neque contra epiſtolam Nicetæ abbatis ſcripſit, ſed potius Vmbertus eccleſiæ Siluæ candidæ Epiſcopus Leonis 9. ad Conſtantinopolitanos legatus,anno Domini 1054. ſcripſit enim hic auctor dialogum introductis perſonis Conſtantinopolitani,& Romani,quo reſpondet calumniis Michaelis Archiepiſcopi Conſtantinopolitani,& Leonis Archiepiſcopi Acridæ Metropolis Bulgarorum, ad quos prius idem Leo 9.eruditiſſimam epiſtolam 31.capitibus comprehenſam ſcripſerat. Accidit etiam quidã Niceta cognomento Pectoratus presbyter & monachus monaſterij ſtudij libellũ contra Latinos blaſphemiis plenum: De azymis, & ſabbatorum ieiuniis, & nuptiis ſacerdotum inſcriptum, qui cùm ad manus Vmberti apocriſarij, id eſt, Legati Pontificis veniſſet, librum ſcripſit,quo illum totum Nicetæ fortiſſimè, & feſtiuiſſimè refellit.In hoc libro quia Nicetas Canones Apoſtolorum inſolenter iactabat, qui tunc cum falſis erant permixti,ſic ſcripſit, Et hoc aſſerere conaris ex apocryphis libris, & canonibus pari ſententia ſanctorũ patrum repudiatis. Et ſubiungit, Nam Clemẽtis librũ, id eſt,Petri Apoſtoli Itinerarium, & Canones Apoſtolorum numerãt inter apocrypha,exceptis capitulis 50. quæ decreuerunt regulis orthodoxiæ adiungẽda.Hæc Vmbertus, qui cùm dixit, Ex apocryphis libris,& canonibus pari ſententia ſanctorum patrum repudiatis, ad decretum de apocryphis ſcripturis à Gelaſio in Synodo 70.Epiſcoporum factum hoc retulit.In quo Iti-

Prou.28.

Quod de Leone 9.Magd.obiiciunt. non Leonis,ſed Vmberti eſt.

nerarium Clementis, & liber Canonum Apoſtolorum inter apocrypha numerata ſunt, quia Itinerarium ab Ebionitis corruptum eſt, vt S. Epiphanius ait. Sic in libro Canonum Apoſtolorum multi ferebantur falſi, & ab hæreticis fabricati, quos tametſi non minus facilè erat à veris diſcernere, quã in Itinerario hæretica à catholicis, tamen dum permixta ferebantur, meritò iudicati ſunt apocryphi, ſicut Itinerarium. Erat fortaſſis liber iſte apocryphus Canonum Apoſtolorũ ex numero illorum, quos Priſcillianiſtæ ſub nomine Apoſtolorum ædiderant, de quibus Leo magnus in epi. 88. ad Turbium Aſturicenſem Epiſcopum ſic ſcripſit cap. 15. Et multos corruptiſſimos eorum codices, qui canonici titularentur, inuenimus. Et paulò poſt, Apocryphę autẽ ſcripturæ, quæ ſub nomine Apoſtolorũ multarũ habẽt ſeminarium falſitatum, non ſolum interdicendæ ſunt, ſed etiam penitus auferẽdæ atque ignibus concremãdæ. Quãuis enim ſint in illis quædã, quæ videtur ſpeciem habere pietatis, nunquã tamen vacua ſunt venenis. Immo idem Clemens Romanus, qui eccleſiaſticas regulas Apoſtolorũ, id eſt, canonicas eorum traditiones, quas Canones vocarunt, litteris mandauit, teſtatur in libro ſexto de conſtitutionibus Apoſtolorum, fuiſſe iam tunc ſcriptos libros peſtiferos nomine Apoſtolorũ. Ex horum ergo numero erat liber iſte apocryphus Canonum Apoſtolorũ à beato Gelaſio damnatus. Subiungit deinde idem Clemens, Priſcis quoque temporibus ſcripſerunt quidam libros Apocryphos Moiſis, Enoch, Adæ, Eliæ, Dauid, & Eſaiæ, & triũ patriarcharũ pernicioſos, & veritatis aduerſarios. An igitur, quia erat inter iſtos quædam prophetia nomine Eſaiæ apocrypha, & quidã liber apocryphus pſalmorum, idcirco apocryphus ſit liber pſalmorũ Dauid: & apocrypha omnis prophetia Eſaiæ? ſic de libro & canonibus Apoſtolorũ Apocryphis iudicatũ eſt, vt non continuò omnes Canones Apoſtolorũ Apocryphi ſint, quia ille tunc liber Canonũ Apoſtolorũ falsò inſcriptus Apocryphus erat, qui à beato Gelaſio dãnatus eſt. Illa ergo 50. Capitula ſiue quia nondũ plura ex illis 85. ad Latinos veniſſent: ſiue hæc ſolũ ex illo Apocrypho libro Canonũ

De libro Apocrypho Canonũ Apoſt. apud Gelaſium qualis eſſet & apocryphus.

Quid Clemens de libris Apocryphis.

Exempla librorum apocryphorum, ſicut ille liber apocryph. canonum Apoſtol. apud Gelaſium.

De illis 50. capitulis exceptis canonũ Apoſt.

permixto tanquam legitima ſeparata eſſent, quæ Vmbertus excepta eſſe dicit, ad illas 70. ſententias pertinẽt, quas beatus Zepherinus in epiſtola ſua priore à ſanctis Apoſtolis æditas eſſe ſcribit, quas quidem ſatis excepiſſe videtur beatus Gelaſius, cum in illo decreto inter ea, quæ eccleſia catholica recepit, item (inquit) decretales Epiſtolæ, quas Beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Romana pro diuerſorũ patrũ conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendæ ſunt. Itaq; licet illis temporibus non plura quàm 50. capitula Latini haberent, non tamen dubitabant, quin plura eſſent à ſanctis Apoſtolis tradita. Teſtis eſt Igmarus Rhemẽſis auctor doctiſſimus, qui ante annos ſeptingentos in libro de variis capitulis eccleſiaſticis cap. 18. ſic ait, itẽ Africanum concilium capitulo 85. prohibet rebaptizationes, & reordinationes: item Canon Apoſtolorum, ſi quis (inquit) Epiſcopus, presbyter, diaconus ſecundã manus impoſitionem acceperit, deponatur ipſe, & ordinator eius. Deinde ſubiungit, ſi quis autem huic capitulo minus credit, quia illud inter Canones Apoſtolorum apud nos non reperit, ſcire debet, quod eorundem Canonum multa capitula nobis deſunt. Nã beatus Zepherinus Papa in ordine 16. apoſtolos 70. Canones conſtituiſſe teſtatur: quorum 50. tantum Iſidorus in prologo ſuo de canonibus ſe inueniſſe fatetur, quibus & nos vtimur. Eſt autem canon ille, quem Igmarus dixit non reperiri in numero 50. capitulorum, Canon 61, cui teſtimonium tribuit idem Igmarus. Illud verò neceſſarium eſt, cum beatus Gelaſius dixit librum Canonum Apoſtolorum Apocryphum eſſe, nõ dixiſſe de illis 70. ſententiis Apoſtolorum, tum quia neque 70. Et eæ quidem per breues ſententiis, liber dici poterãt: tum quia illas iam exceperat: & ab eccleſia ſuſcipiendas eſſe decreuerat, cum dixit, decretales Epiſtolas, quas beatiſſimi pontifices ſcripſerunt, venerabiliter ſuſcipiẽdas eſſe. Sed de beato Gelaſio, & de illo Apocrypho libro Canonum Apoſtolorum prudẽtiſſimè, & magna auctoritate idem Igmarus Rhemenſis Archiepiſcopus Germanicæ nationis in eodem libro de variis quæſtionibus, quum paulò ante dixi, his verbis ſcripſit. Scien-

Quod Igmarus Archiepiſcopus Rhemenſis de canonibus Apoſtolorum & de illis 50. capitulis, & de libro apocrypho canonum Apoſtolorum apud Gelaſium ſcripſerit, & ſenſerit.

dum autem, quod Beatus Gelaſius Papa librum, qui de canonibus Apoſtolorum apud Græcos inſcribitur, pro Apocrypho deputauit, cui & nos contradicere nõ debemus, quia hoc eum ſine cauſa feciſſe nõ credimus. fortaſſe liber ille de capitulis, quæ ſancti patres receperunt, nihil dicit: aut ſi dicit, non nihil mendoſum annectit: quod tamen ſolertia Catholici interpretis prudenter, nobis in Latino ſubtraxit. Sicut beatus Hieronymus cum transferret Originem, feciſſe ſæpe mõſtratur. Sed quicquid de illo libro coniiciatur, nos tamen illa 50. capitula, quæ ex Græco tranſlata legimus, abſq; ſcrupulo debemus, quæ & ſancta Romana eccleſia cuſtodiuit: nobíſque cuſtodienda per beatum Adrianum Papam mandauit. Hæc Igmarus. Quod hoc loco hic auctor dicit, mandaſſe eccleſiam per beatum Adrianũ cuſtodire capitula illa Apoſtolorum, ad vij. Synodum referendum eſt, quæ Adriano Pontifice pro cultu ſanctarum imaginum habita eſt, quæ primo ſuo Canone Canones Apoſtolorum tenere, & ſeruare iuſſit. Subiungit deinde idem Igmarus, ſic multa ex apocryphis deprompta ſancti patres receperunt. Sicut Iudas Apoſtolus epiſtola ſua teſtimonium de propheta Enoch aſſumptum recepit, quam tamen prophetiã ſancta eccleſia, quaſi apocrypham, repudiauit. Apocrypha autẽ dici eccleſiaſtici doctores tradunt, nõ quia omnia mẽtiuntur: ſed quia dubiæ, & ſuſpectę auctoritatis eſſe videantur. Nam ſæpiſſimè multa canonica ſuis næniis hæretici interſerunt, quæ nequaquam catholici cum eiſdem næniis refutare debebunt. Vnde ſupra dictus Papa Gelaſius, nunquid (inquit) in ipſorum hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertineant, poſita leguntur? num quidnam ideo veritas refutãda eſt, quia illorum libri, vbi primitus inſerta eſt, refutantur? aut ideo praui libri ſuſcipiendi ſunt eorum, quia veritas, quæ illic inſerta eſt, non negatur? Ait Apoſtolus, omnia probate: quæ bona ſunt, tenete. Ergo iuxta eũdem Apoſtolum vtrumque debemus, & librum de canonibus Apoſtolorum apocryphum repudiare: & capitula, ſi quæ in illo ad veritatem pertinentia inueniãtur, nõ reprobare, illa, inquam, minimè reprobare, quæ

Iudicium Igmari Rhem. de decreto Gelaſii.

ſancti patres pro authenticis receperunt: imò quorum auctoritate ſuas ſanctiones piiſſimè firmauerũt. Multa quidem alia Apoſtolos inſtituiſſe non dubitamus, quæ tamen nullo eorum ſpecali ſcripto promulgata reperimus. Vnde beatus Auguſtinus in libro primo contra Donatiſtas de baptiſmo, quod inquit, vniuerſa tenuit eccleſia, neque conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur. Hactenus Igmarus. Quod verò beatus Gelaſius, qui librum Canonum Apoſtolorũ apocryphum damnauit, Canones Apoſtolorum alioqui cognouerit, ex plurimis locis epiſtolarum, & decretorum eius intelligi poteſt. In epi. enim. 1. ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos Canonem Apoſtolorum 22. citat. de eunuchis, cùm ait cap. 19. De iis autem qui ſe ipſos abſcindunt, paterni canones euidenter ſequenda poſuerunt, quorum tenorem ſufficiat indidiſſe. dicunt enim talia perpetrantes, mox vt agniti fuerint, à munere clericali debere eos ſecludi: quod modis omnibus cuſtodire nos conuenit. Quia fas eſſe nulli ſuppeditat, quicquam præter illa, quæ memorabilis forma decreuit, cenſere. Formam vocauit Canonẽ, vt frequenter canones vocari ſolent. Quãuis enim primus Canon Synodi Nicenæ idem contineat, tamen cùm ipſa Synodus Nicena illum ipſum ſuum Canonem ad Canonem veterem eccleſiæ, id eſt, ad Canonem Apoſtolorum planè retulerit, vt à nobis ante obſeruatum & oſtenſum eſt, conſequens eſt, vt Gelaſius quoque, cùm dixit, præter illa, quæ memorabilis forma decreuit, ipſum illum Canonem Apoſtolorum, quem Nicena Synodus citauit, intellexerit, vnũ ex iis, quos hoc loco Gelaſius Canones paternos vocauit. Rurſus idem Gelaſius cap. 25 Canonem Apoſtolorum 29. licet non citauerit, planè ſecutus eſt, ſic enim ait, Quos verò conſtiterit, ſacram mercatos eſſe precio dignitatẽ, conuictos oportet arceri, non ſine periculo talia perpetrantes. Deinde ſubiungit, Quia dantem & accipientẽ damnatio Simonis, (quam ſacra lectio teſtatur) inuoluit. Canon verò Apoſtolorum ait, Qui pecunia hanc dignitatem obtinuerit, deponatur ipſe, &

Frequens citatio canonum Apoſt. in epiſtolis, & decretis Gelaſii.

Can. Apoſt. 22. citatus à beato Gelaſio.

Can. Apoſt 29. citatus à Gelaſio.

qui eum ordinauit, ſicut Simon Magus à me Petro. Capite 25 clarè citat Canonem Apoſtolorum, cùm ait, Quiſquis propriæ deſertor eccleſiæ nullis extantibus cauſis ad aliam putauerit trãſeundum, temeréque ſuſceptus fuerit, & promotus, reuerendorũ Canonũ vel ipſe, vel receptor eius atque prouector conſtituta non effugiet, quæ de huiuſmodi præſumptionibus præfixere ſeruanda In vtrunque autem & tranſeuntem, & recipientem ſanciti ſunt Canones Apoſtolorũ 15. & 16. quos etiam Synodus Nicena renouauit, Canone ſuo. 15. & 16. citans illos ipſos Canones Apoſtolorũ, cùm ait Can 15. Propter multam turbam, & ſeditiones, quæ fiunt, viſum eſt tollere conſuetudinem, quæ præter Canonẽ inuenta eſt, tranſeundi de ciuitate in ciuitatẽ, &c. Cum verò nõ extet vllius Synodi ante Nicenã Canon de hoc ſancitus præter Canonem Apoſtolorum conſequens eſt, vt illum citarit. Similiter in Canone. 16. Qui recedũt, (inquit) ab eccleſia præter Canonem eccleſiaſticum. Hic quoque Canonem Apoſtolorum hoc prohibentẽ citauit. Ex quo fit, vt, cùm Gelaſius nõ ignorauerit, in vtroque Canone Synodi Nicenæ Canones, quos ante eccleſia tenebat, citari, non ſit vlla ratione, dubitandũ, quin ad illos ipſos Apoſtolicos Canones referre voluerit, quod in hoc 26. cap. dixit, reuerendorum Canonũ: vel ipſe, vel receptor conſtituta nõ effugiet. Item cap. 20. cõperimus (inquit) horrendis quibuſdam criminibus implicatos, tota diſcretione ſubmota non ſolum de factis atrocibus neceſſariam pœnitudinem non habere, ſed, nec aliqua correctione penitus ſuccedente, ad diuinum miniſterium honorémq; contendere: non nullos autem in ipſis ordinibus conſtitutos grauibus delinquentes facinoribus non repelli, cũ mandet Apoſtolus, nemini citò manus imponendas, neque communicandũ peccatis alienis. Deinde ſubiũgit, Et maiorum venerãda cõſtituta pronũciant: huiuſmodi etiã, ſi fortè ſurrepſerint, tã, qui ante peccauerũt, detectos oportere repelli, quàm ſacræ profeſſionis oblitos, præuaricatoréſque ſancti propoſiti proculdubiò ſubmouendos & hîc cum dicit maiorũ venerãda cõſtituta, Canones Apoſtolorum, ſcilicet 25. & 61. in primis

Can, Apoſt. 15. & 16. citati à beato Gelaſio.

Can. Apoſt. 25. & 16. citati à Gelaſio.

intellexit, cum quibus conuenit quod beatus Gelaſius hoc cap. 20 iubet. Et ſi enim eodẽ pertineant Canones Synodi Nicenæ 9. & 10. in illis tamẽ Synodus Nicena Canonem quoque veterem eccleſiæ, id eſt, apoſtolorũ citauit. Sic enim ait Canone 9. de examinatis, ac cõfeſſis peccata, & poſtea ordinatis, Si homines moti præter Canonem, eis manus impoſuerunt, hos Canon nõ recipit. vtrobique addidit articulum, vt intelligamus veterem ac notum Canonem dici. & rurſus in ſequenti Canone id eſt 10. de iis, qui peccauerũt & poſtea ordinati ſunt, ſiue per ignorantiam, ſiue conſciis ordinatoribus, nihil (inquit) præiudicat Canoni eccleſiaſtico, cogniti enim deponuntur. Hic quoque Canonem veterẽ ſignificauit, qui clericos deprehenſos in crimine deponi iubet. Qui eſt Canon Apoſt. 25. Rurſus idem Gelaſius in epiſtola ad Epiſcopos per Picenum contra Pelagianam hæreſim, arguens eos, Sed quid miremur (inquit) eccleſiarum principes iſta negligere, quos, ſicut à multis audiuimus, contra Canones omnia gerere, & contra Apoſtolicam diſciplinam paſſim cuncta miſcere, manifeſtum eſt nõ ſeruatis regulis ordinare. Agnouit igitur beatus Gelaſius regulas Apoſtolicæ diſciplinę de dignis & indignis ordinationibus, qui ſunt Apoſtolici Canones. Sed hactenus de beato Gelaſio cuius auctoritatem centuriatores in Canones Apoſtolorum obiecerunt, dicentes non referri eos ab eo inter authentica ſcripta, qui non aduerterunt, cum inter authentica ſcripta retulit Epiſtolas decretales, quas beatiſſimi pontifices ſcripſerunt, ex quibus eſt epiſtola Zepherini, in qua continetur, 70. ſententias Apoſtolos cum aliis quamplurimis Epiſcopis præfixiſſe, & ſeruandas cenſuiſſe, ſimul ſententias illas 70. quas Canones vocamus, inter authentica retuliſſe. De Iſidoro autem, quem hic quoque Magd. in eoſdẽ Canones obiecerũt, idem reſpõſum ſit, quod de beato Gelaſio. idem enim cum illo ſenſit, & dixit. Loquens enim de illo ipſo libro Canonum Apoſtolorum, quem Gelaſius apocriphum eſſe pronunciauit, vt qui Canones Apoſtolorũ cum hæreticis haberet promixtos, intuens in decretum eiuſdem Gelaſij, & Synodi 70. Epi-

ſcopo-

ſcoporum de libris apocryphis & authenticis in præfatione ſuæ collectionis Canones (inquit) qui dicuntur Apoſtolorum,ſeu quia eoſdem neque ſedes Apoſtolica recepit,neque ſancti patres iis aſſenſum præbuerūt, pro eo , quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur,quamuis in eis vtilia inueniātur, tamen ab auctoritate canonica & Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota , atque inter apocrypha reputata.De canonibus verò Apoſtolorū non permixtis cùm hæreticis quid idem Iſidorus ſentiret, ſcripſit ſtatim in eadem pręfatione,ſic enim ſubiungit,Propter eorum auctoritatem cæteris præponimus canones,qui dicuntur Apoſtolorum , licet à quibuſdam apocryphi dicantur. Non loquitur nunc de illis canonibus , qui ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcebantur : illi enim non à quibuſdam , ſed à ſede Apoſtolica,& ſanctis patribus,id eſt à Synodo 70. Epiſcoporum apocryphi pronunciati erant : ſed loquitur iam de canonibus Apoſtolorum non permixtis, ſed puris, licet à quibuſdam adhuc Apocryphi dicerentur.Sed quia plures (inquit)eos recipiunt,& ſancti patres eorum ſententias Synodali auctoritate roborauerunt : & inter canonicas poſuerunt conſtitutiones, idcirco cæteris cōciliis eos præpoſuit.Si vos ergo Magd. Iſidori auctoritatem nobis aduerſus canones Apoſtolorum obiiciendam eſſe putaſtis, & nos eiuſdem auctoritatem vobis obiicimus , quo in gladium à vobis diſtrictum,vt noui Amalechitæ, irruatis : & veſtro pugione confoſſi pereatis. Etenim ſi ſancti patres Apoſtolicorum canonum ſententias Synodali auctoritate roborauerunt, vt S.Iſidorus teſtatur,& res ipſa loquitur , vt vèl ex iis, qui nomocanones,id eſt,leges canonicas in titulos varios,& varia capita diſtribuerunt,facilè perſpici poteſt, qui eſtis vos, vt cum Synodis ſanctorum patrum vos comparare audeatis? aut quæ iſta veſtra quadrumuiralis auctoritas, vt cum auctoritate Synodica conferenda ſit?

Quid beatus Iſidorus de canonib Apoſt. ſcripſerit.

De 70. ſententiis Apoſtolorum in epiſtola Zepherini, vbi, & quando ſint à Sanctis Apoſtolis ſancitæ, & qui vſus, &

officium earum. & reſponſio ad ea quæ Magdeb. in epiſtolam Zepherini obiiciunt, & in ſententias iſtas 70. de quibus in epiſtola Zepherini ſcriptum eſt. *Caput 16.*

SEd quia paulò ante meminimus de 70. ſententiis Apoſtolorum, quas Zepherinus pontifex Apoſtolicus præfixiſſe Apoſtolos, in epiſtola ſua affirmat, quæ ſunt canones Apoſtolorum, quos habemus, tempus eſt & locus admonet, vt aliquid de iis ipſis ſentẽtiis dicamus, & de numero earum, quemadmodum cum numero Canonum apoſtolorum conueniant. tum etiam vt ad ea reſpondeamus, quæ centuriatores nobis in epiſtolam ipſam Zepherini obiiciunt eo conſilio, vt refutata epiſtola ſimul ſententiæ illæ 70. Apoſtolorũ canonicæ, refutatæ eſſe videantur. Sed primum quia ſolet à quibuſdam curioſis ſimul & ſtudioſis quæri, quando, & vbi cum quamplurimis Epiſcopis, vt ait. S. Zepherinus, ſententias iſtas canonicas & eccleſiaſticas regulas ſancti Apoſtoli tradiderũt, dicam prius, quæ de hac re obſeruaui. Scribit Sophronius Hieroſolymitanus Patriarcha in homilia de agone Petri, & Pauli, poſtquam beatus Petrus catenis illis, quibus iuſſu Herodis vinctus fuerat, fuiſſet manu angeli liberatus, multas eum regiones propter Simonem Magum perambulaſſe, verbum Dei prædicando, ac tandem (inquit) rediit Hieroſolymam tertio anno vocationis Pauli, de quo ipſe Paulus ait, poſt tres annos aſcendi Hieroſolymam videre Petrum: & manſi cum eo diebus 15. vbi (inquit Sophronius) canones & conſtitutiones fecerunt. Et Paulus quidẽ ad opus, ad quod vocatus fuerat, profectus eſt: Petrus verò iterum reuerſus Antiochiam Hactenus Sophronius. Fortaſſe de illis conſtitutionibus intelligendum ſit hoc, quæ in 8. libro Clementis ante canones illos eccleſiaſticos Apoſtolorum 85. inſcriptæ ſunt Petro & Paulo c. 34. de diebus feſtis & exequiis mortuorũ, ſicut ſunt aliæ inſcriptæ Paulo de admittendis, & de non admittendis ad baptiſmum c 32. Scribit item Clemens Romanus in perſona Apoſtolorum lib. 6. c. 12. miſſis literis illis

De Canonibus Apoſt. vbi traditi & conſtituti obſeruatio ex Sophronio Hieroſolymitano & Clement. Rom.

Galat cap. 1.

cum decreto Apoſtolorum de ceſſatione legalium ad Antiochenſes, remanſiſſe ibi eos multis diebus, cõquirentes (inquit) vnà omnes quæ ad communem vtilitatẽ & correctionem pertinerent. Scilicet hoc eſt officium canonum διορθοῦν, id eſt, corrigere praua: & hic eorum vſus, ad communem vtilitatem eccleſiæ præſcribere, quomodo oporteat in eccleſia Dei conuerſari, ſicut Apoſtolus ad Timotheum ſcripſit. Poſtquam enim docuit, quales eſſe deberent ſecundum eccleſiaſticos canones, qui eſſent Epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi ordinandi, ſubiunxit, Hæc tibi ſcribo, fili Timothee, vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viui. Et in epi. ad Corinth. priore poſtquam præcepta dedit de officio pronunciandi ſacras lectiones in eccleſia, quod non conuenit, niſi ordinatis & de docendo verbum Dei, quod eſt ſacerdotum, & poſtquã prohibuit ne mulieres in eccleſia docerent, ſubiungit, omnia honeſtè, & ſecundum ordinẽ fiant in vobis. An non hoc ſatis declarat, fuiſſe traditas in commune regulas eccleſiaſticas, ex quibus diſcere illi poſſent, quomodo honeſtè & ſecundum ordinem omnia fierent in eccleſia? Quomodo enim præciperet Apoſtolus, vt omnia fierent, κατὰ τάξιν, id eſt ſecundum ordinem, ſi nullæ erant eccleſiaſticæ διατάξεις, id eſt, diſpoſitiones, ſiue conſtitutiones, quos canones vocant? Rurſus in epiſtola ad Timotheum. Sollicitè (inquit) cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Græce eſt ὀρθοτομεῖν quod verbum ſignificat, ſiue in moribus, ſiue in verbo non eſſe diſcedendũ à regulis eccleſiæ traditis, ſed potius ad eas eſſe dirigendam vitam, & doctrinam: mutuatus eſt enim Apoſtolus hoc verbum ex prouerbiis Salomonis iuſtitia (inquit) Innocentis ὀρθοτομεῖ ὁδοὺς, rectà enim incedit iuſtus non declinans nec ad dextram, nec ad ſiniſtram, id eſt, nec ad nimium, neque ad parum, quæ ſunt vitia, ſed potius ingreditur per mediam viam virtutis. Huc ergo ſpectant canones, & hoc eorum officium. Immò ipſo verbo canonis vſus eſt Apoſtolus in epiſtola ad Philippenſes. Verumtamen ad quod per-

Qui vſus, et vis Can. Apoſtolor.

1. Timoth. 3.

Ex quibus locis Pauli intelligatur, traditos eſſe ab Apoſto. eccleſiaſticos canones ad gubernationem eccleſiarum.

2. Corinth. 14.

2. Timoth. 2.

Prouerb. cap. 11.

Philipp c. 3.

uenimus (inquit) vt idem ſapiamus: in eadem regula permaneamus. Græce eſt, in eodem Canone. Canon enim regulam ſignificat. Eſt autem permanere in eodẽ Canone (inquit Photius hunc locum interpretans) eoſdem mores ſeruare: & vnum idémque ſentire tum in vita degenda, tum in doctrina. Quemadmodum enim (inquit) qui aliquod dogma mutat, ſuperiora etiã mutat, ac diſſoluit: ſic in vita qui aliquid mutat, & relaxat, ac non potius eandem limam ſeruat, etiam antegreſſa lædit. Cùm igitur eo ſpectent Canones, vt ſecundum eos praua corrigantur: & vt ſciamus, quemadmodum oporteat in eccleſia Dei conuerſari, ac omnia honeſtè, & ſecundum ordinem in ea facere, & vt in eis nos tanquam intra cancellos quoſdã contineamus, quos non liceat tranſire, vnde ὅροι quoque Græcè, id eſt, termini vocari ſolent, profectò qui Canones Apoſtolorum negant, conſequens eſt, vt ſimul dicant, non tradidiſſe Apoſtolos, quomodo oporteat cõuerſari in eccleſia Dei: ac fruſtra etiam præcepiſſe, vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinẽ fierent in ea, hoc enim quod Paulus præcipit, reliquos quoque Apoſtolos præcepiſſe, iudicandum eſt: ac dicant prętere a, non docuiſſe eos ὀρθοτομεῖν id eſt, rectè tractare verbum veritatis, ſi eccleſiaſticam diſciplinã, quæ canonibus eorum continetur, eccleſiæ non tradiderunt, ſi quidem ſine hac verbum veritatis rectè tractari non poteſt. Vt igitur ad Clementem reuertar, cùm ſcribit, poſt quæſtionẽ illam de legalibus, multis diebus remãſiſſe Hieroſolymis ſanctos Apoſtolos ἅμα συζητοῦντας πρὸς τὸ κοινωφελὲς εἰς διόρθωσιν, id eſt, conquirentes vna, quæ ad communem vtilitatem eccleſiæ & correctionem ſpectarent. vim & officium canonum eccleſiaſticorum, quos ſancti Apoſtoli tradiderunt, diuinè expreſſiſſe mihi videtur. Interrogemus ergo iſtos, qui canones Apoſtolorũ negant, an negent etiam hoc, quod grauiſſimus auctor, & Apoſtolorum diſcipulus narrat: & ratio ipſa per ſe ita eſſe conuincit, ſcilicet conquiſiſſe illos, vt neceſſe erat, vna quæ ad cõmunem vtilitatem eccleſiarum omnium, & ad correctionis eccleſiaſticæ diſciplinam ſpectarent? quod ſi non negent, non enim tam alieni ab omni ſenſu com-

Vbi conditos fuiſſe Canones Apoſt. auctoritas Clẽ. Rom. & ratio probabilis conuincat.

muni erunt, vt negēt, quæramus ab eis rurſus, vbi ſunt iſta quæ conquiſiuerunt ad communem vtilitatē omnium eccleſiarum, & ad correctionem, ſiue directionem quod proprium eſt regulæ. vtrumque enim ſignificat διόρθωσις, quo verbo vſus eſt Clemens. Aut quorſum illa conquiſita ſunt, ſi nobis non ſunt tradita? aut, ſi tradita ſunt. vbi illa ſunt, ſi Canones eccleſiaſtici, quos Clemens per ſermonē ab eis traditos, nobis deſcripſit, non ſunt eorum Canones? Sed veniamus iam ad epiſtolam Zepherini, & ad 70. illas ſententias, quas dicit ſanctos Apoſtolos cū quamplurimis Epiſcopis præfixiſſe. Quod quidē mirificè conuenit, cum eo, quod idē Clemens ſcribit, conquiſiſſe illos vna ad vtilitatem cōmunem & correctionē, cum eſſent Hieroſolymis poſt decretum illud de ceſſatione legalium factum, tunc enim multi Epiſcopi conuenerant, quos Lucas vt ſolet Paulus, presbyteros vocat, cùm ait, Statuerunt, vt aſcenderent Paulus & Barnabas, quidam alij ad Apoſtolos, & presbyteros in Hieruſalē ſuper hac quæſtione. Et paulò poſt, Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus, Græcè eſt presbyteris, id eſt, Epiſcopis cum omni eccleſia eligere viros, & quæ ſequuntur. Cum ijs igitur Epiſcopis, cum quibus Apoſtoli de quæſtione illa conquiſierant, de ijs etiam, quæ ad communem vtilitatem. & eccleſiaſticam diſciplinam pertinebāt, vna conquiſierunt: tradiderúntque regulas, quas Clemens Romanus canones eccleſiaſticos ſanctorum Apoſtolorum vocat: & ſanctus Zepherinus conſtituta Apoſtolorum, & 70. ſentētias. Sed hic Magd. vt probent, ſententias iſtas nō eſſe Canones Apoſtolorum, quos nos habemus, & ipſi negant, primū obijciunt, non reperiri in canonibus Apoſtolorū, quod Zepherinus ait, eſſe in iſtis Apoſtolorum 70. ſententijs, de priuiligio ſcilicet eccleſiæ Romanæ: vt iudicia, inquam, Epiſcoporum, & maiores cauſæ eccleſiæ. ſicut ait Zepherinus, à ſede Apoſtolica; & non ab alia, ſicut ſancti Apoſtoli, & ſancti ſucceſſores eorū cum aliis Epiſcopis ſtatuerunt, ſint terminandæ. Non mirum eſt, non aduertiſſe Magdeburgēſes, in quo canone Apoſtolorum hoc reperiatur, qui alia multo etiā clariora, & faciliora paſſim ſolent non aduertere, nec

De epiſtola Zepherini, & de 70. ſententiis Apoſt.

intelligere. Imò, quia multo adhuc clarius, & luculentius, & vt ita dicam, expreſſius hoc ipſum à ſucceſſoribus Apoſtolorum explicatum erat, non contentus beatus Zepherinus dicere, ſancti Apoſtoli ſtatuerunt, addidit, & eorum ſucceſſores cum aliis Epiſcopis. Oſtendamus ergo iſtis, qui ſe putāt omnia videre, in quo canone Apoſtolorum tota vis huius priuilegij eccleſiæ Romanæ, de quo Zepherinus meminit, contineatur. Continetur ſcilicet in canone 34. Apoſtolorum, qui iubet, vt omniū gentium epiſcopi ſuū primum agnoſcāt & nihil exuperās ſine illius ſententia agant, ſed illa tātùm, quæ ad cuiuſq; paroeciam & loca eius pertineāt. Etenim ſi omnes Epiſcopi, qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, debent agnoſcere ſuum primum, id eſt, Metropolitanum, quamuis omnes ſint epiſcopi, vt ſcilicet ad eum pertineat maior ſolicitudo de epiſcopis ſubiectis: ergo ipſi etiam primi, id eſt, Metropolitani ſucceſſores item Apoſtolorū, debēt quoque agnoſcere ſuum primum, ſucceſſorē ſcilicet beati Petri principis Apoſtolorum. Sicut enim Apoſtoli quamuis omnes eſſent Apoſtoli, beatum Petrum (ita domino inſtituente) primum agnouerūt, & eum habuere caput, ſic eandē formā ſuis ſucceſſoribus & reliquis epiſcopis reliquerūt, ſcilicet vt quamuis omnes eſſent Epiſcopi, ſucceſſorem tamen beati Petri primum agnoſcerent: & eum haberent caput. Non ergo hanc interpretationem canonis excogitaui: neque mea eſt, ſed ſancti Anacleti beatiſſimi martyris & apoſtolici pontificis, qui, vt oſtenderet, relictam eſſe hanc formam ſucceſſoribus Apoſtolorū, & reliquis epiſcopis, quæ erat inter Apoſtolos, & Petrum, vt ſcilicet omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſiue maiores, vt archiepiſcopi, vel Metropolitani, ſiue minores, vt epiſcopi vnum ſucceſſorē Petri agnoſcerent, canonem Apoſtolorum 34. in epiſtola 3. produxit. Sic quoque Dionyſius Areop. vt hoc obiter obſeruetur, ne quis nouum putet, in epiſ. ad Demophilū ſucceſſores Apoſtolorū ab epiſcopis diſtinxit, qui ſunt etiā ſucceſſores Apoſtolorum, ſed minores, quam archiepiſcopi ſiue Metropolitani. Sed quæret aliquis, cur canō Apoſtolorum non dixit, quod erat multo clarìùs, vt omnes

Quomodo priuilegium eccleſiæ Romanæ contineatur in vna ex lxx ſententiis Apoſt.

Interpretatio canonis Apoſt. 34 ex S. Anacleto ad priuilegium eccl ſiæ Rom. pertinēs.

Diſtinctio eorū qui ſunt ſucceſſores Apoſt maiores, & alii minores ex S Anacleto, & S. Dionyſio Areop.

epiſcopi Metropolitani, atque adeo Patriarchæ vnum Pontificem Ro. primum & tanquam caput agnoſcerent? cauſa fuit, quia non hoc ab Apoſtolis, ſed à Chriſto conſtitutum eſt, cùm dixit beato Petro. Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & illud, Tibi dabo claues regni cælorum. Sed cur rurſus de Metropolitanis dictũ eſt in hoc canone, vt omnes Epiſcopi agnoſcant ſuum primum, id eſt, ſuum Metropolitanum, de Patriarchis verò non ſic dictum eſt, vt omnes Metropolitani agnoſcant ſuum primum, id eſt, ſuum Patriarcham? cauſa eſt, quia non, ſi quis ſubiectus eſt maiori quam Metropolitano, continuò ſequitur, vt ſubiectus ſit minori id eſt Metropolitano. Vt quidem ſequitur, ſi quis ſit Metropolitano ſubiectus, multo magis ſubiectus ſit ei, qui eſt ſupra ſuum Metropolitanum. Conſtat autem Patriarcham maiorem eſſe Metropolitano eadem etiam ratione ſequitur, vt multo item magis ſubiectus ſit capiti Patriarcharum, id eſt, Epiſcopo, & Patriarchæ Romano, cui Dominus ore ſuo, illud etiã dixit, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Quare canon Apoſt. 34. non dixit, vt ſingularum gentium Epiſcopi agnoſcerent vnum Pont. Rom.

Iã verò quomodo ex eo, quod pontifex ſit primus omnium, vtpote ſucceſſor beati Petri principis Apoſtolorum, ſequatur, omnia iudicia Epiſcoporum, vt S. Zepherinus ait, & maiores cauſas à ſede Apoſtolica, & nõ ab alia terminari debere, ſicut ſancti Apoſtoli ſtatuerunt, facilè intelligit, qui credit, poteſtatem ligandi primum datam eſſe beato Petro, ſicut Euangelium teſtatur, ac proinde per eum tranſlatam eſſe ad alios Epiſcopos, vt ait S. Zepherinus. Etenim ſi primùm cõuenit ſucceſſori beati Petri poteſtas ligandi, & ſoluendi, & per eũ tranſlata eſt ad alios Epiſcopos, ſiue maiores, ſiue minores, vt ipſi alios ſibi ſubiectos abſoluere, aut ligare poſſint, conſequens eſt, vt ipſos Epiſcopos ſiue maiores, ſiue minores nemo poſſit abſoluere, aut ligare, præter primum, in quo eſt tota & prima poteſtas ligandi, & ſoluendi. Eadem ratio eſt de maioribus eccleſiæ cauſis, quæ de iudiciis maioribus, id eſt, Epiſcoporum: ita fit vt priuilegium eccleſiæ Romanæ, quod ei à Domino tributum eſt, in Apoſtolico canone, vt iam explicatum eſt, contineatur. Quod quidem non eſt mirum,

Quomodo ex eo quod Pont. Ro. ſit primus omnium Epiſc. & ſucceſſor beati Petri ſequatur, omnia iudicia maiorum cauſarum ad eum referenda eſſe.

vt dixi non intelligere Magdeburgenſes, nec aſſentiri. Imò magis mirum eſſet, ſi intelligerent, quod credere nolunt. Nõ enim credunt, fuiſſe beatum Petrum principem Apoſtolorum: neque reliquos Apoſtolos agnouiſſe eum primum & tanquã caput, alioqui facilè intelligerent, eãdem formam relictam eſſe ſucceſſoribus eorum tum maioribus, qui ſunt Archiepiſcopi, tum minoribus, qui ſunt reliqui Epiſcopi. Quia verò quacunque occaſione oblata legentes iuuare ſtudeo, admonebo hoc loco epiſtolæ Zepherini, quod eſt hic ſcriptum in exemplaribus publicis, id eſt impreſſis: Iudicia enim epiſcoporum, maioréſque eccleſiæ cauſæ à ſede Apoſtolica, & non ab alia, ſicut Apoſtoli & ſancti ſucceſſores eorum ſtatuerunt cum aliis Epiſcopis ſunt terminandæ, ambiguum eſſe, vtrum dicat, terminãdas eſſe cauſas maiores à ſede Apoſtolica cũ aliis Epiſcopis, id quod Acatius Romano pontifici obiiciebat, non potuiſſe ſcilicet ſine Synodo Epiſcoporum Petrum Alexandrinum, & ipſum Acatium damnare, quod quidem beatus Gelaſius grauiſſimè refutat: an dicat, ſicut ſancti Apoſtoli ſtatuerunt cum aliis Epiſcopis: hoc inquam, quod ambiguum eſſet, & facilè propter ambiguitatem ad ſenſum Acatij & aliorum ſchiſmaticorũ detorqueri poſſet, ſic eſt in vaticano exemplari, ſine vlla ambiguitate ſcriptum, ſicut Apoſtoli & ſancti ſucceſſores eorum cum aliis Epiſcopis ſtatuerunt. Eodem modo ante Zepherinum loquens beatus Anacletus de alio canone Apoſtolorum, ad eoſdem auctores retulit, id eſt, ad ſanctos Apoſtolos, & eorum ſucceſſores cum aliis Epiſcopis. Sic enim ait in Epiſtola 1. & beati Apoſtoli, (ita enim eſt in eodem exemplari vaticano vetuſtiſſimo) ac prædeceſſor noſter vir Apoſtolicus, & ſpiritu Dei plenus vnà cum reliquis ſanctis collegis ſuis ſtatuit, dicens, & quæ ſequuntur.

Locus epiſtolæ Zepherini emendatius ad exemplar vetuſti codicis, vaticani.

Reſponſio ad ea, quæ in epiſtolam Zepherini obiiciuntur, ac primum de genere ſermonis, deinde de non cohærentibus, poſtea de teſtimoniis ſcripturæ temere citatis, & de ratiocinationibus inepte confectis, deinde de manifeſte falſis

Caput 17.

SEd, quia cœpimus reſpōdere ad ea, quæ Magd. in Epiſtolam Zepherini obiiciunt, perſequamur reliqua omnia, nihil diſſimulantes, quamlibet leue & ridiculum eſſe videatur, ne iſti, in quo maximè inſipientiam ſuam produnt, in eo de ſapientia gloriētur. Hæc ergo ſunt, quæ iudicio quadrumuirali Centuriatorum in Epiſtolam Zepherini obiiciuntur, primùm, genus ſermonis, in epiſ.2. vtatur exilio perpetuæ deportationis: modernis temporibus chriſtianitatem ſuſcepiſtis &c.]

Loquitur pontifex, vt vulgò tunc loquebantur. Probent Magd. non ſic illis temporibus vulgò loqui ſolitos. An exiſtimant Magd. Verbū moderni à modo dictum, nouum tunc fuiſſe? minimè credo: quod ſi vetus erat, licet inelegans & vulgare, quid obſtabat, quo minus eo verbo, & ſimilibus pontifex vteretur, quibus vulgus vtebatur, qui, ne ſimilis eis videretur, qui ex electione verborum laudem & gloriam inanem quærebant, exemplo Apoſtoli imperitus ſermone, ſed non ſcientia, videri volebat. An non idem fecerunt ſancti Apoſtoli, qui euangelia, & epiſtolas nobis ſcripſerunt? ſed ad hunc locum copioſius proximo libro defenſionis epiſtolarum iſtis reſpōdebimus, qui ſapientiſſimos Pontifices de verbis accuſantes, videri volunt elegantes, & eloquentes, cùm ſint ipſi interdum putidiſſimi, & infantiſſimi. Et, niſi otio abuti pœniteret, poſſem hoc facilè permultis exemplis docere. Deinde ἀνακόλουθα (inquiunt) in his paſſim multa: in Zepherini epi.1 non cohęrent cum ſuperioribus ea, quæ incipiunt, Patriarchæ verò, &c.] *2. Cor. c. 11.*

Sed videamus cohæreant ne, an potius Magd. cohærentiam non intellexerint. Si enim ad eos labores, qui illis temporibus ab Epiſcopis ſuſcipiendi erant; & ad ea pericula, quæ ſubeunda, & eas perſecutiones, quæ aſſiduè ſuſtinendæ, accuſandi Epiſcopos quibuſvis licentia permiſſa fuiſſet, quotus quiſque fieri tunc Epiſcopus voluiſſet? hinc tanta, ac tam crebra Pontificum ſolicitudo, & cautio, ne Epiſcopi temere accuſarentur. Scribit igitur Zepherinus ad Epiſcopos Siciliæ, mo-

Quomodo cohæreant in epi. Zepherini, quæ tā quam non cohærentia Magd. accuſant.

netque eos in prooemio prudentiſſimè, quales eſſe debeant, ne vllius iniqui calumnias, & falſas accuſationes metuant monet inquam, vt ſint, ſicut ſtellæ lucentes in mundo, vt Apoſtolus ait, ſtabiles, & immobiles ab ſpe euangelij, & in eo ſeruando ita fixi, vt ſunt ſtellæ in firmamento cæli: ita enim futurum eſſe, vt non plus aduerſus eos iniquitas hominum ad obſcurandum ſplendorem gloriæ eorum valeret, quàm valeat nox ad extinguendum fulgorem ſtellarum. Poſtquam ad hunc modum Epiſcopos aduerſus iniquitatem accuſatorum admonuit, & inſtruxit, continuò ſe ad præcipiendum iudicibus epiſcoporum opportunè conuertit, inquiens, Patriarchæ verò vel primates accuſatum diſcutientes Epiſcopum, & quæ ſequuntur. Dicant nunc Magd. ſi quid iudicij habet, quid aptius, & magis appoſitum eſſe potuit, quàm à iudicatis perſonis ad iudices ſermonem transferre? id eſt, ab Epiſcopis ad Patriarchas, vel Primates? ita iſti valentes animaduerſores hoc tantum proficiunt reprehendendo, & notando, vt ſuam prodãt inſipientiam, & tarditatem. Illud etiam tanquam ἀνακόλουθον, vt iſtorum græcizantium verbo vtar, id eſt, non cohærens notarunt, quod in eadem epiſtola Zepherinus ait. De occultis enim alieni cordis, & quæ ſequuntur. Hic quoque ignorantiam ſuam prodiderunt. Debuerant enim animaduertere, continere hanc Epiſtolã, vt cæterorum illius ſæculi pontificum, varia decreta, vnde decretales Epiſtolæ dictæ ſunt. Immo S. Iſidorus has Epiſtolas decreta vocat, ſic enim eas inſcripſit, decreta Anacleti, decreta Zepherini, & ſimiliter in aliis. Vt iam non ſemper opus ſit cohærentia, vbi de rebus variis neceſſe eſt varia eſſe capita, vt vel in noſtris litteris, quas ſcribere ſolemus, ſæpe ſolet fieri, vt ab vno capite ad aliud ἀνακολούθως tranſeamus, tametſi in iis quoque variis capitibus ratio quædam ordinis, & ἀκολουθίας ſeruari poſſit, ac ſoleat. vt hic: Dixerat enim, Nec in re dubia certa iudicetur ſententia: nec vllum iudicium niſi ordinabiliter habitum teneatur: abſens verò nemo iudicetur. Accuſatores autem eorum omni careant ſuſpicione. Duodecim autem iudices quilibet Epiſcopus accuſatus, ſi neceſſe fuerit, eligat, ius cauſæ ad ſedem

Philippen. 2.

Coloſſ. c. 1.

Apoſtolicam referatur. ad eam quoque ab omnibus appellandum eſt. Hæc ſunt huius epiſtolæ decreta, quæ ſunt ordine ſuo aliud ex alio nectendo, poſita. quæ omnia locum habent, cum de re non dubia iudicium fit, ſicut principio dixerat. Deinde ſubiungit, de occultis enim alieni cordis temerè iudicare peccatum eſt. An parum hoc cohæret? quæ hîc ἀνακολȣθία?

Deinde in pleriſque (inquiunt) ſcripturæ teſtimonia "
plurima ſine iudicio congeruntur: & ineptè conficiun- "
tur ratiocinationes. interdum etiam deprauatè citātur] "

Hactenus Magd melius & cautiùs iſti ſibi conſuluerunt "
hoc loco, qui nullum teſtimonium ſcripturæ notarunt, deprauatè, vt ipſi dicunt, citatum, ne à nobis redarguerentur: & non intellexiſſe conuincerentur. Ratiocinationem verò ineptè confectam aiunt eſſe hanc, Petro dictum eſt à ſolo Domino, quæcunque ligaueris ſuper terram, &c. Ergo eccleſia Romana debet iudicare de cauſis aliorum Epiſcoporum.]

Sic iſti. etſi ſatis ad hoc reſponſum eſt ſuprà, cogor tamen iuxta prouerbium Salomonis, contra ſtultitiam iſtorum iterum reſpondere, ne ſibi artem ratiocinandi quàm penitus ignorant, ſcire videantur. Petro dictum eſt primum à Domino, quæcunque ligaueris, &c. Quęro à vobis noui Zenones, creditis ne eſſe hoc verum? an non? ſi creditis, ergo poteſtas ligandi ei primùm conuenit, cui primo data eſt: & cum repugnet, pluribus primum conuenire, conſequens neceſſariò eſt, vt per primum Epiſcopum ad alios Epiſcopos transferatur: vt rurſus per Epiſcopos ad alios inferiores. Quod ſi aliis Epiſcopis non conuenit poteſtas ligandi ſubiectos, aut ſoluendi niſi per primum; vt omnia ad vnum redeant, ergo ipſi Epiſcopi à nullo poſſunt ligari, aut ſolui, niſi à primo, aut ab alio auctoritate primi. Etenim ſi ab alio, quàm à primo, ligari, vel ſolui poſſunt, Ergo ille alius, à quo poſſunt, poteſtatem ligandi & ſoluendi habet non tranſlatam ad ſe per primum: ac rurſus illi primo non eſt data primùm poteſtas ligandi, ac ſoluendi, cuius contrarium poſitum erat, & à vobis conceſſum. Quod ſi negatis, quod poſui vos credere, in vtra parte eſt vitium malè, & ineptè ratiocinandi? in

Quomodo ratiocinatio Zepherini a Magde. reprehenſa conuincat eos ratiocinandi artem penitus ignorare.

Quia Magd. euangelio non credunt de poteſtate pont. idcirco ex falſo falſum à nobis concludi pu-

tant, cum ex eo quod dictum eſt Petro, ſummam poteſtatem ſequi demonſtramus. Matth. c. 16.

noſtra ne qui euangelio credimus, & ex vero verum concludimus? an in veſtra, qui non creditis? & ideo ex falſo falſum concludi falſò exiſtimatis? Euangelium enim negat, qui beatum Petrum Principem Apoſtolorum eſſe negat, dictumque ei ſoli ſpecialiter, quæcunque ligaueris, & quæ ſequuntur: & per eius ſpecialem & primam poteſtatem tranſlatam eſſe generaliter ad omnes alios Epiſcopos poteſtatem ligandi & ſoluendi ſpecialiter cuique eorum ſubiectos. Sed vt melius fortaſſis intelligant vim & formam huius ratiocinationis, quam non intelligentes ſuo more reprehenderunt, proponamus eis ſimilem ratiocinandi formam in poteſtate regali, per quam transfertur poteſtas ſæcularis iudicandi ad ſummos magiſtratus, & principes, & per eos ad alios inferiores. Regi Galliæ, verbi gratia, data eſt primùm à Deo ſecundum legem ſæculi poteſtas iudicandi de cauſis ſæcularibus, & condemnandi, & abſoluendi in regno ſuo: ergo regis ſenatus, quem Parlamentum vocant, de cauſis ſummorum magiſtratuum, & principum eius regni, qui ſub poteſtate regis ſunt, iudicare debet. Etenim ſi non debet, conſequens eſt, vt non fuerit data primum poteſtas regi Galliæ regendi regnum ſuum, & per eum ad alios magiſtratus, & principes tranſlata poteſtas in ſuos, cuius contrarium poſitum erat. Si igitur hæc ratiocinatio valet in rege ſæculi, cur non valeat in vno rege ſpirituali vnius regni ſpiritualis, quod eſt eccleſia catholica?

Exemplum ſimilis ratiocinationis eius, quã in epiſt. Zeph. Magd. reprehendunt.

Deinde (inquiunt Magd.) ſi ad analogiam hiſtoriarum, & rerum huius ſæculi conferantur, tum pleraque in his epiſtolis per ſe manifeſtè falſa ſunt, vt quod 1. Zepherini dicitur, Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis, vt 70. diſcipulos in adiumentum eligerent: cum id nunquam ex euangeliſtis conſtet: & certum ſit ex Lucæ 10. Chriſtum 70. diſcipulos elegiſſe, & emiſiſſe.]

Hactenus Magd. fingamus non fuiſſe Zepherinum, vt Magd. volunt, qui hanc epiſtolam ſcripſerit, par ne erat, vt veriſimile eis videretur, auctorem epiſtolæ tam grauis, & tanta decretorum ſapientia plenè ignoraſſe, quod in cap. Lucę 10. ſcriptum erat, quod ne pueri quidem ignorare ſolent? An non potius oportebat, ſi vlla

eis cura.& ſtudium ſcripturas intelligendi erat, conſiderare hic proprietatem,& vſum verborum,conſequẽtiam rerum, & traditionem Apoſtolicæ interpretationis? & non ſuo more ferri præcipites ad reprehendendum,priuſquàm quod reprehendunt,intelligant? Ergo eligere in ſcriptura, quod Græcè dicitur ἐκλέγειν, homonymum eſt,aliquando enim ſignificat ſegregare,& ſeligere è multis,non dando poteſtatem,vt cùm ait, Et conuocantes duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt, non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei,& miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres,viros ex vobis boni teſtimonij vij. plenos ſpiritu S.& ſapientia. quos conſtituamus ſuper hoc opus, & placuit(inquit) ſermo coram omni multitudine:& elegerunt Stephanum, & reliquos: & ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus, & quæ ſequuntur Elegit ergo multitudo: & Apoſtoli,tãquam miniſtri Dei, poteſtatem ſpiritualem diaconorum dederunt electis. Et rurſus de electione Matthiæ, & ſtatuerunt(inquit)duos: & orantes dixerunt, tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende ſiue declara, quem elegeris ex his duobus. quem elegeris(inquiũt,) quæ electio facta quidem eſt à Domino dando poteſtatem electo,eſt autem vtrobique idem verbum Græcè ἐκλέγειν. Hactenus de proprietate, & conſuetudine verbi eligendi in ſcriptura. Videamus nunc,quid euangeliſtæ dicant, vt ſenſum Zepherini pontificis ex verbis & conſequentia rerum eliciamus. Videns autem (inquit Matthæus)turbas, miſertus eſt eis, quia erant vexati, & iacentes, ſicut oues non habentes paſtorem. Tunc dicit diſcipulis ſuis meſſis quidem multa,operarij autem pauci: Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios. Hæc ergo eſt conſequentia rerum à Matthæo, & Luca expoſita, poſtquam vidit dominus turbas,& miſertus eſt eis,tunc dixit,meſſis quidem multa, operarij autem pauci: Rogate ergo dominum meſſis, vt mittat operarios:tunc Apoſtoli vt admoniti à domino de neceſſitate mittendi operarios propter multam meſſem, & de neceſſitate petendi hoc à Domino, qui dixerat omnibus,petite, & accipietis, rogauerũt domi-

Quomodo intelligendũ ſit,quod ait Zepherinus, chriſtum præcepiſſe Apoſtolis, vt eligerent 72. diſcipulos in adiumentum.

Act. c.6.

Duplex genus eligendi in ſcriptura.

Act.c.1.

Matt.c.9.

num, vt mitteret operarios. Non enim credendum eſt, non feciſſe eos, quod eis dominus præceperat, id eſt, rogare, vt mitteret operarios. Prius autem quam Dominus mitteret, neceſſe erat ſecundùm conſequentiam rerum, vt oſtenderet, ſiue declararet, eos, qui mittendi eſſent, quod interpres euangelij vocat, deſignare: & rurſus priuſquàm deſignaret, id eſt, oſtenderet, ſiue declararet, quos mitteret, neceſſe erat, vt eligerentur, id eſt, oſtenderet, ſiue declararet, quos mitteret, neceſſe erat, vt eligerentur, id eſt, ſegregarentur ab aliis hominibus, & ſtatuerentur ante eum, vt deſignaret, id eſt, declararet à ſe electos dando eis poteſtatem. Actum ergo deſignandi, id eſt, declarandi electos, quos Dominus miſit binos, narrauit Lucas inquiens, poſt hæc autem deſignauit Dominus, Græcè enim eſt ἀνέδειξατο, quo verbo vſus eſt idem Lucas in electione Matthiæ, vbi Apoſtoli ſtatuerunt duos, & orantes dixerunt, oſtende, ſiue deſigna (vt vtamur verbo interpretis euangelij) quem elegeris. Quare quod fecerunt Apoſtoli in duobus illis, quos ex numero aliorum elegerunt, non quidem dando eis poteſtatem, ſed ſtatuentes, ſiue repræſentantes ante Dominum, vt alterum eorum deſignaret, id eſt, declararet, vt haberetur electus à Domino, & quod fecerunt illi, qui, ſicut idem Lucas narrat, elegerũt vij viros, & hos ſtatuerunt antè conſpectum Apoſtolorum, & eos Apoſtoli elegerunt dando eis poteſtatem. id eſt, declararunt diaconos, ordinantes eos per orationem, & manus impoſitionem, hoc inquam, iidem Apoſtoli in illis 72. fecerunt. Eos enim elegerunt, & ſtatuerunt ante Dominum, vt Dominus eos declararet à ſe electos (hoc enim ſignificat, vt dixi, verbũ græcum ἀνέδειξατο) & declaratos, mitteret binos Itaque non dixit Zepherinus, quos Dominus præcepit deſignari, id eſt, declarari, ſed dixit, quos præcepit eligi, ſcilicet ex numero aliorum, ſegregari, inquam, à multitudine: & ſtatui ante Dominum, vt ipſe deſignaret, id eſt, oſtenderet, iuxta vim verbi græci, quos eligebat dando, eis poteſtatem, vt ſic deſignatos, id eſt, declaratos in meſſem ſuam mitteret. Vnde non dixit Lucas, poſt hæc elegit, ſiue ſegregauit Dominus, & ſtatuit ante ſe alios 72. ſed ἀνέδειξατο

Luc. cap. 10.

Actuum. cap. 6.

id eſt, declarauit alios 72. quos ſcilicet Apoſtoli, poſtquam rogauerunt eum, vt mitteret operarios in meſſem ſuam, ipſi elegerunt, & ſtatuerunt ante eum, vt eos vere ac propriè eligeret, dando eis poteſtatem: mitteretque in meſſem ſuam. Sic quoque non ſolum Zepherinus, ſed ante eum S. Anacletus in epi. 2. intellexit, ſicut à diſcipulis Apoſtolorum didicerat. Videntes autem (inquit) ipſi Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum meſſis, vt mitteret operarios in meſſem ſuam. Inde electi ſunt ab eis 72. diſcipuli, quorum typum gerunt preſbyteri. Idem rurſus dixit in epi. 3. idipſum, quod Zepherinus ab eo mutuatus eſt. Sed Magd. cum nec omonymiam verbi eligendi, nec vſum eius intelligerent, neque quid verbum deſignandi hoc loco ſignificaret, neque cõſequentiam rerum aduerterent, neque locos ſcripturę conferrent, neque traditionem Apoſtolicæ interpretationis curarent, viſi ſunt ſibi aliquid ſcienter in epiſtola Zepherini notare, & reprehẽdere. Sed nos eorũ inſcitiã reteximus, & arguimus, ne ſibi ſapiẽtes videãtur. Sed Fortaſſe Mag. vt quæ diximus refellãt dicturi ſint, quod dominus dixit, Rogate ergò dominũ meſſis, vt mittat operarios, nõ pertinere ad deſignationẽ illorũ 72. quia prius dicat Lucas, poſt hæc autem deſignauit Dominus & alios 72. & poſtea ſequitur, Et dicebat illis, meſſis quidẽ multa, operarij autẽ pauci, rogate ergo &c. Quibus reſpondemus, Matthæum eſſe, qui illa loco ſuo poſuit, tunc ſcilicet, cum vidit dominus turbas, & miſertus eſt eis, qui erãt, (inquit) vexati, & iacentes, ſicut oues non habentes paſtorem: & tunc dicit diſcipulis ſuis, meſſis quidẽ multa. Rogate ergo &c. Lucas verò ſuppleuit, quod in illo loco poſt illa verba Domini Matthæus prætermiſerat, deſignationem ſcilicet 72. Quod verò poſtea addidit Lucas præpoſtero ordine, (vt ſæpe Euangeliſtæ ſolent) & dicebat illis, meſſis quidem multa &c. recapitulatio eſt euangeliſtis familiaris, qua vſus eſt hic ad continuãdum ea, quæ Dominus dixit diſcipulis. Hæc autem, rogate Dominum meſſis, & quæ ſequuntur, non dixiſſe Dominum, poſtquam deſignaſſet 72. ſignificauit idem Lucas, cùm dixit, & dicebat illis, quo verbo imperfecti

Quæ ſint, quæ Magd. non animaduerterunt, ut locum Zepherini reprehenſum intelligerent.

Matth. cap. 9.

temporis vti ſolent euangeliſtæ, quando non eſt idem ordo rerum geſtarum, & narrationis. Poſſem hoc, ſi opus eſſet, pluribus exemplis demonſtrare, quod omnes alioqui, qui attentè & ſtudioſè legunt euangelium, facilè obſeruare poſſunt.

Reſponſio ad alia crimina, quæ adhuc in epiſtolas beati Zepherini Centuriatores obiiciunt, quæ ad hiſtoriam illorum temporum pertinent: in quibus erraſſe manifeſtè conuincuntur, & quomodo Demetrius Alexandriæ Epiſcopus, ex Apoſtolorum traditione, cuius teſtis eſt Synodus Nicena cognoſcere potuit principatum Epiſcopi Romani. Item reſponſio de forma gubernationis eccleſiaſticæ, ex Patriarchis vel primatibus, & Epiſcopis, quam tempore Zepherini fuiſſe negant: & de tempore, quo datæ ſunt litteræ, & itē reſponſio ad ea quæ ſecundum analogiam fidei ſe aiūt reprehendere: & de Euſebio, & Hieronymo, & aliis, quos obiiciunt, nō vidiſſe Epiſtolas Zepherini, & de cap. Si Romanorum diſ. 19. quod in epiſtolam Zepherini, imò in epiſtolas omnium veterum pontificum obiecerunt.

Caput 19.

„ SEd pergamus ad alia, quę iſti in epiſtolis Ze-
„ pherini notarunt, & quod Apoſtoli (inqui-
„ unt) cum aliis plurimis Epiſcopis 60. ſenten
„ tias perſcripſerunt, inter quas fuerit de priui
„ legio Romanæ eccleſiæ, loquens fortaſſe de canoni-
„ bus Apoſtolorum: verùm in his, vt hodie habentur, nō
„ fit mentio primatus Romanæ eccleſiæ.]

Hactenus Magd. paulò ſuprà reſponſum eſt ad hoc: & quemadmodum primatus Romanæ eccleſiæ in canone Apoſtolorum 34. contineatur, ſatis demonſtratum iis, qui euangelio credere volunt: & multo adhuc copioſiùs in ſecundo libro defenſionis Epiſtolarum demonſtrabitur, idque teſtimonio etiam Synodi Nicenæ.

„ Addunt præterea Magd. quædam nullas veriſimiles
„ occaſiones aut circunſtantias habent. Sic non eſt veri-
„ ſimile tempore Zepherini Epiſcopos per Aegyptum
„ ab aliis Epiſcopis ſpoliatos eſſe, vt narrat epiſ. Zephe-

rini

rini 2. cum eo tempore ethnici & non chriſtiani perſecutionem exercerent, vt patet ex Euſebio 5. libro c. 1.]

Hæc iſti. Eſto, ethnici eo tempore perſecutionem exercuerint, vt Magd. dicunt, vt quidem exercebant in eccleſiis Galliæ, vt narrat Euſebius lib. 5 c. 1. à Magd. citato & non in eccleſiis Aegypti, vt Magd. narrari finxerunt, cum in eo loco, ne verbum quidem de Aegyptiis Epiſcopis. An non potuerunt eſſe falſi fratres qui iniquis accuſationibus Epiſcopos pios, & catholicos perſequerentur? ad quod malum illud quoque accedebat, quod qui eos iudicabant, prius eos ex eccleſiis eiiciebãt: & bonis ſpoliabant, quàm eos in iudicio audirent. Dicant, quæſo, nobis Magd, cum Paulus inter pericula, quæ ſuſtinuerat, pericula ex falſis fratribus numerat, an pericula illa ex falſis fratribus non erant perſecutiones? Eſto; Ethnici Epiſcopos perſequebantur, quia erant chriſtiani, & chriſtiani populi duces, & magiſtri: an non poterant eſſe etiam falſi fratres, qui Epiſcopos, alioqui ſanctos, per inuidiam, & æmulationem calumniarentur? ſicut Apoſtolus de ſe in epi. ad Philipp. ſcripſit, quod quidam Chriſtum annunciabant non ſyncerè (inquit) exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis: an non erat illa perſecutio & non ab Ethnicis, ſed à falſis fratribus? Quid ergo iſti in epiſtolam Zepherini obiiciunt, non eſſe veriſimile tempore Zepherini Epiſcopos per Aegyptum perſecutionem paſſos eſſe ab aliis, quam ab Ethnicis? Prætereà an non cõuincit Magd. imprudẽtiſſimè hoc in epiſtolam Zepherini obieciſſe, quod beatus Ioannes de illo Diotrephe ſcripſit, inquiens, qui amat primatum gerere in eis Diotrephes non recipit nos propter hoc, ſi venero, commoneam eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: &, quaſi non ei iſta ſufficiant, nec ipſe ſuſcipit fratres: & eos, qui ſuſcipiunt, prohibet, & de eccleſia eiicit. an non erat iſta perſecutio, & quidem non ab Ethnico, ſed à falſo fratre? Quid hîc dicere poſſunt Magd? quorum tenebras, & cœcitatem Dominus illuminet. Sequi „
tur alia iſtorum in epi. 2. Zepherini criminatio, Et cum „
eo (inquiunt) tempore Demetrius Alexandriæ & aliis „
eccleſiis per Aegyptum præfuerit, non eſt ſimile vero, „

Magd. non putant pericula ex falſis fratribus tempore Pauli ad perſecutiones pertinuiſſe. 2. Cor. 11.

Philipp. cap. 1.

Ioan. epi. 3.

Quanta ſit ignorantia, vel malitia Magd.

" quod eiuſmodi epiſtolam, in qua Romanus Epiſco-
" pus ſcriberet, ſe curam omnium eccleſiarum à Petro,
" & iure diuino cōmiſſam habere, æquo animo tuliſſet.]

Futilis & ridicula criminatio Magd.

Hactenus iſti. Quid magis futile, & ridiculum obiici potuit? interrogemus enim Magd. vnde ſciant, aut vnde probent, Demetrium Alexandriæ Epiſcopum eius opinionis fuiſſe, cuius ipſi ſunt, ſcilicet non fuiſſe Petrum principem Apoſtolorum? neque commiſſum ei fuiſſe totius orbis chriſtiani ouile: quod alioqui eccleſia Catholica credit, & confitetur: & ſemper credidit, & confeſſa eſt. Non tuliſſet (inquiunt) Demetrius æquo animo, quod Epiſcopus Romanus, ſe curam omnium eccleſiarum iure diuino ſuſcepiſſe, ſcriberet, credo, non tuliſſet, ſi Demetrius Magdeburgenſis fuiſſet, & Luteranus. Quare probate vos prius, veſtratem fuiſſe: nos enim probamus fuiſſe noſtratem, quia Catholicus fuit, vt Euſebius narrat, & teſtatur. Prætereà cùm Synodus Nicena teſtatur canone 6. antiquam fuiſſe conſuetudinem, ſcilicet à ſanctis Apoſtolis traditam, quam Synodus ipſa confirmauit, vt Epiſcopus Alexandriæ poteſtatem haberet in Epiſcopos Aegypti, Lybiæ, & Pentapolis, quia eiuſmodi mos eſſet Epiſcopo Romano, ſatis apertè iis, qui habent aures audiēdi, & quibus dat dominus intellectum, ſignificauit, formam poteſtatis, quam Epiſcopus Romanus beati Petri principis Apoſtolorum ſucceſſor in ſucceſſores Apoſtolorum, & in reliquos Epiſcopos habebat, relictam eſſe ab Apoſtolis aliis primatibus vel Patriarchis in ſubiectos. Abſurdū enim erat, vt Nicena Synodus formam aliis Epiſcopis proponeret eius, qui non eſſet omnium caput. Quid enim ad illos forma pontifici conſueta, ſi Epiſcoporū Alexandriæ, & Aegypti, atque Pentapolis non erat caput? Quomodo inquam, ex conſuetudine, ac forma pontificis rationem poteſtatis, quam Epiſcopus Alexādriæ ex antiqua & Apoſtolica traditione in Epiſcopos Aegypti & Lybiæ habebat, Synodus Nicena duceret, niſi caput omnium eſſet pontifex & omnium forma Romani pontificis conſuetudo? Verùm, vt ſæpè dixi, ideo hæc non intelligunt Magd. quia non credunt. Niſi enim crediderint, ſicut ait Eſaias, non intelligent.

Demonſtratio principatus Rō. pont. ex Can. 6. Syn. Nice.

2. Timoth. cap. 2.

Non credunt (inquam) Petrum fuiſſe principem Apoſtolorum, & eidem vniuerſas cuncti orbis oues commiſſas fuiſſe, eique in eadem poteſtate Epiſcopum Romanum ſucceſſiſſe. Reprehendunt deinde centuriatores, quod in extrema parte eiuſdem epiſtolæ 2. ſcripſit Zepherinus, inquiens, Ordinationes verò presbyterorum, & Leuitarum tempore congruo, & multis ſimul aſtantibus celebrate: & probabiles ac doctos viros ad hoc opus prouehite.] *Eſai. cap 7.*

Sed videamus quomodo, & qua ratione hæc reprehendunt tanquam non conuenientia Zepherino. Quia (inquiunt) non habebāt Aegyptiaci opus inſtructione de ordinandis presbyteris. Nihil aliud attulerunt iſti. videntur itaque centuriatores non in Germania, ſed in Aegypto illis temporibus nati, & cum Aegyptiacis verſati, & quantum illi in eccleſiaſtica diſciplina profeciſſent, ad vnguē nouiſſe, qui nunc affirmāt non opus habuiſſe Aegypt. inſtructione de ordinandis presbyt. O miſeros diſcipulos, quos talium magiſtrorū, & ſcriptorum nō pudet, & pœnitet. Me certè & pudet, & pœnitet, in his nugis confutandis occupari. Sed quid faciā, cùm iubeat Salomon vt ſæpe repetam, quod me ſæpe repetere cogunt, reſpondere talibus contra ſtultitiam eorum, ne ſibi ſapientes videantur. Prætereà formam, inquiunt, gubernationis, quæ eſt in 1. Epiſ. Zepherini, non congruere cum ratione illius ſæculi. *Quam temerariè aſſirmant. Magd. nō opus habuiſſe Aegyptios inſtructione de ordinandis presbyteris & leuitis.*

Quare verò non congruat, ſi quis ab eis quærat, dicturi ſunt, quia non erant tunc Patriarchæ, vel Primates, quos hic dicit Zepherinus, & hoc, ſi quis rurſus ab eis quærat, vnde probent, reſponſuri ſunt, non fuiſſe, quia non legerunt. Itaque nō aliter probant, quàm negando. Hoc enim genus tantùm probandi docuit eorum propheta Martinus Lutherus, & magiſter Martini diabolus. Nos verò ſcripturas habemus, quas ſancti Apoſtoli ſecuti ſunt, de nomine patriarchæ, ſicut de nomine Epiſcopi, & presbyteri: habemus etiam canonem Apoſtolorum per manus traditum, & à Clemente Apoſtolorum diſcipulo ſcriptum, in quo πρῶτοι vocantur, quos nunc Metropolitanos dicimus, & eorum auctoritas deſcribitur, & priſca conſuetudo. *Quomodo probent Mag. non congruiſſe tēporibus Zeph. formam gubernationis eccleſiaſticæ, quæ in eius epiſt. eſt.*

„ Sed de eccleſiaſticæ Politiæ forma, quam iſti negant, ne
„ eadem repetenda ſint, qui plura deſiderat, legat, quæ
„ proximo ſequenti libro defenſionis epiſtolarum ſcri-
„ bentur. Et inde aſſumat Addunt deinde Magd. poſtre-
„ mò etiam tempus, quo datę annotantur, oſtendit, à mẽ-
„ daci parum memore ſuppoſitas eſſe. Nam Zepherini,
„ Vrbani, Sixti, Dionyſij, Fœlicis, Eutychiani Epiſtolæ e-
„ os aſſignatos habent conſules, qui vnà nunquam con-
„ ſulatum geſſerunt: aut alio tempore vixerunt.]

Quam futile ſit argumentum ex faſtis conſulum ad negandum epiſc. veterum pont.

Ad hunc quoque locum reſpondebo, & quidẽ duobus locis in eodem libro defenſionis epiſtolarum: Idem enim in epiſtolas ſecundi ſæculi obiecerunt. ibi leget, qui volet. Vnde facilè intelliget, quam futile, & leue argumentum ſit, quod ex faſtis conſulum à Magd. parũ, aut nihil in ea re exercitatis petitum eſt.

Sequitur poſteà in centuria tertia in Zepherini epi-
„ ſtolas, ne quid vt dixi, prætermittere, aut diſſimulare vi
„ deamur, Porrò ſi ad analogiam fidei conferantur tum
„ hæ epiſtolæ, tum earum decreta, inſignia myſteria ini-
„ quitatis produnt Zepherini 2. beato Petro non ab a-
„ lio quam ab ipſo Domino dictum eſt, quæcunque li-
„ gaueris &c. Romana eccleſia, & nulla alia, de cauſis E-
„ piſcoporum, & de controuerſiis grauioribus iudicare
„ debet.]

Hoc eſt myſterium iniquitatis collatum ad analogiã fidei, quod in epiſtolis Zepherini iſti notarunt Benè ergo habet, quod nihil aliud, quod eis ad fidẽ pertinere videretur, notarunt, vt vel ſuo teſtimonio conuincantur, cætera eſſe catholica. Ad iſtud verò myſterium ita paulo antè reſpondi, vt de poteſtate ligandi & ſoluendi beato Petro primùm & ſpecialiter data, & quemadmodum inde ſequatur, ad poteſtatem ſedis Apoſtolicæ pertinere cauſas Epiſcoporum iudicare, ſatis, vt opinor, explicauerim: ſi intelligere voluerint Magd. in quibus potius, tanquam in Antichriſti præcurſoribus, myſteriũ Antichriſti iam operatur: ipſi enim ſunt, qui Chriſtum negant: cum eius Vicarium negant.

Quomodo Mag. ſint Antichriſti præcurſores.

Poſtremò, quod obiiciunt, nec Euſebium, nec Hieronymum, neque Damaſum, nec alios vetuſtiores de his epiſtolis Zepherini meminiſſe, ſi quia Euſebius nõ me-

minit de duabus epiſtolis, & quidem breuiſſimis Zepherini, eas negare audent, negent ſimiliter integra opera Pantheni magiſtri Origenis, & Himenæi, & Narciſſi, quæ Euſebius non vidit, & viderunt alij auctores magni nominis, qui de eis meminerunt. Immò ipſe idẽ Euſebius teſtatur multos libros multorum ad manus ſuas nõ veniſſe, quo teſtimonio ipſos Magd. redarguit, qui volunt facere, vt omnia omnium ſcripta nouerit Euſebius, cùm ſe alioqui multa ignoraſſe teſtetur. Et beatus Hieronymus multa etiam ſuo tempore Tertulliani celeberrimi alioqui ſcriptoris opera, quæ nũc habemus, ſe non vidiſſe affirmat. Sed de his plura adhuc in extremo volumine dicemus Illud hoc loco non diſſimulabo riſu dignum, vt intelligant, qui iſtos legunt, quam cœco furore ad reprehendendum, quæ oderũt, ferantur. Vt enim probarent epiſtolas Cornelij, quas „ nunc habemus, non eſſe Cornelij, nam Euſebius (inqui „ unt) alius epiſtolæ Cornelij ad Fabium Antiochenum „ fragmentum citat, cuius phraſis ab iis, quæ hodie Cor- „ nelio tribuuntur, toto cœlo diſtat.] „

Quomodo velint Magdeb. vidiſſe Euſebium omnium ſcripta & libros contra ipſius Euſebii de ſe teſtimoniũ.

Hæc iſti. Qui quia fragmẽtum epiſtolæ Cornelij ab Euſebio citatum, latinè tranſlatũ legerũt, obliti, Græcè illud ſcripſiſſe Euſebium, phraſim Græcam Euſebij cũ latina Cornelij ridiculè compararunt. Quid enim ſtultius dici poteſt? iudicent ipſi. & rideant ſe, ſi tamen quid phraſis ſignificet, intelligunt, quod mihi quidem videntur non intelligere. Denique hunc locum accuſationis epiſtolarum Zepherini his verbis concluſerunt, Et fuiſſe ſemper aliquos, qui has & ſuperioris, & ſequẽ „ tium aliquot ſæculorum decretales epiſtolas. à tempo- „ re, quo primum citari cœperunt, pro apocryphis & ſup „ poſitis habuerunt eo, quod in codice canonũ non ha- „ berentur: nec à conciliis generalibus ſuſceptæ & appro „ batę vnquam eſſent, ſed tantùm à Romanis, tanquam à „ ſuſpectis, & domeſticis teſtibus, iactarentur, apparet ex „ Gratiano dis. 19. c ſi Romanorum Pont.] „

Quam ridicule phraſim dictiõis latinæ Magd. compararint ad negandum epiſtolas Cornelii Papæ.

Sic iſti ſententiam ſuam contra epiſtolas decretales veterum Pontificũ defendi putant, quia fuerint aliquando vt ipſi dicunt, imò demus nos etiam, fuiſſe ſemper, qui eas auctoritate carere dicerent Ergo defendãt, iam

Quomodo Magd. non intellexerint eo peiorem eſſe errorem, quo magis eſt inueteratus.

Secundũ Mag. domeſtici teſtes, quibus non ſit credendũ, ſunt omnes eiuſdem artis, & profeſſionis.

Prou 74.

hac ratione non ſolùm ſuas, ſed omnes alias hæreſes, quia fuerunt olim, qui eaſdem aliquando defenderũt. Qui non aduertunt, eo peiorem eſſe errorem, quo eſt magis inueteratus & pluriũ. Deinde ſi domeſtici teſtes, id eſt, teſtes in re ſua, qui, vt ait Pomponius iuriſconſultus in lege 10. de teſtibus, non intelliguntur idonei, exiſtimandi ſunt, quicunque ſunt eiuſdem ordinis, aut dignitatis, aut profeſſionis, & diſciplinæ, cuius is, cui teſtimonium datur, reſtat, vt, ſecundum Magd neque miles in cauſa militis: neque faber, aut arator in cauſa fabri, aut aratoris: neque presbyter in cauſa presbyteri: nec Epiſcopus in cauſa Epiſcopi, teſtis eſſe poſſit, ſi neque pontifex de epiſtola alterius pontificis, poteſt teſtificari. Et quid hoc ſtultiùs, aut abſurdiùs dici poteſt? & cùm ſcriptura diuina dicat, teſtis fidelis non mentitur, quid iniquiùs, quàm ſanctiſſimos põt. & martyres de infidelitate, & mendacio damnare? Illos verò, quos Magd. dicunt, negaſſe auctoritatem epiſtolarũ priſcorum põtificum, quia non eſſent in codice canonum, quàm grauiter & vehementer Nicolaus primus teſtimoniis põtificum ſanctiſſimorum confutarit Gelaſij, & magni Leonis, quorum epiſtolas non negant iſti, licet deprauatas eſſe fingãt, intelligi poteſt ex illo ipſo cap. ſi Romanorum pont. apud Gratianum diſ. 19. quod iidem Magd. in epiſtolas Zepherini, immò in omnes veterũ pontificum epiſtolas obiecerunt, vel dicam potius, cõtra ſe obſeruarunt, vt ſuo indicio, vetere prouerbio, perirent: & tanquam noui Saules aut Abimelechitæ in gladios ab armigeris ſuis eductos irruerent Hoc verò caput dis. 19. ab iſtis productum, quia ad defenſionem omnium epiſtolarum priſcorum pont. quas iſti negãt, mirificè valet, in extrema parte quinti voluminis defenſionis earum recitabo Quod totam cauſam nemo neque vehementiùs neque grauiùs, nec eruditiùs, quàm Nicolaus perorare potuiſſet: neque Magd. ipſos valentius refellere.

Caput Grat. diſ. 19. quod in epiſtolas veterũ pont. Magd. obiecerunt, ad defendendam veritatem earũ mirificè valet.

Quomodo ipſa epiſtola Zepherini conuincat, antiquiores eſſe has epiſtolas Hieronymi ætate, id eſt, ante annos mille ducentos, & amplius ſcriptas eſſe, & quomodo in his epiſtolis tantæ antiquitatis Canon Apoſt. 74. citetur.

Caput 19.

VT autē hæ Zepherini epiſtolæ apud Magd. velint, nolint, ſi non ad auctoritatem, ad antiquitatem ſaltem valere debeant, fuiſſe ſcriptas ante interpretationem Hieronymi veteris teſtamēti, teſtimonio clariſſimo eſt, quod nullo ingenio eludi queat, quod qui has epiſtolas poſt tempora Hieronymi reperit, & in publicum emiſit, pro interpretatione 70. qua Zepherinus vſus eſt, interpretationem Hieronymi poſuit. & ſubſtituit. Qui quidem, ſiue fictas reperiſſet, & Zepherino falſò attributas, ſiue ipſe idem eas finxiſſet, & pontifici Zepherino appoſuiſſet, cuius eas haberi voluiſſet, profectò neceſſe erat, vt interpretatione 70. qui ante ætatem Zepherini fuerant vſus eſſet: non autem Hieronymi, quē Zepherinus noſſe non potuit. quis hoc dubitet, niſi qui omni prorſus iudicio, & ratione careat? ſed, quia non eſt veritus, ne propter interpretationem Hieronymi non tribuerentur Zepherino antiquiſſimo pontifici epiſtolæ iſtæ, non dubitauit eam in locum interpretationis 70. ſubſtituere, quod eſſet eo tempore, cùm hæ epiſtolæ apparuerunt, in vſu & conſuetudine eccleſiarum. Sed doceamus hoc, quod fortaſſe Magd. negaturi ſunt, fuiſſe ſcilicet vſum interpretatione 70. auctorem harum epiſtolarum, ſiue Zepherinum, vt nos affirmamus, & vniuerſa profitetur eccleſia, ſiue alium, vt Magd ſomniant, quem neceſſe eſt, antiquiorem Hieronymo fuiſſe. Teſtimonium ergo Eſaiæ in Epiſ. 2. Zepherini citatum, Audite me, qui ſcitis iudicium, populus meus, in quorum corde lex mea eſt, nolite timere opprobrium hominum: & blaſphemias eorum ne timeatis, hoc inquam teſtimonium, alioqui ex interpretatione Hieronymi ſumptum, quod auctor epiſtolæ Zepherinus, ſiue is qui epiſtolam Zepherino ſecundum iſtos falſò inſcripſit, ex 70 vt neceſſe erat, vt pote ante tēpora Hieronymi, & non ex interpretatione Hieronymi ſumpſerit, perſpici poteſt ex eodem loco, cùm ait paulò antè auctor epiſtolæ, His ſuffulti ſuffragiis non multum debemus timere opprobrium hominum, nec corū exprobrationibus vinci, quoniā hoc nobis Domi-

Vnde liqueat manifeſtè epiſt. Zepherini antiquiores eſſe æta te Hieronymi.

Eſa cap 51.

Locus Eſaiæ citatus à Zepherino pont. ex interpretatione 70.

nus iubet per Eſaiam prophetam, dicens, nolite timere opprobrium hominum, & exprobratione eorũ ne vincamini. Sic enim habent 70. quod cum ſuperioribus, epiſtolæ rectè conuenit, pro quo ſubſtituta eſt interpretatio Hieronymi, Nolite timere opprobrium hominum: & blaſphemias eorum ne timeatis, in qua interpretatione non eſt illud, & exprobratione eorum ne vincamini, cum quo, vt dixi, conuenit quod auctor epiſtolæ dixerat, Neque debemus eorum exprobrationibus vinci, quoniam hoc iubet Dominus per Eſaiã &c. Quis ergo non intelligit, & planè videt, nõ congruere interpretationem Hieronymi cum iis, quæ auctor epiſtola proxima dixerat, & teſtimonio Eſaiæ confirmare voluit? In hac igitur epiſtola tantæ antiquitatis, vtpote ſcripta, velint, nolint Magd. ante mille ducentos annos & amplius, citatur ſententia canonis Apoſtolici, cũ ait, Præceptum eſt ergo in antiquis ſtatutis, illis ſcilicet, quæ proximè vocauerat conſtituta Apoſtolorum, Epiſcopos eiectos, atque ſuis rebus ſpoliatos ad eccleſias proprias primò recipi: & ſua omnia eis reddi: & demũ, ſi quis eos iuſtè accuſare voluerit, æquo periculo facere: & iudices eſſe decernentes Epiſcopos recta ſapientes. Illud autem aduertendum eſt, ne quis hîc tergiuerſandum, aut cauillandum eſſe putet, vt ſolet ſcriptura ſancta citari aliquando non numeratis verbis, ſed ponderata ſententia, ſic hîc citatum eſſe canonem Apoſtolorum 74. Ex eo enim elicitur hæc ſancti Zepherini Apoſtolica ſententia. Iubet enim canon, vt Epiſcopus de aliquo crimine à fide dignis accuſatus, vocetur ab epiſcopis, qui ſi venerit, & pro ſe reſponderit, conuicto ſupplicium decernatur. Cùm igitur eiici, & ſpoliari ſupplicium ſit, & canon iubeat ſupplicium decerni vocato, audito, & conuicto, conſequens neceſſario eſt, vt ſimul iubeat, ſi qui fuerint eiecti, & ſpoliati ſuis rebus, prius ad eccleſias ſuas reuocentur: & omnia eis reſtituantur: ac tunc audiantur: & iuſtè iudicentur: & conuicti puniantur. Hoc autem magis adhuc ex eo, quod in canone ſequitur, intelligi poteſt. Iubet enim vt ſi vocatus Epiſcopus venire noluerit, vocetur iterum: & ſi ne tunc quidem parere voluerit, voce-

Cano. Apoſt. 74 citatus in epiſt. Zepherini.

tur tertiò, duobus Epiſcopis ad eũ miſſis. Quod ſi contempſerit, & non occurrerit, Synodus in eum, vt videbitur, ſententiam pronunciet, ne videatur lucrum feciſſe ex fuga, & declinatione iudicij, alioqui quomodo ex fuga atque declinatione iudicij lucrum feciſſe videri poſſet, niſi eiectus, & ſpoliatus, antequam iudiciali ordine huc ventum ſit, reuocandus & reſtituendus in locum ſuum eſſet?

Quomodo liceat 70 ſentẽtias Apoſtolorũ, quas Zepherinus dixit, redigere ad numerum 85. canonum exemplo Synodi Nicenæ. quæ canonem 5. vnam ſententiam dixit duobus canonib. Apoſt. contentam & demonſtratio huius rei multis exemplis. Caput 20.

SEquitur iam, vt de num. 70. ſententiarum S. Apoſtolorum, de quibus S. Zepherinus meminit, quomodo cũ numero 85. can. Apoſt. quos nunc habemus, cõueniat, explicemus. Quod quidem ex canone 5 Synodi Nicenæ facilè intelligi poteſt. Vigeat (inquit) ſententia ſecundum canonem iubentem, vt ab aliis excommunicati, ab aliis ne recipiantur, ſiue clerici ſint, ſiue laici. Eſt autem de laicis canon Apoſtolorum 32 De clericis verò canon Apoſt. 32. Vnam itaque ſententiam Græcè γνώμην dixit Synodus Nicena duobus canonibus Apoſtolorum, veluti duobus capitibus comprehenſam. Ad hunc ergo modum licet 85. canones Apoſtolorum in 70. ſententias redigere. Et, vt à primo incipiamus, ſit vna ſententia de ordinationibus, duobus canonibus, primo & ſecundo, ceu duobus capitibus contenta, vno de ordinatione Epiſcoporum: altero de ordinatione presbyterorum, & diaconorum. Alia ſententia de oblationibus, item duobus canonibus tertio & quarto contenta, altero de offerendis in eccleſia ad altare: altero de offerẽdis Epiſcopo & presbyteris in eorum domibus. Alia ſententia, tertia ſcilicet, de non ſuſcipiendis negotiis ſæcularibus ab Epiſcopo, presbyteris, & diaconis, tribus canonibus, velut tribus capitibus, contenta 5. 81. 83. ſequuntur deinceps aliæ 4. ſententiæ, ſingulæ ſingulis

Synodus Nice. ad imitationem epi. Zeph. vnam ſententiam dixit duob. canonib. Apoſt. contentam.

Quomodo 70. ſentẽtiæ Apoſt. in epiſ. Zephir. ad numerũ 85. canonum redigantur.

canonibus contentæ, quinto ſcilicet de non eiicienda vxore Epiſcopi, presbyteri, diaconi, prætextu religionis, 7. de paſcha non celebrando cum Iudæis. 8. de cõmunicando facta oblatione. 9. de ingredientibus in eccleſiam & non permanentibus, &c. Octaua ſententia de non communicando in oratione cum prohibitis, duobus comprehenſa 10. & 11. vno de non communicando in oratione cum excommunicato: altero in clericis, de non communicando cum depoſito. Alia ſententia, id eſt, 9. de receptis in alia ciuitate ſine litteris commendatitiis, tribus canonibus, tanquam tribus capitibus 12. 13. & 33. contenta, vno de receptis ſine litteris, ſed non excommunicatis: altero de receptis ſine litteris & excommunicatis: alio de peregrinis Epiſcopis, vel clericis. Sequitur alia ſententia 10. cõtenta canone 14. de Epiſcopo, ne tranſeat ad aliam eccleſiam ſua relicta. Alia ſententia 11. de clericis tranſeuntibus ad alias eccleſias ſuis relictis, & de recipientibus, duobus canonibus, velut duobus capitibus, contenta 15 & 16. vno de presbyteris, diaconis, & aliis clericis tranſeuntibus ſine licentia Epiſcopi ſui: altero de Epiſcopo eos recipiente Alia ſententia id eſt 12. de impedimento ordinationis ex nuptiis, tribus canonibus, velut totidem capitibus comprehenſa 17. & 18. 19. vno de bigamo, altero, de eo, qui duxit viduam, aut repudiatã, aut meretricem, aut ancillam: tertio de eo, qui duxit duas ſorores, aut conſobrinam. Sentẽtia 13. vno canone, id eſt, 20. contenta, de clerico fidei iuſſore. Sententia 14. de eunuchis, quatuor regulis ſiue canonibus, velut quatuor item capitibus contenta, vno de laicis eunuchis, vel ſic natis, vel per violentiam hominum factis: altero de laicis, qui ſe fecerunt eunuchos, prohibendis, ne fiant clerici: tertio de clerico, qui ſe fecit eunuchum poſtquam factus eſt clericus: quarto de laicis, qui ſe fecerunt eunuchos, excommunicandis annis tribus. Sequuntur deinceps aliæ 7. ſententiæ variæ, totidem canonibus diſtinctis contentæ id eſt, 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. Poſtea eſt ſententia 20. de Epiſcoporum ſubiectione, & menſura poteſtatis eorum duobus canonibus trigeſimo quarto, & trigeſimo quinto contenta, alte-

ro de agnoſcendis ſuis Metropolitanis, & de poteſtate in ſuis eccleſiis exercenda: altero de non ordinando extra ſuas eccleſias ſiue paroecias. Sequuntur deinde aliæ duæ ſententiæ duobus canonibus 36. & 37. Deinde ſententia 23. de bonis Epiſcopi tum eccleſiaſticis, tum propriis contenta 3. canonibus 38. 40. & 41. Facilè eſt ad hunc modum 85. canones Apoſtolorum in 70. ſententias redigere, cognatos, & materiæ ſimilitudine coniunctos, ad vnam ſententiam, tanquam ad vnam ſedem, referentes exemplo (vt dixi) Synodi Nicenæ, quæ vnam ſententiam Apoſtolorum citauit, duobus eorum canonibus comprehenſam. Satis ſit indicaſſe hoc in canonibus, & ſententiis non paucis: perſequatur reliqua, qui voluerit, ne quis iam in numero ſententiarum 70. & canonum 85. hæſitet.

Teſtimonia alia multa antiquorum de canonibus Apoſtolorum Iuſtiniani Imperatoris, id eſt eccleſiæ Catholicæ illius temporis, Baſilii, Clementis Romani, Euſebii Alexandrini, Petri Alexandrini, Hieronymi, Epiphanii, Anaſtaſii Antiocheni, Cyrilli Alexandrini, Ioannis Damaſceni, Taraſii Conſtant, Beati Ignatii, Auguſtini. Item teſtimonia auctorum qui Canones Græcè compoſuerunt: & qui latine, & veterum Imperatorum catholicorum, qui eos religioſiſſimè ſeruarunt: præterea Photii Cōſtant, Bonifacii Apoſtoli Germaniæ, Dionyſii Areopagytæ. Poſtremo beati Petri, & de Canone Apoſtolorum non ieiunandi ſabbato, & dominico. Cap. 21.

ET ſi ſatis hactenus Magdeburgenſibus reſponſum eſt: ſatisque illi refutati, & antiquorum, atque generalium conciliorū teſtimoniis conuicti videntur, tamen, quo magis adhuc erubeſcant, non dico hos, qui iam obduruerunt, ſed qui iſtos duces cœcorum ſequi volunt, & cum eis in foueam inferni cadere, niſi reſipiſcant, perſequamur reliqua à nobis de canonibus Apoſtolorum obſeruata. Iuſtinianus ergo Imperator, acerrimus ille Synodi Chalcedonenſis defenſor ante mille amplius annos, quod teſtimonium eccleſia catholica ſuo tempore canonibus

Apoſtolorum daret, ſatis apertè teſtatur in conſtitutione 6. ad Epiphanium Archiepiſcopum Conſtant. de rectè ordinãdis Epiſcopis, presbyteris, & diaconis, Rectè enim (inquit) atque congruenter omnia agerentur, ſi ipſum rei initium gratum Deo eſſet. Initium bene res eccleſiaſticas gerendi Deo gratum dicit legitimam & canonicam miniſtrorum eccleſiæ ordinationem. Subiungit deinde, Quod quidem certè futurũ credimus, ſi ſacri illi canones diligenter obſeruentur, quos nunquam ſatis laudati, adorationéque digni, & qui ipſi filium Dei conſpexerunt, illique miniſtrarunt, Apoſtoli nobis reliquerunt: ac ſancti patres cuſtodierunt, & interpretati ſunt. Hoc, inquam, teſtimonium eccleſiæ eſt illius temporis. Nec enim lege & publica conſtitutione catholicus legiſlator & Imperator, prudentiſſimorũ virorum conſilio & ſtudio vſus, hoc teſtimonium publicum veritati, & ſanctitati, ac antiquitati venerandæ canonum Apoſtolorum tribuiſſet, niſi, quod iam olim eccleſia ab initio accepiſſet, tunc profeſſa eſſet, quæ illud ipſum præconium canonum Apoſtolorum vſque ad nos perduxit. Quod ſi dicit lex Iuſtiniani ſecundùm publicum, & cõteſtatum illius temporis teſtimonium, & præconium, reliquiſſe nobis ſanctos Apoſtolos hos canones, & ſanctos patres cuſtodiſſe illos, & interpretatos eſſe, conſequens eſt, cùm aliquæ ſententiæ horũ canonum in Synodis leguntur ſancitæ, non eſſe dicẽdos ſanctos patres illarum Synodorum, auctores horum canonum, ſed cuſtodes potius & interpretes. Subiungit poſtea, Per omnia igitur ſacrorum canonũ veſtigiis inſiſtentes, ſancimus, vt quando poſt hac creandus aliquis epiſcopus erit, prius in ipſius vitam inquiratur: videatúrque ſecundum diuinum illum Apoſtolum, an grauibus moribus præditus ſit? an inculpatus? an irreprehenſibilis? an denique bonum teſtimonium habeat? Præter hæc autem, de quibus in epiſtolis Pauli ad Tim. & Titum ſcriptum eſt, requirit etiam Iuſtiniani conſtitutio, vt non duxerit vxorem viduam, aut repudiatam, aut concubinam ſecundum canonem Apoſtolorum 18, Neque pecunia dignitatem emerit ſecundum Apoſtolorum canonem 29. tum etiam ſi neglexe-

Teſtimonium Iuſtiniani Imperat. de canonibus Apoſt.

Can. Apoſt. 18 29 & 59. citati in cõnſtitutione Iuſtiniani.

rit eccleſiam ſuam, & abſens permanere voluerit, vt deponatur ſecũdum canonem Apoſtolorum 59. Atqui in iis canonibus Apoſtolorum, quos Magd. in libro vetuſtiſſimo reperiſſe gloriantur, nihil de his ſancitũ eſt. De quibus Canonibus neceſſe erit in extrema partè huius libri paucis admonere, ne incauti artificio Magdeburgenſium fallantur. Præterea beatus Hieronymus ad Canonem Apoſtolorum quartum retulit, quod in epi. ad Damaſum ſcripſit, quodque à Gratiano 16. q.1. cap. extremo obſeruatum eſt. Sic enim ait, Quod autẽ beatitudo tua quæſiuit, vtrum vſus decimarum & oblationum ſæcularibus prouenire poſſit, nouit tua ſanctitas, omnino non licere, proteſtantibus hoc diuinis auctoritatibus paternorum canonum. Iubet autem canon ſanctorum Apoſtolorum, qui ſunt primi patres noſtri, & quorum eſt diuina auctoritas, vt mittantur fructus domum ad Epiſcopum, primitiæ ei, & presbyteris: & vt Epiſcopus & presbyteri impertiãt diaconis, & reliquis clericis. beatus quoque Cyprianus non obſcurè canonem Apoſtolorum 32. citat, cùm in eum intuens, his verbis ad Cornelium lib. 1. epiſtolarum ſcribit, Legi literas tuas frater chariſſimè, quas per fratrẽ noſtrum acolythum miſiſti dilectionis fraternæ, & eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ſacerdotalis cenſuræ plenas. Quibus Fœliciſſimum hoſtem Chriſti non nouum, ſed iam pridem ob crimina ſua plurima & grauiſſima abſtentum, (ſic interpretatur ἐν ἀφορισμῷ γινόμενον, quem nos excommunicatum dicere ſolemus) non tantum mea, ſed plurimorum Epiſcoporum ſententia cõdemnatum, reiectum à te illic eſſe. & quæ ſequuntur. Iubet autẽ canon Apoſtolorum, vt ſi quis presbyter, vel diaconus ab aliquo Epiſcopo fuerit excommunicatus, ab alio ne recipiatur, quod quidem Cornelius fecerat, qui neque literas iſtius & ſociorum, quas à ſchiſmaticis ferebant, accipere voluit, quod ad diſciplinam quoque eccleſiaſticam, canone Apoſtolorum 11. ſancitam pertinebat. Si quis verò iſtorum, qui canones Apoſtolorũ facilè negant, hoc de diſciplina eccleſiaſtica, & ſacerdotali cenſura non ad canonem Apoſtolorum Cyprianum retuliſſe dicat imò fortaſſe neque eius meminiſſe,

Can. Apoſt. 4. citatus à Beato Hierony.

Canon Apoſt. 32 citatus à beato Baſilio.

proprio iam verbo, id eſt, vocabulo propriè canonem ſignificante, redarguetur. Quia enim intellexerat Cyprianus minis & terroribus Pſeudoepiſcoporum aliquãtulum commotum Cornelium, cum eorum litteras accipere noluit, ne contra canonem, ſiue regulam eccleſiaſticæ diſciplinæ à ſanctis Apoſtolis traditæ, cũ excommunicatis, communicaret. Neque n ouere (inquit) nos debent conuitia perditorum, quo minus à via recta, & certa regula non recedamus. Iam hic vim verbi Græci canonis expreſſit proprio vocabulo regulæ, ad quam via eccleſiaſticæ diſciplinæ dirigitur. aut dicant nobis ſapientes iſti, quæ regula eſt in euangelio, quæ iubeat, vt excommunicatũ ab aliquo Epiſcopo ne alius recipiat: aut cum excommunicato ne cõmunicetur? illud etiam huc addam, cùm ait Cyprianus in hac eadem epiſtola narrans illorum pſeudoepiſcoporum crimina, foris ſibi conuenticula conſtituiſſe, videri mihi expreſſiſſe quod eſt canone 31. Apoſtolorum vetitum χωρὶς συναγαγεῖν, id eſt, ſeorſum, ſiue ſeparatim ab eccleſia: hoc enim ſignificat. foris ſibi, hoc eſt, extra eccleſiam συναγαγεῖν, id eſt, conuenticulum facere. Præterea, quod magnus Athanaſius in epiſt ad orthodoxos ſcribit, & queritur, factum eſſe cõtra priſcos canones eccleſiaſticos, vt Georgius ille Cappadox Arianus iuſſu comitis in locum ſuum per vim ſuccederet, an non planè & apertè canones S. Apoſtolorũ indicat? Sic enim ait canon 30. Si quis magiſtratibus ſæculi vſus, eccleſiam per eos obtineat, deponatur, & excõmunicetur vna cùm iis, qui cum eo communionẽ habẽt. Talis ergo Georgius iſte ὁ μετὰ προςασίας καὶ βίας τῶν ἔξωθεν δικαςῶν ἐπεῤῥίψας ἑαυτὸν ſic enim de eo ait Athanaſius, id eſt, qui iuſſu ac vi iudicium populi ſe immiſerat. Præfectus enim Aegypti, vt idem narrat, propoſito edicto imperiũ comitis per vim ad effectũ perduxerat. Hoc ipſum hodie à Luteranis fit: apud eos enim iuſſu comitum, ſeu principũ, & edictis magiſtratuum ſuperintẽdẽtes, & miniſtri creãtur. Quale verò, ac quãtum hoc crimen ſit, declarauit idem Athan. cùm ſubiungit. Hoc autem eccleſiaſticos canones diſſoluit: & gentiles cogit blaſphemos eſſe, ac ſuſpicari nõ diuino

Can. Apoſt. 30. citatus à S. Athanaſio.

iure,ſed nundinatione, ac iuſſione creationes Epiſcoporum fieri. Atqui iſta admirabilis creatio Georgij Cappadocis,ab Arianis facta eſt: & hunc ortũ habuit. Hactenus Athan. Quod verò canones eccleſiaſticos, quos hic dixit S. Athanaſius,canones illos Apoſtolorũ. quos eccleſiæ tradiderũt,eſſe intellexerit,vnde eccleſiaſticos vocauit, ex principio epiſtolæ perſpici poteſt. Hortãs enim Orthodoxos,ad quos ſcripſit,vt illãGeorgij Ariani in canones iniuriam,communem ducerent: & vnuſquiſque tanquam ipſe læſus eſſet, opem ferret, ne paulatim eccleſiaſtici canones,& fides eccleſiæ corrumperentur,ſubiungit,Non enim canones nunc dati ſunt eccleſiis: quin potius pulchrè eos ac firmè patres noſtri tradiderunt.Neque fides modo cœpit,ſed à Domino per diſcipulos eius in nos deriuata eſt.Hos diſcipulos Domini vocauerat prius patres noſtros iuxta prophetiam Dauid de filiis ſynagogæ patribus credẽtium, ſic enim ait, Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Quod verò eoſdem eſſe ſignificauerit, quos & patres noſtros & diſcipulos Domini vocauit,ex eo etiã,quod ſtatim ſequitur,magis adhuc intelligi poteſt,ſubiungit enim vt verbis eius vtar,*ἵν᾽ οὖν μὴ τὰ ἐξ ἀρχαίων μέχρις ἡμῶν τηρηθέντα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἐν ταῖς νῦν ἡμέραις παραπόλλωνται, κινήθητε ἀδελφοὶ ὡς οἰκονόμοι θεοῦ μυστηρίων τυγχάνοντες, καὶ τὰ ὑφ᾽ ἑτέρων ἁρπαζόμενα θεωροῦντες*,id eſt,ne ea igitur,quæ hactenus à priſcis vſque tẽporibus in eccleſiis ſeruata ſunt,ætate noſtra intereãt: & quæ nobis concredita ſunt,à nobis requirãtur,excitamini fratres, quippe qui myſteriorũ Dei diſpenſatores eſtis: & quæ ab aliis eripiuntur,cernitis, Canonem,qui prohibet,ne iuſſu,& auctoritate ſæcularis magiſtratus, aut poteſtatis vllus fiat Epiſcopus, vt Georgius ille Arianus loco Athanaſij factus fuerat, affirmat S. Athanaſius ſeruatũ fuiſſe in eccleſiis *ἐκ τῶν ἀρχαίων*, id eſt,à priſcis temporibus,priſca autem tempora ante Athanaſium neceſſe eſt, vt in ætatem Apoſtolorum inciderint, qui vix trecentis annis anteceſſerant:ex quo fit,vt hic Canon. 30. Apoſtolorum Athanaſij auctoritate, aliorum, quàm Apoſtolorum, non potuerit eſſe.Item magnus Baſilius in tertio ſuo canone canonem Apoſtolorum 22. ci-

tat,ſic enim ait,Diaconus, qui poſt diaconatum fornicatus eſt, eiicietur ex miniſterio : in locum autẽ laicocorum reiectus, non priuabitur communione. Quia antiquus canon eſt, vt lapſi ex gradu,hoc tantùm genere ſupplicij puniantur. Arbitror ſecutos eſſe illos primos legem illam, non vindicabis bis in id ipſum. Hactenus canon Baſilij. Canon verò Apoſtolorũ, quẽ beatus Baſilius antiquum canonem vocauit, ſic ait, Epiſcopus,aut presbyter, aut diaconus in fornicatione,aut periurio,aut furto deprehenſus deponatur, & non excommunicetur ait enim ſcriptura, Non vindicabis bis in idipſum.& clariùs adhuc in canone ſuo 32. eundem canonem Apoſtolorum,quem antiquum vocauerat,repetit,Clerici(inquit)qui peccatum ad mortẽ peccant,gradu quidem mouentur,communione tamẽ laicorum non prohibentur,non enim vindicabis bis in idipſum. Hunc quoque canonem confirmauit Synodus Africana c.xxxvij.ſic enim ait, ſimiliter confirmatum eſt, quod ſi presbyteri, vel diaconi in aliquo grauiori peccato deprehendantur, propter quod neceſſario à miniſterio arcendi ſint,ne imponantur eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam laicis fidelibus: id eſt,ne excommunicentur,vt laici.Laicis enim imponuntur manus,vt eiecti ex eccleſia per huiuſmodi impoſitionem manus,& priuati commuuione, pœniteãt. Rurſus confirmat, eſſe hunc canonem Apoſtolorum, quod Leo magnus huius canonis Apoſtolici traditionem ſecutus in epiſ.92.cap.2.ſcripſit,alienum eſſe à cõſuetudine eccleſiaſtica, vt qui in presbyterali honore, aut diaconi gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiãt pænitendi:Deinde ſubiungit, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcẽdit. Obſeruauit quoque Igmarus Rhemẽſis in eodem libro, quem ſæpe dixi,cap.24. de manus impoſitione, hoc decretum magni Leonis: explicauitque illud,& cum canone Apoſtolorum contulit. Sic enim ait, & hanc obſeruantiam de lapſis ſacerdotibus, ſiue diaconis beatus Leo Papa primus ex Apoſtolica traditione indubitanter deſcẽdiſſe teſtatur. Deinde ſubiungit, Sed & in Apoſtolorum canonihus reperitur

Interpretatio decreti Leonis ex Igm.Rhemenſi.

reperitur capitulum 25 epiſcopus, presbyter, diaconus in homicidio, periurio ſiue fornicatione deprehenſus deponatur:non autem excommunicetur. Non enim Deus bis vindicat in idipſum. Nam iuxta eccleſiaſticā conſuetudinem clericus pro eo crimine iubetur deponi, pro quo laicus, ſi admiſerit, excommunicetur, vt in ſtatutis ſanctorum patrum frequentiſſimè decernitur. Vnde, & laici abſque eccleſiaſtica communione ſolēt pœnitere: ſicut & clerici abſque adminiſtratione officij. Non ergo mirum, ſi clerici per manus impoſitionem, remedium pœnitendi pro criminibus, pro quibus laici excommunicari iubentur, non accipiunt. Si autem Epiſcopi vſque ad anathematis ſententiam inobedientes extiterint, conſequēs eſt, vt per manus impoſitionem ſanctæ redintegrentur eccleſiæ, cum redierint, ſicut ſanctum Nicenum concilium de Nouatianis inſtituit. Hactenus Igmarus. Rurſus idem beatus Baſilius in libro de ſpiritu S. ad Amphilochium. cap. 27. Inter ea, quæ ab Apoſtolis tradita eſſe dicit ἀγράφως, id eſt, ſine ſcripto, vt ſunt traditiones canonum Apoſtolorum, numerat traditione Apoſtolicam de trina baptizatione in vnius baptiſmi myſterio, quæ eſt traditio canonis 49. qui Epiſcopum, & presbyterum deponi iubet, ſi in vno myſterio non fecerit tria baptiſmata, id eſt, ſi nō baptizauerit in nomine patris, & ſimul baptizauerit in nomine filij: & ſimul in nomine Spiritus S. Hæc enim tradiderunt S. Apoſtoli eſſe tria baptiſmata vnius myſterij. quæ Pelagius pontifex vocauit trinam merſionem in nomine trinitatis, quam à ſaluatore noſtro traditā dicit. Sic quoque intellexit Clemēs Romanus, qui in libro 7. cap. 42. Apoſtolicam traditionem ſcribit, vt is, qui baptizatur, doceatur dicere poſt renūtiationem, baptizor in patrem: baptizor in filium baptizor in Spiritum ſanctum. Vnde conſequens eſt, vt ſimul doceatur ſacerdos, baptizare in patrem: baptizare in filium, baptizare in Spiritum Sanctum. Dat igitur beatus Baſilius teſtimonium, eſſe hunc canonem Apoſtolorū cum ſententiā eius canonis de huiuſmodi trina baptizatione, ſiue merſione, ex Apoſtolica traditione ſine ſcripto profectam eſſe dicit. Nec enim nos

Can. Apoſt. 50. a beato Baſilio citatus.

Quæ ſit trina merſio, ſiue trina baptizatio in vno myſterio baptiſmi.

canones Apoſtolorum à ſanctis Apoſtolis ſcriptos eſſe dicimus: Sed traditos ſine ſcripto per ſermonẽ: ſcriptos verò à beato Clemente eorum diſcipulo, vnde ſic eos inſcripſit, canones eccleſiaſtici Sanctorum Apoſtolorũ per Clementem. Rurſus idem Baſilius canonem 49. & 50. de baptiſmi forma citat, in primo ſuo de baptiſmo ſchiſmaticorũ, & hæreticorum canone, cũ ait, Quòd ſi illi ipſi baptiſmi noſtri formam ſeruauerint, eo contenti ſumus. Non enim illis gratiam referre, ſed perfecto iuri canonum ſeruire debemus. itẽ in canone ſuo 12. canonem Apoſtolorum 17. de digamis citat, cum ait, canone cautum eſt, vt digami ab omni munere eccleſiaſtico vacẽt. Hunc quoque canonem citauit Sidonius Apollinaris in concione ad plebẽ Biturigis habita, quæ eſt in 7. libro epiſtolarum eius, ſic enim ait, (agebatur autem de Epiſcopo eligendo) Sed dicitis, viros Eucherium, & Pannychium illuſtres, haberi ſuperiores, quod hactenus eos eſto putatos, ſed præſentem iam modo ad cauſam illi ex canone non requiruntur, qui ambo ad ſecundas nuptias tranſierũt. Hæc Sidonius. Præterea Origenes, cum in extrema parte libri 8. Celſo reſpondit, in chriſtianos obiicienti, quod ſe à rebus publicis abſtinerẽt, ſic ait, οὐφάγοντες γε τὰς κοινοτέρας τοῦ βίου λειτουργίας χριστιανοὶ τὰ τοιαῦτα περιΐσανται, ἀλλὰ τηροῦντες ἑαυτοὺς θειοτέρᾳ καὶ ἀναγκαιοτέρᾳ λειτουργίᾳ ἐκκλησίας θεοῦ ἐπὶ σωτηρίᾳ ἀνθρώπων, καὶ ἀναγκαίως ἅμα καὶ δικαίως ἡγούμενοι. Nõ (inquit) Chriſtiani huiuſmodi occupationes deuitant, quos cõmunis vitæ miniſteria fugiant, ſed quod ſeruent ſe diuiniori, ac magis neceſſariò miniſterio eccleſiæ Dei ad ſalutẽ hominũ. Id quod neceſſariũ ſimul & iuſtum exiſtimant. Quis hîc neget, qui ſenſum habeat, ſcripſiſſe hoc Origenem ſecundum Apoſtolicam traditionem, quæ vſque in hodiernũ diẽ in eccleſia Dei cuſtoditur? & in canone Apoſt. 6. & item Canone 81. & 61. cõtinetur? Epiſcopus (inquit) vel preſbyter, vel diaconus curas mundi ne ſuſcipiat, alioqui deponatur. Et clariùs adhuc in altero canone, Dicimus (inquit) non oportere Epiſcopũ, aut presbyterũ demittere ſe ad populares adminiſtrationes: ſed potius vſibus & neceſſitatibus eccleſiaſticis tẽpus accõmodare.

Can. 49 & 50. citati à beato Baſilio.

Can. Apoſt. 81. 61. citati ab Origene.

Aut igitur pareat, vt non hoc faciat: aut deponatur. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire, ſicut dominus præcepit. Eruditi ergo & probi, quos idem Origenes vocat δυνατοὺς λόγῳ καὶ βίῳ, qui, vt idē ait, ad regendas eccleſias accerſebātur, & ſæpe inuiti trahebātur, abſtinebant ſe à rebus publicis tractandis, quia hoc eccleſiaſtica traditio Apoſtolico canone ſancita præcipiebat. Et qui nondū erant facti clerici, item abſtinebant, ne eiuſmodi adminiſtratio publicè prohibita, impedimēto eſſet, ne clerici fierent ſecundum canonē 61. qui iubet, vt ſi quis fornicationis, aut adulterij, aut alicuius prohibitæ actionis conuictus fuerit, ne fiat clericus, Inter prohibitas actiones eſt omnis publici muneris adminiſtratio, quouſque expleta ſit. & relicta, vt militia, aduocatio publica, & magiſtratus. Rurſus idē Origenes libro 3. contra Celſum ſententiam citat duorum aliorum canonū. Sic enim ait de diſciplina, quæ tunc in eccleſia ſecundum canones Apoſtolorū erat, & quæ nunc eſt. Quos, tanquā à mortuis excitatos, exiſtimāt, ſi idoneā vitæ mutationem oſtendāt, idque longiore tēpore, quàm ij, qui primum accedunt ad fidē, aliquando poſtea admittunt, οὐ καταλέγοντες δὲ εἰς ἀρχὴν ἢ προεστῶτας λεγομένης ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ. id eſt, non tamen vt eccleſiis præſint eos eligunt, qui poſtquam ad fidē acceſſerunt, lapſi ſunt. hactenus Orig. primum caput ad ſententiā canonis 51. pertinet, qui Epiſcopis, & presbyteris iubet omnino recipere eos, qui à peccato reuertūtur pœnitētes. Secundum caput pertinet ad ſententiam can. 80. qui iubet, vt qui ex ethnico fit Chriſtianus, aut Chriſtianus ex turpi vita ad honeſtam redit, ne ſtatim Epiſcopus fiat, priuſquā documentū vitæ ſuæ præbeat.

Præterea cum Clemens Romanus in libro 5. de martyribus c 14. traditionem. S. Apoſtolorum de ieiunādo quadrageſimā ſcribit, & eandē traditionem S. Anaſtaſius Antiochenus citat in libro, quem vocat ὁδηγὸν. & Euſebius Alexandrinus ante mille trecentos annos & amplius, de quo Antherus Pontifex in epiſtola ſua ad Epiſcopos prouinciarū Beticæ & Toletano meminit, in homilia prima de ieiunio, vna ex 16. quæ extant, ὅτι τὴν τεσσαρακοστὴν, (inquit) κανὼν τοῖς πᾶσιν ἐπίκειται,

Can. Apoſt. 69. citatus ab Euſebio Alexand. Hier. Anaſtaſ. Antiocheno, Epiphanio.

id eſt, canon quadrageſimæ omnibus impoſitus eſt ad ieiunandum, & S. Hieronymus in epiſt. ad Marcellam aduerſus Montanum cum quadrageſimam ait, nos ſecundum traditionem Apoſtolorũ ieiunare, item cùm traditionem Apoſtolicam de ieiunio 4. & 6. feriæ idem Clemens, & Petrus Alexãdrinus martyr in canone ſuo 15. ac S. Epiphanius in charactere eccleſiæ ſui temporis, quẽ deſcribit, & idẽ S. Anaſtaſius Antiochenus Patriarchá in eodẽ ὁδηγῷ citant, an non tribuunt hi omnes teſtimoniũ canoni Apoſtolorũ 69. qui eadẽ iubet? an horum teſtimonium, vt aliorum teſtimonium nũc omittam, nõ facit fidem, eſſe illum, quem nunc habemus, canonem Apoſtolorum? eſt autem hic rurſus obſeruandum, quod ſupra iterũ admonuimus de duplici genere ieiunii perfecti, & imperfecti, ſiue inchoati; quod Ioannes Damaſcenus, & iam dixi, in libello de ieiuniis ad Cometam notauit, quod in abſtinendo ſolũ à carnis eſu cernitur: id quod in omni 6. feria ab initio vbique per totum annum ſeruatur, & de ſimili ieiunio 4. feriæ, quod non eſt in commune traditum, ſed eccleſiis orientis, quibus receptum eſt ex præcepto, pro quo in eccleſiis occidentis ſimile ieiunium abſtinendi neceſſario ab eſu carnis in ſabbato ſeruatur. ita enim viſum eſt à principio, vt nos ſepulturam Domini ieiunio ſabbathi, illi initium paſſionis ieiunio quartæ ferię pro peccatis noſtris honoraremus. Ex qua diſtinctione nõ diſſenſio, ſed mutua gratulatio, & decorus in eccleſia Dei cultus exiſteret. Illud præterea aduertẽdum eſt, ne quis à me has diſtinctiones excogitatas putet, notaſſe Synodum Gangrenſem ieiunia in commune tradita canone 19. Ex quo intelligere licet, eſſe alia ieiunia, non in commune cunctis tradita, vt 4. feriæ, & ſabbati, loquor de ieiunio, quo ſolum abſtinetur ab eſu carnis. Sanctus quoque Epiphanius in charactere eccleſiæ traditiones ex præcepto ſuſceptas ab aliis κατὰ ἀποδοχὴν προαιρέσεως; id eſt ab aliis ex voluntate ſuſceptis diſtinxit. Vt in eccleſia noſtra ieiunium 6. feriæ & ſabbati perfectum, ex volũtate eſt: imperfectum verò; id eſt, in ſola abſtinẽtia ab eſu carnis, ex præcepto ſuſceptum: ſicut in eccleſia orientis ieiuniũ imperfectũ 4.

Ieiunium aliud perfectum, aliud imperfectum.

Ieiunia alia in commune tradita, alia non in commune tradita.

Traditiones Apoſtolicæ aliæ ex præcepto ſuſceptæ, aliæ ex voluntate.

feriæ, & 6. ex præcepto eſt: perfectum verò ex voluntate. Vnde idē Euſebius Alexandrinus, de quo paulò ante memini, in eadem homilia de ieiunio cùm ait, non licere ieiunium quadrageſimæ ad aduentum amici ſoluere: licere tamē ieiunium 4. & 7. feriæ, de ieiunio perfectò loquitur, hoc enim ex voluntate, vt dixi, in illis eccleſiis ſuſceptum eſt. Sicut ieiunare ſex diebus ante paſcha nihil edendo præter panem, ſalem & aquā traditio Apoſtolica fuit, ex v. libro Clementis κατὰ ἀποδοχὴν προαιρέσεως, id eſt, ex voluntate ſuſcepta. Redeo ad teſtes canonum Apoſtolorū. Cyrillus Alexandrinus in 10 homilia ἑορταστικῇ, id eſt, paſchali, ex 30. quas ſcripſit, & adhuc habemus Græcè, celebrationem paſchæ, vt nunc celebrat eccleſia, ſecūdum traditionem Apoſtolicam fieri dicit, quo teſtimonio fidem facit, Apoſtolorum eſſe canonem 7. qui iubet deponi presbyterum, aut diaconum, qui paſcha ante æquinoctium cum Iudæis agitauerit, quia ſcilicet ad hos pertinebat docere populum, vt ritè ſecundum Apoſtolicam traditionem celebraret. In Laicos verò non ſic celebrātes nihil ſupplicij ſtatuit, œconomicè id eſt, diſpēſatoriè. Hoc enim primum fecit, vt antè dixi, Synodus Nicena, quæ laicos non ſic celebrantes excommunicauit, vt perſpici poteſt ex primo canone Synodi Antiochenæ, quæ canonem concilij Niceni renouauit. Rurſus S. Epiphanius tomo primo lib. 3. diſputans contra Andianos, grauiſſimum & locupletiſſimum teſtimoniū canonibus Apoſtolorum dedit. Ait enim loquens de conſtitutionibus Apoſtolorū, ferri in eis πᾶσαν κανονικὴν τάξιν, id eſt, omnem ordinem canonicum. hoc dixit propter canones eccleſiaſticos ſanctorū Apoſtolorum, qui ſunt in lib. 8. quibus omnis eccleſiaſtica conſtitutio, & compoſitio, atque ordo cōtinetur. Deinde ſubiungit, nihil in eis eſſe deprauatū, aut deuium à fide, & confeſſione, nec ab eccleſiaſtica gubernatione, & canone. Rurſus idem S. Epiphanius lib. 2. tom. 1. diſputans contra hæreſim Montani canonem Apoſtolorum 17. citat, cum ait, honorare Deum monogamiam, ſicut ſancti Apoſtoli eccleſiaſticum canonem ſacerdotij ordinatè, & ſanctè conſtituerunt: tametſi chariſmata ſacerdotij vir-

Can. Apoſt. 7. citatus a beato Cyrillo.

Sancti Epiphanii teſtimoniū locupletiſsimum de canonibus Apoſt.

Ioan. Damaſceni teſtimonium de canonibus Apoſt.

charismata ſacerdotij virginitate & abſtinentia à monogamia, præcipuè Deus ornarit. Itē Ioannes Damaſcenus, qui fuit ſub Leone Iſaurico Iconomacho ante annos octingētos in lib. 4. de fide orthodoxa poſt enumeratos libros canonicos ſcripturæ ſacræ poſuit canones Apoſtolorum per Clementem. Quanta verò ſit Damaſceni auctoritas, nemo eſt, qui neſciat præter Magd. qui ſe omnibus eccleſiæ ſanctæ antiquis doctoribus antepōnūt, vt qui ſint in oculis ſuis omnium ſæculorum ſapiētiſſimi. Præterea Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Adrianum Pontificē Rom. canonem Apoſtolorum 29. citat, & recitat de eo, qui pecunia factus eſt Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus. Adhæc, canonē 64. de non ieiunando ſabbato, & dominico Apoſtolorum eſſe, teſtimonio eſt, non ſolùm beatus martyr Ignatius in epiſt. ad Philipp. & Clemens Romanus in 5. lib & 7. de Apoſtolorum conſtitutionibus, vt ſupra oſtendi, cùm cauſam & rationē ieiunandi ſabbato explicarem, ſed etiā beatus Auguſtinus in epiſtola, quam ad Caſſulanum ſcripſit contra Vrbicū eccleſias Orientis accuſantē, quæ ſabbato non ieiunant, non quidem Iudaicè, ſed alia ratione, & quidem pia, quas Tertullianus quoque in apologetico c. 16. defendit his verbis, æquè (inquit) ſi diem ſolis, ſic vocat dominicum, lætitiæ indulgemus, alia longe ratione, quam religione ſolis Deinde ſubiungit, de non ieiunantibus per Orientem die ſabbati, ſecūdo loco ab iis ſumus, qui diem ſaturni otio & victui decernūt, exorbitantes & ipſi à Iudaico more, quē ignorant Hactenus ille. Sed dicet aliquis, ergo in crimine eſt eccleſia Romana, quæ hanc traditionem Apoſtolorum non recepit? minime. Non enim hanc conſuetudinem non ieiunandi ſabbato in commune cunctis fidelibus tradiderunt, ſed eccleſiis Orientis nō ſolum propter Simonianos inde ortos, qui mundū, à cuius creatione ſabbato Deus requieuit, opus eius eſſe negabāt, ſed quòd iam per ſpiritum præcognoſcerent, futuros quoque eſſe in illis locis hæreticos alios, Manichæos, Euſtathianos: Marcioniſtas, Lampetianos, & Meſſalianos, qui in Paphlagonia apparuerunt. Hos enim ſcribit S.

Can. Apoſt. 29. a Taraſio Patriarcha Cōſt. citatus.

B. Auguſt. teſtimonium de canone Apoſt. 64.

Quare traditus a S. Apoſtolis eccleſiis orientis canon de non ieiunādo ſabbato & dominico.

Anaſtaſius Antiochenus Patriarcha, ſolitos ſecundum dogma ſuum ſabbato, & dominico die ieiunare διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, quod Synodus Gangrenſis can. 17. prohibet, id eſt, propter falſam, & ſimulatam exercitationem: ieiunabant enim ſimulatè his diebus in contumeliam reſurrectionis, cui à veſpera ſabbati, vt ait magnus Leo in epi. 81. c. 1. initiũ conſtat adſcribi: vnde in honorem reſurrectionis, quam à veſpera ſabbati eccleſiæ Orientis celebrare incipiunt, cœperunt à principio non ieiunare ſabbato. Sic enim beatus Ignatius, & Ioannes Damaſcenus, vt ante admonui, intellexiſſe videntur. Verius hoc, quàm quod Theorianus cognomento philoſophus Græcus auctor in epiſtola ad ſacerdotes de ieiunio ſabbati ſcripſit, non ieiunare Græcos ſabbato, quia eo die animæ iuſtorum ſtatim poſt deſcenſum Domini ad inferos liberatæ fuiſſent, (ſiquidem veſpera feriæ 6. ad noctem, & nox ipſa, quæ veſperam ipſam ſecuta eſt, ad poſterum diem ſabbati pertinebat) at eccleſia, licet ita eſſet, vt hic auctor vult, non niſi vnam reſurrectionem feſtiuè, ac religioſè celebrat, eius ſcilicet, qui eſt primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium Chriſtus Deus noſter. Illud verò melius, quod hic auctor in eadem epi. de varia conſuetudine eccleſiarum Orientis, & Occidentis in ieiunio, aut non ieiunio ſabbati, & in azymis, aut fermentato & aliis huiuſmodi ait, dicam verbis eius οὐδὲν γὰρ οὔτε ἡ τῶν λατινῶν ἐκκλησιαστικὴ συνήθεια, οὔτε ἡ ἡμετέρα ἔξω τοῦ σκοποῦ ἢ τοῦ πρέποντος εἴληφεν ἢ κρατεῖ, ἀλλὰ θειότερον ἔχονται σκοποῦ καὶ νοήματος, τοῖς οὖν εὐ φρονοῦσι πάντα ὀρθὰ, τοῖς δὲ μὴ τοιούτοις σκάνδαλόν τι καὶ πρόσκομμα. Neque Latinorum, inquit, eccleſiaſtica conſuetudo, neq; noſtra, id eſt, Græcorum, quicquã, quod honeſto fine, aut decẽtia careat, accepit, aut tenet. quin potius vtriuſque conſuetudinis diuinũ propoſitũ, & mens eſt. Prudentibus ergo rectè omnia: contra verò imprudẽtibus omnia ſunt periculo, & ruinæ. Rectè quidem ille hoc, niſi paulo pòſt à ſe diſſentiret, cum canonẽ 56. Synodi 6. in Trullo. qui cõſuetudinẽ eccleſiæ Romanæ ieiunãdi ſabbato temerè improbat, & nõ ieiunare iubet, à Vigilio Pont. Rom. approbatum, ac confirmatum eſſe

dicit, quod nō modo falſum eſt, ſed neque fieri potuit, ſi quidem non ſolum poſt Vigilium, ſed 24. annis poſt 6. Synodum, quæ Agathone Pontifice contra Monothelitas habita eſt, canones illos, qui 6. Synodi eſſe ferūtur, æditos, eſſe conſtat. Vt Anaſtaſius cognomento Bibliothecarius, & ante eum Theophanes Epiſcopus Niceæ apertè docent: id quod tempus indictionis quartę, in tertio canone notatū, ſatis ita eſſe conuincit. Sed de canonibus iſtis in libro de actis ſextæ, & ſeptimę Synodi iam pridē, quid habendum eſſet, ſcripſimus. Vt autē redeam ad ieiuniū diei dominici, & ad Synodū Gangrenſem, illud etiam obſeruandum eſt, cùm prohibet ieiunare die dominico propter ſimulatam exercitationem, ſatis ſignificauit, & admonuit, licere quidē propter veram, id eſt, cauſa abſtinētiæ religioſæ, & ſanctæ. Poſſem præterea eos omnes producere teſtes Canonū Apoſtolorū, qui apud Græcos Nomocanones ſcripſerunt, id eſt, qui leges canonicas in certos titulos, quos vocant, diſtribuerunt Conſtātinum cognomento ἀπὸ σχολαστικῶν tempore Iuſtiniani, Photium Conſtantinopolitanum, Conſtātinum Harmenopulū, Matthæū monachum, Zonaram, Theodorum Balſamonem: & qui apud nos idem fecerunt, id eſt, qui concordantias decretorum, quas vocant, compoſuerunt, & elaborarunt, Anſelmum Lucenſem, Deus dedit, Iuonem, Burcardum, Gregoriū cognomento Polycarpū, Gratianū. Ex quibus quia cæteri fortaſſe notiores ſunt, de Latinis loquor, quid Deus dedit Cardinalis tituli Apoſtolorum vir ſuæ ætatis doctiſſimus de Apoſtolorū canonibus ſenſerit, nō diſſimulabo. is ergo ante annos propè quingentos tēpore Vrbani 2. qui Victori 3. ſucceſſit, ſic ſcripſit in libro, quē de eo cōpoſuit, quod ad regem vel Imperatorem non pertineret poteſtates eccliaſticas conſtituere: nec electionem ſummi pontificis confirmare, poſtquam enim canonem Apoſtolorum 30. citauit, Si quis Epiſcopus poteſtatibus ſæcularibus vſus, eccleſiam per ipſas obtinuit, deponatur, ſubiūgit, Si quis huius Apoſtolici canonis auctoritatem authēticam non eſſe contendat, primæ vniuerſalis Synodi Nicenæ, & Antiochenæ, quibus authētica eſſe docetur,

Omnes Græci auctores nomocanonum, & latini auctores concordantiarū canonicarum teſtimonium tribuūt canonibus Apoſt.

Can. Apoſt. 30. citatus ante annos quingentos à Deo dedit Cardinale: & quid ille de canoni bus Apoſt. in vniuerſum ſcripſerit.

euerſor eſſe docetur: ac per hoc hæreticus eſſe iudicabitur. Deinde ſubiungit, nam & Calixtus, & Gregorius, & alij pontifices ſuas conſtitutiones eorundem canonum Apoſtolicorum auctoritate firmauerunt. Stephanus verò 4. & Ioannes 8. ait Anaſtaſius in prologo Synodi 7. in pleniſſimæ auctoritatis robore recipere conſueuerunt. Et paulo poſt, Hanc itaque quam prædixi, conſuetudinem ab Apoſtolis traditam (quam priùs canonem Apoſtolorum vocauit vocat nunc conſuetudinem ab Apoſtolis traditam) nullatenus violare præſumpſerunt chriſtianiſſimi Imperatores Conſtantinus, Conſtans, Valentinianus, Theodoſius, Arcadius, Honorius, Carolus, Ludouicus, & his imperio & religione conſimiles, qui vel à ſe, vel ab aliis ædificatas eccleſias ampliſſimis donis ditauere: & in clero, & in rebus eccleſiaſticis nullum iudicium vel dominium vindicauere: Imò quidam eorum legibus hoc cauerunt. At contra Zenon & Anaſtaſius Imperatores Eutichianiſtæ leguntur prius ſanctam eccleſiam ſibi ſubdidiſſe, ita vt Catholicos Epiſcopos in exilium relegarēt: alios ſubrogarent, & quæ ſequuntur. Hactenus Deus dedit. Quæ eo libentiùs recitaui, quo Magd. & cæteri Lutherani intelligant, contra ſcripturæ ſanctæ auctoritatem, & contra canonicam conſuetudinem eccleſiæ, à ſanctis Apoſtolis traditam, quàm pij Imperatores nunquam violare auſi ſunt, eccleſias ſuis miniſtris & ſuperintendentibus à poteſtatibus ſæcularibus tribui, & aſſignari, vt nuper duobus libris, de hierarchicis ordinationibus inſcriptis, copioſè docui. Illud item Photij Conſtantinopolitani Patriarchæ de canonibus Apoſtolorum teſtimonium, quod in volumine de libris à ſe lectis compoſito, quod Bibliothecam appellauit, ſcriptū reliquit, non prætermittam, quin recitem verbis eius, *ἀνεγνώθη κλήμεντος τοῦ ῥώμης τεύχη δύο, ὧν τὸ μὲν γράφεται διαταγαὶ τῶν ἀποςόλων διὰ κλήμεντος, ἐν ᾧ καὶ, οἱ τῶν συνοδικῶν κανόνων τῷ ἀθροίσματι τῶν ἀποςόλων κανόνες ὑπογραφόμενοι περιέχονται*, interpretemur latinè, legi (inquit) Clementis Romani volumina duo, quorum alterum de conſtitutionibus Apoſtolorum inſcribitur, in quo canones Apoſtolorum continentur, qui collectio-

Quomodo cōtra canonicam eccleſiæ conſuetudinem ab Apoſtolis traditam poteſtas ſæcularis miniſtris Luteranorū & ſuperintendentibus eccleſias tribuit.

Photii Conſt. Canonibus. *Apoſt. teſtimonium clariſſimum.*

ni canonum Synodicorum aſcribuntur. Admonuit ergo hoc teſtimonio eruditiſſimus, & incredibili lectione auctor Photius, eſſe canones Apoſtolorum, quāuis frequenter inter Synodicos collocati, & aſcripti reperiā tur. Vt in Antiochena Synodo cernere licet, cuius Synodi canones omnes ſunt Apoſtolorū canones. Quod quidē nec ipſa Synodus diſſimulauit, vt nos ſupra ſuo loco ſigillatim docuimus. Falluntur itaque opinione, ſi qui non putant Apoſtolorū canones eſſe, quos numero canonum Synodicorū ſæpe aſcriptos reperiūt. Quod auctor ſapientiſſimus admonendum eſſe, rectè iudicauit. Præterea Bonifacius Apoſtolus Germaniæ veſtræ Magdeburgenſes antè annos octingentos canonē Apoſtolorum 34. in epiſtola ad Gudbertum Anglum citauit, ſic enim ait, De cætero, frater chariſſimè, quia nobis æqualis labor, & maius periculum imminet, quàm cæteris ſacerdotibus, quia canones antiqui præcipiūt, vt omnes ſciant, Metropolitanum ſolicitudinem totius prouinciæ gerere &c hunc ſaltem domeſticum teſtem dicere Magdeburgenſes non audebant, ſed teſtem noſtrum de domo eorum prodeuntem, & eos conuincētem. Sin verò hîc cauillentur, vocaſſe Bonifacium antiquos canones alicuius Synodi antiquæ, redarguet eos Synodus Antiochena, quæ cùm ſit antiqua annis 5. poſt Nicenam habita, renouans hunc canonem Apoſtolorū in canone 9. ſecundum (inquit) priſcum patrum noſtrorum Canonem: conſtat autem hunc canonem non eſſe inter canones Synodi Ancyranæ, neque Neocæſarieſis, quæ duæ Synodi non multis annis Nicenam antecesſerunt, &c. Deinde diuinus Dionyſius Areopagita canonibus ſanctorum Apoſtolorum locupletiſſimū, & antiquiſſimum teſtimonium perhibuit in epiſtolà ad Demophilum. Citat enim in ea non obſcurè canonem Apoſtolorum 52. cùm ſacerdotem illum, quē Demophilus ex eccleſia eiecerat, quia pœnitentem quendam abſoluerat, multis exemplis ſcripturæ ſanctæ grauiſſimè defendit: & Demophilum monachum accuſat, quod cùm infra ſacerdotes, imò infra diaconos eſſet, ſacerdotem tamen iudicare auſus eſſet, quod minimè ei licuiſſet, quamuis aliquid illum in canones egiſſe ſciret. Etſi

Prudens animaduerſio Photii de canonibus Apoſt. qui Synodis aſcripti reperiuntur.

Can. Apoſt. 34. citatus a Bonifacio Apoſtolo Germaniæ.

Teſtimonium Dionyſio de canonibus Apoſt. 25. ab eo citatus in epiſt. ad Demoph.

enim (inquit) ἀκοσμία καὶ ἀταξία τῶν ταοτάτων ἐστὶ καὶ ὅρων καὶ θεσμῶν ἔκβασις, id eſt, & ſi enim canones & traditiones violare, nihil aliud ſit, quàm honeſtatẽ, ſiue decorum, & ordinem rerum diuinarum tollere, non tamen inquit, rationi conſentaneum eſt, vt ordo peruertatur: id eſt, vt qui non debet, neque poteſt, corrigat. Cùm ſcriptum ſit in Eccleſiaſte, quod idem Dionyſius in eadem epiſtola citat, quod iuſtũ eſt, iuſtè exequere. Quo loco, vt hoc quoq; obiter obſeruemus, nemo ſit, qui ſi vim, & vſum horum verborũ ὅρων & θεσμῶν nõ ignoret, qui neget, aut dubitet, ſignificatos eſſe hîc canones Apoſtolorũ Ex quo loco Dionyſij intelligere quoque licet, cum Paulus dixit in epiſtola priore ad Corinth. omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis præſertim ſi quis proximè ſuperiora conferat, cuſtodiam canonum Apoſtolorum commendaſſe His enim cuſtodiendis honeſtas, & ordo ſanctæ in domo Dei conuerſationis continetur: id quod ſatis per ſe ipſa ratio ſic eſſe intelligendum, conuincit. Quomodo enim omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fieri in eccleſia præciperet, ſi nullæ eccleſiaſticæ regulæ honeſtatis, & ordinis ſeruandi traditæ fuiſſent? Vnde canones Apoſtolorum ſic in vetuſtis exemplaribus inſcriptos reperi περὶ εὐταξίας κανόνες τῶν ἁγίων ἀποστόλων. i. de bono ordine canones ſanctorum Apoſtolorum. Idem ergo Dionyſius, qui de canonicis traditionibus generatim meminerat, quas ὅρους & θεσμοὺς vocauit, quibus verbis frequentiſſimè poſteà ſanctæ Synodi & ſancti patres vſi ſunt, paulò pòſt, & tu, inquit, homo (Demophilum dicit) audax es contra mitem, & bonum Deum, & contra legem eius in eccleſiaſtica hierarchia poſitam: canonem dicit à ſanctis Apoſtolis ſine ſcripto traditum, quem vocat θεσμοθεσίαν ἱεραρχικὴν qui ait, ſi quis Epiſcopus, aut presbyter reuertentem à peccato non recipit, ſed potius abiicit, deponatur. Triſtitia enim afficit Chriſtum, qui dixit gaudium eſſe ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Quod idem quoque Dionyſius in eadem epiſtola contra Demophilum iſtum citauit. Contra hanc ergo legem, ſiue canonem Apoſtolorum commiſerat Demophilus, iubẽtem

Epiſcopis & presbyteris, vt ad exemplum Domini mitis & benigni recipiant pœnitentem: & non abiiciant. At Demophilus impiè & crudeliter contra exemplum Chriſti, & contra ſanctorum Apoſtolorum eccleſiaſticum canonem voluerat non recipi pœnitentem à presbytero, ſed abiici. Si quis verò huic noſtræ ſententiæ, & interpretationi aſſentiri fortaſſe noluerit, ſed potiùs contradicere, reſpondeat mihi, quos ὅρους & θεσμοὺς dicat hic Dionyſius: & in quam legem traditam eccleſiaſticæ hierarchiæ contra dei benignitatem, & manſuetudinem peccauit Demophilus, cùm voluit, vt non reciperetur à presbytero reuerſus à peccato? Sanctionem enim vt dixi, legum eccleſiaſticarum, quas Apoſtoli canones Apoſtolicos vocarunt, θεσμοθεσίαν ἱεραρχικὴν Dionyſius appellauit. Denique, vt omnium os in canones eccleſiaſticos Apoſtolorum obſtruatur, beatus Petrus in ſermone doctrinæ ſuæ ad populum in ordinatione Clementis, cui ſermoni S. Anacletus, & ſanctus Alexander, vt alios nunc taceam, teſtimonium in epiſtolis ſuis tribuunt, ſic de beato Clemente locutus eſt, quo circa (inquit) trado ei poteſtatem mihi à Domino traditam ligandi & ſoluendi, vt cuicũque manus impoſuerit in terra, ſic enim eſt Græcè, ratum ſit in cœlis, ligabit enim (inquit) quem ligari oporteat: & ſoluet, quem ſolui: ὡς τὸν τῆς ἐκκλησίας εἰδὼς κανόνα; id eſt, vt qui canones eccleſiæ nouerit, canonem enim dixit pro canonibus, vt militem dicimus pro militibus, & ſcriptura fons (inquit) aſcendebat de terra, pro fontibus. Erant igitur regulæ eccleſiaſticæ à ſanctis Apoſtolis traditæ, quas canones eccleſiæ vocarunt: vt poſteà ſancti patres eorum ſucceſſores, & ſanctæ Synodi frequenter vocare cõſueuerunt. Quare cum ſic vocet beatus Petrus, quis erit iam, qui cum legerit antiquas regulas eccleſiæ, ſiue canones priſcos eccleſiaſticos in Synodis, aut Epiſtolis veterum pontificum, aut in ſcriptis aliorum ſanctorũ patrum citatos, non Apoſtolorum canones citatos exiſtimet: præſertim ſi eos in numero 85. quos habemus, legat? quæſo iſtos, qui contradicunt, dicant nobis, quos canones eccleſiæ nouerat Clemens ad ligandum, quos ligare oporteret: aut ad ſoluendum, quos ſoluere, niſi

Teſtimonium beati Petri de canonibus Apo. in ordinatione Clementis.

eos, qui à ſanctis Apoſtolis traditi ſunt, qui ſint excommunicandi: & qui non? Qui ſunt ad pœnitentiam recipiendi, & qui non? Dominus enim dixit, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. At verò quæ oporteat ligare & quæ ſoluere, vt eorum alligatio, vel ſolutio rata ſit in cælo, eccleſiaſticis regulis ſiue canonibus eccleſiæ traditis, ad hoc ſciendum, opus eſt: & ad ſciendum, quomodo peccatores pœnitentiam agere debeãt: & quomodo curari. Quod quidem Dominus ſanctos docuit Apoſtolos: qui canones Aphoriſmorum, vt periti medici, ſicut à principe & auctore medicinæ ſpiritualis didicerant, eccleſiæ Catholicæ ad vtilitatem omnium tradiderunt. Vnde S. Irenæus lib. 3. cap. 5. quod autem inquit, Dominus venit medicus eorum, qui ſe malè habent, ipſe teſtificatur, inquiens, non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Deinde ſubiungit, quomodo ergo, qui malè habent, confirmabuntur? & quomodo peccatores pœnitentiam agent, vtrum perſeuerantes in eiſdem ipſis? an è contrariò magnam commutationem, & transgreſſionem prioris conuerſationis accipientes, per quam ægritudinem non modicam, & multa peccata ſibi ipſis importauerunt? ignorantia autem horum omnium per agnitionem vacuatur: agnitionem verò faciebat Dominus diſcipulis ſuis. Hactenus Irenæus, Dominus ergo, vt verus medicus, docuit diſcipulos, quomodo, & qua methodo, & quibus canonibus, atque aphoriſmis, ſic enim vocant Græci excommunicationes, varias ægritudines peccatorum in eccleſia per poteſtatem ligãdi & ſoluendi curare deberent.

Canones Apoſtol. ſcire oportet, ad ſciẽdum quos oporteat ligare, & quos ſoluere.

Teſtimonia veterum Pontificum Apoſtolicorum ſententias canonum Apoſtolorum frequenter citantium; & quibus in locis, Anacleti, Alexandri, Eleutherii, Sixti, Marcelli, Euſebii, Iulii, collatis ſententiis citatis cum ipſis canonibus.

Caput 22.

IAm fortaſſe tot,ac tanti teſtes canonum Apoſtolorum non pontifices, fidem pontificibus apud Magdebur. aſtruent: deſinentque vocare eos domeſticos teſtes. Quod ſi adhuc in ſententia ſua peruerſa pertinaciter permanere voluerint,nihilominus tamen, vt ex omni parte ſint excuſabiles, quæ nos in epiſtolis veterum pontificum de regulis eccleſiaſticis ex Apoſtolica traditione profectis obſeruauimus,libenter hîc notabimus. Ergo S. Anacletus in epiſtola 1 aduerſus accuſatores Epiſcoporum, quos ſacerdotes Domini vocauit, & beati Apoſtoli (inquit) ſic enim eſt, vt iterum admoneam, in exemplari vetuſtiſſimo Bibliothecæ vaticanæ, & altero item perantiquo Bibliothecæ Florentinæ S. Marci.)ac prædeceſſor noſter Clemens vir Apoſtolicus, & ſpiritu Dei plenus, vnà cũ reliquis ſanctis collegiis ſuis ſtatuit dicens,accuſandi,vel teſtificandi licentia denegetur illis, qui chriſtianæ religionis,& nominis dignitatem & ſuę legis, vel ſui propoſiti normam aut regulariter prohibita neglexerint,tranſgreſſores enim ſponte legis ſuæ, eiuſque violatores apoſtatæ nominantur. Hæc Anacletus,quibus verbis ſententiam Canonis Apoſtolorũ 75. citauit, quæ eſt, ſtatuiſſe Apoſtolos, vt non admittatur teſtimonium hæretici contra Epiſcopũ. Anacletus verò non verba canonis, ſed ſententiam citauit, nec enim neceſſe eſt,cùm ait, dicens, vt verba recitet, ſed potius ſententiam. Interpretatus itaque eſt S. Anacletus,vocari in canone hæreticum omnem apoſtatam ſponte ſua,id eſt,ſua electione,& propoſito(hoc enim ſignificat hæreſis)à fide, vel à religione, quam vocat ſui propoſiti normam, vel à pietate vitæ chriſtianæ. Coniunxit autem cum Apoſtolis Clementem, & collegas eius, dicens, Beati Apoſtoli, & Clemens cum collegis ſuis ſtatuerunt, quia traditionem hanc Apoſtolorum cum reliquis eorum traditionibus canonicis Clemens ſcripſit,& cum ſuis collegis Epiſcopis promulgauit,ac confirmauit. Eiuſdem quoque canonis ſententiam citat Alexander pontifex,& martyr in epi. 1. cùm loquens de eiſdem,de quibus S. Anacletus,de quibus,inquit,à tem

Sententia canonis Apoſt 58. citata a S. Alexãdro. Quomodo Anacletus verbum hæretici. quod eſt in canone Apoſtol interpretatus ſit.

poribus Apoſtolorum & infra,iſta tenemus, atque decreta habemus.Eorum accuſandi Epiſcopos, aut teſtificandi in eos vocem obſtruimus, quos non humanis, ſed diuinis actibus mortuos eſſe ſcimus. Quo in loco quos Anacletus interpretans verbum hæretici,quod eſt in canone,dixerat apoſtatas à fide,vel à norma ſui propoſiti,id eſt,à religione,vel ſponte legis ſuæ tranſgreſſores, dixit Alexander vno verbo, mortuos actibus diuinis, ſed non humanis: ſimiliter atque illud Pauli de vidua carnali dictum, nam, quæ in delitiis eſt, viuens mortua eſt. Citauit etiam in eodem loco idem Alexander canonem Apoſtolorum 31. qui ſancitus eſt in eum,qui contempto Epiſcopo catholico ſeorſum congregat,& alterum altare erigit:quem iubet,ſi presbyter eſt,deponi,tanquam tyrannum, & affectantem præeſſe,ſimul cum clericis,qui ſe ad eum adiungunt: & laicos excommunicari. Nihil enim aliud eſt hoc, quàm perſequi Epiſcopum, & velle eum amouere iniuſtè contra Apoſtolicam auctoritatem, ſicut ait Alexander in hoc loco epiſtolæ. Quod qui faciunt(inquit)perpetua notantur infamia, & exilio digni iudicatur finitimo: quia enim ſolebant, qui in exilium mittebantur, in longinquum deportari, excommunicari, quod eſt, quoddam exulare ab eccleſia & ciuitate Dei, ſcitè exilium finitimum vocauit. Non enim extra ciuitatem,in qua habitat, eiicitur, qui excommunicatur, ſed extra eccleſiam.Quia verò Apoſtoli ſtatuerunt, vt qui ſic Epiſcopos perſequuntur, excommunicentur, ſubiungit,de quibus temporibus Apoſtolorum, & infra, iſta tenemus, atque decreta habemus. Non enim iſta decreta dixit ſolùm propter decretum, quod ſtatim ſequitur ex traditione etiam Apoſtolorum, vt non ſit teſtis contra Epiſcopum, qui ſponte ſua eſt tranſgreſſor legis,qui apoſtata vocatur,de quo iam dictum eſt, ſed etiam propter decretum, quod prius dixit de infamia, & exilio finitimo, id eſt, excommunicatione iniqui perſecutoris Epiſcoporũ.Declarat adhuc magis, quod dico, paulò poſt idem Alexander in eadem epi. confirmans enim hoc ipſum decretum, id eſt,ſententiam ca-

Qui ſint, & dicātur apoſtatæ.

Sententia canonis Apoſt. 31. ab Alexandro, & Anacleto citata 1. Timoth. cap. 5.

Excommunicatio exilium finitimum dicta.

nonis Apoſtolorum 31 ait, ſicut à beatis Apoſtolis, & à reliquis ſanctis patribus, & ſucceſſoribus eorum accepimus, ſtatuentes decernimus, omnes qui ſanctos patres perſequuntur, aut amouere, vel dilacerare manifeſtè nituntur, infames eſſe, & alienos à liminibus eccleſiæ vſque ad ſatisfactionem fieri: Quod prius de eiſdē loquens dixerat, iudicare eos dignos exilio finitimo, dicit nunc decerni alienos fieri à liminibus eccleſiæ vſque ad ſatisfactionem. In quo ſatis ſignificauit, ſi clerici propter hoc crimen deponantur, ſicut canon præcipit, & depoſiti non ſatisfecerint, excommunicādos inſuper eſſe. Satis itaque viſum eſt pontifici ſententiam canonis Apoſtolici citant, idem ſulpitio maiore canonis meminiſſe, id eſt, de excommunicatione, quæ Græcè dicitur ἀφορισμὸς, quod verbum propriè ſignificat ſeparationem à certis terminis. Rurſus idem S. Anacletus in epi. 2, citat ſententiam eiuſdem canonis 31. quam Alexander citauit. Hæc (inquit) & alia conſiderantes Apoſtoli ſtatuerunt, ne facilè commouerentur, aut lacerarentur, vel accuſarentur columnæ ſanctæ Dei eccleſiæ, quæ Apoſtoli, & ſucceſſores eorum non immeritò dicuntur. Sed ſi quis aduerſus eos, vel eccleſias eorum commotus fuerit, aut cauſas habuerit, prius ad eos, recurrat charitatis ſtudio: vt familiari colloquio ea ſanēt, quæ ſananda ſunt: & charitatiuè emendent, quæ iuſtè emendanda cognouerint. Deinde ſubiungit, ſi autem aliqui eos, priuſquam hoc egerint, lacerare, accuſare, aut infeſtare præſumpſerint, excommunicentur: & minimè abſoluantur, antequam per ſatisfactionem condignam egerint pœnitentiam. Hactenus S. Anacletus. Videamus nunc, quemadmodum hæc ſententia in canone Apoſtolorum contineatur, Si quis presbyter (inquit) contempto ſuo Epiſcopo ſeorſum congreget, & alterum altare erigat, cū nihil habuerit, de quo in cauſa pietatis & iuſtitiæ Epiſcopum condemnet, deponatur tanquam affectator principatus, eſt enim tyrannus. Similiter & reliqui clerici, qui ei adhærent, Laici verò excommunicentur. Hæc autem fiant poſt vnam & ſecundam, ac tertiam Epiſcopi admonitionem. Hactenus canon. Interpretatus itaque eſt Anacletus, ſi ſententiam

Demonſtratio quo modo ſententia canonis 31. Apoſtol. ab Anacleto & Alex. citata in canone ipſo Apoſt. cōtineatur.

tentiam canonis Apoſtolorum, quam citat, cũ hoc canone conferamus, tunc contemni Epiſcopum ab eo, qui aliquid aduerſus eundem Epiſcopum ſe habere dicit,& putat, cùm non prius eum conuenit charitatis ſtudio, vt charitatiuè emendet, quæ iuſtè emendanda eſſe cognouit: quod quidem niſi priùs faciat, non poteſt dici, quod habeat aliquid, de quo Epiſcopum in cauſa pietatis,& iuſtitiæ condemnet. Quod verò non admoneri priùs Epiſcopum & ſeorſum corrigi ſtudio charitatis, contemni ſit, ſicut S. Anacletus interpretatus eſt, ex euangelio Matthæi intelligere licet. Videte enim, inquit Dominus, ne contemnatis vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. vt autem intelligeremus, loqui eum de peccatoribus, qui in Chriſtum alioqui credunt, qui tunc contemnuntur, cùm eorum correctio negligitur, ſubiungit, Venit enim filius hominis, ſaluare quod perierat. Et adiungit parabolam de eo, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, vadit quærere eam, quæ errauit. Et, ſi contigerit (inquit) vt inueniat eam, amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis, quàm ſuper nonaginta nouem, quæ non errauerunt. Sic non eſt voluntas ante patrem veſtrum, vt pereat vnus de puſillis iſtis. Deinde, vt doceret nos, quomodo iſti, qui errarunt, eſſent, inſtar illius ouis amiſſæ, quærendi, ne tanquam puſilli, & paruæ æſtimationis, quia peccarunt, contemnerentur, ſubiungit continuò, ſi autem peccauerit in te frater tuus, vade,& corripe eũ inter te,& ipſum ſolum. Hoc ergo eſt ſtudium charitatis, quod S. Anacletus dicit: & hoc non præſtare erga fratrem, qui in nos peccauit, contemnere eum eſt, ſicut eſt in canone ad imitationem euangelij. Illud autem eſt hîc aduertendum, ne quis erret, malè hunc canonem Apoſtolorum interpretando, ex eo quod canon ait, ſi quis presbyter contempto ſuo Epiſcopo, ſeorſum congreget,& alterum altare erigat, cum nihil habuerit, de quo in cauſa pietatis, & iuſtitiæ eum condemnet, non continuò ſequitur, vt ſi habuerit, de quo Epiſcopum condemnet in cauſa pietatis, & iuſtitiæ, liceat presbyterio ſeorſum congregare, abſit. ne enim ſic in-

Matt.c.18.

telligi poſſit hic canon, aliis canonibus Apoſtolorum cautum eſt. Non enim licet presbyteris, aut diaconis, ſicut eſt in canone trigeſimo nono, quicquã præter ſententiam Epiſcopi agere in eccleſia: ſi quidem Epiſcopo eſt populus commiſſus, qui rationem animarum redditurus eſt Domino. Igitur quandiu eſt Epiſcopus, non poteſt presbyter eius ſeorſum congregare. Et ſi iuſtè accuſatur iuxta canonem Apoſtolorum 74. vocandus eſt ab Epiſcopis vt defendat cauſam ſuam. Quod ſi dignus eſt Epiſcopus, vt moueatur, non niſi auctoritate pontificis moueri poteſt, iuxta canonem 34. qui iubet, vt Epiſcopi ſingularum gentium agnoſcant ſuum primum: ergo debent in primis agnoſcere eum, qui ſecundum euangelium eſt primus omnium, ſicut ſancti Apoſtoli Petrum agnoſcebant primùm. Quam formam ſucceſſoribus ſuis, & reliquis omnibus Epiſcopis, ſicut idem Anacletus ait, reliquerunt. Vt igitur beato Petro primùm data eſt poteſtas ligandi & ſoluendi, & per eum aliis, ſic non, niſi per eum, poteſt Epiſcopus ea priuari. Præterea paulò pòſt idem Anacletus primùm canonem Apoſtolorum de ordinatione Epiſcoporum citat, & interpretatur, cùm ait, Porrò quod Epiſcopus non ab vno, ſed à cunctis conſenſu aut præſentia comprouincialium eſt ordinandus, & nullatenus minùs quàm à tribus, cæteris conſentientibus, idcircò inſtituente domino fieri iubetur, ne aliquid contra fidem eccleſiæ vnius tyrannica auctoritas moliretur: & regula vel fides confunderetur credentium, Domini inſtitutum vocauit canonem Apoſtolorum, in quo cùm iubetur, vt à duobus, vel tribus ordinetur Epiſcopus, & hîc non minùs quàm à tribus, ne diſcrepantia eſſe videatur, intelligendum eſt in canone, ordinandum eſſe à duobus auctoritate Metropolitani, hi enim ſunt tres, prorſus neceſſarij, de quibus dicit Anacletus cùm canone conſentiens, non minùs quàm à tribus. Rurſus idem Anacletus epiſtola 1. Qui autem, inquit, pecuniam vel res eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit. Priuilegia enim eccleſiarum, vt ſacerdotum, ſancti Apoſtoli iuſſu ſaluatoris intemerata, & inuiolata æternis decreuerunt manere temporibus. Cùm dicit, decreuerunt, pro-

Can. 1. Apoſt. citatus ab Anacleto, & explicatus.

fecto canonem aliquem ſignificat, decretum enim eccleſiaſticum vocamus canonem. Hîc igitur citauit Anacletus ſententiam duorum canonum Apoſtolorum 72. & ſeptuageſimo tertio, quorum prior, ſi quis (inquit) clericus, aut laicus ab eccleſia auferat ceram, aut oleum, excommunicetur: & ad id, quod abſtulit, quintam amplius partem addat. Quis verò dubitet cum ratione, quin per ceram & oleum pecuniam, & res alias eccleſiæ intelligi ſancti Apoſtoli voluerint? Ceram autem & oleum nominarunt, quod in illa rerum eccleſiæ à principio tenuitate hæ eſſent præcipuæ res, quæ in templo ſeruabantur: vt quarum erat in templo aſſiduus vſus. Eò autem, quod canon addidit, & quintam partem adiiciet, admonuit, eſſe illa deo ſanctificata. Sumptum eſt enim hoc ex Leuitico, vbi ſic ſcriptum eſt, Si peccauerit in iis, quæ ſunt ſanctificata Domino, ipſum, quod intulit damni, reſtituet: & quintam partem ponet ſuprà: non quidem quod quinta pars vetere ritu, & more ſit nunc addenda, non enim hoc ſignificat, ſed reſtituendum eſſe quod ablatum eſt: & amplius, ſi fieri poteſt. Alter canon eſt, qui proximè ſequitur, id eſt, ſeptuageſimus tertius, vas aureum, aut argenteum ſanctificatum, aut velum nemo ad proprium vſum ſibi vendicet: nefas enim eſt. & qui in eo palam deprehenſus fuerit, excommunicetur. Vas aut velum ſanctificatum vocat quod eſt ad vſum & miniſterium eccleſiæ deputatum. Hæc ergo ſunt priuilegia eccleſiarum, quæ hic dicit. Sanctus Anacletus, ſcilicet vt res earum vt vaſa, & vela, quæ ad vſum & miniſterium eccleſiarum deſtinata ſunt, habeantur, & ſint domino ſanctificata. Ex quo fiat, vt ſacrilegium ſit excommunicatione dignum iuxta ſententiam Apoſtolorum, eas res tollere: & vſum vaſorum & velorum eius ſibi vendicare. Sic enim interpretanda eſſe priuilegia iſta eccleſiarum, quæ ſanctus Anacletus dicit, ratio ipſa & conſequentia dictorum cõuincit. Cur enim poſtquàm dixit, res eccleſiæ tollere ſacrilegium eſſe, ſubiungit ſtatim, priuilegia enim eccleſiarum, & ſacerdotum ſancti Apoſtoli iuſſu ſaluatoris,

Sententia can. Apoſt 72.73. citata ab eodem Anacleto.

Leu. c. 5.

inuiolata eſſe decreuerunt, niſi quia hoc voluit Dominus, vt ſicut eccleſiæ ſunt Dei, ita res earum ſint Dei? Vnde Apoſtoli iuſſu eius, ædito canone decreuerunt, ſanctificatas eſſe Domino: & excommunicandos, qui eas tollerent: aut vſum vaſorum, vel velorum eccleſiæ ſibi vendicarent. Cùm ergo clarè dicat S. Anacletus, voluiſſe Apoſtolos, hæc eſſe eccleſiarum priuilegia, ſcilicet, vt res earum eſſent Domino ſanctificatæ, & hanc ſententiam in canonibus Apoſtolorum reperiamus, ſatis contentioſus fuerit, qui negauerit, citaſſe hîc Anacletum hos, quos dixi, canones, quia eos totidem verbis non legat. Item Iulius pontifex canonem Apoſtolorum de rebus eccleſiæ ablatis citat in epi. 2. poſtquam enim dixit, cum ſuis rebus auctoritate huius ſanctæ ſedis proprias reddidimus eccleſias, ſubiũgit paulò poſt, eſt enim in antiquis decretũ ſtatutis, vt aliena qui inuadit, non exeat impunitus: ſed cum multiplicatione reſtituat. De rebus eccleſiæ loquebatur, interpretatuſque eſt canonem Apoſtolorum, qui iubet, ceram, & oleum eccleſiæ ablata reſtituere: & inſuper addere quintam partem. Etenim, quia hoc de quinta parte inſuper adiicienda ſumptum erat ex Leuitico, interpretatus eſt Iulius, nihil aliud per hoc ſignificari in canone Apoſtolorum, quem ille antiquum ſtatutum vocat, quàm reſtituendum eſſe, id quod ablatum eſt, & amplius. Hoc enim ſignificat, cum multiplicatione. Rurſus idem Anacletus, canonem Apoſtolorũ 8. citat in epi. 1. loquẽs enim de diaconis, ſubdiaconis, & aliis miniſtris, quos iubet, vt ſecum habeat Epiſcopus in ſolemnioribus diebus, cùm ſacrificat, ſubiungit, Peracta autem conſecratione, omnes communicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus: ſic enim Apoſtoli ſtatuerunt: & ſancta Romana tenet eccleſia. Itaque de miniſtris eccleſiæ loquitur hîc Anacletus, vt Igmarus quoque Rhemẽſis Archiepiſcopus obſeruauit, & intellexit, ſic enim ait, Sanctus Anacletus Papa, & martyr 8. capitulum eorundẽ Apoſtolorum ſtatuiſſe teſtatur, vt miniſtri altaris facta oblatione communicent. Hactenus Igmarus. Canon verò Apoſtolorum hîc citatus à S. Anacleto ſic ait, ſi quis Epiſcopus, aut presbyter, aut ex numero mi-

Sententia canonis apoſtol. 72. citata à Iulio pont.

Leuit. cap. 5.

Can. Apoſt. 8. citatus ab Anacleto, & explicatus auctore etiã Igmaro Rhemenſi.

niſtrantium facta oblatione non communicauerit, cauſam dicat, vt ſi probabilis ſit, ignoſcatur: ſin verò non dicat, excommunicetur, vt qui noceat populo: & ſuſpicionem moueat in eum, qui obtulit. Satis etiam cum hac extrema parte canonis conuenit quod idem S. Anacletus ſubiungit, quod magis adhuc declarat, locutum eſſe eum hic de miniſtris eccleſiæ, & de canone Apoſtolorum, Seruite (inquit propheta Dauid) in timore, & exultate ei cum tremore, adorate purè, ne fortè iraſcatur, & pereatis de via. Ille enim non perit de via, qui rectè graditur: & præcepta cuſtodit maiorum. Doceri ergo omnes oportet, qui Domini ſacerdotio funguntur, vt cæteros inſtruant, & ſibi proficiant. Itaque non de laicis, ſed vt dixi de miniſtris altaris, qui ſacrificanti aſtant, accipiendum eſt, quod S. Anacletus ait, peracta autem conſecratione omnes communicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim Canonem Apoſtolorum, quē citauit, interpretatus eſt.

Quomodo intelligendū ſit, peracta conſecratione omnes communicent.

Prætereà Alexander cauens Epiſcopis aduerſus eos, qui iniuſtè eos vexant, & perſequuntur, ſic ait in epi. 1. Similiter ſi huiuſmodi perſonis quædam ſcripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint: vel, vt ſe liberare poſſent, quocunque ab eis conſcriptæ vel roboratę fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium, aut nocumentum prouenire cenſemus: nec vllam eis infamiam, vel calumniam, aut à ſuis ſequeſtrationem bonis vnquam auctore Deo, & ſanctis Apoſtolis, eorumq́ue ſucceſſoribus, ſuſtinere permittimus. Confeſſio verò in talibus non compulſa, ſed ſpōtanea fieri debet. Cùm hoc pontifex ſancire ſe dicat auctoribus ſanctis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, neceſſe eſt in ſententiis canonicis, quas nobis S. Apoſtoli reliquerunt, aliquam indicare, ex qua hæc Alexandri ſententia primùm manarit, & ortum duxerit, quæ poſteà ab aliis Apoſtolorum ſucceſſoribus magis explicata, & aucta fuerit. Eſt igitur canon Apoſtolorum 74. ex quo variæ regulæ eccleſiaſticæ à ſucceſſoribus Apoſtolorum, & ſanctis pontificibus ductæ ſunt, qui iubet, vt Epiſcopus de aliquo crimine à fide dignis accuſatus, neceſſariò vocetur ab Epiſcopis: & ſi venerit (in-

Sententia canonis Apoſtol 74 citata ab Alexandro.

quit)& confeſſus fuerit, ipſo conuicto pœna decernatur. Cùm ait, ſi confeſſus fuerit, ipſo conuicto, ſatis declarat canon, confeſſionem per metum, fraudem, aut per vim non eſſe confeſſionem, ſi deſit ἔλεγχος, id eſt, probatio conuincens. Qui verò ſponte ſua, id eſt, ſine metu, fraude, aut violentia confitetur, hîc à ſe ipſo conuincitur. Confeſſio enim, ſcilicet conuincens reum, non compulſa, ſed ſpontanea fieri debet, vt ait S. Alexander, qui hunc planè canonem Apoſtolorum, & ſecutus, & interpretatus eſt. Itaque quod additum eſt in canone, ἐλεγχθέντος αὐτοῦ, id eſt, ipſo conuicto pœna decernatur, ſatis declarat, ad decernendum vlli ἐπιτίμιον, id eſt, pœnam canonicam infamiæ, aut alterius generis, non debere valere metum, aut fraudē, aut vim, ſi deſit probatio criminis. Dicam ergo rurſus, quod paulò antè, cùm hic citet Apoſtolos auctores pontifex Alexander, & ſecundum eorum ſententiam & auctoritatem dicat ſe hoc decretum de chirographis ab Epiſcopis per vim extortis facere, & nos canonem habeamus inter apoſtolicos, quo vis, & ſententia huius decreti continetur, ſatis contentioſus fuerit, qui neget, ad hunc canonem retuliſſe Alexandrum, quod dixit, cenſere ſe ſic auctore Deo, & ſanctis Apoſtolis. Addidit autem & ſucceſſoribus eorum, vt admoneret nos, quæ Apoſtoli ſancti eccleſiæ tradiderunt, ſucceſſores eorum accepiſſe, & confirmaſſe, & quæ per ſucceſſionem acceperant, eos item eccleſiæ tradidiſſe. Vnde beatus Clemens in extrema ferè parte libri ſeptem enumeratis Epiſcopis, quos Sancti Apoſtoli, dum viuerent, tanquam ſucceſſores ordinarunt, ſubiungit in perſona Apoſtolorum, hi ſunt, quos parœciis præfecimus: quorum doctrinæ ſemper memores, ſeruate noſtros ſermones, & Dominus ſit vobiſcum in infinita ſæcula. Et beatus Ireneus loquens lib. 3. c. 4. de traditione Apoſtolorum, & Clementem ſecutus, habemus (inquit) annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in eccleſiis, & ſucceſſores eorum vſque ad nos. Rurſus idem Alexander citat in epiſt. 2. canonem Apoſtolorum 9. cùm ait. eſt enim ſtatutum olim, vt qui ſtatum conturbat eccleſiæ, ab eius liminibus arceatur, neque cum fidelibus communi-

Sententia canonis Apoſt. 9. ab eodem Alexandro citatus.

cet, qui eorum bona auertit. Loquitur Alexander in eos qui miniſterium ſacerdotis impediunt, quominus legatione ſua, qua ad Deum pro populo fungitur, prodeſſe multis poſſit: Canon autem Apoſtolorum excommunicat omnes fideles ingredientes in eccleſiam, & audientes ſcripturas, ſed poſteà recedentes, nec aſſiſtentes orationi, neque communioni: hos inquam excommunicat tanquam perturbationem ordinis facientes. Hi enim perturbatione iſta ordinis ſuſpicionem iniiciunt contra vtilitatem publicæ orationis, quæ ab eccleſia fit: & contra communionem ſacram, quæ ibi celebratur: & nocent populo. Hi denique ſunt, qui, vt ait Sanctus Alexander, cauſam dei impediunt. & ſtatum conturbant eccleſiæ. Rurſus, in prima epi. citat idem Alexander aliam ſententiam Apoſtolorum canonis trigeſimi primi. Quod autem (inquit) ad alios iudices prius non debeant, quàm ad ſe (ſic enim eſt in vetuſto exemplari vaticano) ſacerdotes, vel actores id eſt, Epiſcopi accuſari, ita à tempore Apoſtolorum & infrà, obſeruatum, & definitum inuenimus, Si quis erga Epiſcopum vel actores eccleſiæ quamlibet querelam, vel actionem iuſtè ſe habere crediderit, ipſe redemptoris ſui, cuius actio noſtra eſt inſtitutio, viarum non immemor, ſed ſectator egregius, &c. non prius primates, aut alios iudices adeat, quàm ipſos, à quibus ſe læſum exiſtimat, conueniat familiariter, non ſemel, ſed ſæpiſſimè, vt ab eis aut ſuam iuſtitiam accipiat: aut iuſtam excuſationem. Si autem ſecus egerit, ab ipſis & ab aliis communione priuetur, tanquam Apoſtolorum. patrumque aliorum contemptor. Eandem ſententiam citauit Anacletus, vt paulò antè notatum eſt. Illud autem obiter admonendum eſt, ne quis corruptum eſſe putet hunc epiſtolæ locum, & legendum, auctores aut rectores eccleſiæ, cùm potiùs legendum ſit actores eccleſiæ, quia ſic olim vocabant, quos nunc dicimus diſpenſatores eccleſiæ, qui ſunt Epiſcopi, οἰκονόμους enim græcè, vt nunc interpretari ſolemus, diſpenſatores, ſic olim interpretati ſunt actores, teſtis eſt interpretatio latina antiquiſſima epiſtolę ad Galatas in qua,

Locus epiſtolæ 2. Alexandri emendatus ex vetuſto exemplari Vaticano.

Cur epiſcopi dicantur actores, & ſic legendũ eſſe & non auctores, aut rectores.

verbum œconomi Græcum ſic tranſlatum eſt, cùm ait: quantò tempore hæres paruulus eſt, ſub tutoribus, & actoribus eſt Et in vetuſtiſſima interpretatione Irenæi lib. 4. c. 44 in fine. Quis igitur (inquit) erit fidelis actor, bonus & prudens? Græcè eſt *οἰκονόμος* Epiſcopi ergo dicebantur actores eccleſiæ id eſt, diſpenſatores, & ſic etiam vocantur in epiſtola 3. Anacleti. Deinde Eleutherius pontifex, De accuſationibus ergo (inquit) clericorum, ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eorum accuſationes difficile eſt, ad ſedem Apoſtolicam deferre, finitiua Epiſcoporum tantùm iudicia huc deferantur, vt huius ſanctæ ſedis auctoritate finiantur, ſicut ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus multorum conſenſu Epiſcoporum iam definitum eſt. Sanè quidem definitum eſſe hoc 44. Canone Apoſtolorum, & ad eius canonis ſententiam hæc Eleutherij pertinere, teſtis eſt epiſtola Anacleti 3. in qua canonem illum 34. eiſdem verbis citat, & interpretatur, ſic enim ait, inde namque & beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerũt, vt Epiſcopi ſingularum ſcirent gentium, quis inter eos primus eſſet, quatenus ad eum potior eorum ſolicitudo pertineret, inde (inquit) ſtatuerunt. vnde? nempe ex eo quod ſequitur, nam & inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio: & licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino eſt conceſſum, & ipſi inter ſe id ipſum voluerunt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, qui & eandem formam ſuis ſucceſſoribus, & reliquis Epiſcopis tenendam tradiderunt. Hactenus Anacletus. Si igitur hunc canonem tradiderunt Sancti Apoſtoli, in quo eandem formam, quam ipſi tenebant, iubent tenere ſucceſſoribus ſuis, id eſt, Metropolitanis, & reliquis Epiſcopis, qui ſunt quoque ſucceſſores licet minores. diſtinxit enim hic Sanctus Anacletus, vt iterum & ſæpius dicam, ſucceſſores Apoſtolorum, ſcilicet maiores ab Epiſcopis, quod, nemo eſt qui non videat, Sanctus Dionyſius Areopagita in Epiſt. ad Demophilum eodẽ modo diſtinxit. Ergo ſicut Epiſcopi cuiuſque gentis debent agnoſcere primum gentis ſuæ, ſiue prouinciæ Epiſcopum, ſic ſecundum formam Apoſtolorum ipſi primi ſingularum gentium ſucceſſores Apoſtolorũ de-

Gal. 4.
Luc cap. 12.
Can. Apoſt. 34. citatus ab Eleutherio.

Can. Apoſt. 34. citatus, & explanatus ab Anacleto.

Quomodo diſtinguantur ſucceſſores Apoſt. ab epiſcopis itẽ ſucceſſoribus Apoſt.

bent agnoſcere vnum primum ſucceſſorē beati Petri, ſicut Apoſtoli agnoſcebant vnum primum Petrū, niſi enim ita fieri deberet, nō iam ſecundum formam, quā ipſi ſancti Apoſtoli inter ſe tenebant à Chriſto inſtitutam, hunc canonem tradidiſſent. Iubet ergo canon Apoſtolorum, vt ſingularum gētium Epiſcopi agnoſcant ſuū primum ſecundum formam, quā Apoſtoli inter ſe tenebant. Iubet item ſimul in eodem canone, vt ſine illius primi ſententia nihil maiorum cauſarū Epiſcopi conficiāt, ſic enim ſancti patres interpretati ſunt verbum περιττὸν, quod eſt in hoc canone, vt ſi dicamus exuperans. ex genere autem cauſarum maiorū, ac difficiliorum, ſiue exuperantium ſunt iudicia & cauſæ, ac damnationes Epiſcoporum, qui ſunt columnæ eccleſiæ. Quod ſi cauſas Epiſcoporum Epiſcopi Comprouinciales ſine ſuo primo cognoſcere non poſſunt, ergo nec ipſi primi ſucceſſores Apoſtolorum poterūt eaſdē cauſas maiores definire ſine ſuo itē primo; id eſt, Sine eo, qui eis præeſt, qui eſt beati Petri ſucceſſor, ſi quidē hanc formam S. Apoſtoli tenebant, vt omnia maiora ad Petrum, tanquam ad caput referrent, cui data eſt, Deo auctore, prima poteſtas ligandi atque ſoluendi, & per eum ad alios Epiſcopos tranſlata. Et paulò poſt idē Anacletus magis adhuc, quod dicimus, declarans, ſi quæ verò (inquit) cauſæ difficiliores ortæ fuerint, ad huius ſanctæ ſedis apicem, quaſi ad caput referte, vt Apoſtolico terminentur iudicio, quia ſic Dominum velle, & ita conſtitutum eſſe, ante dictis teſtimoniis declaratur. Ante dicta autem teſtimonia ſunt, vnum quidem illud, quod Petro dictum eſt, tu es Petrus & ſuper hanc petrā ædificabo eccleſiam meā: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. cui à Domino cōceſſum eſt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis. Alterum verò teſtimonium ante dictū eſt canon, quem Apoſtoli ſtatuerunt ſecundum formam, quam ipſi inter ſe habebant, vt ſingularum gentium Epiſcopi ſuum primum ſcirent. Ergo. S Anacleto interprete ex ſententia canonis Apoſtolorum 34. elicitur, definitionem cauſarum Epiſcoporum ad pontificem Romanum referendam eſſe. Hanc S. Anacleti

Quomodo ex canone Apoſt. 34 elicitatur, cauſas maiores ad Rom. pont. referēdas eſſe Anacleto interprete.

Quomodo ex canone Apoſtol. 34. elicitatur interprete S. Anacleto definitionē maiorum cauſarū ad Pontificē Rom. referendā eſſe.

interpretationem ſecutus eſt Iulius pontifex in epiſt. ad Oriẽtales. Sic enim ait de eccleſia Romana. Ipſa namque omnibus maior, & prolata eſt eccleſia, quæ nõ ſolummodo canonum, & ſanctorum patrum decretis, ſed Domini ſaluatoris noſtri vocem ſingularem obtinuit principatum, tu es (inquit) Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo eccleſiam meam, & reliqua. Porrò dudum à ſanctis Apoſtolis, ſucceſſoribúſque eorũ in præfatis antiquis decretũ fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta & vniuerſalis Apoſtolica tenet eccleſia, nõ oportere præter ſententiam Romani pontificis concilia celebrari: neque Epiſcopum damnari, quoniã ſanctam Romanam eccleſiam primatem omniũ eccleſiarum eſſe voluerunt. Et paulò poſt de his antiquis decretis, quoniam & prius (inquit) à tẽpore ſcilicet Apoſtolorũ hæc huic ſanctæ ſedi conceſſa ſunt, quæ ſunt poſtea in Synodo Nicena roborata. Et rurſus paulò poſt, quoniam neceſſe eſt (inquit) hæc in poſterum ſolicitius proſpici, & diligẽtius præcaueri, quatenus ea, quæ ſunt ab Apoſtolis, eorũmq; ſucceſſoribus ſtatuta, nulla deſidia negligantur. Ac tandem canonem ipſum apoſtolorũ citat Iulius, ex cuius ſententia ſecundum interpretationem Anacleti, quam diximus, & quam ſequitur Iulius, hæc eliciuntur. Subiungit enim, Quoniã & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædã diſcretio poteſtatis. Et cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. Et ſubiũgit, de qua forma Epiſcoporum quædam orta eſt diſtinctio: & magna ordinatione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent: ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia. Hic eſt canon Apoſtolorum 34. qui iubet, vt ſingularum gentium Epiſcopi ſuum primum ſciant. Et rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad beati Petri ſedem vniuerſalis eccleſiæ cura conflueret. Hactenus Iulius. Quod ſi de forma Apoſtolorũ eſt orta hæc diſtinctio hoc canone 34. Deo auctore, ſancita, & forma Apoſtolorum ea erat à Domino inſtituta, vt omnibus Apoſtolis Petrus præeſſet, ergo & ſucceſſoribus Apo-

Can. Apoſt. 34. à Iulio citatus & explanatus.

lorum debet ſucceſſor beati Petri principis Apoſtolorũ præeſſe. Quare debent ſucceſſores Apoſtolorum omnes maiores cauſas ad eum tanquam ad caput referre. Et ſubiungit idem Iulius repetens ſententiam canonis de forma diſtinctionis Epiſcoporum ſecundum formã Apoſtolorum. Qui ergo ſcit, ſe quibuſdam præpoſitũ, non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat. En inſtituta Apoſtolorum, & Apoſtolicorũ virorum, canoneſq; habetis. His fruimini: his circundamini: his armamini: vt his freti, circundati, delectati, armati contra inimicorũ iacula perſiſtere valeatis. hæc Iulius. In hoc ergo canone, qui iudicia Epiſcoporum definitiua, & omnes cauſas maiores ad ſucceſſorem beati Petri referri iubet, ius appellationum ad eum, à Domino inſtitutũ, & à S. Apoſtolis ſuſceptum, & eccleſiæ traditum continetur. Hæc ſunt priuilegia de cauſis maioribus ad ſedem Romanam referendis, quæ S. Zepherinus in epi. 1. dixit inſerta eſſe in conſtitutis Apoſtolorum. Interpretans enim, quæ conſtituta diceret, ſubiungit ſtatim, 70. enim ſententias Apoſtoli præfixerunt. Ex his ergo ſententiis eſt 34. canon Apoſtolorum, in quo inſertum eſt hoc priuilegium, vt ſatis ſuperque iam explicatum eſt. Ad eandem ſententiam canonis huius reſpexerunt reliqui pontifices, qui de huiuſmodi priuilegio eccleſiæ Romanæ loquentes Apoſtolorum conſtituta, & canones citant, vt Sixtus primus epiſ. 2. Marcellus epiſ. 1. Eleutherius epiſ. 1. Euſebius epiſ. 1. Sixtus 2. epiſ. 1.

Quomodo ex canonibus Apoſtolorum manarint poſtea acceſſiones legum eccleſiaſticarum, veluti ſupplementa canonũ Apoſtolicorum, & exempla huius rei tum in epiſtolis pontificum Apoſtolicorum, tum in Concilio Niceno. Item teſtimonia alia plura de canonibus Apoſtolorum in epiſtolis pontificum citatis Innocentii primi, Leonis magni, Aniceti, Calixti, Lucii, Eutychiani, Damaſi, Nicolai primi Leonis 4. Ioannis 8. Cæleſtini, Antheri. Cap. 23.

ILlud autem hîc obſeruandum eſt, traditiones canonicas S. Apoſtolorum breuiſſimo ſermone comprehēſas, & traditas ſucceſſores eorũ poſtea per eas, quæ græci vocāt legum προσθήκας καὶ ἐπιδιορθώσεις, id eſt, per ſupplemēta, & correctiones, explicaſſe, & ſuppleuiſſe. Vt quod Apoſtoli tradiderunt in can. 74. de Epiſcopo à fide dignis accuſato, ſucceſſores Apoſtolorum & ſancti pontifices poſtea explicarunt, vt ab ipſis Apoſtolis inſtructi ſunt, quínam ſint digni fide iudicandi, vt ſint ad accuſationem admittendi. de quibus iidem pontifices affirmant, ſic traditum eſſe à S. Apoſtolis. Vnde S. Marcellus in Epiſ. 2. quod laici (inquit) aut ſuſpecti Epiſcopos non debeant accuſare, nec accuſatoribus de inimici domo prodeuntibus credendum ſit, & à beato Clemēte, ipſis eum inſtruentibus Apoſtolis, legimus definitum. Item Fabianus in Epiſ. 2. ipſi enim inquit, Apoſtoli & ſucceſſores eorum ſtatuerunt, eos ad accuſationem non recipi, qui ſunt ſuſpecti, vel qui heri, & nudius tertius, vel dudum fuerunt inimici. Præterea Euſebius Pont. epiſt. 1 ſcitote (inquit) à tempore Apoſtolorum in hac ſancta vrbe ſeruatum eſſe, accuſatores, & accuſationes, quas exterarum conſuetudinum leges non aſciſcunt, à clericorum accuſatione ſubmotas. Et in eadem rurſus epi. neque ſceleribus irretiti, vel ſæculo militantes, epiſcopos infamare, vel lacerare. Nam ſi hoc Apoſtoli, aut ſucceſſores eorum permitterent, perpauci remanſiſſent qui Domino in ſacerdotali ordine militaſſent Imò comprehenſa eſſe hæc in illo canone de accuſatione epiſcopi, cùm ait, à fide dignis, comprehenſa dico hæc, quæ pontifices tradita eſſe de teſtibus à S. Apoſtolis affirmant, perſpici poteſt ex 2. lib. Clementis de conſtitutionibus Apoſt. c. 49. In quo traditum eſt, quales eſſe debeant teſtes. Item quod ſimili breuitate per ſermonem iidem Apoſtoli tradiderunt 34. canone, ſucceſſores eorum per accuſationes, corrigentes ea, quæ deeſſe videbantur, ſuppleuerunt. Vnde Iulius pontifex in epiſtola ad Orientales, Porrò (inquit) dudum à S. Apoſtolis ſucceſſoribúſque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta, & vniuerſa-

Quomodo ſucceſſores Apoſt. canones eorum ſupplementis auxerunt.

lis catholica tenet eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani pontificis concilia celebrari: nec epiſcopum damnari. Et paulò ſupra de eiſdem inſtitutis Apoſtolorum loquens, Licet dudum (inquit) inſtituta ſanctorum multa patrum eſſent cõſcripta poſuerunt leges patres ſancti, qui Synodum in Nicæa congregauerũt, quas ſacros canones appellamus, quibus multa perneceſſaria ad ſtatum eccleſiæ ſanctæ Dei, & ſupplementum columnarum eius, id eſt Epiſcoporum, ſunt decreta: & nocumenta eorum prohibita. hæc Iulius. Huiuſmodi ſupplementa erant, de quibus Paulus ad Titum ſcribens, reliqui te (inquit) Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas: Græce eſt ἐπιδιορθώσῃς, quaſi diceret, vt ea, quæ prætermiſſa ſunt, corrigendo ſuppleas: acceſſionem enim ſignificat hic illa præpoſitio ἐπὶ. Hæc idcirco diligentius noto, & ſæpius repeto, quo magis admoneamus, non omnes regulas, quæ ad corrigendum ſtatum rei eccleſiaſticæ, & eccleſiaſticæ conuerſationis à S. Apoſtolis traditæ ſunt, perfectas vno tempore exire potuiſſe: manaſſe verò ex illis Apoſtolorum regulis ὡς περιληπτικωτάταις id eſt, vtpote breui comprehenſione complexis, manaſſe, inquam, velut ex capitibus, & originibus per multa poſtea decreta, & canones ſucceſſorum tanquam προσθήκας vt dixi, & ἐπιδιορθώσεις dicamus nos vno verbo ſupplementa, vt nunc loquuntur, ad corrigendum, quæ deeſſe videbantur non poſſe enim fieri, quin aliqua legiſlatores relinquant. Plato etiam ratione naturali docente, intellexit, qui in principio libri 8. de legibus, cùm legem de ſacrificiis, & diebus feſtis componit, ſacerdotibus, & legum cuſtodibus committit, τάξαι ἃ παραλιπεῖν ἀνάγκη τῷ νομοθέτῃ, vt diſponant, inquam, quæ in his, neceſſario legiſlator prætermiſerit. Sic igitur, quæ in eccleſiaſticis legibus prætermittere, neceſſitas coegit, Synodis Epiſcoporum, ac pontificibus addenda reliquerunt. Cerni etiam poteſt exemplum huiuſmodi ſupplementi in canone Niceni conc. 23. ex numero illorum, quos Iulius pont. in reſcripto contra Orientales recitat, ſi quis (inquit) Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo propriam pertineat paroeciam, ſine conſilio & volun-

Quomodo Paulus, in epiſ. ad Tit. de acceſſionibus regularũ eccleſiaſticarum meminerit.

Quod plurima decreta ex canonibus apoſt. manarint, & exemplum huius rei.

tate omnium comprouincialium Epiſcoporũ aliquid agere tẽtauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit, & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum. Citata eſt hic poſterior pars ſententiæ canonis 34. Prior enim eſt de Epiſcopis comprouincialibus, ne quid, niſi quod ad proprias parœcias pertineat, ſine conſilio Metropolitani agant, quæ in extrema parte huius Niceni canonis 32. citatur. Poſterior verò eſt de ipſo Metropolitano, ne quid item & ipſe agat ſine ſententia omnium comprouincialium. Synodus verò Nicena adiecit ſupplemẽtum pœnæ, ſi ſecus fecerit: & adiunxit admonitionem de modeſtia ab eo ſeruanda in conſultando cum comprouincialibus. Neque verò diſſimulauit Synodus Nicena, eſſe iam hoc à ſanctis Apoſtolis conſtitutum de Metropolitano, & de Epiſcopis comprouincialibus. Poſtquam enim dixit, recitans in extremo priorẽ partem canonis 34. ſimiliter & ipſi comprouinciales Epiſcopi cum eius conſilio, niſi quantum ad proprias parœcias pertinet, agant, ſubiungit, iuxta ſanctorum cõſtituta patrum. Et addit ſtatim extremam partem eiuſdem 34. Canonis Apoſtolorum, vt vno ore, vno animo concorditer ſancta glorificetur trinitas in ſæcula. Hoc quoque locupletiſſimum teſtimonium eſt veritatis canonum Apoſtolorum, quod Synodus Nicena dedit, Iulio pontifice auctore, & teſte. Pergamus deinceps ad reliqua teſtimonia veterum pontificum de canonibus Apoſtolorum. De teſtimonio beati Innocentij & quidem multiplici, ſuperius diximus, ne eadem nunc repetamus. Sequitur Leo magnus, qui in epiſ. 1. ad vniuerſos Epiſcopos per Campaniam & Picænum canones Apoſtolorum citat 17. & 18. de iis, qui ordinari nõ poſſunt, Qualis verò (inquit) vnicuique natalium honeſtas, & morum eſſe debeat, qui ſacri altaris miniſterio eſt ſociandus, & Apoſtolo nos docente, & diuina præceptione didicimus, & Canonum regulis, à quibus pleroſque fratrum declinaſſe, & penitus deuiaſſe, reperimus. Nam conſtat ad ſacerdotium perueniſſe viduarum maritos: quoſdam etiam quibus fuerunt numeroſa coniugia cõtra illam Apoſtoli vocem, vnius vxoris virum, & contra illud antiquæ legis præceptũ, quo

Canones apoſt. 17. & 18. à Leone magno citati.

dicitur,& cauetur,ſacerdos virginem vxorem accipiat, non viduam non repudiatam. Et paulò poſt, quia legẽ Leuitici de non ducenda vidua, neque repudiata ignorare quis poterat, ſubiungit, & ne qua excuſatio de ignoratione naſcatur, quamquam ignorare nunquam licuerit ſacerdotem, quod canonum fuerit regulis definitum. Idem adhuc clariùs in Epi.87. ad Epiſcopos Africanos cap.1. eoſdem canones Apoſtolorum rurſus citat: eos enim (inquit) qui vel ſecũdas nuptias inierũt, vel viduarum ſe coniugio ſociarunt, nec Apoſtolica, neque legalis auctoritas ſacerdotiũ obtinere permittit: quod in prima epi. dixerat, regulis canonum prohiberi, dixit hic, Apoſtolica authoritate, ideſt, Apoſtolicis regulis canonũ, ſiue regulis canonum Apoſtolorũ non permitti. Rurſus idem in epi.92.c.2. citat canonẽ Apoſtolorum 25 vt Epiſcopus, aut presbyter, vel diaconus in fornicatione, aut periurio deprehenſus, deponatur: ſed non excommunicetur, Sic enim Leo pont. ait, alienum eſt à conſuetudine eccleſiaſtica, vt qui in presbyterali honore, aut in diaconij gradu fuerint cõſecrati, ij pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi, id eſt, vt excommunicentur. Hoc enim ſignificare, remedium pœnitẽdi accipere per manus impoſitionem, ſupra docuimus auctoritate Synodi Africanæ, & Igmari archiepiſcopi Rhemenſis teſtimonio, qui ſic interpretatus eſt. Subiũgit deinde Leo, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit: traditionẽ Apoſtolicã, quæ in hoc canone Apoſtolorum continetur, ſignificat. Rurſus idem Leo in epiſtola 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum citat canonem 34. de quo tam multa à nobis antea dicta ſunt, ſic enim ait c.2. Igitur, ſecundum ſanctorum patrum canones ſpiritu Dei cõditos, & totius mundi reuerentia cõſecratos, Metropolitanos ſingularum prouinciarũ Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditę ſibi antiquit[9] dignitatis intemeratũ habere decernim[9]. Ita vt à regulis pręſtitutis nulla aut neglıgẽtia, aut pręſumptione diſcedant. Hactenus Leo. Ius ergo diuinitatis eorum, antiquitus ſecundum Canonem antiquũ

1.Timoth.3.
Leuit.cap.21.
Can. apoſt. 25. & 34. ab eodẽ Leone citati.

Apoſtolorum traditæ, erat, vt Epiſcopi comprouinciales ſuos Metropolitanos agnoſcerent primos: & nihil, præterquam quod ad proprias parocecias pertineret, ſine eorum conſilio, & voluntate agerent. In quo iure ipſi quoque Metropolitani cum omni modeſtia erga Epiſcopos ſe gerere debebãt, vt in canone Synodi Nicenæ admonebantur, quem Iulius pont. vt iam dixi, in reſcripto ad Orientales recitat. cap. 22. Eundem canonem 34. citat Anicetus pont. in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ. recitans enim verba canonis, iuxta inſtituta, inquit, Apoſtolorum. Ac rurſus Calixtus pont. eundem canonem in epiſ. 2. recitat citatis Apoſtolis eius auctoribus. Item Lucius eundem canonem renouãs, & Apoſtolos auctores eius citans, Conſtituimus (inquit) ſicut à ſanctis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus decretum reperimus, ſi quis Metropolitanus, niſi quod ſolũmodo ad ſuam paroeciam pertinet, & quæ ſequuntur. Redeo ad Leonem qui in eadem epiſ. c. 7. canonem Apoſtolorum 37. citat, de conciliis, inquit, Epiſcopalibus non aliud indicimus, quàm ſancti patres ſalubriter ordinarunt, vt ſcilicet bini conuentus per annos ſingulos habeantur: in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuerſos eccleſiæ ordines naſci adſolent, iudicetur. Cùm dicit, ſanctos patres ordinaſſe, vt bis ſingulis annis Synodus haberetur, neceſſe eſt S. Apoſtolos intelligere, Synodus enim Nicena non hoc ipſa primùm ordinauit, ſed iam olim antiquo canone; id eſt, Apoſtolico ſalutariter ordinatum, roborauit. Quod quidem nõ obſcurè eadem Synodus ſignificauit. Iubet enim, vt ante obſeruauimus, canone 5. de excommunicatis tum clericis, tum laicis ab aliquo Epiſcopo cuiuſcunque prouinciæ, vt vigeat ſententia illius canonis, qui iubet, vt excommunicati ab vno Epiſcopo, ne ab alio recipiantur, qui eſt canon Apoſtolorum 32. quem hîc Synodus Nicena citauit. Deinde ſubiungit eadem Synodus, vt autẽ hoc, Vt decet, examinetur, viſum eſt rectè habere, vt ſingulis annis bis Synodus habeatur. Non dixit, decernimus, ſiue ſtatuimus, ſed viſum eſt, rectè habere, in quo ſatis ſignificauit, non eſſe hoc nouum ſtatutũ, ſed antiquum. Sic etiam Synodus Antiochena, quia nihil nouum

Canon Apoſt. 34 citatus ab Aniceto, Calixto, & Anacleto.

Canon. apoſt. 37 citatus à Leone primo, & Synodo Nicena, & S. Anacleto.

nouum ſtatuebat, ſed quæ iam olim canonibus Apoſtolorum rectè conſtituta erant, renouabat, dixit in procœmio, Quæ enim viſa ſunt rectè habere, hæc cum maiore conſideratione, & iudicio vobis omnibus in vnum cõgregatis, ad veſtram cognitionem retulimus. Sed quod non nouum decretum eſſet hoc Synodi Nicenæ de Synodis bis quoque anno habendis, ne quis iam dubitet, teſtatur S. Anacletus in epiſ. 1. ſic enim ait, & ſi illic decerni nõ potuerint, aut iuſtè terminari, vbi fuerit ſummorum, (Epiſcopos dicit) congregata congregatio, quæ per ſingulos annos bis fieri ſolet, & debet, iuſtè & Deo placite corã Patriarcha, aut Primate iudicentur. non dixit ſolum, fieri debet, ne exiſtimaretur, nouum tunc decretum à ſe fieri de hoc, ſed dixit fieri ſolet, & debet, confirmans veterem canonem, ſiue conſuetudinem eccleſiaſticam vetere canone Apoſtolorum inſtitutam. Vt iam non liceat, vllo modo dubitare, quin Leo pont. cum hoc ſanctos patres ordinaſſe dixit, ſanctos Apoſtolos intelligi voluerit, qui ſunt patres noſtri, imò patres patrum iuxta prophetiã Dauid, cum ait, pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Itẽ ſanctus Eutychianus in epi. 1. ad omnes Epiſcopos Beticæ canonem 3. Apoſtolorum citat, ſic enim ait, idcirco fratres iſta prætulimus, vt hæ ſpecies, quas nõ licet offerri ſuper altare iuxta conſtitutionem Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, ad domum ſacerdotum deferantur: & à ſacerdotibus benedicantur: & per ſimplicẽ benedictionem benedicta, demum à populis ſumantur: fabæ tantum, & vuæ, & cætera quæ Apoſtoli conſtituerunt, ſuper altare offerantur. Præterea Damaſus in epi. 3. canones Apoſtolorum 74. & 75. citat, ſic enim ait, Accuſatores autem Epiſcoporum, & teſtes abſque vlla infamia, aut ſuſpicione, vel manifeſta macula, & veræ fidei pleniter inſtructi eſſe debent, & tales quales ad ſacerdotium eligere iubet diuina auctoritas. Deinde ſubiungit, Quoniam ſacerdotes, vt antiqua tradit auctoritas, criminari nõ poſſunt, nec in eos teſtificari, qui ad eundem non debent, neque poſſunt prouehi honorem. Auctoritatẽ antiquam dixit ſentẽtiæ Apoſtolicæ, quæ iſtis duobus canonibus, quos dixi, continetur de

Can. Apoſt. 3. citatus ab Eutychiano.

Can. Apoſt. 74. & 75. à Damaſo citati.

Epiſcopo accuſato à fide dignis, ex quo fiat, vt qui non ſunt fide digni, vt ſunt ſuſpecti, & turpis vitæ homines, non poſſint eſſe accuſatores: & de hæretico non admittendo ad dicendum teſtimonium contra Epiſcopum. notaui enim ſuprà, quemadmodum Anacletus verbum hæretici, quod eſt in canone Apoſtolorum, interpretatus eſſe videretur, cum horum quoque canonum ſententiam citaret. Adhæc, Nicolaus primus in epiſt. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos in regno Ludouici, canonem Apoſtolorum 28. citat, præter illa, inquit, quæ ſpecialiter Gutharius Epiſcopus commiſit diuinum tangendo miniſterium, pro quo à ſacris regulis etiam locum habere ſatisfactionis penitus interdicitur. Hæc Nicolaus, quo in loco, vt hoc obiter obſeruetur, interpretatus nobis eſt, quia ſignificet, quod eſt in canone Apoſtolorum citato, omnino abſcindi ab eccleſia, ſic enim ait canõ, Si quis Epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus depoſitus iuſtè propter manifeſta crimina, auſus fuerit tangere miniſterium ſibi aliquando commiſſum, omnino abſcindatur ab eccleſia: id eſt, ita abſcindatur, vt nõ relinquatur ei locus ſatisfactionis, vt reſtitui poſſit. Hunc ipſum canonẽ citat quoque Greg. 9. in 5. dec. titulo de clerico excommunicato c. 1. Rurſus idem Nicolaus ſcribens ad clerum Conſtantinopolitanũ, iubet, vt attendant paternos canones præcipue Apoſtolorum: & in reſponſis ad conſulta Bulgarorum c. 9. canonem Apoſtolorum 9. citat, cùm ait, & de iis, qui in eccleſiam quidẽ intrant, neque tamẽ facta oblatione cõmunicant, ſacri canones ſufficienter enũtiant. Sic autem ait canon Apoſtolorum, qui poſtea in Antiochena Synodo can. 2. repetitus, & renouatus eſt, omnes fideles, qui intrant in eccleſiam, & audiunt ſcripturas, ſed non expectant, vt orent, & communicent, excommunicentur, vt eccleſiæ ordinem perturbantes. Illud etiam eſt hic obſeruandum, quod idem pont. Nicol. in capite iſto 9. ex ſuis ad conſulta Bulgarorũ reſponſis, de canone Apoſtolorum vltimo ſumpſit. Eſt enim in eo canone, non oportere vulgare omnibus cõſtitutiones Apoſtolorũ libris 8. ſcriptas propter myſtica, quæ in eis ſunt, ſunt autẽ extrema pars libri octaui

Can. Apoſt. 28. citatus à Nicolao primo.

Quid ſit omnino abſcindi ab eccleſia in canone Apoſt. interprete Nicolao. 1.

Canon Apoſt. 9. citatus ab eodem Nicolao 1.

ſacri canones Apoſtolorum, de quibus Nicolaus poſtquam dixit, De iis, qui intrant in eccleſiam & facta oblatione non communicant, ſacri canones ſufficienter enunciant, ſubiungit, qui antiſtiti veſtro ſunt tribuendi: & ab eo ſacerdotibus, qui claues tenent ſcientiæ, duntaxat aperiendi: & vobis nihilominus, in quibus opus eſt, minime prohibetur, inſinuandi. Hactenus Nicolaus. Eodem conſilio & ratione ſcripſit, c. 13. ad eoſdem Bulgaros qui petierant à pontifice, vt mitteret eis leges ſæculares, libenti (inquit) animo mitteremus, ſi quem penes vos eſſe comperiſſemus, qui has vobis interpretari potuiſſet. Si quos autem de mundana lege libros miſſis noſtris dedimus, cùm reuerſi fuerint: nolumus, ibi relinqui, ne forte quilibet eos vobis peruerſe interpretetur: aut facilitate qualibet violet. Tribuit præterea teſtimonium canonibus Apoſtolorum Leo 4. ante annos ſeptingentos apud Gratianum diſ. 19. c. de libellis. Sic enim ait, de libellis & commentariis aliorum non conuenit aliquos iudicare: & ſanctorum conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, quæ habentur apud nos ſimul cum canonibus, quibus in omnibus eccleſiaſticis iudiciis vtimur, id eſt, Apoſtolorum, Nicenorum, Ancyranorū, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Sardicenſium Africanorum, Carthaginenſium. Et paulò poſt, iſti, (inquit) omnino ſunt, per quos Epiſcopi iudicant: & per quos Epiſcopi ſimul & clerici iudicantur. Quod ſi in omnibus eccleſiaſticis iudiciis canonibus Apoſtolorum, & canonibus Synodorum Epiſcopi vtuntur, quæramus à Magdeburgenſibus, cur magis canones Apoſtolorum negent, quam Synodorum? aut vnde ſciunt eſſe canones Synodorum, qui earum eſſe feruntur? nonne ex teſtimoniis eorum, qui eos citant nomine Synodorum? Cur igitur canones Apoſtolorum negant? quos illæ ipſę Synodi, quarum canones confitentur, vt à nobis in hoc libro copioſe oſtenſum eſt, citant? Deinde, ſi canonibus Apoſtolorum Epiſcopi in omnibus iudiciis eccleſiaſticis vtuntur, vt Leo 4. teſtatur, & res ipſa loquitur, quid ſtultius eſſe poteſt, quā eos canones negare, quibus in omnibus iudiciis, & tribunalibus

Teſtimonium Leonis 4. de canonibus Apoſt.

Qua ratione negant Magd. canones Apoſ. eadem negare poſſunt canones Synodorum.

Teſtimonium Ioannis 8 de canonibus Apoſ.

eccleſiarum teſtimonium tribuitur? Item Ioannes 8. in epiſtola ad Baſilium Imperatorem excuſans Photij Patriarchæ Conſt. reſtitutionem in Epiſcopatum, canones Apoſtolorum citat, cùm ait, Nos tamen hoc malũ curamus non quidem noſtra auctoritate, tametſi poteſtatem habeamus faciendi hoc, ſed auctoritate Apoſtolicarum cõſtitutionum, & de ſententia patrum, qui ſic agendum eſſe demonſtrant.

Can. Apoſt. 14. confirmatus à Cæleſtino auctore Nicephoro.

Poſtremò Nicephorus libro 14. cap. 39. canonem Apoſtolorum 14. diuinũ vocat, cuius ſenſum eos dicit non intellexiſſe: qui exiſtimabant non licere, cum neceſſitas, & vtilitas eccleſiæ poſtularent, Epiſcopos transferri. Enumeratis itaque multis Epiſcoporum legitimis tranſlationibus, dicit confirmatum fuiſſe hunc canonem à Cœleſtino pontifice Romano, qui tribus epiſtolis, ad Cyrillum Alexandrinum, Ioannem Antiochenum, & Rufum Theſſalonicenſem, miſſis, docuit, legitimam tranſlationem non obeſſe canonibus.

Can. Apoſt. 14. confirmatus & citatus ab Anthero pont.

Citat etiam idem Nicephorus in eodem loco Antheri vigeſimi poſt beatum Petrum põtificis ante mille trecentos annos epiſtolam in qua eos pontifex reprehendit, qui dicebant, nõ licere Epiſcopum de ciuitate in ciuitatem migrare. Scribit autẽ Antherus in hac epiſtola, cuius verba Nicephorus recitat, & quæ nunc extat, quando & quomodo trãſferri epiſcopos liceat, ſententia & verbis canonis 14. vſus, velut interpres eiuſdem canonis & confirmator. Non enim, inquit, tranſit de ciuitate ad ciuitatem, qui non ſuo libitu, aut ambitu hoc facit, ſed vtilitate quadã, aut neceſſitate, aliorum hortatu, & conſilio potiorũ tranſfertur. Hæc eadem quatuor eiſdem verbis complexus eſt canon ſanciens, ne quis relicta ſua eccleſia ad aliam inſiliat, quod pontifex interpretatus eſt, ſuo libitu, & ambitu tranſire, niſi (inquit) cauſa aliqua ſit, quæ neceſſitatem afferat propter vtilitatem, idque aliorum hortatu, & iudicio multorum Epiſcoporum. Itaque βίαν, κέρδος, παράκλησιν, κρίσιν πολλῶν ἐπισκόπων dixit canon, pro quibus Antherus pontifex, vt bonus interpres, dixit neceſſitatem, vtilitatem, hortatum, & conſilium potiorum, id eſt, Epiſcoporum.

De canonibus Apoſtolorum, quos Magdeburgenſes, ſe reperiſſe gloriantur, cuiuſmodi ſint, & de exemplis ſimilium canonum: & quid ipſi Magdeburgenſes addiderint in ſummis canonum ſiue rubricis, quas vocant, à ſe appoſitis ſecundum ſuam diſciplinam, vt de lingua vulgari, & nõ ignota vtenda ad populum: & confutatio huius erroris ex ipſo Paulo ducta: item de abrogatis ſacrificiis, ſeu de Miſſa quomodo conuincantur Magd. addidiſſe hoc, & de adminiſtratione cœnæ dominica, quid etiam ibi addiderint, & quomodo addidiſſe conuincantur. Cap 24.

SAtis ergo Hactenus ad omnia, quæ Magd. in canones Apoſtolorum obiicienda eſſe putauerunt, reſponſum ſit. Satis item de veterum Synodorum, & aliorum auctorum, præter pontifices, teſtimoniis canonũ. Satis poſtremo de ipſorum veterum pontificum atteſtatione. Supereſt, ne quid prætereamus, vt aliquid etiã de iis canonibus Apoſtolorũ dicamus, quos Magd. in, neſcio quo, vetuſto codice ſe reperiſſe gloriantur, quos illi magnopere celebrant: ac eo etiã magis, quod, illis repertis, facilius iã putabant ſe perſuaſuros, canones Apoſtolorum, quos nos defendimus, aduentitios eſſe: illos verò, quos ipſi repererunt, priſcos & natiuos. Qui nõ aduerterunt, eſſe illos quidẽ non leges eccleſiaſticas ſine ſcripto per ſermonẽ latas, vt ſunt hi noſtri, quos ipſi negãt, ſed potius ſententias ex ſcriptura ſancta ſumptas, quas qui ſumpſit, ſi fortè canones appellauit, B. Baſiliũ imitatus eſt, qui ſententias quoq; varias ex nouo teſtamẽto excerpſit, ad ſanitatẽ fidei, vt ipſe ait, & ad vitam euangelicã pertinẽtes, quas ὅρους, id eſt, regulas vitæ Chriſtianæ. vocauit. imitatus quoque eſt beatũ Cyprianũ, qui idẽ fecit in tribus ad Quirinum libris, qui à Cypriano petierat, vt ad inſtituendũ, quædam, vt idem Cyprianus in procemio 3. libri ait, de ſcripturis ſanctis capitula ad diſciplinã religionis noſtræ pertinẽtia excerperet. Cui reſpondens Cyprianus, Quantũ potuit (inquit) mediocritas noſtra cõplecti, collecta ſunt à me quædã præcepta Dominica, & magiſteria diuina, quæ eſſe facilia,

Quod canones Apoſt. quos Magd. ſe reperiſſe gloriãtur, non ſint canones eccleſiaſtici ſine ſcripto traditi, ſed potius ſententiæ ex ſcriptura excerptæ.

& vtilia legentibus poſſunt, dum in Breuiarium pauca digeſta, & velociter legũtur, & frequẽter iterãtur. Idẽ, eodemque cõſilio feciſſe videtur, qui canones iſtos (vt iſti vocant) ex ſcriptura noui teſtamenti, præſertim ex epiſtolis Pauli, excerpſit, qui, cum nullã formã, neque ſpeciẽ legum habeant, non enim iubendo, aut vetãdo quod volunt, ſanciunt, quod proprium eſt legis, nunquã dicẽtur eccleſiaſtici canones, qui nihil aliud ſunt, quàm eccleſiaſticæ leges. Tametſi illud nõ eſt diſſimulandũ, addidiſſe aliquid Magd. nõ quidem capitulis & ſententiis ipſis Scripturæ ſanctæ, ſed ſummis capitũ & indicibus, quos titulos, ſiue rubricas vulgò vocant. Vt illud, quod in principio his verbis ſcripſerũt, De rebus ad gubernationẽ eccleſiæ pertinẽtibus apoſtoli certos quoſdã canones tradiderũt, quos ordine ſubiiciemus. Atqui nõ ſic inſcriptos canones iſtos repererunt, ſcilicet. De gubernatione eccleſię, ſed ipſi potius hoc addiderunt Si fortè commentitia iſta inſcriptione canones eccleſiaſticos apoſtolorum fruſtrari poſſent. Deinde ſubiiciunt canones in hunc modũ, Canon primus. De gradibus, Chriſtus dedit alios quidem apoſtolos: alios verò prophetas: alios autẽ euãgeliſtas: alios autẽ paſtores, & doctores ad inſtaurationẽ Sanctorũ in opus adminiſtrationis in ædificationẽ corporis Chriſti, donec perueniamus omnes ad vnitatẽ fidei. Secundus canon De variis generibus donorũ, Huic per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ: alij verò ſermo ſciẽtiæ, ſecundũ eundem ſpiritũ: alij verò fides per eundẽ ſpiritũ: alij prophetia: alij verò diſcretio ſpirituum: alij verò genera linguarũ ſed hæc omnia efficit vnus ille & idem ſpiritus, diuidens peculiariter vnicuique ſicut vult. Canõ. De vſu donorũ, Vt quiſque accepit donum, ita alius in alium illud adminiſtrantes, vt boni adminiſtratores variæ gratiæ Dei. Si quis loquitur, loquatur vt eloquia Dei: ſi quis miniſtrat, miniſtret tanquã qui miniſtrat ex virtute, quã ſuppeditat: vt in omnibus glorificetur Deus per Ieſum Chriſtum. Legat reliquos qui volet, qui ſunt totidem ſententiæ ex ſcriptura noui teſtamẽti ſumptę: & conferant cum eccleſiaſticis canonibus S. Apoſtolorũ, quos ſine ſcripto περὶ εὐταξίας ἐκκλησιαστικῆς, id eſt, de

Quomodo canones, quos Mag. repererũt, falſo de gubernatione eccleſiæ inſcripſerunt, & quo conſilio.

Epheſ. 4.

1. *Cor. 12.*

1. *Petr. c. 4.*

Canones apoſto. in antiquis codicibus inſcripti περὶ εὐταξίας ἐκκλησιαστικῆς.

bono ordine eccleſiæ nobis tradiderunt, vt facilè intelligat conferendo, vtri ad gubernationem eccleſiæ pertineant, illi, ne, an noſtri? Illud etiam non eſt tacendū, tum ne incauti decipiantur, tum vt, qui diſciplinā Luteranorum ſequuntur, fraudes iſtorum cognoſcant, ſi quando tandem reſipiſcere, & ab eis diſcedere velint. Illud dico, quod in canone de loquentibus lingua, & de prophetantibus, loco inſcriptionis, & ſummæ, ſiue indicis, de ſuo, ſecundum diſciplinam ſuam addiderūt: ſic enim inſcripſerunt canonem, De eo, quod in eccleſia ad populū vtendum ſit lingua vulgari, & nō ignota. Deinde ſequitur canon, Qui loquitur lingua, ſe ipſum ædificat: & qui prophetat, cōgregationem ædificat. Quis non videt abſurdam, & cum Pauli ſententia pugnantem ſummam canonis tanquā interpretationem? Si enim præcipit Apoſtolus, vt iſti fingunt, vt in eccleſia ad populum lingua vulgari, & non ignota vtēdum ſit, fruſtra ergo erit in eccleſia interpres. Quid igitur præcipit idem Apoſtolus, vt ſine lingua quis loquitur, ſecundū duos, aut vt multum, tres & per partes vnus interpretetur? Quid, inquam, opus eſt interpretatione, ſi in eccleſia lingua vulgari, & nō ignota vtendū eſt? Ergo ſecundum correctionem Magdeburgenſium non debuit dicere Apoſtolus, Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare, ſed ſic potius, Volo autē omnes vos in eccleſia vti lingua omnibus nota, vt nō ſit opus prophetare, id eſt, interpretari. Denique, ſecundum iſtos Dei & apoſtolorum eius correctores non debuit Deus ponere in eccleſia genera linguarum, & interpretationes ſermonum, ſi non eſt vtendum in eccleſia lingua ignota. Quorſum ergo ait Apoſtolus, loquēs de iis, quæ fiunt in eccleſia, Nūquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretātur? Et S. Epiphanius deſcribens characterem eccleſiæ ſui temporis ſecundū apoſtolicā traditionē, in ea eſſe ait, ἑρμηνευτὰς γλώσσης εἰς γλῶσσαν ἢ ἐν ἀναγνώσεσιν ἢ ἐν προσομιλίαις, id eſt, interpretes linguæ in linguam in lectionibus, vel in ſermonibus ad populū. An melior eſt character eccleſiæ, vel potius ſynagogæ Luteranæ, quàm illi' apoſtolicę? Petierat hoc olim dux Boemorū

Quomodo Magd. canonem de dono linguarum falſo titulo inſcripſerunt.

Abſurditas, & repugnantia Magd. cum Apoſtolo De vulgari & nō ignota lingua vtenda in eccleſia.

Quid Gregor. 7. reſponderit olim duci Boemorũ & Boemis, cum petierunt, vt liceret eis vti in eccleſiis lingua Sclauonica.

nomine totius gentis Boemicæ à Gregorio 7. pontifice Romano ante annos quingẽtos & amplius, quod noſtra ætate Lutherus in Germania inſtituit, & docuit: & quod nunc Magd. canoni apoſtolorum falſa ſua, & repugnante inſcriptione attribuunt, ſed videamus, quid pontifex reſponderit lib. 7. regeſti ſui in epiſt. ad ducẽ Boemorum, Quia verò (inquit) nobilitas tua poſtulauit, vt ſecundum Sclauonicam linguam apud vos diuinum celebrari annueremus officium, ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe fauere. Ex hoc nempe ſæpe voluentibus liquet, nõ immeritò ſacram ſcripturam omnipotenti Deo placuiſſe quibuſdam locis eſſe occultam, ne ſi ad liquidũ cunctis pateret, fortè vileſceret: & pateret deſpectui: aut prauè intellecta à mediocribus, in errorem induceret & quæ ſequuntur, ne omnia recitem. At magiſtri Luteranorũ non ita ſentiunt: imò, quaſi Deo ſapientiores & liberaliores, cunctis ſacras ſcripturas patere volũt: & per ſe ipſas proprio ſpiritu intelligi. Ex quo fit, vt apud Luteranos, omnes officiũ prædicationis vſurpẽt: eueniatq; illis quod Innocentius 3. ante annos ccc. & amplius ad Abbatẽ Ciſterciẽſem, & collegas eius, in eos ſcripſit, quia canonicos ſanctarũ ſcripturarũ libros gallicè tranſlatos legebant. Cùm olim (inquit) venerabilis frater noſter Metenſis Epiſcopus per ſuas nobis litteras intimaſſet, quod tã in diœceſi, quàm in vrbe Metenſi laicorum, & mulierum non modica multitudo Gallicæ cuidam trãſlationi diuinorum librorũ intendens, ſecretis conuenticulis etiã inter ſe inuicem eructare præſumerent aliorũ aſpernãtes conſortiũ, & in faciem redarguentibus presbyteris reſiſtentes, quorum ſimplicitatẽ faſtidiunt, in ſuæ tranſlationis peritia confidentes. Et paulò poſt de eiſdem, Officium (inquit) prædicationis vſurpant: ſimplicitatẽ ſacerdotum deſpiciunt & eorum conſortium, qui dictam tranſlationẽ non recipiunt, aſpernãtur. Hæ ſunt, & aliæ huiuſmodi vtilitates, quas lingua vulgaris, & omnibus nota in libris ſacris, & in diuinis officiis afferrre poteſt in eccleſia Dei, vt aliquando attulit. Vt igitur ſunt in eccleſiis catholicis per vniuerſum mundũ ſucceſſores apoſtolorũ, quos De⁹ poſuit in eccleſia,

Incõmoda quæ lingua vulgaris & omnibus nota afferre poßit & ſoleat in libris ſacris & officiis.

&prophetarũ,ac doctorum,& aliorum graduum,vt in libris De hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiæ aduerſus ſchiſmaticas vocationes miniſtrorum, & ſuperintendentium Luteranorum nuper demonſtrauimus,ſic etiam ſunt ſucceſſores loquentium linguis,& interpretantium ſermones.Pronuntiare enim in eccleſiis, ſicut ſancti Apoſtoli à Domino inſtituti, ab initio tradiderunt, per cunctum occidentem latina lingua, quam populus ignorat, ſicut per cunctum orientem lingua græca,quam vulgus item non intelligit, lectiones euãgeliorum,epiſtolarum, prophetias, & pſalmos, quod iis tantum licet,quibus ex chariſmate ordinationis conuenit,loqui lingua eſt. Locum verò interpretis ſermonum ſupplent,qui verbum Dei in eccleſia prædicant,qui ex pronuntiatis lingua populo ignota, ſumũt ad interpretandum,& prophetandum, vt populus, qui lingua loquentem audiuit,ædificetur:& qui lingua loquitur,non ſit ſine fructu,ſicut Apoſtolus ait. Non loquor modo de illo dono linguarum, quas idem Apoſtolus ait, Inſignum eſſe infidelibus, ſed de alio genere ex hierarchicæ ordinationis chariſmate. Qui ergo tradunt, vtendum eſſe in eccleſia lingua tantùm vulgari, & non ignota populo,hi contra diuinam,& apoſtolicã traditionem genera linguarum,& chariſma interpretationis ſermonum tollunt ex eccleſia.Vbi enim non eſt, qui lingua loquatur, non opus eſt interprete. Hi ſunt qui ordinem eccleſiæ corrumpunt, & ſcripturam ſanctam indocto vulgo permittunt deprauandam: illis pſeudoprophetis ſimiles,quos Hieremias vocat,ἐκβάλλοντας προφητείας γλώσσης, id eſt, eiicientes prophetias linguæ.pro quo B.Hieronymus,aſſumentes linguas ſuas,interpretatus eſt. Vtrumque enim faciunt Lutherani,dum pro lingua populo ignota, quam eiiciunt, ne opus ſit eam interpretari, linguam ſuam in eccleſia aſſumunt. Alium quoque canonem ex iſtis à ſe repertis commentitia inſcriptione corruperunt Magdeb.Canõ (inquiunt)de abrogatis ſacrificiis,ſeu de Miſſa, hæc eſt canonis inſcriptio ſiue titulus, ſequitur Canon, Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui ſanctificantur.& paulò poſt,Vbi remiſſio peccatorum eſt,

Qui in eccleſia ſucceſſerint loco loquentium lingua.1.Cor.c.14

Alius tit. additus à Magdeb. de ſacrificiis abrogatis,ſeu de Miſſa

non eſt amplius oblatio pro peccato. Hebr. decimo. Illud poſteriùs de Miſſa iſti boni interpretes addiderunt. vt autem probabiliùs ſimplices deciperent, eam partem epiſt. ad Hebr. quæ cum priore parte inſcriptionis congruebat ſcilicet de abrogatis ſacrificiis, reticuerunt. ſic enim ait Paulus, Quia hoſtias, & oblationes & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, neque placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam. aufert primum, vt ſequens ſtatuat. Dicant ergo nobis Magd. cur hæc, quę tam apertè abrogationem veterum ſacrificiorum continebant, prætermiſerunt? cur inquam? niſi quia non hoc laborant, vt abrogata eſſe vetera ſacrificia cùm Paulo doceant: ſed vt abrogatum eſſe ſacrificium noui teſtamenti per fraudes, & mendacia contra Paulum faciant. Etenim, ſi nulla hoſtia, & oblatio nobis relicta eſt, non debuit dicere Apoſtolus paulò pòſt, Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia: ſed ſic, Vtcunque peccantibus nobis, ſiue voluntariè, ſiue non voluntariè non relinquitur hoſtia. Niſi fortè putant Magd. omnes qui peccant, peccare voluntariè, id eſt, ſcienter. At redarguet eos, ſi hoc putant, ſcriptura, quæ eum, qui cognoſcendo voluntatem Domini, peccat, ab eo diſtinguit, qui peccat non cognoſcendo eam. Cùm igitur neque pro voluntariè, neque pro non voluntariè peccantibus ſit iam iam amplius Chriſtus cruente immolandus, Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur, conſequens eſt, vt, cum ait Apoſtolus, planè diſtinguens voluntariè peccantes à non voluntariè peccantibus, non relinqui hoſtiam, id eſt, non eſſe immolandum iam Chriſtum pro voluntariè peccantibus, de immolatione, non quidem cruenta, ſed incruenta & myſtica loquatur, quæ eſt oblatio ſacrificij ſuper altare in domo Dei. pro iis enim, quos eccleſia ſine vlla dubitatione ſcire, & affirmare poteſt, velle in peccato eſſe ſcientes, quos voluntariè peccantes vocat Apoſtolus, cuiuſmodi ſunt, qui pro aliquo grauiore crimine excommunicati ſunt, pro his, inquam, huiuſmodi hoſtia

Hebr. c. 10.

Luc. 12.

Voluntariè peccantibus quomodo non relinquatur hoſtia pro peccatis.

incruenta, quæ eadem paulò ante vocata eſt ſacerdos magnus ſuper domum Dei, nō offertur nec offerri poteſt ſecundum apoſtolicam traditionem, vt nos in quarto libro defenſionis epiſtolarum copioſiùs adhuc docebimus. Conſtat autem eum, qui non cognoſcendo peccat, non voluntariè peccare. Alium deinde canonem ſimili artificio falſa & hæretica inſcriptione deprauarunt, Quod in adminiſtratione (inquiunt) cœnæ dominicæ nihil aliud fieri debeat, quam Dominus inſtituit, nempe, vt tam laici, quàm clerici edant, & bibant ſub pane & vino corpus & ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti: & non fiat oblatio pro viuis ac mortuis, nec adoratio. Sequitur deinde Canon, Ego accepi à domino, quod & tradidi vobis: quod dominus Ieſus in ea nocte, qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquā gratias egiſſet, fregit, ac dixit: Accipite, edite: hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & poculum peracta cœna, dicens: Hoc populum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite, quotieſcunque biberitis, in meam commemorationem. Quotieſcunque enim comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem domini annuntiabitis, donec venerit: itaque quiſquis ederit panem hunc aut biberit de poculo domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis domini. Probet autem homo ſe ipſum, & ſic de pane illo edat, & de poculo illo bibat: nam qui edit, aut bibit indigne, iudicium ſibi ipſi edit, & bibit, non diiudicans corpus domini. Hactenus Canon. Si ea, quæ in ſcripturis ſanctis dicta ſunt, Ex cauſis dictorum in primis intelligenda ſunt, cum Apoſtolus hæc ſcripſerit, vt Corinthios corrigeret, qui contra inſtitutionem domini populares cœnas in eccleſia pro communione ſacra faciebant, vt B. Cyrillus in Pentabiblo contra Neſtorium interpretatus eſt, Neceſſe eſt profecto, vt eatenus inſtitutionem domini de ſancta Euchariſtia Paulus hoc loco recitare voluerit, quatenus ad corrigendum errorem Corinthiorum pertinebat, quod tunc quidem ſatis eſſe videbatur. Sed quia fortaſſe non ſunt credituri Magd. fuiſſe hunc errorem Corinthiorum, nec ſic Cy-

Alius titulus additus à Magdeb. in canone de cœna dominica.

rillum, quod illi peccabant, & Apoſtolus correxit, intellexiſſe, recitemus, quæ ipſe Cyrillus aduerſus Neſtorium ſcripſit in tomo 4. Pentabibli, quæ eſt in cap. 156. Synodi Epheſini, ſic enim ait, ὥσπερ δὲ τὸ αὐτοῦ τοῦ λόγου σῶμα ζωοποιόν ἐστιν ἴδιον αὐτοῦ ποιησαμένου καθ' ἕνωσιν ἀληθῆ τὴν ὑπὲρ νοῦν τε καὶ λόγον, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν μεθέξει γινόμεθα τῆς ἁγίας σαρκὸς καὶ αἵματος αὐτοῦ, πάντη τε καὶ πάντως ζωοποιούμεθα μένοντος ἐν ἡμῖν τοῦ λόγου θεϊκῶς μὲν διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀνθρωπίνως δὲ αὖ διὰ τῆς ἁγίας σαρκὸς καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, interpretemur totidem verbis latinè, vt enim inquit, Corpus ipſius verbi, quod ſecundum veram & inexplicabilem vnionem ſuum fecit, viuificum eſt: ſic etiam nos, ſi carnem ſanctam, & ſanguinem eius participemus, omnino viuificamur, manente in nobis verbo diuinè quidem per Spiritum ſanctum, humanè vero per carnem ſanctam, & precioſum ſanguinem. Hoc autem ita eſſe, probat deinceps verbis Apoſtoli, cum ait,

1.Cor.c.10. ſcribens ad Corinthios, Tanquam prudentibus loquor iudicate vos, quod dico, calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus: omnes enim ex vno pane participamus. Deinde ſubiungit: πνεύματος μὲν γὰρ τοῦ ἁγίου μετεσχηκότες, αὐτῷ τε τῷ πάντων σωτῆρι χριστῷ καὶ ἀλλήλοις ἑνούμεθα. σύσσωμοι δὲ κατὰ τοῦτον ἐσμὲν τὸν τρόπον, ὅτι εἷς ἄρτος ἓν σῶμα οἱ πολλοὶ ἐσμέν. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν, συνδεῖ γὰρ ἡμᾶς εἰς ἑνότητα τοῦ ἐν ἡμῖν σῶμα χριστόν. id eſt, ſancti enim Spiritus participes effecti cũ ipſo Chriſto ſaluatore omnium, & ipſi nobiſcum inter nos in vnum copulamur. Cõcorporales vero, ſiue vnum corpus hoc modo efficimur, quia vnus panis, vnum corpus multi ſumus: omnes enim ex vno pane participamus. Corpus enim Chriſti, quod eſt in nobis, colligat nos in vnũ. Deinde cũ vellet adhuc probare iſta, ſubiũgit. ὅτι δὲ διὰ τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ πρὸς ἑνότητα τὴν πρὸς αὐτὸν καὶ πρὸς γε τὴν εἰς ἀλλήλους συνενήγμεθα, πιστώσεται γράφων ὁ μακάριος παῦλος. quod autem, inquit, corpus Chriſti in vnũ nos ſecum, & nobis cum copulauerit, fidem faciet beatus

Epheſ.c.3. Paulus, cum ſcribit, reuelatum eſſe ſanctis apoſtolis, &

prophetis in ſpiritu, gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis in Chriſto Ieſu per euangelium. Concorporales dixit propter ſacramentum corporis Chriſti, quod in vnum copulat omnes communicantes: ſi tamen ſunt Spiritus ſancti participes. in his enim verbum verè cum carne vnitum manet diuinè, & humanè, ſicut B. Cyrillus paulò antè dixit: Hæc eſt myſterij huius vis, & traditio. quam quidem traditionem, & vim ſacramenti huius, quia Corinthij ignorabant, cœnas illas ſuas in eccleſia faciebāt. Sed audiamus Cyrillum, propter iſta enim, quæ ſequūtur, illa ſuperiora repetita ſunt, ſic enim ait, ἐπειδὴ δὲ τὴν τοῦ μυστηρίου παράδοσιν καὶ δύναμιν ἠγνοηκότες ἐν ἀρχῇ τῶν πιστευσάντων τινὲς ἔξω τι ἐπιθέσθαι τοῦ εἰκότος ἤθελον, πανδαισίας τε καὶ δημοθοινίας πληροῦντες ἐν ἐκκλησίαις, τοῖς τοῦτο δρᾶν εἰωθόσιν ἐπιτίμα γράφων ὁ μακάριος παῦλος, μὴ γὰρ οἰκίας οὐκ ἔχετε εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν, &c. quia enim, inquit, myſterij traditionem, ac vim initio quidam ex iis, qui crediderant, cum ignoraſſent, volebant extra metam rationis egredi, lauta conuiuia, & cœnas populares in eccleſiis agitantes, eos, qui hoc agere conſueuiſſent, Paulus reprehendit, inquiens, An non habetis domos ad edendum, & bibendum? Hi igitur ignorantes myſterij traditionem, ac vim, falſò exiſtimabāt vnum ſe corpus ſuis illis cœnis popularibus effici, dominus enim ad faciendum hoc nullas alias ſpecies, præter panis & vini ſuper altare tempore ſacrificij offerre inſtituit: ſicut canone etiam ſecundo apoſt. ſancitum eſt, qui ad huius loci epiſtolæ Pauli interpretationem pertinet. Hoc ergo eſt, quod hoc loco Paulus auctore etiam Cyrillo; diuinæ traditionis auctoritate corrigit. Vt autem oblatio pro viuis & defunctis non fieret, nec adoratio, ne verbum quidem, ſed totum hoc commentū eſt Magdeburgenſium ad ſimpliciores decipiendum. Imò vero tantum abeſt, vt Paulus dixerit, nō debere fieri oblationem pro viuis & defunctis, vt contra potius ex eo, quod Dominus in euangelio de hoc myſterio tradidit, & hoc loco Apoſtolus repetiuit, neceſſario concludatur, oblationem eſſe hanc, & offerri pro viuis & defunctis: Quod enim Matthæus dixit, Accipite, & comedite, hoc eſt

corpus meũ, & Marcus ſimiliter, Sumite, Hoc eſt corpus meum, ne iſti ſic intelligerent, quaſi nihil ibi præter cœnam factum eſſet, vt falſò interpretantur, non ſubiunxerunt ſtatim hi duo Euangeliſtæ, hoc facite in meam commemorationem, quaſi nihil aliud ibi præciperetur, quam celebrare memoriam cœnæ dominicæ manducando tantum, ſiue ſumendo. Idcirco beatus Lucas tanquam interpres priorum ſuppleuit, quod deſiderabatur: ſic enim ait, & accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, ſiue traditur, quod perinde eſt, quaſi diceret, quod pro vobis offertur, in mortem ſcilicet, quæ iam inſtabat, & quaſi præſens erat. Hoc enim ſignificat hic, datur, pro quo Paulus dixit, qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem: & hoſtiam & Eſaias, oblatus eſt, quia ipſe voluit. Quare, quod ſtatim ſubiungit, hoc facite in meam commemorationem, neceſſe eſt ad illud, quod proximè anteceſſit, referre, quod pro vobis datur: & ad illud ſimul, quod prius dixerat, fregit, & dedit eis: ſiue quod plenius alij euangeliſtæ expreſſerunt, accipite, & manducate, ſiue ſumite: vt iam celebratione huius myſterij neceſſario vtrunque cõmemorare iubeamur, oblationem in cruce factam, & illam corporis dominici myſticam & veram manducationem. Quare quibus poteſtatem hanc Chriſtus dedit, neceſſe eſt ſecundum inſtitutionem Domini, quam hic Paulus Apoſtolus repetiuit, ac recitauit, vt, ſicut manducando manducationem illam cœnæ dominicæ repræſentant, ac commemorant, ſic etiam & in primis oblationem in cruce factam offerendo commemorent. Quomodo enim commemoratio oblationis in cruce factæ in ſola manducatione eſſet, niſi quod manducatur, prius eſſet oblatum? Quod vt magis adhuc iſtis conſtet, interrogemus eos, hoc, quod Dominus hac inſtitutione in ſuam commemorationem fieri præcepit, vbi nam fieri præcepit? nonne ſuper altare? hoc enim ſi negauerint, redarguet eos apoſtolica traditio, quæ in vniuerſis eccleſiis catholicorum Orientis & Occidentis ſumma religione ab initio cuſtoditur. Cuius traditionis teſtimonium quoque Pauli ſcri-

Epheſ. c. 5.

Eſa. 53.

Heb. c. 15.

ptum habemus, ne iſti iam vllo modo cauillari poſſint, vt ſolent. Habemus enim (inquit) altare, de quo edere non licet iis, qui tabernaculo deſeruiunt. Quis autem ignorat θυσιαστήριον ἐις θυσίαν, vnde dicitur, referri, id eſt, altare ad hoſtiam? aut quæ vnquam menſa, quouis etiam linguæ idiomate, altare dici conſueuit, niſi menſa, in qua fit oblatio? vt fuit illa menſa cœnæ dominicæ. & noſtræ eccleſiæ altare, quod illam repręſentat, in quo id ipſum, quod Dominus in nocte illa patri ſuo pro nobis obtulit, & ipſi ſecundum inſtitutionem eius offerimus. Iam vero quod hæc inſtitutio Domini, quam Paulus hic repetit, pro viuis & mortuis oblationem fieri præcipiat, ex eo quoque neceſſariò colligitur, quod ait, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem: Hoc, inquam, facite, pro vobis ſcilicet in meam commemorationem. Illud enim, pro vobis, prius dictum repetendum eſt, ἀπὸ κοινοῦ, id eſt, à communi, quæ eſt frequens figura in ſcripturis. Quod ſi hoc negent iſti, rurſus eos interrogabimus, pro quibuſnam dicit Facite, & ad quorum fructum? pro nullis enim, nec ad vllius fructum, ne cogitare quidem licet. Reſtat ergo, vt intelligamus, quaſi dicatur, Facite pro vobis. Sed rurſus quæremus, Quomodo, & quando pro vobis? an intelligendum eſt, quaſi dicatur, facite pro vobis tantùm viuentibus? minimè, quia non ſolùm qui viuunt ſunt, vt de eis tantum intelligi poſſit iſtud, pro vobis, ſed etiam qui piè mortui ſunt, eſſe dicuntur: omnes enim, inquit, viuunt apud Deum, & ſpiritus iuſtorum in manu Dei ſunt, & Deus non eſt mortuorum Deus, ſed viuorum. Reſtat ergo, vt, ſicut non ſolum pro viuis mortuus eſt Chriſtus noſter, ſed etiã pro mortuis: in quod ſatis deſcenſus ipſe Chriſti ad inferiores partes terræ, ſicut Apoſtolus ait, probat, nõ enim deſcendit niſi ad eos, & propter eos, pro quibus etiam mortuus erat: Sic non ſolùm pro viuis, ſed pro piè mortuis iubet offerre in commemorationem oblationis in cruce factæ: quia omnes, quamdiu ſalui eſſe poſſunt, ſecundum idioma ſcripturæ ſanctæ eſſe dicuntur, ſicut ſcriptum eſt in Eccl. Deum time, & mandata eius

Clem. li. 8. c. 41.
Eccle. c. 3.
Matt. c. 22.
Epheſ. c. 4.
Eccle. c. 12

fac:hoc eſt omnis homo,quaſi qui hæc non faciat,quia ſaluus eſſe non poteſt non faciendo, nec eſſe quidem dicatur. ſed de oblatione pro pie mortuis pleniorem tractationem in quartum librum defenſionis epiſtolarum pontificum apoſtolicorum reſeruamus, cum locum epiſtolæ Clementis ad Iacobum fratrem domini de oblationibus & exequiis mortuorum defendemus. Hæc pauca neceſſario attigi, ne commentitiam inſcriptionem canonis de inſtitutione huius myſterij, quem Magd.protulerunt, omnino diſſimularem. Eadem etiam inſtitutione domini ab Apoſtolo hic repetita iidem iſti refelli poſſunt in eo,quod addiderunt ad titulum canonis,quo eſſet luculentiùs commentum, ſcilicet,vt tam laici, quàm clerici edant, & bibant ſub pane,& vino: & non fiat adoratio. Cum enim conſtet, quod Chriſtus in vltima cœna hanc inſtitutionem ſacri myſterij ſub ſpeciebus panis & vini ſanxerit, & eius poteſtatem,ac miniſterium,ſanctis apoſtolis, & in eorum perſona ordini ſacerdotum tradiderit, conſequens eſt ſecundum rationem apoſtolicæ dignitatis, & ſacerdotalis ordinis, vt illa tunc inſtitutio ſub duabus ſpeciebus, & traditio apoſtolis facta non eo tendant, vt omnes Chriſti fideles ſtatuto domini ad vtramque ſpeciem accipiendam aſtringantur. ſic enim nuper trecentorum ferè patrum Synodus Tridentina, more maiorum congregata, ſanctè iudicauit, & decreuit.Cui qui obedire nolunt,ſalui eſſe nolunt. De adoratione verò huius myſterij. quam iſti quoque negant,& hac inſtitutione vetari fingunt,nihil aliud contra huius blaſphemiæ monſtrum dicam,niſi videri eos potius, non credere eſſe in hoc noſtro myſterio corpus & ſanguinem Chriſti ſiquidem adorationem tollunt. An enim, quia Chriſtus ſub ſpecie panis eſt, idcirco non eſt adorandus? Ergo neque Chriſtus Dominus,& Rex pannis inuolutus.à Magis adorandus erat. Ita fit, vt errores ſecum repugnantes cœcitate mentis defendant,dum veritatis lucem fugiunt.Pergamus deinceps ad reliqua.

De qui-

De quibuſdam canonibus apoſtolicis Synodi Antiochenæ Apoſtolorum, repertis in Bibliotheca Origenis à Pamphilo martyre: & de canone Apoſtolico imaginum Saluatoris, & ſanctorum, & de canone de ciborum delectu, & de teſtimonio Innocentii primi, quod Apoſtoli Synodum Antiochiæ celebrarint. Cap. 25.

HActenus de canonibus apoſtolicis, quos Magdeburgenſes repererunt excerptos, vt dixi, ex ſcriptura ſancta noui teſtamenti. Reperimus etiam nos partem canonum Synodi apoſtolorum Antiochenæ, quos Pamphilus martyr teſtatur ſe in Bibliotheca Origenis reperiſſe. Sic enim reperi in antiquiſſimo codice Græco ſcriptum, τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος παμφίλου ἐκ τῆς ἐν αν-τιοχείᾳ τῶν ἀποσόλων συνόδου, τουτέστιν ἐκ τῶν συνοδικῶν αὐτῶν κανόνων μέρος τῶν εὑρεθέντων εἰς τὴν ὠριγένους βιβλιοθήκην. Hos ego canones conciſè, & in epitome, quaſi indices quoſdam, gratia breuitatis deſcribam. Canon, vt credentes in Dominum Ieſum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Chriſtiani deinceps vocarentur. Alius canon, vt baptizati non iam circunciderentur more Iudæorum, ſi quidem ſit baptiſmus circũciſio non manu facta. Alius canon, vt ex omni natione & genere ad fidem orthodoxam admitterentur. Alius canon, De auaritia fugienda chriſtiano, ac maximè ex iniquis quæſtibus. Alius, De vitio gulæ chriſtianis item fugiendo, & de theatris, ac iuramentis. Alius, De fugienda ſcurrilitate, blaſphemia, & moribus gentilium, & eorum imitatione, ne ſimpliciores deciperentur. Ac ſunt quidem de his, aliiſque huiuſmodi apoſtolicæ conſtitutiones in libro ſeptimo Clementis Romani: quod fidem quoque facit, eſſe hos canones Antiochenæ Synodi apoſtolorum, de qua in libro illo vetuſtiſſimo Græco notatum reperi. Alius canon, quo renouatum ac confirmatum eſt decretum Synodi Hieroſolymitanæ, vt abſtinerent chriſtiani à ſanguine & ſuffocato, & fornicatione. Sunt prætereà alij duo canones, alter de imaginibus manufactis veri Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & famulorum eius ponendis ex

aduerſo coram idolis, & Iudæis, qui ſic Græcè ſcriptus erat. τὸ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδωλα, ἀλλὰ ἀντικηνίζειν τὴν θεανδρικὴν ἀχειρότον χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων καὶ ἰουδαίων καὶ μηκέτι πλανᾶσθαι εἰς εἴδωλα μηδὲ ὁμοιοῦσθαι τοῖς ἰουδαίοις. Hũc canonem Græcè deſcripſi propter antiquitatem, & apoſtolicam eius auctoritatem, cui eccleſiæ catholicæ conſuetudo ab apoſtolis tradita, iam inde ab initio per cunctum orbem aſtipulatur. Quomodo igitur audent Luterani idola vocare imagines Chriſti, & ſanctorum eius, quas ſancti Apoſtoli ad delenda idola gentium & ad Iudæos redarguendos facere, & colere iuſſerunt? Imò ipſi Luterani Iudæos ſequi malunt quam Apoſtolos: & potius idolis gentium fauent, dum idolis falſorum Deorum imagines veri Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti opponere nolunt. Quos etſi nuper Nicolaus Sanderus Anglus eruditiſſimè, & fortiſſimè de errore conuicit, & nos etiam non pauca lib. 3. de dogmaticis characteribus aduerſus eundem errorem ſcripſimus, non pigebit tamen addere hic pauca quædam in dialogo eruditiſſimo antiqui Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani de imaginibus, qui Orthodoxus inſcriptus eſt à nobis obſeruata, quibus reſpondere docet hæreticis, cum quærunt, vbi ſcriptum ſit in ſcriptura adorandam eſſe imaginem Chriſti. Interpretemur Latinè, cum ſcriptum (inquit) ſit de Chriſto, & adorent eum omnes angeli eius, ſitque omnis homo imaginis ſuæ prototypon, nec vllus homo reperiatur, quin eius forma effingi poſſit, liquet, Chriſtum, vt pote qui debuit per omnia, ſicut Apoſtolus ait, fratribus aſſimilari, prototypon eſſe imaginis ſuæ, tametſi verbis ſcriptum non ſit. Quare inquit, cum quærit hæreticus, vbi ſcriptum ſit de adoranda Chriſti imagine? reſpondendum eſt, ibi ſcriptum eſſe, vbi ſcriptum eſt, adorandum eſſe Chriſtum, ſi quidem inſeparabilis eſt à prototypo effigies eius. & ſi enim nuſquam ſcriptum eſt verbis, Chriſtum eſſe imaginis ſuæ prototypum, multa tamen alia (inquit) ſimiliter non ſunt ſcripta verbis, quæ idem valent, atque illa, quæ ſcripta ſunt, vt homouſios, & theo-

Quomodo Magde. negantes culturam imaginũ, gentilibus idola colentibus fauent.

Heb. 2.

tocos, & cyriotocos, quæ vocabula neceſſitas aduerſus hæreſes adinuenit. Adhũc modũ hæreſis Iconomachorũ fecit, vt diceremus prototypõ imaginis Chriſti, quod eandẽ vim habet, vt illud, quod ſcriptũ eſt. Etenim ſi nõ eſt Chriſtus imaginis ſuæ prototypõ, ergo nec incarnatus eſt: manetq; incircũſcript' infinitate diuinitatis ſuæ. Quod ſi factus eſt homo, & in noſtra natura & more noſtro apparuit; cur nõ tribuimus illi, quod omni homini, vt ratio ſimilitudinis poſtulat? Docet deinde hic auctor, nõ eſſe imaginẽ honore & veneratione à ſãcto, cuius imago eſt, ſeparatã, Cũ ſint (inquit) vnũ non natura, ſed σχέσει. i. habitudine: quæcunq; enim (inquit) de cauſa dicãtur, de effecto quoq; dicẽtur: ſed illa propriè, quia natura: hæc non propriè. ſed homonymè. Sic (inquit) crux, ex quacunq; materia fiat, habet cõmune nomen cũ vera cruce, ſicut honorem, & venerationem. & quibuſcunque nominibus illa crux appellatur, totidem hæc eius imago. illa viuifica crux, gloria mundi: & hęc gloria mũdi. Sed illa propriè, & natura ligni facti viuifici: hæc verò ſignificatione nominis. Similiter (inquit) Deus & homo dicitur Chriſt' ſignificatione nominis, & natura diuinitatis, atque humanitatis: imago verò eius ſignificatione nominis dicitur Chriſtus, non autem natura diuinitatis & humanitatis. eſt enim ex qualitate colorũ, aut ex lapide, aliâve materia: habetque cõmunionẽ nominis, & honoris atq; adorationis cum prototypo, & ſi natura ſit aliena. Idcirco quibuſcunq; nominibus Chriſtus appellatur, totidem imago eius, vt dominus gloriæ, Dei virtus, Dei ſapientia, & filius hominis. vt, ſicut Chriſtus dicit, Mihi flectetur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, ſic imago eius idem quoque per picturã dicat. Sic cũ Chriſtus initio prædicatus eſt, cũ ea prædicatione coniuncta erat σχετικῶς, id eſt, habitudine prędicatio imaginis eius: & tot habet prædicatio demonſtrationes imaginis Chriſti, quot habet demonſtrationes Chriſti: & tot item habet demonſtrationes typi, ſiue imaginis crucis, quot habet ipſius crucis. Cum enim inſeparabilis ſit imago ab eo, cuius eſt imago, vbi ſcriptum eſt de prototypo, ibi ſcriptum eſt de effigiè inde expreſſa: tametſi non æqualiter ſcri-

ptum, ſed homonymè: de re enim propriè, de imagine rei non propriè. Citat deinde Nicephorus, inter alios patres, quos nunc prætereo, S. Athanaſium ſic de imagine ſcribentem, ἐν γὰρ τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως τὸ εἶδος καὶ ἡ μορφὴ ἐστὶ τῷ βασιλεῖ τὸ ἐν τῇ εἰκόνι εἶδος ἐστὶ. καὶ ἀπαράλλακτος ἡ ἐν τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως ὁμοιότης, ὥστε τὸν ἐνορῶντα τῇ εἰκόνι ἐνορᾶν ἐν αὐτῇ τὸν βασιλέα, καὶ πάλιν ὁρῶντα τὸν βασιλέα, ἐπιγινώσκειν, ὅτι οὗτος ἐστὶν ὁ ἐν τῇ εἰκόνι. ἐκ δὲ τοῦ μὴ διαλλάττειν τὴν ὁμοιότητα, τῷ θέλοντι μετὰ τὴν εἰκόνα θεωρῆσαι τὸν βασιλέα, εἴποι ἂν ἡ εἰκών, ἐγὼ καὶ ὁ βασιλεὺς ἕν ἐσμεν. ἐγὼ γὰρ ἐν ἐκείνῳ εἰμὶ, καὶ ἐκεῖνος ἐν ἐμοί. καὶ ὃ ἑώρακας ἐν ἐμοί, τοῦτο ἐν ἐκείνῳ βλέπεις, καὶ ὃ ὁρᾷς ἐν ἐκείνῳ, τοῦτο ἐν ἐμοὶ βλέπεις. in imagine enim (inquit) regis, eſt ſpecies, ac forma: & in rege eſt ſpecies, quæ eſt in imagine, & ſimilitudo, quæ eſt in imagine regis, non variat. ita vt, qui imaginem aſpicit, in ea regem aſpiciat: & rurſus, qui regem intuetur, hunc agnoſcat eſſe in imagine ſua. itaque pro eo quod ſimilitudo non variat, ei, qui poſtquam aſpexit ſimilitudinem regis, ipſum regem videre velit, dicere poſſit imago, ego & rex vnum ſumus: ego enim in illo ſum, & ille in me: & quod in me vidiſti, hoc in illo vides: & quod in illo vides, in me vides. Hæc ex Nicephoro libenter hic addidi, quod hic auctor acutè, & ſubtiliter explicaſſe mihi videtur, quomodo ſit in ſcriptura de adoranda imagine Chriſti, & quæ ratio naturalis apoſtolorum de cultu ſanctarum imaginum traditionem defendat: quam quidem traditionem conſuetudo cõfirmat: & eccleſiæ fides cuſtodit. naturale enim eſt, vt ſit omnis homo imaginis ſuæ prototypum: imò omnis res prototypon figuræ ſuæ. & quæ huiuſmodi connexionem naturalem habent, & communionem nominis, conſequens quoque eſt, vt habeant honoris communionem. vt intelligant tandem, qui imaginum ſanctarum cultum tollunt, pugnare ſe cum natura, cũ ſcriptura, cum ratione, cum apoſtolorum traditione, cum eccleſiarum conſuetudine, & cum earum fide. Explicauit præterea hic auctor, quemadmodum prototypon coadoretur imagini: id eſt, quemadmodum vna, atque eadem adoratio prototypo, atque imagini adhibeatur, vna quidem vtrique, ſed non vno modo, & æ-

qualiter: vt verbi gratia, vna adoratio, quæ latria dici ſolet, Chriſto conuenit, & imagini: ſed aliter Chriſto, propriè ſcilicet & ſecundum naturam carnis natura vnitæ cum diuinitate: aliter imagini, id eſt, non propriè, ſed homonymè ſiue æquiuocè, quia nõ natura, ſed σχέσει, id eſt, habitudine repræſentationis propter ſimilitudinẽ. nec enim (inquit) in imagine Chriſti eſt diuinitas vnita cum carne φυσικῇ ἑνώσει, id eſt, naturali vnione, vt in Chriſto, ſed σχετικῇ μεταλήψει, id eſt, participatione, vt ita dicam, habitudinali. Itaque imago, vt hic auctor ſenſit, non habet honorem proprium ſeiunctum à re ipſa: imò habet eundem ipſum, quem res ipſa. qui tamẽ honor rei quidem ipſius proprius eſt, & natura ei conueniens: imaginis verò nõ proprius, ſed homonymus, ſiue æquiuocus, & ſecundum habitudinem ei conueniens propter ſimilitudinem ſcilicet prototypi. Imago enim, verbi gratia, Chriſti, ſi naturam (inquit) eius reſpiciamus, non eſt Chriſtus, imò nec imago Chriſti, ſed potius charta & color, aut lignum, aut alia materia, vnde facta eſt imago. Sin autem reſpiciamus ſimilitudinẽ archetypi vnde expreſſa eſt, Chriſtus dicitur ſecundum homonymiam, ſiue æquiuocè: Chriſti verò ſecundum relationem, quia omnis imago, prototypi imago eſt. itaque, vt rectè ab hoc auctore explicatum eſt, ſicut non adoratur imago propter ſe, ſed propter prototypon, quod omnes Catholici confitentur, ſic non eſt dicendum, adorari eam per ſe, id eſt, abſolute, ſed σχετικῶς, dicamus nos, relatè: & vt purpura & imperator ea indutus vnum faciunt habitu, ſic imago & prototypon eius vnum faciunt σχέσει, id eſt, habitudine. hoc tamen intereſt, quod purpura ſeparari poteſt à rege, vel imperatore, & remanere purpura, ac ſine regio honore, & veneratione, non enim refertur ad regem, vt purpura eſt: at imago vt imago eſt, non eſt à prototypo ſeparabilis σχέσει, ac proinde nec honore. Hic eſt ſecundum doctrinam fidelis ſermo de ſanctarum imaginum adoratione, quo S. Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolit. ante annos ſeptingentos antiquos Iconomachos redarguebat: & pios in doctrina ſana exhortabatur: & quo nos nouos Iconomachos redarguimus, vt, ſi fortè

poſſimus, in captiuitatem ſicut Apoſt. ait, redigamus eorum intellectum in obſequium Chriſti Illud poſtremò aduerſus iſtos hic addendum eſt: Si, cum legitur euangelium, verba eius, quæ noui hæretici audiunt propter res nominatas, quæ à ſuis nominibus, tanquam à quibuſdam imaginibus, naturaliter diuelli nō poſſunt, apertis capitibus honorant, cur hoc ipſum in expreſſis imaginibus ſanctorum non faciunt? An non eſt hic aperta rationis repugnantia alterum horum facere: alterum non facere, vbi eadem eſt vtrúmque faciendi cauſa? Quare vt ſui ſimiles ſint, & ne ſecum diſcrepent, aut vtrumque, aut neutrum faciant, neceſſe eſt: aut imagines, dico, ſanctorum, quas vident, honorent, ſi verba euangelij audita honorant: aut, ſi illas non honorant, neque hæc honorent. Alter Canon de delectu ciborũ, τοῦ μὴ ἐξομοιοῦσθαι χριστιανοὺς ἰουδαίοις ἕνεκεν ἀποχῆς βρωμάτων, ἀλλὰ καὶ ὑείων ἀπογεύεσθαι τοῦ κυρίου θεσπίσαντος, ὅτι τὰ εἰσπορευόμενα εἰς τὸ στόμα οὐ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὰ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος ὡς ἐκ τῆς καρδίας ἐξερχόμενα. καὶ ἵνα μὴ κατὰ γράμμα ἀκολουθῇ, ἀλλὰ πνευματικῶς καὶ ἀναγωγικῶς πολιτεύηται. ἡ γὰρ χοιρώδης συναγωγὴ τῶν ἰουδαίων τὸν ὗν βδελύσσεται. τῇ δὲ πονηρίᾳ συνέχεται κατὰ τὸν προφητικὸν λόγον, ὅτι ἐχορτάσθησαν ὑείων, καὶ ἀφῆκεν τὰ κατάλοιπα τοῖς νηπίοις αὐτῶν. ὁμοίως καὶ ὀστρακόδερμον καὶ ἀλεπίδωτον ἰχθὺν ἀκώλυτον τοῖς χριστιανοῖς εἶναι εἰς τὸ ἀπογεύεσθαι, νοεῖται γὰρ καὶ οὕτω πνευματικῶς τὴν ἀσύνετον αὐτῶν καρδίαν ὀστράκου δίκην ἀποβάλλεσθαι τὰ τῆς ἀληθείας κηρύγματα. interpretemur latinè, ne (inquit) Chriſtiani à cibis abſtinendo, Iudæos imitentur: imò veſcantur ſuilla, cum dominus pronunciauerit, quæ in os intrant, non inquinare hominem, ſed, quæ ex ore exeunt, vt pote ex corde exeuntia. Et ne ſecundum litterā eos ſectentur, ſed ſpiritualiter, & anagogicè viuāt. Synagoga enim belluina Iudæorum ſuem quidem abominatur, turpem verò vitam viuit, & improbitate tenetur conſtricta: ſicut ait Propheta, Saturati ſunt ſuilla, & reliquerunt reliquias paruulis ſuis. Similiter non eſt interdictum Chriſtianis ſecundum litteram veſci piſce teſtā habente: & piſce item ſquamis carente: hoc enim eſt ſecundum ſpiritum piſce teſtaceo veſci, cū quis ſtupido,

Alius canon apoſt. Syno. Ant. ab apoſt. habitæ de delectu ciborũ. qui locum apoſtoli ad Coloſ. & ad Tim. de cibis explanat.

& imprudenti corde, veritatis prędicationem inſtar teſtæ abiicit. Conuenienter ergo huic canoni intelligendum eſt, quod Paulus in Epiſtola ad Coloſſ. ſcripſit, Nemo vos iudicet in cibo: cibos enim prohibet diſcernere κατὰ γράμμα id eſt, ſecundum litteram more Iudæorum, non autem ſecundum ſpiritum. Sic etiam in epiſt. ad Tim. ac doctrinam dæmoniorum pertinere dixit, abſtinere à cibis ſecundum litteram & iudaicè, non autem abſtinere ſecundum ſpiritum, & ἄσκησιν, id eſt, & ad exercitationem corporalem ad ſpiritum relatam. Vt fit in ieiuniis abſtinendo à carne. Sed de hoc ſatis ſupra cap. 5. dictum eſt. Hactenus de canonibus illis Synodi Apoſtolorũ Antiochenæ, quos, vt dixi, Pamphilus martyr in bibliotheca Origenis reperit. Habuiſſe autem Synodum Antiochiæ ſanctos Apoſtolos, teſtatur quoque S. Innocentius in epiſtola 18. ad Alexandrum Epiſcopum. Sic enim ſcripſit de Antiochena eccleſia. quod prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur: vbi & nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ conuentum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit. Canones tamen eccleſiaſticos ſanctorum Apoſtolorum non eſſe in Synodo Antiochena, ſed Hieroſolymitana conſtitutos, præter quàm quod Clemens Romanus, vt ante docuimus, non obſcurè ſignificauit, illud quoque argumento eſt, quod nullus eccleſiaſticus canon ex illis Apoſtolicis 85. inter hos, quos à Pamphilo Martyre in bibliotheca Origenis repertos deſcripſimus, reperitur præter canonem de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato, qui, vt dixi, in Synodo Antiochena propter idololatriam, quæ tunc vbique dominabatur, neceſſariò renouatus, ac confirmatus eſt.

Coloſſ. 2.

S. Tim. 4.

Teſtimoniũ innoc. 1. de Synodo Antiochena Apoſtolorum.

Quod canones Apoſt. eccle. non in Antiochena, ſed in Hieroſolym. Synodo traditi ſunt.

Quæ ratio neceſſaria fortiùs multis teſtimoniis canones apoſtolorum defendat, & de comparatione ſtatus Eccleſiæ cum naui, & legum eccleſiaſticarum cum legibus naualibus, & quibus in locis de legibus eccleſiaſticis apoſtolorum Paulus ſignificauerit: & quid contra omnem rationem neget, qui apoſtolorum canones negat.

Cap. 26.

Hos igitur canones ſanctorum apoſtolorũ illa etiam ratio neceſſaria defendit, & vindicat, quæ multorum teſtimoniorum vim & auctoritatem ſuperat: quod decebat quidem, & erat apoſtolica illa omnium eccleſiarum ſolicitudine, quam Paulus dicit, dignum, vt ita

1. Cor. c. 11. epiſcopis, quos iidem apoſtoli, dum viuerent, inſtituerunt, quos Clemens Romanus in extremo libri 7. de conſtitut. apoſt. enumerat, & de quibus Irenæus libro tertio capite tertio meminit, & ſi non nominatim, vt Clemens, decebat inquam, vt ita epiſcopis eccleſias committerent regendas, & adminiſtrandas, vt regulas eccleſiaſticas, quas Canones vocarunt, eiſdem traderent: quibus inſtructi ſic illi ipſi epiſcopi eccleſias ſibi commiſſas gubernarent, vt omnia in eis honeſtè, & ſecundum ordinem fierent, ſicut Apoſtolus Paulus eccleſiæ Corinthiorum iuſſit. Hoc enim non facere, quod alioqui feciſſe, ratio ipſa communis vtilitatis omnium eccleſiarum, quarum ſolicitudine tenebantur, neceſſariò conuincit, perinde fuiſſet, vt ſi quis, optimus alioqui nauis gubernator, loco ſuo abſens relinqueret, cui clauum quidem nauis committeret, eum tamen regulis, quas ipſe perutiles, & perneceſſarias ad dirigendam nauigationem eſſe ſciret, non inſtrueret. Cùm naui enim magna ſtatum eccleſiæ Beatus Petrus comparauit in illo ſuo ad populum ſermone ac doctrina in ordinatione Clementis. Vt ergo præſcriptæ ſunt vectoribus ſuæ leges, vt ſuis locis quieti ſedeant, ne ſi liberè diſcurrant, nautas impediant, aut nauem quatiant, vel deprimant, ſic quoque præſcriptæ ſunt leges ſuæ eccleſiaſticæ laicis, qui ſunt inſtar vectorum: & ſuæ diaconis: ſuæ presbyteris, & ſuæ epiſcopis. Quibus legibus pax & ordo eccleſiæ conſeruatur: & naufragiis vitatis ad portum appellitur. Itaque, vt nautæ, quæcunque neceſſaria ſunt, ad præſcriptũ legis nauticæ ſingulis prouidẽt, ſic presbyteri, qui tenent locum nautarum, ſecundum canonem eccleſiæ alios ligant: alios ſoluunt, ſicut beatus Petrus in ſermone illo de Clemente, quem ordinabat, pronuntiauit, ligaturũ eſſe, quem ligari oporteret: & ſoluturum, quem ſolui,

Quæ ratio conuincat, traditos fuiſſe ab apoſtolis canones eccleſiaſticos.

vt qui canones eccleſiæ ſciret. Sciãt igitur Magdeburgenſes,& qui cum eis,ſi qui alij ſunt,ſentire voluerint, negare canones eccleſiaſticos ſanctorum apoſtolorũ. quos habemus,nihil aliud eſſe,quã velle, ſanctos apoſtolos in nulla, dum viuerent, ſolicitudine fuiſſe futuræ poſt obitũ ſuum gubernationis, & ſtatus omniũ eccleſiarum nullamque eos curã habuiſſe relinquendi eccleſiis ſanctas in poſterũ conſuetudines:vt nõ ignoraretur,quomodo ſicut Paulus ad Tim. ſcripſit, in eccleſia Dei conuerſari oporteret.Dicam enim aduerſus iſtos, quod Tertull.in libro De corona militis pro defenſione traditionis nõ ſcriptæ, de omnibus fidelibus ait,An nõ licuit ſanctis Apoſtolis cõcipere,& cõſtituere,quod Deo cõgrueret? quod diſciplinæ conduceret? quod ſaluti proficeret? niſi fortè dicturi ſunt omnes eccleſiaſticas regulas de epiſcopis, presbyteris, & diaconis complexũ eſſe Apoſtolũ, cum deſcripſit, quales iſti eſſe deberent,ſubiungens poſtea, Hæc tibi ſcribo Timothee,ſperans me ad te venire citò, vt ſcias,quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari,quæ eſt eccleſia Dei viui, quo quid ſtultius dici poteſt? An enim ſcripta eſt hic regula de iis,quæ epiſcopus, aut presbyter offerre poſſit ſuper altare? & vtrum eccleſia ſua relicta poſſit epiſcopus ad aliam tranſire? aut quando, & quomodo id liceat? & vtrum presbyter, vel diaconus poſſit ſine auctoritate epiſcopi diſcedere ad miniſtrãdum aliæ eccleſiæ? aut, ſi diſceſſerit, quomodo huic malo medendum ſit? &, ſi epiſcopus à viris grauibus, & honeſtis accuſatus ſit, quomodo cum eo ſit agendum? &,an poſſit eligere ſibi ſucceſſorem. Hæ,inquã, regulæ,& cæteræ huiuſmodi eccleſiaſticæ conſuetudines omnium eccleſiarum,quas ab initio à ſanctis apoſtolis traditas vſque in hodiernum diem ſeruant, quæ canonibus apoſtolorum continentur, an ſunt inter hæc, de quibus apoſtolus hoc loco dixit,hæc tibi ſcribo Timothee,vt ſcias,quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari? aut nunquid cum venit apoſt. ad Timotheum, vt ei prius promiſerat, inquiens, Hæc tibi ſcribo,ſperans me ad te venire citò,nihil aliud cũ tunc docuit in aduentu ad eum ſuo? nullas alias regulas,

Quid velint, & agant, qui canones apoſtol. negant.

1.Tim.3.

& eccleſiaſticas conſuetudines eidem ſine ſcripto tradidit præterquam, quæ ad eum prius ſcripſerat? Si ita eſt, & ea quæ hic ſcripſerat, ſatis erant, quid opus erat dicere, Hæc ad te ſcribo, ſperãs me ad te venire citò, vt ſcias interim, & quæ ſequuntur? imò verò nõ obſcurè ſignificauit, habere ſe alia, quæ Timotheo traderet, cũ ad eum veniret, quod ſe ſperabat citò facturum. Interim verò, dum iret, his, quæ tunc ſcripſit vti eum volebat, vt ſciret, quales eſſe oporteret epiſcopos presbyteros, & diaconos, quibus in domo Dei, & in miniſterio eius verſandum eſſet. Rurſus cum ſcribens idem Apoſtolus ad Corinth. id correxit, quod præter inſtitutionẽ Domini committebãt, pro cœna dominica δημοθοινίας, id eſt, cœnas populares in eccleſia facientes, vt beatus Cyrillus, ſicut antè dixi, in Pentabiblo contra Neſtoriũ interpretatus eſt, ſubiunxit, Cætera autem cum venero, diſponã: an dicent Magd. & ſi qui alij cum eis ſentiunt, fefelliſſe eos apoſtolum id eſt, neque veniſſe: nec alia, vt promiſerat diſpoſuiſſe? Credo, dicere non audebunt. Dicant ergo nobis, quæ illa cætera ſint, quæ ſiue præſens, ſiue abſens diſpoſuit? quæ inquam, illæ διατάξεις, id eſt, diſpoſitiones, ſiue conſtitutiones eccleeleſiaſticæ, quas eccleſiæ Corinthiorum promiſit, quas iidem apoſtoli canones vocarũt? Poſtquam enim correxit ſecundum inſtitutionem Domini ſuper ſacrificio altaris, quod Corinthij, contra illam ipſam conſtitutionem Domini in eccleſia peccabãt, ſubiunxit ſtatim, Cætera autem cum venero, diſponam. In quo nemo iam dubitare poſſit, quin cætera eccleſiaſtica intelligi voluerit. Non enim conſentaneum erat, vt cum eccleſiaſticis diſpoſitionibus diſpoſitiones ciuiles, & populares coniungere vellet. Præſertim cum hæ non ad apoſtolum, ſed ad laicos pertinerent, qui ſe negotiis ſæcularibus implicant. Huc ergo pertinet, id eſt, ad hanc Pauli correctionem, quam Corinthiorum errori adhibuit, Canon tertius Apoſtolorum, quem ad conſeruandam traditionem Domini de ſacrificio in eccleſia, quam Corinthij violabãt, iidem ſancti Apoſtoli conſtituerunt de non offerendis ad altare auibus, aut animalibus. Sic enim ait canon, Si quis Epiſcopus, aut

Quomodo ad correctionem, quam Apoſt. errori Corinthiorum adhibuit, canon Apoſt. 3. pertineat.

presbyter præter diſpoſitionem Domini, quam de ſacrificio fecit, aliqua alia ſuper altare offerat, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut artificio facta, aut animalia, aut poma, vel legumina præter inſtitutionem Domini deponatur, exceptis nouis fructibus ſuo tempore, aut præter oleum ad lucernam, & thus in tempus oblationis, nihil offerre liceat. Contra hunc canonem nos facere, olim Græci eccleſiæ Romanæ æmuli calumniabãtur. *Calumnia Græcorum.* Vt intelligi poteſt ex epiſtola Nicolai primi ad Michaëlem, & Baſilium, enumerãs enim quæ nobis falſò tunc obiiciebant. mentiuntur quoque (inquit) nos agnum in paſcha more Iudæorum ſuper altare pariter cum dominico corpore benedicere, & offerre. Vt igitur hoc Paulus in epiſtola ad Corinth. correxit, quod ad eccleſiam pertinebat, ſic cum illud ſubiunxit ſtatim, cætera, cum venero, diſponam: de diſpoſitionibus canonicis cæterarum rerum eccleſiaſticarũ neceſſariò, vt dixi, intelligendum eſt. Præterea, cum apoſtolus præcepit mulieribus, vt tacerent in eccleſia: &, ſi quid vellent diſcere, domi viros ſuos interrogarent, quia turpe eſt (inquit) mulieri, in eccleſia loqui ſatis apertè docuit, neminem debere facere in eccleſia, quod eum non deceat. Vt autem admoneret, multa eſſe huiuſmodi, quæ non deceat quemlibet facere in eccleſia, ſicut mulieres non decebat in ea loqui etiam diſcendi cauſa, ne dum docendi, quod epiſcopis & presbyteris tãtum licet, quos iubet apoſtolus eſſe idoneos ad docendum, & ſicut non decebat loqui linguis in eccleſia ſine interprete, neque rurſus decebat ab omnibus hoc prohiberi, idcirco complexus multa huiuſmodi ad decorum & ordinem eccleſiæ pertinẽtia, ſubiunxit, Omnia autem honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis: cum enim dixit κατὰ τάξιν, id eſt, ſecundum ordinem, quis dubitet, quin traditionem regularum eccleſiaſticarũ ſignificarit, ad quas dirigenda eſſet decẽtia eorũ, quæ in eccleſia agenda erant? *Quomodo omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in eccleſia, quæ ſecundum canones apoſt. fiunt.* Quęramus igitur à negatoribus canonum apoſtolicorũ, quem ordinem dicat apoſtolus, cum dicit, Omnia ſecundum ordinem fiant? niſi enim traditus eſſet ab apoſtolis ordo aliquis eccleſiaſticæ cõuerſationis, vnuſquiſque

ſibi ordinem fingeret, qui ſibi videretur, vt apud Luteranos fit, apud quos multiplex varietas, & mirāda diſcrepantia cernitur in iis, quæ apud nos vno ordine in eccleſia fiunt, quia ſcilicet eædem ſunt in eccleſiis Catholicorum canonicæ Apoſtolorum traditiones & cōſuetudines, quibus pax & concordia earum continetur, vt glorificetur Deus per Chriſtum Dominum in ſpiritui ſancto.

Quanta veneratione digna ſit antiquitas legum eccleſiaſticarum, & de neceſſitate earum, & primis eccleſiæ legiſlatoribus, & de nominibus canonum, quæ eorum vim, & vſum declarant. & quomodo quæ Plato diuine de officio perfecti legiſlatoris ſcripſit, ſancti Apoſtoli ſpiritu ſancto docente intellexerunt, & ſeruauerunt, & de iis, quæ in libris Clementis de conſtitutionibus Apoſtolorum continētur, cum iis collatis, quæ Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes notauit, & diſtinxit, & quæ teſtimonia ſcripturæ ſint, diſpoſuiſſe apoſtolos eccleſiaſtica legibus eccleſiaſticis, id eſt, canonibus. Caput 27.

POſtremò eccleſiaſticos canones ſanctorum Apoſtolorum ipſa antiquitas maximè omnium tueri debet. Pręclarè enim doctiſſimus Græciæ Plato in 7. libro de legibus ſcripſit, omnes homines eas leges venerari ſolere vererique in eis quicquā nouare, in quibus alti, educatiq́ eſſent: & quæ diuina quadam ſorte multis ſæculis immutabiles permanſiſſent: neque eas recordarentur nec audiſſent, vllo vnquā tēpore aliter habuiſſe. Hæc diuinus Plato. quod quidem quia rectè dictum eſt, noſtrum eſt, id eſt, chriſtianorum, vt Iuſtinus martyr, in priore pro chriſtianis apologia ſcripſit. Vtrum verò canones apoſtolorum adeò antiqui ſint, vt vel antiquitas ipſa venerari eos cogat, interrogemus Magd. & reliquos eiuſdem diſciplinæ homines, num memoriam præteritorū ſæculorū replicare poſſint, cum maiores ſui, aut aliis, aut nullis apoſtolorum canonibus vterētur? quod ſi nō poſſunt certè, vt nihil præterea aliud, ipſam ſaltē

antiquitatem, quam idē auctor proximè ad Deos accedere ait, reuereri iſtos oportebat, ſi vel rationem tātùm naturæ hominis inſitā audire vellent: aut Dei munus, & neceſſarium vſum legum eccleſiaſticarum non ignorare. Etenim, ſi neceſſe fuit vt Deus cauſa corporis tuendi medicos nobis daret, & qui hominem ex terra formauerat, vt ex terra quoque remedia gigneret, ex quorum obſeruatione medicinæ ars exiſteret, de medico enim dicit ſcriptura propter neceſſitatem creauit illum altiſſimus, & de terra creauit medicinam, quāto magis neceſſarium fuit, vt animarum medicos, id eſt, legiſlatores daret, qui ex ratione naturæ hominis inſita leges iuſtas, quæ ſunt inſtar medicinæ, exprimerent: quod quidem factum eſſe videmus, & vſu ipſo legum teſtamur, quas voluit Deus per Romanos, vt Clemens in libro 7. de conſtitutionibus apoſtolorum, ait, ſplendere, & enitere, vt iuſtis eorum legibus, & eorum in cunctum orbem dominatu euangelica prædicatio, ac gentium omnium ad fidem conuerſio præmuniretur. Hoc enim fuit diuinæ prouidentiæ conſilium, vt beatus Cyrillus Iuliano apoſtatæ in lib. 7. reſpondit, chriſtianis obiicienti, quod legibus Romanorum parerent. Quod ſi neceſſe fuit, vt à principio euangelij leges eſſent ſæculares, quibus, qui populo præeſſent, ad eius emendationem vterentur, (nemo enim dubitat, vt S. Calixtus pontifex ait, leges humanas rationi, & honeſtati non repugnantes eſſe amplectēdas, præſertim vbi eccleſiaſticæ, inquit dignitatis auctoritatem defendūt, & pro adminiculo tuentur) profectò neceſſe quoque erat, quod nemo vnquam ſanę mentis negarit, vt leges etiā eccleſiaſticæ eſſent, quibus, qui eccleſiæ præeſſent, cùm res poſtularet, eccleſiaſticos emendarent, ac corrigerent quaſque ipſi cuſtodirent. Poteſtates enim, quæ præſunt, vt rectè quoque idem Plato ſcripſit, miniſtræ legum ſunt, quibus ſeruire debent, vt bene aliis imperare poſſint. Primi ergo legiſlatores eccleſiaſtici, quos Deus eccleſiæ dedit, fuerunt Sancti Apoſtoli, qui, tanquam architecti quidam ſpirituales (Dei enim ædificatio, ſicut Apoſtolus ait, ſumus) eccleſiaſticas leges pœnis ſancitas, quod propriū eſt legū, tulerunt, quas rectè

Vnde antiquitas & reuerētia canonum apoſtolorum appareat omnibus.

Eccle. 38.

Comparatio legum cum medicina & legiſlatorum cum medicis.

Quid Clemens Rom. de legibus ciuilibus Rom. ſcripſerit.

Quæ leges ciuiles ab eccleſia recipiantur.

Quomodo ex neceſſitate legū ſecularium neceſſitas legum eccleſiaſticarum appareat.

Primi legiſlatores eccleſiaſtici ſancti apoſtoli.

1. Cor. cap. 3.

Vnde leges eccleſiaſticæ dictæ canones, & quid earũ proprium ſit.
1. Petr c. 2.

canones, id eſt, regulas vocarunt, quod eos, qui huiuſmodi legibus nõ pareãt, neque domus ſpiritualis, ſicut Beatus Petrus ait, ædificari velint, ceu ligna quædam curuata, & inflexa, vt Protagoras apud Platonem ait, vi, & minis ſuppliciorũ corrigãt, & ad ſpiritus ædificij vſum aptent, & accommodent. Typos quoque Græci patres interdum nominare ſolent, latini formas, quod huiuſmodi canonibus tanquam quibuſdam exemplaribus vitam, & mores eccleſiaſticorũ cõformari oporteat. Aliquando etiam ὅρους appellant, Latini verò patres definitiones, quod ſint iuſti, & iniuſti, honeſti, & inhoneſti, decori, & indecori diſtinctiones. Neq; verò tantum canones iſtos ſancti apoſtoli ſanxerunt, vt hoc quoque obſeruetur, ſed alia etiam multa, vt perfecti legiſlatores, de omni diſciplina, ac omni genere virtutis, & honeſtatis, ac decori; de omni ſtatu, ac ordine, & gradu hominũ tradiderunt: quæ ſimiliora ſint doctrinæ, & monitis, quam legibus, quibus vinculum vitæ Chriſtianæ, & incolumitas, ac conſeruatio ipſorũ canonũ continetur: quæ omnia Clemens Romanus, qui ea deſcripſit, διατάξεις ἢ διδαχὴ τῶν ἀποστόλων vt beatus quoque Athanaſius teſtatur, vocauit, nos diſpoſitiones, vel doctrinam apoſtolorũ interpretemur. hãc doctrinã libris 7. cõplexus eſt Clemens: extremò autẽ libro, id eſt, 7. canones eccleſiaſticos apoſtolorũ. hi enim ſunt τὸ κορυφαιότατον τῆς ἐκκλησιαστικῆς διατυπώσεως, id eſt, ſummũ in diſpoſitione rerum eccleſiaſticarum, vt idem in 3. capite eiuſdem libri 8. ſcripſit imitatus, vt mihi quidem videtur, cum aliàs, tum hic diuinum Platonem, cuius fuit perſtudioſus. is enim τὸ νομοθετεῖν, in quarto libro. De legibus, πάντων πλεώτατον πρὸς ἀρετὴν eſſe dicit, id eſt, inter cætera ſummè ad virtutem valere ferre leges. Sed vt iam Illyricus, & ſui contubernales, vel eorum ſucceſſores, apoſtolorum chariſma hic in ferendis legibus eccleſiaſticis, quas canones vocarunt, agnoſcant, qui nec Athenis eruditi ſunt, neque Platonis diſcipuli fuere; neque libros eius legerunt, cõferamus, quæ Plato ſolam rationem ab auctore naturæ homini ingeneratam ſecutus, de officio legiſlatorum diuinè ſcripſit. quicquid enim apud omnes ſcri-

Quare canones dicti ſint τύποι & ὅροι, latinè formæ & definitiones.

Quales ſint quæ Græcè dicuntur διατάξεις.

Quomodo quæ de officio perfecti legiſlatoris diuinè ſcripſit Plato, in apoſtolis ſermone

ptores rectè dictũ eſt vt iterum dicã, auctore Iuſtino, noſtrum eſt. Interpretemur ergo eiſdem ferè verbis, quæ in principio libri 7. de legibus ſcripſit, Natis igitur, inquit, liberis tum maribus, tum fœminis, maximè conſentaneum eſt, vt deinceps de eorum educatione, & diſciplina dicamus: hæc enim ſilentio prætermitti non poteſt. quæ autem de ea dicentur, ſimiliora monitis, quàm legibus videri poſſunt. Homines enim cum ſoli ſunt, & in domibus ſuis, aut voluptate, aut dolore, aut cupiditate impulſi, facilè multa, & parua, & quæ nõ omnibus apparent, præter legiſlatoris conſiliũ, & propoſitum committunt, quæ varios, & diſſimiles mores ciuium efficiũt, id quod ciuitatibus nocet. Etenim, quia tum minuta ſunt, tum frequentia, non decet leges de eis ferre, eaque pœnis ſancire, ne leges ſcriptæ interitum capiant, ſi in leuioribus, & ſæpius leges tranſire homines aſſueſcant. Quare aditus quidem ad leges de huiuſmodi inſtitutis & diſciplina ferendas non patet: ea verò rurſus ſilentio prætermittere non licet. Et paulò poſt, rurſus de huiuſmodi inſtitutis, quæ doctrinæ, & monitis, quàm legibus ſimiliora ſunt, his ferè verbis ait, Sunt autem hæc omnia, quæ nunc exequimur, illa quæ à multis vocantur inſtituta non ſcripta. Nec aliud ſunt leges patriæ, quas vocant, quàm omnia huiuſmodi, quæ rectè paulò ante dictum eſt, non oportere leges appellare, neque tamen illa ipſa præterire, ac miſſa facere: ſunt enim hæc vincula totius Reip. iis omnibus, quæ tum ſcripta ſunt, tum adhuc ſcribentur, interiecta ceu patria quædam, & priſca inſtituta. quæ quidem cum rectè poſita ſunt, & in vſum collocata tum eorum exercitatio ac conſuetudo leges latas protegit, & incolumes ſeruat: ſin verò propter negligentiam non rectè exerceantur, eueniet, quod in ædificiis ſolet, cum labefactatis fundamentis, & antiquis illis, quibus fulta ſunt ſuperiora, neceſſe eſt corruere omnia, atque alia ſub aliis iacere, tum inferiora illa, quæ ſuſtinebant, tum faſtigia, quæ poſtea ſubuerſis illis vetuſtis, ædificio fuerant impoſita. Quare, cum ita ſe rem habere intelligamus, oportet nouam ciuitatem ex omni parte vincere, & vt ea accipiat, nihil

imperitis cernũtur, ex quo eorum chariſsima in eccleſiaſticis legibus ferendis apparet.

ſiue magnum, Siue paruum ex iis omnibus prætermittere, quę quis leges, vel mores, vel officia appellare poteſt. his namque omnibus, ceu vinculis, colligatur ciuitas. vtrumq; enim ſine altero firmum nõ eſt. Quare nõ eſt mirandũ, ſi multa, & quæ parua ſimul videntur inſtituta, in hanc tractationẽ nobis incurrũt, quæ lõgiores faciant leges. Hactenus Plato. Si ergo hæc, quæ Plato, cum nouã illam ciuitatẽ, quam animo informauerat, legibus, & moribus cõſtitueret ad officium boni legiſlatoris optimo illo ſuo, & diuino ingenio multis diſciplinis inſtructo multiſque laboribus ac ſtudiis limato, & vſu rerum, ac diuturnitate temporis profecto cum ſumma omnium admiratione, & laude, pertinere intellexit, ſi hæc, inquã ſancti Apoſtoli, nec in libris Platonis verſati, imò neq; grammatici, ſed potius idiotæ, & omnis humanæ ſapientiæ ignari, cùm nouã eccleſiã tum ex Iudæis vetere lege, ac Iudaico ritu aſſuefactis, tũ ex gentibus, quæ Deũ ignorabãt, cõſtituerent, ſeruarũt, quis nõ dicat à Deo & à ſpiritu eius illa didiciſſe? Hi igitur, vt à ſpiritu ſancto eruditi, nõ ſolũ canones illos eccleſiaſticos ſanxerunt, ſed, vt dixi, permulta alia tradiderunt inſtituta de omni diſciplina vitæ Chriſtianæ, & eccleſiaſticæ conuerſationis, & de omni genere virtutis cuiuſq; ordinis, & gradus hominũ, quibus illa continentur, quæ dicuntur νόμιμα ἄγραφα ſiue ἐθίσματα, vel ἐπιτηδεύματα, vt ſua illa vocauit Plato, quæ nos dicere poſſumus inſtituta non ſcripta, conſuetudines, & officia, quibus quia cũcta in eccleſiaſtica Rep. diſpoſita ſunt, vno verbo διατάξεις, id eſt, diſpoſitiones vocãtur, ſicut Paulus Apoſtolus, cũ dixit, Cætera autẽ, cũ venero, diſponam: Græcè enim eſt διατάξομεν vnde διατάξεις dictæ ſunt, quæ vna cũ canonibus, qui ſunt eccleſiaſticæ leges, 8. libris, vt antè dixi, à Clemente Rom. in perſona apoſtolorũ ſcriptis, cõtinentur, quibus cõprehenſa ſunt illa, quæ Paulus generaliter cõplexus eſt, cũ ait: De cætero fratres, quæcunq; ſunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iuſta, quæcunq; ſancta, quæcunq; amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, quæ didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me: hæc agite, & Deᵘˢ pacis erit vobiſcum

Philipp. c. 4.

Materia conſtitutionum apoſtolicarum generaliter ab apoſtolo deſcripta.

biſcum. Vbi enim non eſt eadem diſtinctio veri, & falſi, pudici, & impudici, iuſti, & iniuſti, ſancti, & non ſancti, amabilis, & non amabilis, bonæ famæ, & infamiæ, virtutis, & vitij, imò cōtrà, alij aliud verum dicunt, alij item aliud honeſtum: & alij aliud iuſtum, ſimiliter in reliquis, ibi non poteſt eſſe pax, ſed ſchiſma: vt aliud nos pudicum, aliud Lutherani, hi enim concubitū ſacerdotis cum vxore pudicum, nos incœſtum dicimus, ſimiliter aliud nos verum, aliud Lutherani, & eorum aliud Melancthoniani, aliud Illyriciani: idcirco nec eis nobiſcum pax eſt, nec ipſis inter ſe. Apud nos verò, & in noſtris eccleſiis nulla huiuſmodi diſſentio, ſed potius pax. Omnes enim idipſum, ſicut Apoſtolus præcipit, dicimus, & vno ſenſu, ac ſcientia ſumus in diſtinguendo vero à falſo, honeſto ab inhoneſto, iuſto ab iniuſto, ſimiliter in aliis. Interrogemus ergo Magdeb. vnde petenda ſunt iſta, quæcunque vera, quæcunque iuſta, quæcunque pudica, & quæ ſequuntur, quæ apoſtolus dicit didiciſſe, accepiſſe, & audiſſe, ac vidiſſe Coloſſenſes? non enim iſta omnia in euangelio, aut epiſtolis ſcripta eſſe dicturi ſunt. Quorſum enim ſi nulla erant in eccleſia νόμιμα ἄγραφα, id eſt, inſtituta ſine ſcripto, Paulus ad Theſſalonicenſes ſcripſiſſet, tenete traditiones, quas audiſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram? Quorſum item ad Corinthios, Cætera cum venero, diſponam? Si enim diſpoſitiones ſine ſcripto valere non volebat, cur nō ſcripſit abſens, quæ erat coram ſine ſcripto diſpoſiturus? non enim apoſtoli ad præſentes ſcribebant, ſed ad abſentes. An nō erat opus conſtituere modum conueniendi in eccleſiam, miniſtrandi in ea, tum concionandi, pſallendi, orandi, ſedendi, recipiendi ſeſſum aduentantes, communicandi, diſpenſandi bona eccleſiæ, & eis vtēdi? Prætereo infinita alia ad diſciplinam eccleſiaſticam, pertinentia, quæ Apoſtolicis conſtitutionibus à Clemēte Romano deſcriptis diuinè diſpoſita ſunt, quibus, vt antea dixi, comprehēſa ſunt illa, quæ Paulus ad Coloſſenſes ſcripſit, quæcunq; ſunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iuſta, & quæ ſequuntur, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Sunt enim in his, exempli

Quæ ſit materia apoſtolicarū conſtitutionum.

1. Theſſ. c. 2.
1. Cor. 11.

De conſtitutionibus apoſtolorũ generaliter ab apoſtolo comprehenſis, & ſigillatim à Clemente deſcriptis.

cauſa conſtitutiones pudicitiæ in aſpectu, in ſermone, in cultu corporis, in balneatione, in habitatione miniſtrorum ordinis ſacri cum coniugibus ſuis, & quæcunque alia ad pudicitiã pertinent. Sunt item cõſtitutiones iuſti, erga Deũ, ſeipſum, parentes, vicinos, ciues, peregrinos, magiſtratus populi, præſides eccleſiæ, erga ſeruos, & dominos, peccatores, & pœnitẽtes. Sunt præterea in conſtitutionibus apoſtolicis, quæcunq; amabilia quæcunque bonæ famæ in rebus omnibus, quibus homines vtuntur, omne itẽ genus virtutis, & actionis laudabilis, omnia enim ſancti Apoſtoli diſpoſuerunt, quæcunque ad ordinem, & honeſtatẽ, ad pacẽ, & diſciplinam vitæ Chriſtianæ, & eccleſiaſticæ conuerſationis, & ad prouidendum bona coram Deo, & hominibus pertinebant. Hi etiam diſpoſuerunt, atque ordinarunt, quæcunque de ritu myſtici ſacrificij à Chriſto inſtituti nobis tradiderunt, ad quod dignè faciendum & participandum vniuerſa diſciplina eccleſiaſtica, & monita, atque inſtituta apoſtolica referũtur, vt in quo tota æternæ ſalutis fiducia collocata nobis ſit, & in quo cuiuſque hominis chriſtiani iudicium extremum pendeat, vnde Dauid de extremo iudicio prophetans, cùm ſeſſuri ſunt ſancti Apoſtoli, ſicut Dominus dixit, ſuper 12. ſedes iudicãtes duodecim tribus Iſrael, vt qui per vniuerſum mundum euangelium prædicauerunt, iidem eos, qui vel audire noluerunt, vel auditum non ſeruarunt, iudicent, prophetans, inquam, in ſpiritu, de extremo iudicio, & de ſanctis apoſtolis, qui etiam vt nos, in voce Archangeli reſurgent, Congregate inquit. (Angelis enim iubet) ſanctos eius: apoſtolos dicit, qui diſponunt, ſiue ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia: in iudicio enim illo non repoſcetur ratio de ſacrificiis veteris teſtamenti, ſed noui: nec enim illa vetera apoſtoli diſpoſuerunt, immo Moyſes ſicut ei Dominus præcepit: ſed in nouo teſtamento ritum, vt dixi, myſtici ſacrificij, & cerimonias, ac religionem diſpoſuerunt, & ordinarunt. Sicut Clemẽs partim in lib. 2. de conſtitutionibus apoſtolorum, plenius autem in 8. totam miſſam, ac ritum myſtici ſacrificij deſcripſit, quo cætera, vt dixi, quæ in eccleſia à ſanctis apoſtolis diſpoſita

Pſal. 49.

ſunt, referuntur. Habemus igitur non ſolum Paulum teſtem, diſpoſuiſſe ſanctos Apoſtolos eccleſiaſtica, cū ipſe Paulus de ſe dicat, cætera autem cùm venero, diſponam, ſed etiam prophetam Dauid. quod Apoſtoli ſancti eccleſiam, & eccleſiaſticam conuerſationem, ac populi chriſtiani diſciplinam tam multis conſtitutionibus diſpoſuerunt, quod ad legiſlatorum quoque officium pertinebat, quomodo quod præcipuū erat, immo ſummum in perfecto legiſlatore, prætermiſiſſent? ſummum enim erat, leges ferre, quæ minas haberent ad ſanandum neceſſarias, ad quarum legum conſeruationem, illæ tam multiplices, vt ante diximus, conſtitutiones, conſuetudines, & antiqua inſtituta, & monita, tanquā procemia, vt Plato illa ſua vocat, adhibita ſunt. Etenim, ſi apoſtoli ſancti paſtores erant, imò principes paſtorum, quis audeat dicere, aut cogitare neglexiſſe eos partem illam, quæ gregi rationali cuſtodiendo & paſcendo maximè neceſſaria eſt? vt enim parum fermenti, ait apoſtolica conſtitutio, totam maſſam corrumpit, & muſcæ morientes putreſcere faciunt vnguentum ſuaue, ſic quoque (inquit) ouis ſcabioſa in reliquas oues ſcabiem transfundit, niſi ſeparetur à ſanis: canis etiam rabioſus, quicquid attigerit, in eo periculum affert. Quare, ſi hominem (inquit) flagitioſum ab eccleſia non remoueamus, facimus domum Dei ſpeluncam latronum. Plato quoque libro 9. de legibus rationem naturæ inſitam ſecutus, pœna (inquit) legis alterum duorum facit, aut enim qui pœnas dedit, melior efficitur, aut minus malus. Ezechiel quoque inter cætera, quæ malis paſtoribus neglecta exprobrat, illud etiam ait, quod eiectum non erat non reduxiſtis: oportet enim eiicere ex eccleſia, cum peccati genus poſtulat. Sicut ſcriptum eſt in Deut. auferas malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam audeant talia facere, quod quidem ad eccleſiam quoque noſtrā pertinere apoſtolus interpretatus eſt, cum ad eos, qui ex eccleſia propter peccatū publicum, quod notoriū vocant, ſunt eiiciendi, retulit, auferte (inquiens) malū ex vobis ipſis. Sed eiectum nō oportet negligere, quod propheta Ezechiel in malis paſto-

Quomodo non ſolum Paulus, ſed propheta Dauid teſtificetur, diſpoſuiſſe Apoſtolos eccleſiaſtica legibus, quas canones vocarunt.

Quomodo præcipuum, & ſummū in perfecto legiſlatore, quod eſt leges ferre, nō potuit ab apoſtolis prætermitti.

Quomodo apoſtoli non potuerunt eſſe paſtores eccleſiarum ſine legibus eccleſiaſticis.

Clemens lib. 2.
1. Cor. cap. 5.
Eccl. cap. 10.
Ezech. 34.
Deut. 13. & 19.
1. Cor. cap 5.

ribus accuſat, vt paulò ante dixi, quin potius eum, inquit apoſtolica conſtitutio, qui in peccatis fuit, & per irrogationem pœnæ ex eccleſia eiectus eſt, ne ſinas foris permanere : imò recollige eum, & conuerte, vt ſic emendatum in ouile reſtituas, id eſt, in eccleſiam.

De Synodis, quæ ad exemplum Apoſtolorum canones ediderunt, & de Apoſtolorum canonibus in capita 50. cum canonibus Synodorum, ante annos mille à quodam Conſtantino relatis. item quibus rationibus conſtet gubernationem eccleſiarum eccleſiaſticis legibus Apoſtolos conſtituiſſe. Et cur apoſtoli canones ſine ſcripto tradiderunt, & de diſpenſationibus canonum apoſtolorum, & quomodo iuſtæ ab iniuſtis diſtinguantur, & quid de ea re Eutychianus Pont. & Igmarus Rhem. ſcripſerint. Cap. 28.

Quid Conſtantinus cognomẽto ἀπὸ χολαστικῶν ante annos mille ſcripſerit de pœnis, quibus canones apoſtolorum, & reliquæ leges eccleſiaſticæ ſancitæ ſunt.

QVales verò minas iſtas, & pœnas, quibus eccleſiaſticæ leges ſancitæ ſunt eſſe decebat, quia prudenter Conſtantinus cognomento ἀπὸ σχολαστικῶν notauit, & ſcripſit, interpretabor eiſdem verbis. quæ ille præfatus eſt in collectione canonum Apoſtolorũ, & Synodorum, quos tempore Iuſtiniani in 50. capita diſtribuit, qui ſunt loci communes illuſtrium rerum eccleſiaſticarum. Diſcipuli (inquit) Chriſti iidémque Apoſtoli, quin etiam, qui eis ſucceſſerunt, & eccleſiæ ſanctæ Epiſcopi, & doctores fuerunt, quibus multitudinem gentium, ac Iudæorum, fallacia, & Tyrannide diaboli liberatam, & ad regem, ac dominum gloriæ recto animo, & fide conuerſam ſpiritus ſanctè regendam commiſit, non ſunt arbitrati, decere, vt qui peccarent, verberibus afficerentur, vt ciuiles leges faciunt, hoc enim valde ſtultum eſſe videbatur, ac nimis indecorum : imò potius ſtudebant, vt quam promptiſſimè periculis ſe pro eis obiicerent : retro regreſſos reuocarent, errantes adhuc, & à recta deflexos ſine mora corrigerent : in profundum præcipitatos, omnibus modis extrahere curarent. Qui verò iam putreſcerent, ac valde ægrotarent, ſapienter gladio ſpiritus abſcinderent : confractos, & viribus

De multiplici ratione eccleſiaſticæ correctionis pecudum rationalium.

defectos, quibuſdam blaſdis pharmacis, & vinculis rationalibus alligarent, & eis priſtinam valetudinem, diuina gratia, & ſpiritu ſancto adiuuante, reſtituerēt. Igitur, qui illis ſucceſſuri erant, vt eos, quibus quiſque eorum ſuo tempore præeſſet, ſaluos, & incolumes cōſeruarent, habitis conciliis leges quaſdam, & canones nō ciuiles, ſed diuinos de iis, quæ agenda eſſent, aut nō, ad corrigendos cuiuſque mores, & vitam ædiderunt, qui eos quidem, qui recta ingrederentur, fulcirent: actos verò in tranſuerſum, punirent. Igitur quia olim diuerſis temporibus, & à diuerſis patribus, & diuerſis rebus congruētes leges, & canones eccleſiæ æditi ſunt, (poſt enim apoſtolos 10. Synodi magnæ habitæ ſunt, præterea magnus Baſilius multos canones fecit, & hi omnes canones ædiderunt, non quidem rebus in capita, ordine diſtributis, ſed diſperſè, vt aliæ res aliis temporibus ortæ poſtulabant) nos in capita quinquaginta diſtinximus, & quæ ſequuntur. Hactenus ex procemio huius auctoris, qui in ſua collectione primo ſemper loco canones apoſtolorum collocat, numerat autem 10. Synodos, vſque ad ſua tempora habitas Ancyranam, Neocæſrrienſem, Nicenam, Gangrenſem, Antiochenam, Laodicenſem, Conſtātinopolitanam, Epheſinā, Calcedonenſem, Carthaginenſem. Cognouit igitur, hic auctor non heri, & nudius tertius, vt Magd. natus, ſed, vt dixi, ante mille annos, & amplius, primos legum eccleſiaſticarum latores apoſtolos fuiſſe, qui primùm eccleſias percunctum orbem apoſtolicis inſtitutis, & canonicis legibus fundarunt: & eorum exemplū reliquos patres, qui eccleſias regendas ſuſceperunt, variis conciliis habitis in ferēdis eccleſiaſticis legibus, vt ratio cuiuſque temporis, & nouarum rerum neceſſitas poſcere viſa eſt, ſecutos eſſe. Magd. verò, qui apoſtolicos canones negant, cum in locis illuſtrium rerum, in quos hiſtoriā ſuam per centenos annos diſtribuerunt, vnde centurias vocarūt, locū de gubernatione eccleſiæ in prima centuria ponant, quis non ſtatim iure, ac cùm ratione miretur, velle eos, vt tempore apoſtolorum, & deinceps vſq; ad Synodos, quæ poſtea habitę ſunt, ſine vllis legibus eccleſiaſticis eccleſiæ gubernarentur? Ete-

Conſtantinus cognomento ἀπὸ χολαστικῶν in eccleſiaſticis legibus, quas in loco communes digeſſit, primo loco canones apoſtolorum poſuit.

Apoſtolos ſecuti ſunt, quicunque poſt eos canones ædiderunt.

Quam ſit abſurdum, velle, gubernatas fuiſſe à ſanctis apoſtolis ecleſias ſine eccleſiaſticis legibus.

nim, ſi de poteſtatibus ciuilibus dixit apoſt. à Deo ordinatas eſſe, non ſunt autem ordinatæ ſine iuſtis legibus principum ſæculi, conſequens eſt, vt neque poteſtates eccleſiaſticæ, quibus illas, vt diuinis, oportet ſubiectas eſſe, ſine legibus principum eccleſiæ, qui fuerunt apoſtoli, à Deo ordinatæ ſint. Præterea ſi ille rectè dixit, qui de legibus ciuilibus elegãtiſſimè ſcribebat, nullo loco habendam eſſe ciuitatem, quæ lege careat: ſanè quidem rectè quoque dictum ſit, nullo loco habendã eſſe gubernationem eccleſię ſine legibus eccleſiaſticis. Deinde ſi lex eſt iuſti, & iniuſti diſtinctio, qui leges eccleſiaſticas apoſtolorum apoſtolis negat, diſtinctionẽ quoque iuris, & iniuriæ eccleſiaſticæ illis fuiſſe neget, neceſſe eſt, & qui hanc neget, conſequens etiam eſt, vt diſtinctionem perſonarum eccleſiaſticarum inter ſe, & à ciuilibus ſimiliter neget. Quare ſi abſurdum eſt, & fatuum, cogitare gubernationẽ eccleſiæ ſine legibus eccleſiaſticis, & alios eccleſiarũ legiſlatores, ante apoſtolos non fuiſſe, ſatis conſtat, tum has eorũ leges eſſe, ſemper in omnibus eccleſiis auditũ eſt, nec aliud præter hoc memoriæ proditum, quæ dementia eſt eas negare? Nihil enim refert, vt ad hoc quoque reſpondeamus; quod non omnes octuagintaocto canones apoſtolorũ à principio ad latinos, in latinum tranſlati, venerunt, præter quinquaginta, cùm non minus omnes eos eccleſiæ latinorum ſine ſcripto omni tempore tenuerint, & eis vſæ ſint, quàm eccleſiæ Orientis, vnde euãgelij prædicatio, & eccleſiarum fundatio, atque extructio cœpit, quæ ipſos à Clemente Romano Græcæ ſcriptos prius acceperunt.

Quare nihil referat, quod non omnes canones apoſtolorum latinorum à principio acceperit.

Si quis verò quærendũ putet cur apoſtoli ſancti has eccleſiaſticas leges non ſcripſerunt, ſi tãtopere neceſſarias eſſe iudicarunt. in promptu eſt ratio, illa ſcilicet, quam Lycurgus ſapiẽtiſſimus Lacedæmoniorum legiſlator, magiſtra natura in dandis legibus ſine ſcripto, ſecutus eſt. Iudicabat enim, vt Plutarchus ſcribit, quæ præcipua ſunt, & maximè ad fœlicitatem, & virtutem ciuitatis faciunt, ea in mores, & inſtitutiones ciuium, ſi inducerentur, immutabilia manere. Quod ſi hanc vtilitatem, quæ maxima eſt, leges ciuiles ſine ſcripto dandi, in illa vna Rep. Lacedæ-

Quare ſine ſcripto canones apoſtoli tradiderũt.

Quæ vtilitas exiſtat ex legibus ſine ſcripto latis, auctore Lycurgo.

moniorum, quam cæteris illius temporibus diuinus Plato præpoſuit, ex ratione naturali ille didicit, quanto magis ſancti apoſtoli ex ſpiritu Dei, qui eos docebat diſcere eam potuerunt? Præterea non conueniebat, quæ ex cauſis, quæ aliquando abeſſe poſſunt, pendebant, ea ſcripto, iubendo, aut vetãdo ſancire, ne ſi ſcriptæ eſſent à ſanctis apoſtolis huiuſmodi leges, cùm aliquis lege ſolueretur, quia ratio legis abeſſe iudicaretur, quæ dici ſolet diſpenſatio, is qui hanc cauſam, & rationẽ ignoraret, ſcripturam ſolui exiſtimaret: atque ita aſſueſcerẽt homines, qui iſta non diſcernunt, contemnere diuinæ ſcripturæ auctoritatem. Hinc enim Ambroſij Neophyti ordinatio, quæ canone apoſtolorum octuageſimo prohibita eſt, contra ſcripturam apoſtoli, quæ Neophytos ordinare prohibet, facta eſſe à quibuſdam exiſtimabatur, quibus idem beatus Ambroſius libro decimo epiſt. 82. reſpondens, Si non deeſt (inquit) humilitas competens ſacerdotio, vbi cauſa non hæret, vitium non imputatur. Hæc Ambroſius. Cauſa enim, quæ Neophytum ordinatione prohibet, eſt, ne vt idem apoſtolus ait, in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli: id eſt, ne damnetur, vnde diabolus damnatus eſt. ne male (inquam) honore collato vſus, in ſuperbiã incidat, vt diabolus, qui occaſionem ſuperbiæ ex honore dato arripuit. Sic quoque beatus Cyprianus ordinatus eſt: de quo Pontius Martyr, aiunt (inquit) apoſtoli litteræ, debere Neophytos præteriri, ne ſtupore gentilitatis nondum fundatis ſenſibus adhærente, aliquid in Deum nouitas inerudita peccaret. Sed ille (inquit) primus & ſolus, ſcilicet in Aphrica, docuit, plus poſſe, fide quàm tẽpore promoueri. Nihil itaq; duobus iſtis tanta fide, ac modeſtia viris ordinãdis, contra ſcripturam Pauli factum eſt. apertè enim in ea huiuſmodi Neophytis ordinãdis locus relictus eſt, vt ex cauſa ſubiecta Neophytos prohibendi intelligere licet. ſed, vt apoſtolus ait, non omnium eſt ſcientia. Idem dicendum eſt de canone apoſtolorum 17. qui digamos quoque ordinatione prohibet, quod ipſum ſcriptura quoque Pauli prohibet, cùm iubet, vt qui ordinandus eſt, ſit vnius vxoris vir: cauſam enim huius legis pudi-

Quare ordinatio Ambroſii. neophyti contra ſcripturam apoſtoli facta eſſe, falſò putabatur.

Quomodo ordinatio Cypriani neophyti non ſit cõtra ſcripturã Pauli facta.

1. Cor. cap. 8.

De digamis ordinatione prohibitis.

citiam, & continentiam eſſe, ſatis idem apoſtolus declarat, cum adiungit, debere eſſe pudicum, & in epiſt. ad Titum continente. Vnde doctus Tertull. libro 1. ad vxorem quantum fidei (inquit) detrahant, quantũ obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ diſciplina eccleſiæ, & præſcriptio apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere: cum viduam allegi in ordinationem, niſi vniuiram non concedit. Deinde ſubiungit, quod ad rẽ noſtram facit, & in quo illi aſſentimur, aram enim domini mundam proponi oportet non ergo hoc auctore ara munda proponitur, cum à non continentibus tractatur. Siquidem ita oportet, vnius vxoris virum pudicum eſſe, vt viduam vnius viri vxorem: quæ, cum vidua ſit, non poteſt non eſſe continens. Hanc quoque cauſam legis huius attigit ſanctus Innocẽtius ſanctiſſimus, & eruditiſſimus pontifex, epiſt. 2. cap. 9. cùm ait. Vnius vxoris virum dixit, non quidem permanentem in concupiſcentia generandi, ſed propter futuram continentiam, idem cap. 4. ſanxit, ne clericus viduam duceret, ne (inquit) hoc præiudicio impeditus, non poſſit ad ſacerdotium peruenire. Similis etiã ratio eſt in lege digamum prohibente, præiudicium ſcilicet futuræ incontinentiæ, vt in neophyto præiudiciũ futuræ ſuperbiæ. Quare, qui incontinentiæ ſuſpicione penitus caruerit, eũ ſi lege ſoluat is, qui eccleſiæ præeſt, & eccleſiaſticarum legum cuſtos eſt, contra ſcripturam Pauli nihil feciſſe videatur: quia ipſa ſcriptura hãc legis cauſam continet, vt iam explicatum eſt. Reliqui ergo canones eccleſiaſtici ſanctorum Apoſtolorum, quorũ vis ex ratione, atque cauſa, quæ abeſſe poſſit, pendet, cur in ſcriptura canonica noui teſtamenti non ſint poſiti, dictum eſt iam. Deinde cùm ferè canones iſti vi & minis parere cogant, has verò minas ſæpe accidere poteſt, vt remittere oporteat, & deceat, ſi eiuſmodi canones ab apoſtolis ſcripti eſſent, ſcripturæ ſanctæ auctoritas minui videretur. Ij ergo, ſi qui adhuc fortaſſis exiſtimant non eſſe hos canones leges apoſtolorũ eccleſiaſticas, ſine ſcripto, vt diximus, datas, quia liceat eas aliquando, vt videmus, remittere, ſic habeant, cùm hæ leges eccleſiaſticæ apoſtolorum ad temperationem eccleſiæ

Quid Tertullianus de cœlibatu ſacerdotũ ſenſerit.

datæ ſunt, ſimul datam eſſe ab earum latoribus ei, qui præeſt, poteſtatem eas remittendi, cauſa tuendi ipſius eccleſiæ temperationem, tunc ſcilicet, cùm neceſſitas, vel eccleſiaſtica vtilitas poſcere videretur. ita vt illius obteſtationis apud Paulum meminiſſet, quæ ad cuſtodes legum eccleſiaſticarum pertinet, cùm ait, Teſtor coram Deo, & Angelis eius, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in alterutram partem declinando, inconſiderationem enim vocauit πρόκριμα, quod interpres præiudicium interpretatus eſt, loquebatur enim de non recipiẽdo accuſatorem aduerſus presbyterum niſi duobus, aut tribus teſtibus, cui ſimilis eſt canon 75. qui idem vetat in Epiſcopo. Hoc igitur cauendum eſt, in diſpenſationibus canonum, quas vocant, vt ita eas neceſſitas, vel eccleſiaſtica vtilitas excuſet, vt omnis inconſideratio abfuiſſe iudicetur. Ad diſtinguendas verò iuſtas, & iniuſtas canonum diſpenſationes accommodatiſſima mihi videntur, quæ Eutychianus pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Beticæ in extrema ferè parte ſcripſit, cùm vellet docere, nullam cauſam poſſe eſſe ſoluendi eccleſiaſticum canonem apoſtolorum de nõ offerendo tempore ſacrificij quicquam aliud præter inſtitutum Domini. Præcauendum (inquit) eſt, ne fides, & diſciplina Domini blaſphemetur. etſi illa nonnũquam ſinenda ſunt, quæ ſi cæterorum conſtet integritas, ſola nocere non valeant, illa tamen ſunt magnopere præcauenda, quæ recipi ſine manifeſta decoloratione non poſſunt. Cùm ergo talia erunt, quæ eccleſiaſtici canones vitanda ſanciunt, non licebit eos ſoluere. Deinde ſubiungit: at, ſi ea ipſa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur vel rerum, temporúmque cogit intuitus, vel acceleratæ prouiſionis reſpectus excuſat, quantò magis illa ſunt nullatenus mutilanda, quæ nec vlla neceſſitas, nec eccleſiaſtica prorſus extorquet vtilitas: Varias diſpenſandi cauſas ſumma breuitate attigit. Deinde ſubiungit, idcirco fratres iſta prætulimus, ne hæ ſpecies, quas non licet offerre ſuper altare iuxta conſtitutionem apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, ad domum ſacerdotum deferantur: & à ſacerdotibus benedicantur: & per ſimplicem benedictio

1. Tim. c. 5.

De poteſtate remittendi leges canonum apoſtolicorum diſpenſatione.

Quæ Pontifex Eutychianus ad diſtinguendas diſpenſationes canonum iuſtas ab iniuſtis ſcriſerit.

nem benedicta, demum à populis ſumantur. Fabæ tantum,& vuæ,& cætera, quæ apoſtoli conſtituerunt, ſuper altare offerātur. Recitata ſunt verba Eutichiani, & de hoc etiam canone apoſtolorum ſatis ſupra explicatum eſt. Recitemus deinceps, quæ Igmarus Archiepiſcopus Rhemenſis antiquus auctor, & iuris canonici prudentiſſimus, de hac re in collectione ſua capitum eccleſiaſticorum explicatiùs ſcripſit. nec ipſe enim (inquit) Petrus, ne dum aliquis Romanæ ſedis Epiſcopus, aliquem ſuum ſucceſſorem aliquo præiudicio, ac poteſtate priuauit, quin eadem omni auctoritate, omni eccleſiæ non ſolum antiquis, ſed etiam nouis inſtitutis nunc leuiùs, nunc ſeuiùs conſulere poſſet: imò deberet, prout tempori ſuo oportunum videret. Hoc vtique ſingularia Romanorum Pontificum decreta teſtantur, in quibus ipſi ſuorum temporum neceſſitatibus diuerſo modo conſuluiſſe leguntur. Niceni quoque canones Romani pontificis priuilegium ratum eſſe voluerunt, cùm ad exemplum eius omnium priuilegia prouinciarum iudicarent obſeruanda. Nequaquam ergo aliud Romanus Pontifex contra canones agit ſi quando illos pro conſideratione temporum nunc intendit, nunc remittit: cùm & ipſi canones tale ei priuilegium indubitanter conceſſerint. Sed, & alij Epiſcopi,& ſi nullo modo, vt præſul apoſtolicus vel canones inſtituere, vel iam inſtitutos iudicare valeat, aliquando tamē pro modulo ſuo aliqua ſtatuta temperant, & hoc maximè in legibus pœnitentium: quod etiam ipſi canones illis concedunt. Nam Nicenum concilium Epiſcopis conceſſiſſe legitur, vt dignè pœnitentes humaniùs tractēt: & canonicam ſeueritatem in eis aliquatenus mitigent: debent enim iuxta Innocentium Papam attendere cōfeſſionem pœnitentis, & fletus: & lachrymis corrigentis actum iubere dimitti, cùm congruam viderint ſatisfactionem. Nam iuxta Auguſtinū, In huiuſmodi pœnitentia non tam menſura temporis quàm doloris attendenda eſt. Nequaquam autem eccleſiaſtica diſciplina ſubſiſtere poſſet, ſi non præſul apoſtolicus illam auctoritatem haberet de canonibus, quam ſupra retulimus. Nam præcedentium patrum ſtatuta eccleſiaſti-

Igmarus Rhemenſis de poteſtate pōtificis in diſpenſandis canonibus conciliorum, & apoſtolorum.

cam diſciplinam non tam inſtruerent, quàm confunderent, ſi nulla ratione à ſucceſſoribus eorum immutari poſſent, cùm tamen neceſſitas temporis nunc mitiùs nunc ſeueriùs incedendum perſuaderet. quod illum non latebit, qui præcedentium patrum, & ſubſequentium ſtatuta diligenter inueſtigare curauerit. Nempe ſi beatus Gelaſius numerum annorum, quos ſui anteceſſores ſingulis gradibus præfixerunt, immutare non potuiſſet, penuriæ clericorum ſui temporis per preſbyteros, etiam laicis infra annum maturatis, nullo modo ſuccurriſſet. Item, ſi moderni pontifices antiquorum rigorem canonum ſuper lapſos ſacerdotes remittere nequiuiſſent, ipſa Chriſtiana religio deſtituta ſacerdotali officio penitus ſtare non poſſet: cùm iam pene nulli ſacerdotes niſi criminaliter lapſi reperiantur, quos antiqui canones depoſuiſſe leguntur. Hactenus Igmarus de poteſtate pontificis in diſpenſandis canonibus non ſolùm conciliorum, ſed etiam apoſtolorum. Canones enim apoſtolorum hic auctor dicit, cùm canones antiquos dicit vt exemplo canonis vigeſimi quinti docuit, qui in crimen fornicationis aut periurii, aut furti lapſum deponi iubet. Sic itaque de eccleſiaſticis legibus, quæ ad conſeruandum ordinem, & decorum datæ ſunt, habendum eſt, eo quidem illas ſpectare, vt plerumque fiat, aut non, quod iubendo, aut vetando ſanciunt: quandoque verò, cùm aliter rebus, temporibus, locis, perſonis in Chriſto conſulendum eſt, locum non habeant. Hanc enim eſſe naturam ordinis, & legum, Plato etiam ratione naturali docente, aſſecutus eſſe videtur, cùm ait libro 10. de legibus, ordinem, & leges eò ſpectare, vt partim quod volunt, maiore ex parte ſanciant: partim nihil penitus ſancire poſſint. Hinc error Magdeburgenſium, qui hos canones ſanctorum Apoſtolorum negant: quia nimium (inquiunt) ſit in eis vſus excommunicationis: tollunt enim diſtinctionem temporum, & rerũ. vt cùm iubet canon, ſi quis clericus in Caupona manifeſto deprehendatur, pœna ſit excõmunicatio. Etenim ſi omnes fideles, quæcũque ſunt, εὔφημα, id eſt, bonæ famæ, facere oportet, vt Paulus Apoſtolus Philippenſes

Canonum eccleſiaſtic. ratio, & propoſitum.

Quando can. eccleſiaſt. locum non habeant.

Natura ordinis & legũ auctore Platone.

Quomodo Magdeb. negandis canonib. apoſt. diſtinctionem rerum & temporum tollant.

cur quædam olim pœna excõmunicationis ſãcire liceret, quæ iam nõ liceat.

hortatur, quantò magis clericos, qui exemplum, & forma debent eſſe laicis non enim bonæ famæ eſt, inuitari laicos exemplo clericorum ad Cauponas, vbi gulæ indulgeri ſolet. Sed hoc malum leuiùs iam factum eſt frequentia. Quæ autem parua videntur, & frequentia ſunt, non oportet pœna excommunicationis ſanciri: ne homines contemnere leges aſſueſcant: tempore autem apoſtolorum grauiùs erat, & rariùs, idcirco hæc pœna par culpæ eſſe videbatur: quàm quidem diſciplina illius temporis requirebat.

Quomodo ex eo quod Magdeburgenſes in prima centuria confitentur. & quod Paulus ad Corinthios ſcripſit, conuincatur, leges eccleſiaſticas ordinis, ac decori datas eſſe ab Apoſtolis. item ſigillatim de quibuſdam canonibus Apoſtolorum, quos ex loco apoſtoli ad Corinthios neceſſariò concluditur, ab Apoſtolis traditos eſſe, & vnde nati ſint canones iſti. & quis eorum finis & vſus. rurſus ſigillatim de aliis canonibus apoſtolorum pertinentibus ad locum apoſtoli in epiſtola ad Corinthios de myſterio ſacræ eucharyſtiæ, ritè celebrando, & quid in eo Corinthii peccarent auctore Cyrillo, & quomodo id Paulus, & canon Apoſtolorum correxerit. Cur apoſtoli omnes canones eccleſiaſticos, quos poſteà Synodi conſecutæ, tanquam eccleſiæ neceſſarios, ediderunt, non compoſuerunt & de exemplo Platonis rationi conſentaneo, & quorſum ſpectent leges eccleſiaſticæ inſtar legum ciuilium. & quid de eis diuinus Plato ſcripſerit, & quomodo qui canones Apoſtolorum negare audent, plus Platoni, id eſt, rationi naturali, quàm Apoſtolis ab ſpiritu Sancto eruditis tribuant. Cap. 29.

SEd age iam, quo magis veritas canonũ apoſtolicorum appareat, operæpretium eſt, vt ſigillatim de quibuſdam explicemus. Cùm igitur Magdeburgenſes libro ſecundo centuriæ primæ, cap.. apoſtolos confiteantur cerimonias ad ædificatronem eccleſiæ, & ab bonum ordinem, ac decorũ ordinaſſe, ad idque probandum locum citent ex cap. 17. epiſtolæ prioris ad Corinthios, qui eſt totus de or-

dine loquendi linguis in eccleſia, & prophetandi, ſiue interpretandi, vt tunc ratio, & vſus ac neceſſitas eiuſmodi chariſmatum, quæ erant frequentia, poſcebat, percunctemur eos, an credant, fuiſſe tunc alia à ſanctis apoſtolis ordinata ad ordinem, & decorum, vt ipſi dicunt neceſſaria? quę omnia ſatis impropriè cerimonias iidem vocant: cerimoniæ enim ad cultum Dei adhibentur aliud autem eſt cultus Dei: aliud ordo, & decorum eorum, quæ in eccleſia fiunt, quod latiùs patet: quare aliud eſt conſtitutio cerimoniarum: aliud conſtitutio ordinis & decori: profectò non poſſunt negare, ordinaſſe alia, præſertim cùm ipſe idem apoſtolus totum illum locum his verbis cōcludat: omnia autem honeſtè ſiue decenter fiant in vobis, id eſt, in veſtra eccleſia, de iis enim, quæ in eccleſia fieri debent, loquebatur Atqui omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fieri non poterant in eccleſia, ſine legibus eccleſiaſticis, ſicut nec in ciuitate, ſine legibus ciuilibus. Vnde diuinus Plato, vt ſuprà iterum memini, ſic in lib. 6 vim ingenii, & naturalis intelligentiæ, ac rationis ſecutus, ſcripſit: Quicquid in ciuitate ordine, & lege fit, multa bona parit: ordine, & lege fieri dixit, quod vtrunque ex altero conſtet, in lege enim conſiſtit conſeruatio ordinis: & in conſeruatione ordinis lex viget. Subiungit deinde Plato. cætera verò, quæ vel ordine carent, vel malè diſpoſita ſunt, multa ex eis, quæ rectè ſunt conſtituta, diſturbant. Ergo omnia decenter, & ordine facere, quomodo poterant Corinthij, quod eis Paulus præcipiebat, niſi quæ ratio ordinis ac decentiæ eſſet, didiciſſent? aut quomodo hoc diſcere ſine magiſtro potuiſſent, id eſt, niſi compoſitio ordinis & decori à magiſtro eodēque apoſtolo Paulo illis tradita fuiſſet? An in monaſterio nouitij niſi à præpoſito regulas monaſticæ conuerſationis accipiant, omnia in monaſterio honeſtè, & ſecundum ordinem vnquam facient? aut in ciuitate magiſtratus, iudices, & reliqui ordines ciuium, ſi & inſtitutis, & conſuetudinibus, & legibus careant, quid deceat, quid ordo poſtulet, & quid non, ſcire poterunt? Quis hoc dicat, niſi ſenſu communi careat? niſi volumus, poſitum eſſe decorum, & ordinem in opinione cuiuſque,

Quomodo cogūtur Magd. confiteri. conſtituiſſe apoſtolos alia etiam ad gubernationē eccleſiæ pertinentia, præter ea, quæ ad ordinem & decorū ſpectabāt, quæ ipſi ſponte ſua concedunt.

quo nihil ſtultiùs: & non potius ratione, & certo iudicio conſtare. An igitur neceſſarium fuit, ne quid tunc in eccleſia confuſum eſſet, vt apoſtolus in chariſmate linguarum in eccleſia vtendo modum, & ordinem cauſa pacis conſeruandæ præſcriberet, & non fuit neceſſarium, vt multa alia, quæ ſemper in eccleſia futura erãt, ita etiam compoſita, & ordinata eſſent, vt ſublata confuſione & decoro atque ordine ſeruato, pax eſſet? An minus, quàm illud, neceſſarium erat, vt aliquid exempli cauſa dicamus, ordinare, vt eſt in 14. canone apoſtolorũ ne liceret Epiſcopo, relicta parœcia ſua ſiue diœceſi, ad aliam proſilire, quamuis multi eum cogerent? niſi aliqua cauſa probabilis impelleret, vt ſi plus vtilitatis in religione illic afferre poſſet, idque non ſponte ſua, ſed iudicio multorum Epiſcoporum ac maximo hortatu. Hæc enim eſt eccleſiaſtica lex apoſtolorum, ſanctiſſima illa quidem & ſaluberrima: quæ, & modũ ponit ambitioni Epiſcoporum, qua nihil poteſt eſſe eccleſiæ pernicioſius: & iuſtas Epiſcoporum tranſlationes ab iniuſtis diſtinguit. Hanc legem Synodus Antiochena, vt valde neceſſariam, nequando obſoleſceret, renouauit. Rurſus, an non erat à pace, obediẽtia, modeſtia, ordine, & decoro alienum, ſi miniſtris eccleſiæ ſiue presbyteris, ſiue diaconis, ſiue aliis quibuſque clericis, relicta propria eccleſia, in qua ordinati, & conſtituti ſunt, licere, inuito Epiſcopo, ad aliam, morãdi ibi cauſa, ſe penitus transferre? & cùm reuocati eſſent, impunè non parerent? an, non erat pœna merita, vt qui in eccleſia ſua miniſtrare dedignati eſſent, & inuito Epiſcopo ſuo in aliena maluiſſent, miniſterio eccleſiaſtico prohiberentur? & in communione ac ſocietate, tanquam laici, haberentur? hoc continet proximus canon, cuius ſentẽtia in Nicena Synodo & Calcedonenſi confirmata eſt. immo ipſa Synodus Nicena hunc canonem apoſtolorum in canone ſuo 16. cauſa eum confirmandi citat, vt ſuprà loco ſuo docui. Et quid, ſi Epiſcopus, ad cuius eccleſiam migrarunt iſti, pœnam vacationis eis decretam pro nihilo ducens, eos inter clericos recipiat? an ordinem, & compoſitionem eccleſiæ non turbabit? imò maximè. hoc ergo cauet canon, qui ſequitur, qui

De quibuſdam canonib ſigillatim, quos ab Apoſtolis neceſſariò traditos eſſe, ex loco Apoſtoli à Magdeb. citato planè conuincitur.

Can. Apoſt. 14.

Can. Apoſt. 16.

communionem huic Epiſcopo interdicit,vt,qui ſit(inquit) διδάσκαλος ἀτάξίας, id eſt, qui docet, non ſeruare ordinem.Satis hic canon verbo ipſo ἀταξίας,quæ eſt in ea ipſa re,quam prohibet,ſignificauit, pertinere, quod iubet ad ordinem,de quo Paulus dixit, omnia honeſtè,& ſecundum ordinem fiant in vobis.An non fuerit abſurdum , ſi quis putet,aut hoc malum non vidiſſe apoſtolos. neque cogitaſſe,quaſi non eſſet in promptu, & vt dicitur,ante pedes?aut vidiſſe quidem,ſed,medicina vt fieret,poſteris reliquiſſe,ac reſeruaſſe,id eſt, Nicenis patribus?vt iam trecentis annis , & amplius nullas eccleſiaſticas leges, horum vitiorum emendatrices habuiſſet eccleſia. Illud verò omnium abſurdiſſimum eſt, cùm has leges canonicas ſanctorum apoſtolorum eccleſia habeat,quas nullus recordetur, nec audierit non habuiſſe antea, & quas ſemper catholici per cunctum Orientem, & Occidentē coluerunt, & in eis quicquā nouare ſemper veriti ſunt, eas tamen heſterni iſti , ſiue hodierni hiſtorici poëtici negare auſi ſunt. Sed obſeruemus rurſus alia,quæ ad temperationem eccleſiæ,& ordinis ac decori compoſitionem , & pacem omnino neceſſarium fuit , vt ſancti apoſtoli prouiderent , vt quidem prouiderunt. Si enim Epiſcopus,aut presbyter,aut diaconus meritò propter crimen miniſterio eccleſiaſtico prohibitus,rurſus illud impunè auctoritate ſua tractare auderet, ecquid inſolentiùs , aut eccleſiæ magis peſtiferū , quā nō poſſe ouē ſcabioſam à reliquo grege ſeparari,& poſſe contra,vnius exemplo multos perire? cùm potius oporteret vnius ſupplicio multos ſeruari. Eſt autem canon vigeſimusoctauus apoſtolorum,qui hoc ne fiat,cauet.Item ſi Epiſcopus à viris grauibus, & fide,atque auctoritate præditis de crimine aliquo accuſatus. & iterum & ſecundo ac tertio , à quibus audiendus eſſet,vocatus venire nollet , & lucrum ex declinatione iudicij reportaret , quid hac impunitate eſſe, aut cogitari poſſet iniquiùs,& peſtilētiùs?aut quæ rurſus magis ſalutaris lex eccleſiaſtica eſſe poterat , quàm ea , quæ hoc teterrimum malum emendet ? qui eſt canon apoſtolorum 74.qui illum vi,& minis cogit,vt vel ſe curari patiatur : vel ſi perire malit, eò pereunte mul-

Quid abſurdi cogantur Mag. concedere ſi hos canones Apoſt. negare pergāt.

Quid ſit omniū abſurdiſſimū in negandis apoſtol. canonibus.

Can. Apoſt. 28.

Can. Apoſt. 74.

Can. apoſt. 75. ti ſeruentur. Canon, qui proximè ſequitur, prohibet, ne hæreticus aduerſus Epiſcopum teſtimoniū dicat: imò

Cur non ſit habenda fides teſti hæretico. neque vnus fidelis, quia ſcriptum ſit, in ore duorum vel trium ſtabit omne verbum. De teſtimonio autem hæretici reiiciendo hæc ratio habenda eſt: in quo enim fuit, ſicut apoſtolus ait, cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, & fallacia peccati obduruit, quomodo credendum eſt, non eſſe ei cor diſcedendi etiam à fide teſtimonij? qui, inquam, fidem Deo non ſeruauit, quis credat, ſeruare velle homini? ab iis enim ait Archadius ſiue Chariſius iuriſconſultus exigendum eſt teſtimonium, quorum fides non vacillat. Satis verò in reliquis illa fides vacillat, quæ in religione iam lapſa eſt. De numero autem teſtium, ſi apoſtolus ad Timothæū ſcripſit, aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. quantò magis hoc apoſtoli in accuſatione Epiſcopi, qui presbytero eſt maior, eccleſiaſtica lege ſancire debuerūt. Eſſe enim presbyterum minorem Epiſcopo, licet presbyteri nomen commune alioqui ſit vtriuſque, vel hic locus epiſtolæ ad Timothæum neceſſariò conuincit, non enim poteſt alterius iudex eſſe, qui non ſit eo ſuperior. Iam canon 29. cur ab iſtis apoſtolorum eſſe negatur, qui eum, qui nummis obtinuit, vt Epiſcopus, aut presbyter fieret, ſic punit, vt Petrus Simonem Magum? item canon, qui presbyterum, ſi Epiſcopo ſuo catholico contempto, coitionem facit, & aram ſeorſum tyrānicè ponit, igne anathematis plectit, ſicut Deus verò igne illos ducentos quinquaginta, qui in illa aduerſus Moyſem, & Aaron ſeditione incenſum obtulerunt, Cur à Magdeburgenſibus Apoſtolorum eſſe non creditur? Longum fieret, ſi vellem per ſingulos canones pergere, quos ſancti apoſtoli, vt pax in eccleſia conſeruaretur, & omnia honeſtè, & ſecundum ordinem in ea fierent, compoſuerunt. Inde enim nati ſunt, & hic eorum finis præſtantiſſimus, & vſus ſummè neceſſarius, atque vberrimus fructus. Quare, etſi hæc pauca propoſito ſufficere poterant, tamen, quia illa honeſtè, & ordine in eccleſia fiunt, quæ eccleſiaſticis canonibus ſiue legibus diſpoſita ſunt, tangam adhuc paucos alios ex eorum numero,

Hebr. c. 3.

Quomodo ex apoſtolo conſtet, eſſe presbyterū minorem Epiſcopo.

Can. Apoſt. 29.

Origo, & finis ac fructus canonum.

mero, quos idem apoſtolus in eadem epiſtola ad Corinthios paulò ante ſignificauit. Poſtquàm enim Corinthios correxit, qui, vt ſuprà explicaui, contra inſtitutionem Domini δομοθοινίας, id eſt, cœnas populares pro communione ſacra, in eccleſia faciebant, niſi enim in Domini inſtitutionem illi peccaſſent, non opus fuiſſet Apoſtolo, illam repetere, ſi quidem non repetita, corrigi poterat. quod inuicem non expectabant ad concœnandum, ſi hoc ſolùm peccabant, hoc, inquam, poſtquàm correxit, & qua conſcientiæ præparatione dignè communicandum eſſet, & quo ordine ac modo concœnandum admonuit, ſubiungit, cætera autem, cùm venero diſponam. Interrogemus hic iterum Magdeb. quænam ſuſpicantur, eſſe illa cætera, quæ apoſtolus dicit, quæ eodem pertinebant? habemus enim nos in his eccleſiaſticis legibus non pauca ad huius magni myſterij adminiſtrationem, & cultum ritè adhibendum diuinè diſpoſita, & conſtituta, vt illud, ne quid Epiſcopus aut presbyter præter inſtitutum Domini ſuper altare offerat. hoc autem inſtitutum in euangelio continetur: & Paulus repetit, cùm ait, ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, & quæ ſequuntur, de pane tãtum & calice offerendis. Canon verò eccleſiaſticus apoſtolorum pœna ſancit ſi ſacerdos, quo tempore in ſpecie panis & vini ſacrificium incruentum facit, quicquam aliud ſuper aram offerat, vt Corinthij: qui non ſolùm hoc peccabant in eccleſia, quod peracto ſacrificio, cum in eccleſia ad manducandum conueniebant, non inuicem expectabant, ſed illud etiam, quod eos cibos, quos communi menſæ adhibebant, in altari vnà cum myſtico ſacrificio per ſacerdotes præter inſtitutionem Domini offerebant. Vnde vſque ad tempora ſextæ Synodi Conſtantinopoli in Trullo habitæ cùm in multis eccleſiis ſacerdotes oblationi ſacrificij incruenti vuas adhiberent, quas poſtea ſimul cùm ſacra Euchariſtia populo diſtribuerent, conſuetudinem iſtam ab inſtituto Domini, & eccleſiaſtica lege ſanctorum apoſtolorum alienam, Canon ſextæ Synodi 28. canone prohibuit, & pœna ſanxit. Permittit autem canon apo-

De can. Apoſt. ad cultum myſtici ſacrificii pertinentibus qui ad eum locum referendi ſunt, cætera, cũ venero, diſponã.

Can. Apoſt. 3.

Quid Corinthii ab apoſtolo reprehendi in ſanctam Euchariſtiam præter inſtitutum Domini peccarent.

Quid ex illa praua conſuetudine Corinthiorum adhuc relictum Canon ſextæ Synodi prohibuerit.

ſtolorum offerre nouas ſpicas,& vuas,& legumina circũfuſa molis ad terẽdum, hoc eſt trita,hoc enim ſignificant χίδρα,vt beatus Cyrillus auctor eſt,ſic dicta, παρὰ τὸ τοῖς ἀλοῦσι μύλοις περιχεῖσθαι, quia (inquit)non ſumus ſoliti integris granis veſci,ſed tritis, vt ſint commoda ad veſcendum. At hæc quidem,non eo tempore cùm offertur ſacra Euchariſtia,offerre Deo licet,ſed alio,tanquam primitias frugum,ad agendum gratias ei, qui huiuſmodi fructuum munere corpora noſtra alit, & auget. Permittit item oleum ad lucernas eccleſiæ, & thus ad aram tempore oblationis offerre. hæc lex per vniuerſas eccleſias catholicorum Orientis,& Occidentis,vſque ad hodiernum diem religioſè ſeruatur,quę vt aliquando remitti queat,nulla neceſſitas, nec eccleſiaſtica vtilitas requirere poterit, vt Eutichianus Pontifex in extrema parte epiſtolæ ad Epiſcopos Beticę ſcripſit, vbi hunc canonem,vt anteà dixi, nomine Apoſtolorũ citauit. Percunctemur igitur Magdeburgenſes centuriatores,vnde eccleſia hanc legem accepit, quam conſuetudo confirmauit? cui ſcriptura beati Pauli patrocinatur? quæ ratione eccleſiaſticæ vtilitatis,ac fide defenditur? vnde,inquam,niſi à ſanctis apoſtolis,qui eccleſiæ catholicæ adminiſtrationem eccleſiaſticis legibus,quas canones, vt ſæpe dixi,nominarunt,conſtituerunt,vt eſſent omnia decenter,& ordinatè diſpoſita. Sed reddamus alia legibus apoſtolorum ſancita, ad propoſitum locum apta,de iis,quæ ad myſterium ſacræ Euchariſtię ritè in eccleſia celebrandum pertinebant, de quibus apoſtolus cùm ageret, cætera dixit,ſe, cùm ad Corinthios veniret,diſpoſiturum. An non pertinebat eo vt pœna ſanciretur, vt quidem canone 8. ſancitum eſt, ſi Epiſcopus,aut preſbyter,aut diaconus,aut alius quiuis ex ordine clericorum, cùm communicandum eſſet, non communicaret: neque tamen cauſam iuſtæ excuſationis afferret? An ſi hoc eis impunè liceret, hoc exemplo populum à communione non auocarent? & ſuſpicionem in ſe,cùm ſacrificium faciunt, mouerent, quaſi non ritè ſacrificaſſent? quantùm hic ſcandali, & periculum ruinæ animarum? an igitur minùs neceſſarium erat,vt hanc quoque ſuam, & aliorum apoſtolo-

Can. Apoſt. 8.

rum eccleſiaſticam legem Paulus Corinthiis daret, cùm cætera ad eos profectus,vt promiſit, diſpoſiturus erat,quàm eam,quæ dicta eſt, de illis ſcilicet ſpeciebus in ara tempore ſacrificij ſolùm offerendis,quas Dominus cõſtituiſſet? Præterea,ſi fideles in eccleſiam ingreſſi, poſtquam ibi in eccleſiaſtico conuentu ad ſacrificiũ, ſcripturas,id eſt lectionem epiſtolæ, aut prophetiæ, & euangelij audierunt, ſtatim recederent, cùm nulla neceſſitas cogeret non permanere in oratione, & communione,an non eſſet hæc ἀταξία? ſic enim canon Apoſtolorum 9.qui id vetat,vocat: id eſt,perturbatio ordinis eccleſiæ. Quis hoc negare poteſt aut dubitare? dignus ergo eſt hic canon ſanctis apoſtolis;& ad illa maximè pertinens,quæ Paulus ſcripſit ſe diſpoſiturum de eccleſiæ ordine in ſacræ Euchariſtiæ myſterio ritè colendo,& tractando,de hoc enim, vt ſæpe dixi, agebat. Ad hæc, cùm ij,qui propter peccatum aliquod graue, ex eccleſia eiiciuntur, vt primi parentes ex paradiſo eiecti ſunt,quia is,qui eccleſiæ præeſt,indignos eos participatione ſanctorum myſteriorum, quæ in eccleſia celebrantur,publicè iudicauit, ſi quis poſteà vna cùm eis,aut in eccleſia,aut domi oraret, quos adhuc gladius ignis, quæ eſt excommunicatio, eccleſia prohibet, vt primos parentes ille gladius flammeus, & Cherubin, qui ante paradiſum voluptatis ad cuſtodiendam viam ligni vitæ collocatus fuit, ingreſſu paradiſi prohibebant, an non iudicium eccleſiæ improbare iſte videretur? & ſapientior eſſe velle quàm Cherubin? quod verbum multitudinem ſcientiæ ſignificat,vt qui hebraicè callent, interpretantur. nec hoc ſolum, ſed ipſi etiam excommunicato noceret, niſi eius communionem declinaret, vt nocet ægroto, qui ei medicinam fieri prohibet. idcirco enim ex eccleſia iſte eiectus eſt, vt, cùm vetatio iſta, ſiue declinatio multorum ſatis doloris attuliſſe iſti videatur, ſicut apoſtolus de inceſto illo Corinthio dixit, vt ſpiritus eius ſaluus ſit in die Domini, tunc in eccleſiam recipiatur. Neque verò in publica tantum eccleſia cùm illo orare eccleſiaſtica apoſtolorũ lex vetat,ſed domi etiam:quod vbicunq; ſunt duo,vel tres cõgregati in nomine Domini,

Can. Apoſt. 9.

2. *Cor. c* 1.

1. *Cor. c* 5.

Roma. 16. ibi eccleſia quædam priuata ac domeſtica ſit, vt Paulus in epiſtola ad Romanos vocat. Sed hæc hactenus. Opus enim eſſet integro libro, ſi propoſitum eſſet docere ſigillatim, quemadmodum hos eccleſiaſticos canones apoſtolorum partim ſcriptura defendat, partim ratio: vniuerſos verò priſca conſuetudo confirmet: & fides catholicorum omni tempore, vbique cuſtodierit. Has igitur eccleſiaſticas leges ſancti apoſtoli ciuitati Dei, id eſt eccleſiæ catholicæ, tanquam neceſſarias, reliquerunt, qui perfectè ab ſpiritu ſancto didicerant, quod ratio inſita diuinum Platonem vtcunque docere potuit. Sic enim lib. 4. de legibus, vt iterum repetam, ſcripſit, quicquid in ciuitate ex ordine, ac lege fit, omnia bona parit: alia verò, quæ vel ordine carent, vel malè diſpoſita ſunt, multa alia, quę ordinata ſunt diſſoluunt. Quis ergo ita cæcus, aut contentioſus ſit, quin ſanctos apoſtolos eccleſiæ ſanctæ legiſlatores multò hæc magis & conſideraſſe & prouidiſſe credat, & cõfiteatur? Rurſus Plato lib. 12. Illa (inquit) quæ ad leges pertinẽt, ſi rectè ſancita ſunt, præcipuam vim inter omnes diſciplinas, ad efficiẽdum meliorem, qui ea diſcat, habere poſſunt. Quæ quidem oportet, vt bonus iudex apud ſe, tanquã aliorum remedia, ſalutifera ſeruet, & his tum ſe, tum ciuitatem emendet: ac probos quidem in virtute firmet, atque augeat: prauos verò ab ignorantia & intemperantia ac timiditate, &, vt ſummatim dicam, ab omni iniquitate, quoad fieri poſſit, quicunque curabiles ſint, reuocet. Hanc verò tantam vim legum à ſpiritu ſancto diſcipulos, & apoſtolos non didiciſſe ſed potius ignoraſſe, vel neglexiſſe, quemadmodum credere par ſit: an non potius qui ſic cogitet, à ſenſu communi abhorrere videatur? Sed dicet fortaſſis aliquis iſtorum, qui vndecumque quærunt, quid in has eccleſiaſticas leges vtcunque obiiciant, Si leges eccleſiaſticas ſancti Apoſtoli dederunt, cur tam multa ſucceſſoribus ſancienda reliquerunt? cur potius ipſi, ſi ſemel leges dare cœperant, hanc partem abſolutam non reliquerunt? nec hoc quidem rationi conſentaneum erat, quod idem quoque Plato perſuadere iſtis poterit, ſi quid rationis habere voluerint. Sic enim ille libro 9. cùm non ignora-

Quanta eſſet vis legum à Platone explicatũ eſt, quod in legibus eccleſiaſticis, quæ canones ſunt, non ignorarunt apoſtoli.

ret, multa ſe prætermittere, vt ratio ac neceſſitas poſtulabat, Cùm iudicia (inquit) in ciuitate rectè, quantum fieri poteſt, conſtituta ſunt, ac iudices poſteà futuri, bene educati, & omni diligentia explorati erunt, multa ibi eiuſmodi iudicibus rectè, atque honeſtè committuntur, de iis, quæ alij aliis debeant, vt quid eos ſoluere, aut pati oporteat, iudicent. Nos verò non ſumus reprehendendi ſi de plurimis, eiſque maximis, non eis leges ſancimus, quæ iudices, parum alioqui eruditi, poſſint perſpicere, &, vt cuique culpæ par pœna irrogetur, facere. Igitur, quia, quibus leges damus, non exiſtimamus, eſſe eos huiuſmodi rerum iudices omnino imperitos, & ineptos, plurima illis committere nos oportet: imò, quod ſæpe, & dictum, & in ſuperioribus legibus à nobis factum eſt, deſcriptionem quandam, ac formam pœnarum proponimus, vt exempla iudicibus nunquã extra ius egrediendi præbeamus. Illud prætereà dicendum eſt, ſi, aut omnes natura ſua rectè, & compoſitè viuerent, aut in omnibus ſcientia eſſet, neque tunc, neque modo eccleſiaſticis legibus opus eſſet. nunc verò vtrunque falſum eſſe, non ſolùm Apoſtolus teſtatur, qui ait, legem nõ eſſe poſitam iuſtis, ſed iniuſtis, & peccatoribus, & in alio loco, non in omnibus ſcientiam eſſe, ſed etiam philoſophi, tametſi veritatem perfectè non cognouerunt. ſic enim princeps, & quaſi Deus eorum lib. 10. de legibus ait, quæ nos ad verbum interpretati ſumus. Nullus hominum eſt, cui ſit facultas à natura data cognoſcendi, quæ hominibus ad viuendum in Rep. conducunt, & poſtquam cognouerit, amplectendi, & perficiendi ea. ſi quis verò diuina ſorte, ea ingenij facultate natus eſſet, huic nullis legibus ad imperandum animo ſuo eſſet opus: nulla enim lex, aut ordo præſtantior quàm ſcientia eſt. non enim fas eſt, qui tali mente præditus ſit, vlli hũc parere, aut ſeruire, quin potius omnibus præeſſe, ſi verus eſt, & verè natura liber. nunc verò nullus hominum ſic eſt, ſed ex parte aliqua parua: quocirca ſecundus gradus eligendus eſt ordinis, & legis. Et paulò poſt, legum itaque (inquit) vt apparet, partim propter probos viros componuntur, vt eos doceant, qua conſuetudine, ac moribus vti de-

Quare apoſtoli non omnes eccleſiaſticos canones, qui poſteà editi ſunt, nobis tradiderunt.

beant, vt inter ſe ament: aliæ propter eos, qui diſciplinam fugiunt, & intractabili natura ſunt, nec vllam operam dant quin ad omne vitium tendant. Rectè hæc à Platone dicta ſunt, quæ, qui eccleſiaſticas leges apoſtolorum negant, ſi vidiſſe apoſtolos non concedunt, ſequitur, vt meliùs Platonem ciuitatem ſuam compoſuiſſe concedant, qui ordinem, & leges dedit, quàm apoſtolos eccleſiam, ac plus etiam φύσει ἀδιδάκτῳ tribuant, quàm ſpiritui ſancto omnis perfectæ ſapientiæ doctori, qui S. Apoſtolos erudiuit, vtrumque horum quàm ſit impium, miſeri ſunt iſti ſi ignorant: longè verò miſeriores, ſi intelligere nolunt. Sed, quia nimis multa hoc primo libro pro defendendis canonibus complexi ſumus, ordiamur iam ſecundum: vt defenſionem epiſtolarum priſcorum pontificum aduerſus eoſdem accuſatores, adiuuante Deo, patrono veritatis, aggrediamur.

Franciſci Turriani So-
CIETATIS IESV,

Aduerſus Magdeburgenſes Centuriatores pro Epiſtolis decretalibus Pontificum Apoſtolicorum,

LIBER SECVNDVS.

OMnia, quæ à Magdeburgenſibus in canones Apoſtolorum obiecta ſunt, tanquam nodos quoſdam libro primo Staniſlae Hoſi Cardinalis lectiſſimè, expediuimus, & diſſoluimus: tum quæ in iis ipſis canonibus, quos temerè reprehendebant, non intellexerunt, & de quibus alij non reprehendendi, ſed ſciendi cauſa quærere ſolent, explicauimus. Deinde teſtimonia veterum, quibus carere eos iactabant, permulta ex Synodis, ac ſanctis patribus produximus, & recitauimus. Ac tandem Apoſtolorum canones eſſe, quos negabant, pluribus rationibus, confirmauimus, & exemplis docuimus. Hoc ſecundo libro ad ea reſpondere aggrediemur, quæ in epiſtolas priſcorum atque Apoſtolicorum pontificum iidem Magdeburgenſes obiecerunt, vt vel fictas eſſe vel deprauatas probarent, neutrum enim, vt anteà dixi, conſcientia redarguente, aſſeuerare audent. Sic autem viſum eſſe iſtis, mirum videri non debet, vt olim Manichæis viſum eſt, nouum teſtamentum negare: Ebionitis Pau-

li epiſtolas: Marcioniſtis aliquas ex eis: & aliis hæreticis alia, vt eorum inſtitutio ex hæretica ratione ſuſcepta poſcere videbatur, præſertim cùm iam iſti epiſtolam Iacobi, & alios quoſdam libros veteris teſtamenti negarint. Illud verò magis mirum ſit, ſi qui exiſtant, quos tantillum accuſatione ſua moueant. De iis loquor, qui ingenio, eruditione, & diligentia præſtant: &(quod magis neceſſarium, & melius eſt) ad ſobrietatem ſapere volunt, non vlterius progredi cupientes, quàm quo ingenij acies, & lumen diuinum eis oſtenſum pertingũt. Hoc enim facere hominum eſt ingeniis non intemperanter abutẽtium, qui ex eis ſunt, quos propheta dicit, non ambulare ſuprà ſe, & apoſtolus interpretatus eſt, ſe ipſos in ſe metiri, & ſe ſecum comparare ſecundum menſurám regulæ, qua menſus eſt Dominus. Quid enim, ſi quædam in his epiſtolis quandoque occurrunt, (occurrunt autem perpauca) quæ non omnibus expedita ſint? an idcirco de earum auctoritate hi dubitarint? minimè: non magis quàm quia in epiſtolis Pauli quædam ſunt difficilia intellectu, vt beatus Petrus teſtatur, idcirco licere ſibi putent, ſuo iſta, & non ſenſu apoſtolicæ traditionis accipere. Quid enim tunc faciendum in difficilibus, & obſcuris, duobus verbis videtur mihi beatus Petrus in eodem loco diuinè admonuiſſe, cùm ait, deprauari iſta Pauli difficilia ab indoctis & inſtabilibus. Ergo quia non omnium eſt ſcientia, ſicut Apoſt. ait, diſcat prius, qui vult ſcripturas ſanctas non prauè interpretari Eſt autem prima diſcendi regula, vt interpretando, à fide eccleſiæ, & apoſtolicæ traditionis ſenſu non diſcedatur. vt quod ab initio auditum eſt, in nobis permaneat: & vt apoſtolus ait, ad quod prius venimus, (hoc enim ſignificat verbum Græcũ ἐφθάσαμεν) in eadem regula permaneamus, Quod qui non faciunt, hi ſunt indocti, & inſtabiles, quos beatus Petrus dixit. Liceat ergo mihi, aliquid ſimile de his pontificum epiſtolis dicere: nihil enim prohibet minora cum maioribus conferre, cùm aliud ſit conferre: aliud æquare, quod nõ facimus itaq; ſi quis non intelligit, quemadmodũ epiſtola Clementis ad Iacobũ fratrem Domini ante annos 8. iam mortuũ ſcribi potuerit: quomodo ſanctus Ana-

Rom. c.12. Pſal. 130. 2. Cor. 10. 2. Pet. 3. 1. Cor 8. 1. Cor. 2. Col. 3.

cletus alioqui eruditus, Cephas interpretatus eſt caput: quomodo beatus Petrus primitiæ Apoſtolorum fuerit, cùm ſit Andreas frater eius prius ad apoſtolatum vocatus: quomodo Epiſcopus cũ laicis ſæculares cauſas iudicet: hæc inquam, & ſi quæ alia huiuſmodi ſunt, qui per ſe non aſſequitur, ſi eſt ex iis, quos paulò ante dicebam modeſtos, & temperatos, ab aliis quærit: & ſe interim intra modum ſuum continet. Neque diſcedit ab eo, quod in eccleſia ferri, & in eam emanaſſe iam olim ſcit: & ipſe ſi quid dicat, cùm alij, ſicut Apoſt. ait, reuelatum fuerit ſedenti, prior tacet: poteſtis enim (inquit) per ſingulos prophetare. Quare ſi qui, quod ipſi ignorant, alios non putant interpretari poſſe, nec aliis credũt poſſe reuelari, iſti ſunt, qui nolunt per ſingulos prophetare: quin potius quod in omnibus eccleſiis docetur facilè relinquunt, vt ſuas prophetias ſequantur: atq; ita ex Deo pacis Deum faciunt diſſenſionis, quod noſtra hac ætate Luteranis, & ex eorum grege Magdeburgenſibus centuriatoribus eueniſſe videmus. Acceſſimus ergo ad defenſionem epiſtolarum non propter eos, de quibus dixi, magis mirum eſſe, ſi ipſi tantillum iſtorum accuſatione moueantur. non defendimus, inquam eos, qui armis ſpiritualibus benè tecti, atque muniti ſunt, doctrina, diligentia, ingenij temperantia prudentia, & ſanitate fidei. Sed inermes, & imprudentes defendimus: in quibus iſtorum tela vel iam hæſerunt, vel periculum eſt, ne aliquando hæreant, vt ea partim extrahamus: partim depellamus. Ac quia Magdeburgenſes in proœmio accuſationis ſuæ prudẽter eos facere dicunt, qui, quia de multis & magnis rebus ex epiſtolis veterum, & apoſtolicorum pontificum teſtimonia proferuntur, non prius fidem teſtimoniis adhibent, quàm ad normam veritatis & fidei ſingula examinarint, pari ratione, ac iſtorum etiam ſententia prudenter item ij faciunt, qui non prius earum accuſatoribus fidem adhibent, quàm ſingula, quæ accuſant ad eãdem normã veritatis & fidei examinarint. Quod quidem quia nos iam fecimus, conſilium & rationem iſtorum ſecuti, id eſt, quia ſingula diligenti ſtudio examinauimus, rationes examinationis noſtræ in medio

1. Cor. 14.

Quæ cauſæ fuerint reſpondēdi Magd.

ponemus, ne iam, ſicut beatus Martyr Cyprianus Demetriano reſpondit, non verecundiæ ſed diffidentiæ eſſe incipiat, quod tacemus: & dum criminationes falſas refutare contemnimus, crimen agnoſcere illis fortaſſe videamur. Deinde vt ſi quos ex imperitis ſuis cōmentis in eundem errorem induxerunt, oſtenſa luce veritatis ad rectum ſenſum reuocentur: vt enim idem Cyprianus contra eundem Demetrianum mendaciis quoque decipientem ſcripſit, qui ad malum motus eſt mendacio fallente, multo magis ad bonum mouebitur veritate cogente. Poſtremò vt iſtis reuictis, & confuſis, lingua ſaltem in ſanctiſſimas epiſtolas & veriſſimas, ſuiſque auctoribus, id eſt, apoſtolis digniſſimas obmuteſcat. Sequimur itaque in præſentia, quod beatus Hieronymus in præfatione commentariorum epi. ad Titum facturum ſe fuiſſe dicit aduerſus eos, qui hæretica, vt ille ait, auctoritate hanc epiſtolam Pauli eſſe, illam non eſſe pronunciare audebant: ſi redderent inquit, cauſas cur eas Apoſtoli eſſe non putarent, tentaremus aliquid reſpondere. Igitur quia Magdeburgenſes cauſas reddiderunt cur has epiſtolas falſas eſſe crederent, reſpondebimus nos ad eas omnes cauſas quas finxerunt, ex craſſo habitu orationis, ex ſuſpitioſa ſimilitudine argumentorum, ex ſcripturis violentè citatis, ex indoctis interpretationibus, ex perplexis ac contrariis, ex formulis citationum non cohærentibus, ex repugnantia temporum, ex falſitate hiſtoriæ, ex alienis ritibus, ex corruptela dogmatum, & aliis huiuſmodi commentis, & præſtigiis. Sed illud rurſus lectores admonēdos eſſe putaui, quod in proemio libri primi in vniuerſum attigi, quid tandem ſit, quod Magdeburgenſibus, vt has epiſtolas negarent, in mentem venit: epiſtolas dico, antiquitate ſua, & totius mundi reuerentia conſecratas, omni grauitate, doctrina & ſanctitate refertas, & teſtimonio ac vſu poſteritatis omnium ſæculorum confirmatas Clementis, Anacleti, Euariſti, Alexandri, Sixti, Teleſphori, Higinij, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutherij, Victoris. Ita enim fiet vt libentius attentiúſque hæc legant: & Magdeburgenſiū malitiam & præceps conſilium magis agnoſcant. Etenim

Quid Magd. in mentem venerit, vt has epiſtolas negarent.

quia in his epiſt. earum auctores quædam à ſanctis apoſtolis, quos partim ipſos, partim eorum diſcipulos audierunt, tradita eſſe clariſſima voce teſtantur, vt de honore Epiſcoporum, & erga eos reuerentia, de eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradibus de appellationibus ad ſedem Romanam, de Pontificis Romani principatu: tum non pauca de dogmatibus, quæ ab aliis, quàm ab Apoſtolis, didiciſſe non potuerunt, vt de ſacerdotio de cœlibatu, de pœnitentia, & ſatisfactione, de ſacrificio Miſſæ, de iuſtificatione ex fide & operibus, de orando pro mortuis, de ſtatutis eccleſiaſticis, aliiſque, quibus ſe iugulari ſentiebant, in has anguſtias compulſi, ſic ſecum cogitarunt, aut negandas eſſe Apoſtolicorum Pontificum epiſtolas, aut Apoſtolos. Quorum alterum quia Ebionis & ſimilium eſſe videbatur, alterum acti præcipites elegerunt. Ex quo factum eſt, vt, quanto poſſent ſtudio, quærerent, non ſolum quid in iis ipſis epiſtolis intelligerent, quod eis non probaretur, ſed etiam quid non intelligerent: vt, ſicut Apoſtolus Iudas de quibuſdam hæreticis dixit, id omne blaſphemarent. Nos igitur nunc adiuuante Dei gratia, vtrunque faciemus, &, quæ illis non probantur, defendemus: &, quæ ignorarunt, à praua interpretatione, & ſenſu vindicabimus. poſtremo loco, vt inſtitutio ſcribendi à ratione ſuſcepta poſtulat, poſtquam ad ea, quæ in epiſtolas obiiciuntur, reſponſum erit, multiplici genere teſtimoniorum aliiſque argumentis veritatem earum confirmabimus. vt tandem intelligãt omnes, veriſſimas eſſe epiſtolas, & ſuis auctoribus grauiſſimis ac ſanctiſſimis valde dignas: Magdeburgenſes verò non ſolum inſcitiæ, ſed, quod grauius eſt, malitiæ conſcientia teneri cõſtrictos.

De ſimilitudine, quam Magd. in epiſtolas pontificum Apoſtolicorum obiiciunt, ſtyli, argumenti, & materiæ: & de charactere epiſtolæ primæ Clementis collato cum charactere librorum eiuſdem Clementis de conſtitutionibus Apoſtolorum. Caput I.

INcipiamus igitur reſpondere, atque eo quidem ordine, quo iſti accuſarunt, non ab arte profectò, ſed ad iudicium eorũ accommodato, qui, quæ infirmiora erant & leuiora, imò infirmiſſima, & leuiſſima, & vix reſpõſione digna de ſtyli ſimilitudine, in primis accuſationis ſuæ partibus, tanquam in prima acie, vt rudes cẽturiones, collocanda eſſe putauerunt. Etenim ſi primo loco, alioqui infirmiſſimo, diſſimilitudinem potius ſtyli contra epiſtolas obieciſſent, videri fortaſſe poterant, quod inde accuſationem orſi eſſent, non omnino ſine artificio feciſſe. Stylus enim, etſi non ſemper certus index, præſertim in quibuſdam auctoribus, veri operis eſſe ſolet, quo ad diſcernendos veros libros à falſis ſæpe vti conſueuimus, vt à quibuſdam in Tertulliano, Cypriano, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino & aliis eſt factum. eſt enim aliquando ſtylus auctoris ſui ita proprius, vt facile ex eo, & quidem mediocri, iudicio opus eius dignoſci poſſit, vt in Tertulliano, Apuleio, Plinio maiore, Tranquillo, atque aliis eiuſmodi, ne omnes enumerem. Sed quia ab iis Pontificibus, quorum iſti epiſtolas negant, nihil præter eas ipſas epiſtolas ſcriptum habemus, relicta diſſimilitudine ſtyli, quæ ob hanc cauſam obiici non potuit, ad ſimilitudinem ſtyli, argumenti & materiæ ridiculè ſe tranſtulerunt: tametſi in vna epiſtola Clementis, quam iidem omnibus machinis & totis viribus oppugnant, ſimilitudinem ſtyli cum aliis libris eiuſdem auctoris, qui adhuc extant Græcè ſcripti, conferre licet. Quæ tanta quidem eſt, vt parum ſe in Græcis litteris profeciſſe demonſtret, qui eiuſdem auctoris eſſe non ſtatim iudicet: idque ſi non ſolum ſermonẽ, ſed etiam doctrinam ſimul cõferat, in his enim duobus cernitur character eius. Vnde ſanctus Epiphanius de iis libris à Clemente Romano compoſitis, qui de Periodis Petri ſunt inſcripti, quos, vt ille ait, paucis relictis integris, totas Ebionæi deprauauerunt, Ipſe, inquit, Clemens, iis epiſtolis, quas ſcripſit ἐγκυκλίους, quæ in ſanctis eccleſiis leguntur, eos in omnibus redarguit: quia alium Characterem fides eius & ſermo habet, quàm ea, quæ illi nomine Clementis corrupe-

Styli epiſtolæ Clem. collatio cum libris eiuſdem de conſt. apoſt.

runt. in epiſtolis enim virginitatem docet, quam illi non probant: Clemens Eliam, Dauid Sampſonem, & omnes prophetas laudat, quos Ebionæi execrantur. Hactenus Epiph. eadem nunc ratione Clementis epiſtolam iudicare licet, eiuſdem eſſe, quod doctrina eius, & ſermo eundem characterem habeat, quem ij libri, quos περὶ διατάξεων ἀποστολικῶν eundem ſcripſiſſe, teſtes ſunt omnes antiqui patres, quicunque eos nouerunt, nouerũt autem quamplurimi, quos ego alio loco nominaui. In hac ergo epiſtola, ſcribit in perſona Petri, quæ ab eo præcepta acceperit, cùm ordinatus eſt Epiſcopus. μήτε ἐγγυητὴν γινόμενον μήτε συνήγορον, μὴ δὲ ἑτέρῳ τινὶ βιωτικῷ παρεμπεπλεγμένον πράγματι. οὐ γὰρ κριτὴν καὶ δικαστὴν χρημάτων ἢ ἀσχολημάτων καθιστάναι σε θέλει τῶν βιωτικῶν πραγμάτων ὁ χριστός. interpretemur latinè. Te, inquit, oportet, neque ſponſorem eſſe, neque aduocatum, nec alio quopiam negotio ſæculari implicari, nõ enim vult Chriſtus pecuniarum, aut rerum huius ſæculi te iudicem fieri. in ſecundo verò libro τῶν διατάξεων, ſic ait, μὴ ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις συμπλεκόμενος, μὴ ἐγγυώμενός τινα, ἢ συνηγορῶν δίκαις χρηματικαῖς, i. ne Epiſc. negotiis vitæ implicet: ne pro aliis ſpondeat: ne controuerſiarum de pecuniis patrocinium ſuſcipiat. Item præcipit hæc epiſtola Clementis presbyteris, curare, vt tempeſtiuè iuuenes matrimonia ineant, vt iuuenilis libidinis laqueos anticipent. πρὸ πάντων ait, τοὺς νέους πρὸς γάμον ζευγνύτωσαν ἐν τάχει, προλαμβάνοντες τῆς νεαζούσης ἐπιθυμίας τὰ παγιδεύματα. idẽ ac ſimilibus verbis præcipit liber eius quartus περὶ διατάξεων σπουδάζετε, inquit, ὥρᾳ γάμου ζευγνύναι καὶ συναλλάσσειν αὐτοὺς, ἵνα μὴ τῆς ἡλικίας ἐν τῇ ἀκμῇ ζεούσης ἔθει πορνικῷ περιπέσωσι· ἀποβῇ. id eſt dare operam, vt tempore ad cõiugium maturo, eos matrimonio iungatis, ne, in ipſo flore ætatis feruefcẽtis, ſe meretricum conſuetudini dedãt. rurſus hæc epiſtola presbyteris præcipit, τοῖς μὲν ὀρφανοῖς ποιεῖν τὰ γονέων: ταῖς δὲ χήραις τὰ ἀνδρῶν παρέχειν: τοῖς ἀκμαίοις τοὺς γάμους, καὶ τοῖς ἀνέργοις τέχνας διὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἐννοεῖν τὰς προφάσεις τῆς ἀναγκαίας τροφῆς. id eſt. pupillis quidẽ facere, quæ eorum parentes facere decet, viduis verò præbere, quæ maritos: maturis coniugio cõiuges dare:

curare etiam,vt eorũ filij exercendis artificiis victũ neceſſarium parent:item præbere opus artifici: imbecillo ad laborandum,miſericordiam eadem, & eiſdem fere verbis,idem liber quartus Clementis præcipit, conferat,qui volet.Poſſem equidem plures alios locos ſimiles conferre,ſi opus eſſet,in quibus eadem & doctrinæ & ſermonis cernitur forma,quæ character dicitur Sed ne longior ſim,ſint hæc ſatis : præſertim cùm idẽ Clemens in hac epiſtola eſſe libros ſuos περὶ διατάξεων nõ obſcurè ſignificet,cùm in perſona Petri de iniuſto concubitu loquẽs,quã graue peccatum ſit,ſubiungit, ac libidinis quidẽ plura ſunt genera,vt ipſe Clemens vobis exponet,hoc autem fecit lib.6.cap.28.Hactenus de ſimilitudine ſtyli epiſtolæ Clem.cum libris eius de cõſtitutionibus Apoſtolorũ collata.Reliquas verò aliorũ pontificum epiſtolas iidem Magdeburgenſes negant, quia ex ſimilitudine characteris ſuorum auctorũ eſſe, quorum feruntur,probare non poſſumus,quia,vt antè dixi,alia eorũ ſcripta non habemus. ſed ſatis hoc probaſſe videbimur,ſi ad ea,quæ iſtos mouent,ita reſpondeamus,vt ex eis potius ipſarũ epiſt.ſapiẽtia, grauitas, & auctoritas appareat : præſertim ſi refutatis criminibus, grauiſſimã teſtium noſtrorum confirmationẽ ſuo loco inſuper adhibeamus. Primum igitur, ſi ſtyli ſimilitudo,& argumenti,ac materiæ,vt iſti aiunt,ad arguẽdam falſitatem epiſtolarum ſanctiſſimarum eorũ iudicio valere debet, quia, inquiunt, de primatu Petri, & Regno eccleſiæ Rom. de ordinatione Epiſcoporũ, de nõ lædendis,accuſandis, deponendis ſacerdotibus, itẽ de appellationibus ad ſedẽ apoſtolicam ſcribunt,conſequens eſt,vt epiſtolæ quoq; Pauli,Petri, Iacobi fictæ videãtur propter ſimilitudinẽ ſimplicis characteris, ac ſimilitudinẽ interdum dogmaticam ,& parænetică de diuitibus,de mãſuetudine,de caſtitate,de moderatione ſermonis, de charitate erga omnes , de conuerſatione honeſta ſine contentione,abſque iactantia humanę ſapientiæ,de pœnitentia ad ſalutem,& de nõ iudicando proximum,de tolerantia tentatione,de piè viuendo ad vtilitatẽ eorum, qui foris ſunt in gloriam Dei,de obediendo magiſtratibus , de amore fraternitatis de tole-

Vbi Clemẽs in epiſ.1. ſignificet de libris ſuis de conſt.apoſt.

Quanta ſimilitudo ſtyli,argumenti,& materiæ in epiſt. apoſtolorum.

rantia perſecutionum propter Deum, de viris & vxoribus, parentibus & filiis, dominis & ſeruis. Sed quid de antiquis pontificibus loquor? immo dicant iſti omniũ memoriæ noſtrę pontificum epiſtolas non eſſe eorum, quia mira in eis cernitur ſtyli, materiæ, & argumenti ſimilitudo. Negent iſta omnia, quæ in publicis tabulariis ciuitatum & ſcriniis ſeruantur, quod in ipſis actis, & proceſsibus, vt vocant, mira item ſit ſimilitudo ſtyli, materiæ & cauſarum, mutatis perſonis, temporibus & locis. immo, vt iſti alio exemplo familiari de imprudentia ridiculè magis adhuc redarguantur, dicant quæcũque ad imitationem vnius exempli à pluribus ſcribuntur, non eſſe plurium eorum, qui ſcripſerunt, ſed vnius neſcio cuius, qui ab illis ſcripta eſſe ſimulauit. Immo illud quoque ad ſimilitudinem ſtyli & argumenti, quã obiiciunt, addere potuerunt, quod ſæpe eaſdem ſententias primorũ Pontificũ Apoſtolicorũ, & eiſdẽ fere verbis poſteriores pontifices in epiſtolis ſuis vſurparunt, Clementis Anacletus: vtriuſque horũ Euariſtus horũ triũ Alexander, & deinceps, ac aliorũ etiam ſęculorum Põtifices illas ipſas ſentẽtias, vt ſacræ & apoſtolicæ traditionis, ſemper magna reuerentia, ac religione conſeruarunt, & repetiuerunt, vt de primatu Romani Pontificis, de omnibus cauſis maioribus ad eum referendis, de non temerè accuſandis Epiſcopis, & de aliis, ne omnia enumerẽ. id quod illis ipſis epiſtolis Pontificũ Apoſtolicorum ſecundi ſæculi non ſolum non minuit fidem, ſed & fidem, & auctoritatem auget, & confirmat. Sed age, videamus iam, quæ iſta ſimilitudo argumenti, & materiæ, quæ epiſtolas illas apud iſtos calumniatores falſas eſſe arguit, quod de primatu, inquiunt, Petri, de Regno Eccleſiæ Rom. de ordinatione Epiſcoporum, de deponendis ſacerdotibus, & de appellationibus ad ſedem apoſtolicam ſcribunt. hinc illæ lachrymæ, vt ille ait, hinc, inquã, illæ calumniæ, & inuidia ſcilicet & odio Pontificis Rom. quo flagrant: idcirco enim Petri principatum negãt, vt ſucceſſores in eo principatu negent. Itaque gratiam Domini noſtri in anarchiam carnalem transferentes, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſolum Domi-

Iud.1. natorem negant, vt de quibuſdam ſcripſit Apoſtolus Iudas, dum Vicarium eius nolũt habere ſub Chriſto: 2.Pet.2. quibus iudicium iam olim non ceſſat: & perditio illorum non dormitat, vt de aliis ſimilibus beatus Petrus prophetauit, ſed de Petri principatu reſpondebo ſuo loco.

De inelegãti ſermone, qui cõtra epiſtolas obiicitur, & de ſimili vitio ſermonis Pauli à magnis auctoribus notato, & de vocabulis, quæ Magd. reprehendunt. item de quibuſdam veteribus rudi ſermone delectatis, alioqui eruditis in ſtudiis humanitatis, & de vocabulis vulgaribus quibus vſus eſt Clemens ſcriptor elegantiſsimus.

Caput 2.

Quæ exempla parum latini ſermonis, & quas phraſes in epiſtolis pont. apoſtolicorum notarint Magdeb.

Qui veteres auctores elegãtiſsime iudicio Magdeburgenſiũ ſcripſerint.

PErgamus deinceps ad ea, quæ ſequuntur æque leuia & ridicula, quæ in epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum notarunt. Reprehendunt enim genus ſermonis inelegantis, & , vt ipſi aiunt, parum latini, pro illis temporibus, quibus puriſſimè, inquiunt, & elegãtiſſimè locuti ſunt Plinius, Suetonius, Solinus, Tacitus, Iuſtinus, & alii quamplurimi. deinde exempla parum latini ſermonis notant: vt Epiſcopi ſunt obediendi, diligendi & ſummopere venerandi, & non detrahendi, vel lacerandi. item Patres ſunt venerandi non reſpuendi, inſidiandi. phraſes verò portentoſas vocant iſti belli Attici has, Epiſcopus Epiſcoporũ, Patriarcha, Archiepiſcopi, Metropolitani, dilectio veſtra, regularis mutatio, & alia huiuſmodi. Omitto, quod iſti boni linguæ latinę auctores Magdeburgenſes elegantiſſime & puriſſimè ſcripſiſſe dicunt Plinium, Suetonium, Solinum, Tacitum, Iuſtinum, & reliquos eorum ſimiles: in quo ſatis ſe linguæ latinæ ignaros oſtendunt, & riſum Italis mouere poſſunt, qui in oculis ferunt elegantiam Plauti, Terentij, Varronis, Ciceronis, Cæſaris, Lucretij, Virgilij, & ſi qui alij eiuſmodi. Sed largiamur eis, elegantiſſimè ac puriſſimè ſcripſiſſe iſtos, quos dicunt, ſcilicet ſi cum illis Põtificibus ſuis æqualibus conferantur: demus Magdeburgenſibus, carere

epiſtolas, quas negant, puritate, iſta Pliniana, aut Sue-
tonij, vel Solini: imò concedamus eis, non carere ſolœ-
ciſmis: an non erat conſilium prudens, ſermone impe-
riti vulgi vti in rebus ad ſalutem omnium pertinenti-
bus, vt etiã ab idiotis intelligi poſſent? Quid hic Apo-
ſtolicis patribus exprobrant, quod Apoſtolis illius ſim-
plicitatis magiſtris exprobrare non audent? an expro-
brandum eſt, non eſſe diſcipulum ſupra Magiſtrum,
contra ſententiam Domini? an non erant ætate Apo-
ſtolorum, qui elegantiſsime ſcriberent, & puriſſime? at
ſermo Pauli nõ fuit in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽ-
tiæ verbis, vt ipſe ait, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtu-
tis. hæc eſt enim demonſtratio propria ſcripturæ, vt
doctus Origenes in lib. 6. & 7. contra Celſum notauit,
Diuinior, inquit, quã dialectica, quæ ſic à Paulo dicta *1 Cor. 2.*
eſt, ſpiritus quidem oſtenſio, propter prophetias, quæ
ſatis ſunt ad faciendam fidem legenti in iis præſertim,
quæ ſunt de Chriſto: virtutis verò, propter miracula. *Quid Origenes*
Quo in loco multa idem Origenes aduerſus eos phi- *de propria ſcri-*
loſophos diſputat, qui τὸ εὐτελὲς ſcripturæ ſanctæ ex- *pturæ demon-*
probrabant, & pleraque noſtra melius dicta eſſe apud *ſtratione.*
græcos gentiles, ſicuti nunc Magdeburgenſes Pontifi-
cibus exprobrant, quorum epiſtolas reprehendunt, pu-
rius ac latinius locutus eſſe Plinium & Tranquillum.
Sed quid dixi, reprehendunt? diſsimulari poterat à no-
bis reprehenſio iſta, ſi hic ſubſtitiſſent. Nũc verò, quod
lõge grauius, & intolerabilius eſt, eo inſaniæ proceſſe-
runt, vt, quia non loquantur pure, negare eas audeant,
quaſi non ab illis ſcriptas, ſed ab aliis fictas: negent er-
go epiſtolas beati Cypriani, quia in eis legunt ſubita-
tos, libellatos, quæſtionatos, adunatos. imò negent ſcri-
ptores noui teſtamenti quod in eis ſolœciſmos, & ver-
ba rudia legant, aut dicent, neſciſſe loqui Spiritũ ſan-
ctum, qui eos docuit. Vtinam delicati iſti nõ ſignificata
hæreticè, ſed voces tantum moroſe ac faſtidioſe odiſ-
ſent: ac ſaltem illud in his etiam epiſtolis Apoſtolorũ
Pontificum facerent, quod in ſanctis ſcripturis facere
audẽt. In verbo enim Dei, quo gloriãtur faciunt, quod
quidam olim faciebant, aduerſus quos magnus Atha-
naſius libellum ſcripſit grauiſſimum, & tanto auctore

Athanaſius aduerſus eos, qui aiebant, oportere admittere voces ſcripturæ, ſed non curare earum ſignificata.

dignum, ὅτι χρὴ δέχεσθαι τὰς φωνὰς καὶ μὴ σκοπεῖν τὰ δι' αὐτῶν σημαινόμενα. Sic enim inſcripſit librũ aduerſus eos, qui aiebãt oportere admittere voces, & earũ ſignificata non curare, hi, inquit cogebant, illud, verbũ caro factũ eſt, ſic vt dictũ eſt, ſimpliciter, ac nude intelligere: non autem permittebant intelligere piè, quaſi poteſtatem inquit, haberent trahẽdi alios ad ſentiendũ, quod eis videretur, nõ autẽ, quod poſtularet τὸ ἀκόλουθον λόγου καὶ τὸ ὠφέλιμον τοῦ ἀκούοντος, τὸ σύμφωνον τῷ νόμῳ, τὸ τῇ φύσει κατάλληλον, τὸ γνήσιον τῆς πίστεως, τὸ ἀνύβριστον τῆς δόξης. quæ mox interpretabimur. hoc ipſum cõmittunt auctores cẽturiarum cum reliquis hæreticis in ſcripturis ſanctis, ἁρπάζουσι, vt de illis ait Athanaſius, ῥήματα γυμνὰ νοημάτων, id eſt, rapiunt verbo nuda ſignificatis, dum nolunt ſtudioſè & accuratè conſiderare, vt de illis dixit ſanctus Athanaſius, quid ſit conſequens ſermoni, quid vtile audiendi, quid cum lege conſentiat, quid cum natura, quid cũ fide legitima, quid cũ gloria & dignitate gratiæ: qui quidem, quia ſunt, ſicut de ſimilibus beatus Paulus prædixit, ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, ſine pace, criminatores, incontinentes, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei, quęcunque in ſcripturis ſanctis reperiunt, quæ ſenſum carnis ſono verborum delectant, ea rapiunt ἀπερισκέπτως καὶ ἀδιορθώτως, μὴ δὲ κατὰ τὸν εὐσεβῆ σκοπὸν καθ' ὃν ἐῤῥέθησαν, ſicut idem auctor Athanaſius de illis dixit, id eſt, incõſideratè ac prauè, & non eo propoſito, quo dicta ſunt Sic itaque iſti verbo Dei vtuntur, ſcilicet nõ negant eius auctoritatem, modo legant, quæ ſimpliciter lecta & audita ad ſuas voluptates, & ſectas accommodare poſſint. at in epiſtolis Apoſtolicorũ Pontificum quia conſiderarunt, quid primatus Petri ſignificet, quid regnum eccleſiæ, quid ordinari Epiſcopos à pontifice, & deponi, quid appellationes ad ſedem Romanã, quid Epiſcopus Epiſcoporũ, quid Patriarcha, quas vocant portentoſas phraſes, & quid ex his ſequatur. idcirco callidè has epiſtolas negarunt. Idem fecit eorũ magiſter Martinus Luterus in epiſtola Iacobi, quod illud, Fides ſine operibus mortua eſt, non poſſet aliter eludere, niſi auctoritatem epiſtolæ

Quas voces Magd. in epiſt. pont apoſtolicorum negent propter earum ſignificata, quæ magis quàm voces ipſas oderunt.

contemneret & ſtramineam vocaret, auſus aliquid peius & grauius, quàm ii, qui eam, vt beatus Hieronymus teſtatur, ab alio, neſcio quo, ſub nomine Iacobi æditã eſſe dixerunt, ſed benè habet, quod hos Apoſtolicos Pontifices ſaltem tanti faciunt, vt potius negent, eorũ eſſe epiſtolas, quàm eorum auctoritatem negare audeant, ſi ſemel eorum eſſe fateantur, vt quidem fateri cogentur, cùm non ſolum eorum argumenta vaniſſima eſſe demõſtrauerimus, ſed noſtra veriſſima. Redeamus ergo ad latinitatẽ, quam requirunt, vel potius ad inelegantiam, quam in his epiſtolis accuſant: & proſequamur, quo magis iſtos accuſationis ſuæ pudeat, quæ de Pauli Apoſtoli ſermone horrido, & inculto grauiſſimi auctores obſeruarunt. Scribit beatus Chryſoſtomus li. 4 de ſacerdotio, ſe idiotam dixiſſe, quod non eſſet externa eruditione exercitatus & cultus: itaque fuiſſe imperitum ſermone, ſi lenitatẽ orationis ſpectamus, qua præſtabat Iſocrates, ſi grandiloquentiam, qua Demoſthenes: ſi grauitatem, qua Thucidides, ſi ſublimitatem qua Plato: addamus nos, ſi placet, ſi elegantiam verborum, & perſpicuitatem, qua bonus auctor loquendi præſtare debet, quin potius inculta eius oratio, humilia verba, & ſimplex dictio. Gregorius verò Niſſenus in tractatione illius loci Pauli, Tunc filius ſubiectus erit ei, & quæ ſequuntur, Paulum ait vſum eſſe verbis, vt voluit, præter conſuetudinem, iuſſiſſéque valere frigidas etymologias, & vſum loquendi, hinc illa, ἱμειρόμενοι ὑμῶν, quod vetus interpres vertit, deſiderantes vos, quod, inquit, ſignificat τὴν ἀγαπητικὴν σχέσιν, id eſt amatoriã habitudinem: itẽ περπερεύεσθαι, quod ſignificat ἀνυπερίφανον ἀγάπης, ἐρίθεια, ὑποταγὴ, κένωσις. Hæc Nyſſ. ſed videamus, quid rurſus Origenes dicat tomo 4. in Ioãnẽ de Solœciſmis Pauli, quod ipſum delicatos iſtos & faſtidioſos cẽturiatores ſatis de imperitia redarguit. Qui voces, inquit, diſtinguit, & ſignificata & res, non offenditur ſolœciſmis. Et paulò poſt, non ignorabant, inquit, Apoſtoli, in quibus impingebant, & de quibus non curabant. liceat ergo nobis ſimiliter dicere, ſi iſti perpoliti auctores centuriarum permittunt, non ignoraſſe illos pontifices, non dici latinè, Epiſcopi

Ad exemplum Martini Lut. Germanici prophetæ epiſtolam Iacobi negantis negant quoque Magd. epiſtolas Pont. apoſtolicorum.

De ſermone rudi, & inculto Pauli ex Chryſoſt. Greg. Niſ. Origene.

non ſunt obediendi,& alia eiuſmodi: ſed non curabãt. Quemadmodum plerique noſtrum facere ſolent, vt, cum loqui poſsint eleganter, interdum tamen, communi ſermone, & vt idiotæ loquantur. Hinc beatus Gregorius in epiſtola ad Leandrum in commẽtarios libri Iob, ſic ſtylum ſuum incultum,& inelegãtem excuſat, vnde & ipſam (inquit) artem loquendi, quam magiſteria diſciplinę exterioris inſinuant, ſeruare deſpexi. nam ſicut huius quoque epiſtolæ tenor enunciat, non metaciſmi colliſionem fugio: non barbariſmi confuſionem deuito: Situs motuſque præpoſitionũ, caſuſque ſeruare contemno. Quia indignum vehementer exiſtimo, vt verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati. nec enim hæc ab vllis interpretibus in ſcripturæ ſanctæ auctoritate ſeruata ſunt. ex qua nimirũ quia noſtra expoſitio oritur, dignum profectò eſt, vt quaſi ædita ſoboles ſpeciem ſuæ materiæ imitetur. An, quia vetuſtiſſima interpretatio noui teſtamenti latina, ne à ſolœciſmis quidem,& barbariſmis abhorret, negabũt Magd. ædi eam tunc potuiſſe, cùm multi, vt probabile ſanè eſt, latinè & purè loquerentur? (idcirco enim aiũt, fictas eſſe priſcorum pontificum epiſtolas, quia non ſic loquantur latinè,& purè, vt ſcriptores illorum temporum locuti ſint) aut dicturi ſunt, non fuiſſe Hieronymum, dum volebat, elegantiſſimum, aut non eſſe ab eo correctam iſtam interpretationem, vt ipſe in ſuis ad Damaſum litteris affirmat, quia illa diſſimulauerit, Neque nubunt, neque nubentur, Magis pluris eſtis vos, Fructum plus afferat, Nõ venit miniſtrari ſed miniſtrare? & illud, Pœnitemini, & non capit prophetam perire extra Hieruſalem? & infinita alia, quæ quamuis non probabat,& corrigere ſciebat, conſuetudinem tamen ſimplicitatis ſermonis vulgaris conſeruare maluit. Imò verò ſcimus quoſdam auctores ante mille etiam,& amplius annos,&, quod plus eſt, in ſtudiis humanitatis tritos, cum latinè, & purè loquentes imitari potuiſſent, ſermone tamen plebeio,& incompto, ac ſolœciſmis, & barbariſmis interdum inquinato magis delectatos, vt Caſſiodorum, Apollinarem Sidonium, Claudianum Mamercum, Marcianum Capellã, Eno-

Quemodo Greg. pont. inelegantiam ſtili ſui excuſet.

dium Ticinenſem, Fortunatum Venantium. An negaturi ſunt Magd quæ iſti ſcripſerunt, eorum eſſe, quorũ feruntur, quia potuerũt eſſe tunc permulti, qui latinè, & purè loquerentur? imò, quia iſti ipſi potuerunt latinè, & purè ſcribere, ſi bonos loquendi, & ſcribendi auctores imitari voluiſſent? Quin potius, vt aliquid exẽpli gratia dicam de priſcis iſtis pontificibus, quorũ iſti epiſtolas propter pauca quædam vitia linguæ negant, teſtis eſt Photius idoneus, & locuples auctor, Clementem Romanum acta, & diſputationes B. Petri cum Simone elegantiſſimè, & eloquentiſſimè ſcripſiſſe, ſic enim de libris illis in ſua bibliotheca ſcripſit, ἡ μὲν τοιγε τῶν πέτρου πράξεων βίβλος τῷ τε λαμπρῷ καὶ τῇ σεμνότητι καὶ ἔτι τῷ καθαρῷ καὶ συντόνῳ καὶ τῇ ἄλλῃ ἀρετῇ τοῦ λόγου καὶ πολυμαθίᾳ τοσοῦτον ἔχει πρὸς τὰς διαταγὰς τὸ παραλλάττον ὡς μὴ διασυγκρίσει τῇ πρὸς τοὺς λόγους πρὸς ἀλλήλας παραβάλλεσθαι τὰς βίβλους. liber (inquit) Clementis de actis Petri ſplendore, grauitate, puritate, vi dicendi, & reliquo ornatu orationis, ac multa eruditione ita libris eiuſdem de conſtitutionibus antecellunt, vt quod attinet ad orationem, non ſint inter ſe comparandi. hæc Photius. Itaque in libris de cõſtitutionibus apoſtolicis verba pauca ex triuio ſumpta vſurpat Clemens, quod ea eſſet tunc patrum eccleſiæ cõſuetudo, vt magis voces eligerent ſecundum imperiti vulgi vſum ſignificãtes, quàm ſecundũ peritorũ iudicium elegantes, cuius generis ſunt σπαστάλιον, καταφαγὰς, ψοῦσμα, ἐπιδέννω, id eſt ligo, παραφίοντες, λογιστευτὴς, ἐθίμιον, & alia quædam eiuſmodi. & interdum latinis vocibus vſus eſt, vt ἰντρόϊτον, λοῦδος, ſicut in euangelio eſt πραιτώριον, φραγγέλιον, κουστωδία. an igitur quia hæc Photius in libris de conſtitutionibus legebat, continuò dicere auſus eſt, nõ eſſe eos Clementis, cuius elegantiſſimos libros, & politiſſimè ſcriptos legerat? imò, vt in vobis exemplũ ponam, an quia infiniti ſunt, qui latinius, & puriùs, quàm vos, ſcribãt: vel potius, quia vos, alioqui latinæ linguæ cenſores, ſæpe neque latinè, neque purè loquimini, idcirco poſteritas ſæculorum ſcripta iſta centuriarũ veſtra eſſe, cum ratione negabit? àut ab aliis corrupta dicet? an non ſatis probabunt, imò cõuincent, veſtra eſſe,

licet ſolœciſmis, & barbariſmis plena eſſent, noua dogmata, quæ in eis ſunt iam olim damnata? Sic epiſtolas pontificum Apoſtolicorum, etſi habent illas, quas Magdeburgenſes inepte, & inſulſe portentoſas phraſes vocant, eſſe tamen ſuorum auctorum, argumento, & teſtimonio ſunt: & perpetuo erunt illa, quibus plenæ ſunt, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, grauitas ſententiarum, auctoritas dictorum, antiquitas traditionũ Apoſtolicarum, & eccleſiarum priſca conſuetudo quæ omnia, & ſi maxima ſunt, & auctores ſuos clariſſimè teſtantur, tamen, iſti nec vident, nec audiunt: illa verò minutiſſima, & neglecta quàm acutiſſimè cernunt, vt illis fiant ſimiles qui culices excolabāt, & camelos deglutiebant: qui decimabant cyminũ, & grauiora legis, iudicium & miſericordiam, relinquebant. Sed reuertamur ad Origenem, à quo digreſſus ſum. ait præterea, quod Paulus dixit ſe imperitum ſermone, de quo non curabat, exiſtimādum eſſe, non ſolum Paulũ, ſed alios quoque Apoſtolos idem dixiſſe contentos ſimplicitate ſermonis rudis: addiditq;, quod idem Apoſt in 2. epiſt. ad Cor. ſcripſit, Habemus autem theſaurum iſtũ in vaſis fictilibus, accipi poſſe de theſauro ſcientiæ ac ſapiētiæ abſcondito, vt in alio loco dixit, & de vocibus dictionis abiectæ & humilis: fuiſſe autem in eo demonſtratam excellentiam virtutis Dei, quod myſterium veritatis, & vis eorum, quæ dicta ſunt, non fuerunt impedita humilitate dictionis. quo minus peruenirent vſq; ad extrema mundi, & ſubiicerent non ſolum ſtultos mundi ſermoni Dei, ſed etiam ſapientes eius hæc Origenes. Reſpondeamus nos ſimiliter iſtis, cum quibus nunc agimus, non impediſſe portentoſas iſtas phraſes, quas dicunt, Epiſcopus Epiſcoporum, Patriarcha, Archiepiſcopos, Metropolitanos, quin verbum Dei vniuerſum ordinem Epiſcoporum, Patriarchas, Archiepiſcopos, Metropolitanos, & omnes omnium eccleſiarum miniſtros & populos fideles Epiſcopo Rom. ſubiecerit: vnde Epiſcopus Epiſcoporum eſt & dicitur, nō portentoſe, vt iſti dicunt, ſed vſitate ſecundũ formam eccleſiaſticam ex ſcripturis ſanctis profectam, qua dicitur Deus Deorum, Sanctus Sanctorum, Rex Regum,

Quid doctus Orig. docuerit nos reſpondere Magd. phraſes portentoſas epiſtolarum accuſantibus.

Vnde hæc forma loquendi Epiſcopus epiſcoporum.

Canticum canticorum,& apud Dionyſium, Sacramẽtum ſacramentorum. Sic quoque vetuſtiſſimi,& eruditiſſimi, auctores Epiſcopum epiſcoporum vocarunt. Teſtis eſt Tertullianus, qui in principio libri de pudicitia Epiſcopum epiſcoporum dicit, ſic enim interpretatur nomen Pontificis Maximi. Cur igitur non negãt Tertullianum propter portentoſum verbũ? at iſta verborum portenta, quæ iſti, vt dixi, ſatis inepte phraſes vocant, non deterruerunt eloquentes homines, quin has epiſtolas libenter legerent, probarent, amplecterẽtur. Quæſo iſtos, quare Patriarcha in epiſtola Clem. & Anacleti,& aliorum portentoſum verbum eſt, in ſcriptura ſancta non eſt? an non licuit ſumere ex vmbra veteris teſtamenti verbum,& ad ipſam imaginem rerum noui teſtamenti, ſicut Apoſtolus ait, apte accõmodare? an non aptiſſime accommodatum eſt verbum Patriarchæ ad eos, qui propinquius ſuccedunt &, vt Græci dicunt ἀμέσως ſanctis Apoſtolis, qui ſunt noui teſtaméti tanquam Patriarchæ, ac patres Patrum? hanc enim rationem nominis,& auctoritatis eorũ Synodus quoque Nicena, vt ab Apoſtolicis Pontificibus didicerat,& traditum acceperat, grauiſſimo canone 44. explicauit, & ſanxit: in eo enim Patriarcham vocat, quem Metropolitarum, & Epiſcoporum caput & inſtar patris eſſe dicit, quem canonem totum poſtea commodiore loco recitabo. Synodus igitur Nicena non horruit hæc portenta verborum Patriarchæ Metropolitani, & Epiſcopi, ſed nec ipſa inuenit, aut excogitauit: immo à ſanctis patribus, quibus ea ſancti Apoſtoli tradiderunt, didicerat. Sancti. n. Apoſtoli à Chriſto & ſpiritu eius edocti, eccleſias conſtituerunt, & earum præſides ſuis nominibus diuinè appellarunt. ab his Clemens, Anacletus,& alij Apoſtolici acceperunt: ab his rurſus, alij deinceps conſecuti Pontifices. Verùm iſti, vt dixi, non voces, ſed res ſubiectas vocibus oderunt: nolunt enim audire hierarchiam, quæ in eccleſia noſtra eſt, vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinem, ſicut Apoſtolus præcipit, in ea fiant: omnia enim dixit, vt quæ ad iudicia & gubernationem eccleſiarum pertinent, in primis intelligeremus. Sed de forma eccleſiaſticæ politię,

Secundũ Magdeb. Deus Deorum, Rex Regum, & ſimilia in ſcriptura portẽtoſæ phraſes.

Quam cõmodè ſumptum ſit ex ſcriptura verbũ Patriarchæ, & appoſite accommodatũ ad eos qui dignitate ſunt ſanctis apoſtolis propinquiores.

Magd. non vocabula, ſed res ſubiectas vocabulis oderunt.

quam iſti negant, reſpondebo poſtea ſuo loco. Nunc, quod ad rem magis loci propoſiti facere videtur, venit mihi in mentem, vt quæram ab iſtis, cum propter genus ſermonis minus latini, & puri epiſtolas Pontificum negent, qui fieri potuit, vt verbum ſuperintendẽtis, tam ſordidũ, eis placuerit? aut, cur hoc magis probatur, quàm verbum Epiſcopi, quo Apoſtoli & Prophetæ vſi ſunt, imò vſus quoque Cicero eſt puriſſimæ latinitatis magiſter? in promptu eſt ratio, quia eſt verbum eccleſiaſticæ hierarchiæ noſtræ, quam iſti tollunt & negant. Qui inter portenta quoque phraſeon retulerunt, quod dicatur, propheta pro Chriſto, vt eſt in epiſt. 3. Clementis. portentum ergo verbi locutus eſt Chriſtus, qui ſe vocauit prophetam, cùm dixit in euãgelio Lucæ, Dicite vulpi illi, quia non capit perire prophetam extra Hieruſalem. Et rurſus in euangelio ſancti Marci portentoſe vocauit ſe prophetam; quia enim in patria eius multi, inquit, ſcandalizabantur in illo, dicebat illis Ieſus, quia non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua, & non poterat ibi virtutem vllam facere. in Luca etiam portentoſe vocatus eſt ex iſtorum ſentẽtia à Cleopha, cùm aiebat, Qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone coram Deo, & omni populo: quod in neminem, niſi in Chriſtũ, cõpetebat. Ad hunc modũ Magd. neque Chriſto parcunt, quinetiam portenta & mõſtra verborũ illi exprobrãt, de quo ſcriptum eſt, Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur de verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ipſius. Sed, vt iſtorum ſiue inſcitiam, & ignorãtiam, ſiue obliuionẽ ſcripturarum diſſimulemus, illa certè malitia diſſimulari nõ poteſt, neque debet, quod cùm Clemens ſemper in illa epiſ. 3. verũ prophetã pro Chriſto dixerit, nõ obſeruarunt iſti, dici verum prophetam pro Chriſto, ſed prophetã tantum dici finxerũt: vt. n. verus Chriſtus, natura Chriſtus eſt, ſic, cùm de Chriſto ſermo eſt, verus põtifex verus ſacerdos, verus magiſter, verus rex, verus propheta natura põtifex eſt, natura ſacerdos, natura magiſter, natura rex, natura propheta. Sed videamus, quàm appoſitè, & opportunè verum prophetam vocarit Clemens, quod

Cur tam limatis & politis auctoribus verbũ tam ſordidum ſuperintendentis arridet: & verbum epiſcopi ſordet.

Luc. 13.

Mar. 6.

Luc. 24.

Luc. 4.

minimè ab iſtis animaduerſum eſt. Etenim, quia proprium prophetæ eſt cognoſcere veritatem, & eam aliis interpretari, veritatis autem verus cognitor, & interpres eſt Chriſtus, idcircò loquens de cognitione veritatis Clemens, peropportunè Chriſtum vocat verum prophetam. Quæri ergo, inquit, magnopere debet veritatis agnitio, quam nemo alius aſſignare poteſt, niſi verus propheta. Et paulò pòſt, Propter hoc denique verus propheta cùm eſſet præſens nobiſcum, & quoſdam ex diuitibus negligentes erga Dei cultum videret, huius rei ita aperuit veritatem, Nemo poteſt, inquit, duobus Dominis ſeruire & ſubiungit ſtatim, Hic ergo verus propheta, qui in Iudæa nobis apparuit, vt audiſtis, qui ſtans publicè ſola iuſſione faciebat, cæcos videre, ſurdos audire, fugabat dæmones, ægris ſanitatem reddebat, & mortuis vitam, cúmque nihil ei eſſet impoſſibile, etiam cogitationes hominum præuidebat, quod nulli eſt poſſibile, niſi ſoli Deo. Hæc igitur erat propria ratio veri prophetæ, id eſt, prophetæ ſecundum naturam, quia erat homo Deus, cui omnia ſunt nuda & aperta, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. & ſubiungit, Hic annunciabat regnum Dei, cui *Hebr. 4.* nos de omnibus, quæ dicebat, tanquam vero prophetæ credimus. imò ne quis præter Magd. & eorum ſimi- *Agg. 3.* les miſeranda cæcitate præditos, in prophetæ appellatione labi, aut calumniari poſſet vllo modo, ſubiungit, Quod autem Aggæus Iudæorum propheta prædixit *Roma. 2.* eum à gentibus expectandum, ſuprà modum in eo fidem veram firmat. Iudæorum prophetam dixit Aggæum, vt erant cæteri prophetæ. verus enim propheta, qui eſt Chriſtus Deus noſter, non Iudæorum tantum propheta, ſed & gentium erat: ſicut neque Deus tantū Iudæorum, ſicut apoſt. ait, imò & gētium. Ergo vel ex hoc ſolo verbo prophetæ pro Chriſto, reliqua quæ de verbis in his epiſtolis pont. Apoſtolicorum Magd. notarunt, quàm prudenter, verè, & conſideratè notarint, facilè exiſtimari poterit ab iis, qui eorum præceps iudicium, & ignorantiam, ac malitiam imitari noluerint. poſtremò, vt hunc locum de genere ſermonis minùs latini abſoluam, reſpondeant tandem, quare ad negan-

dum has epiſtolas plus apud eos valeat genus ſermonis minus latini, quàm valeat ad probandum ea vis dicendi, & grauitas, atque ſapientia, quæ eſt, vt ſummus orator ait, eloquentiæ fundamentum? an non vocabāt Lycaones Paulum Apoſtolū propter vim dicendi Mercurium, tametſi ſermone imperitum? imò nouit etiam Cicero ætate ſua, vt ipſe narrat, qui eſſent eloquentes, tametſi inquinatè loquerentur, & alios item callidos, ſed impolitos, & conſulto rudium ſimiles & imperitorum, vt idem in Oratore ait. Si igitur illo tempore cū latinus ſermo florebat, tamen latinè loqui à pleriſque negligebatur, vt in eodē Oratore Cicero teſtatur, quid
1.Cor.2. mirum, ſi à pontificibus illis viris Apoſtolicis & quidē
2.Cor. 11. de induſtria negligeretur, qui ab apoſtolo didicerant, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtute niti? quique imperiti ſermone, ſed non ſcientia, ad exemplum apoſtoli videri vellent, ne in ſapientia verbi crux Chriſti euacuaretur? præſertim cùm intelligerent ſapiētiſſimi viri, quod Eccleſiaſtes diuino ſpiritu admonuit, quamuis homines eloquentiæ gloriam in verborum inuentione, elegantia, & electione ſectarentur, naturam tamen rerū mutatione nominum mutari non poſſe, ac proinde omnē de eis contentionem vaniſſimam eſſe: id enim ſignificat, vt quidam veteres interpretati ſunt, illud obſcurè ſcriptum, quod fuit, iam vocatum eſſe nomen eius: & non poſſe hominem cū fortiore ſe contendere: ac verba eſſe plurima, multamque habentia in diſputando vanitatem. Sed pergamus iam ad alias notas maiores ſe-
Eccle.c. 6. cundi loci, tāquam ad grauiora crimina. vereor enim, ne nimis multa reſponſa ſint, ad tam leuia, & minuta, & vt antea dixi, ridicula, quę in primum locum congeſſerunt. In multis, inquiunt, epiſtolis ſcriptura ineptè & violentè citatur. nihil hic reſpondebo Magdeburgenſibus, quouſque proferant nobis, quæ nam illæ ſcripturę violentè citentur. hoc tantum dicam hic, cùm ipſi pauciſſima notauerint, credo aſtutè cauiſſe, ne in pluribus de inſcitia redarguerētur, ſi plura notaſſent, vt quidem manifeſtè in iis ipſis pauciſſimis, quæ notarunt, locis ſuis à nobis redarguentur.

Reſponſio ad reprehenſionem interpretationis in epiſtola Anacleti Cephas, id eſt, caput: de conſuetudine ſcripturarum in mutandis obſcuris verbis in clariora ſecundum vſum vulgi, & de cõſuetudine eccleſiaſtica, & antiquiſſima ſimilis interpretationis in vocabulo Paſcha, ex obſeruatione Gregorii Naz. & quomodo Dionyſius Areop. & Optatus Afer ſimiliter interpretati ſunt Cephas, & de ſimili interpretatione aliorum verborum apud magnos, & antiquos auctores. Cap. 3.

DEinde Anacletus, inquiunt, epiſtola tertia Cephas indoctiſſimè, & inſulſiſſimè caput, & principium interpretatur.]

Sanè quidem non mirum eſt de Magdeburgenſibus, fatendum eſt enim: verùm, ſi qua ratione hæc interpretatio conſtaret, non intellexerunt homines alioqui per multos auctores vagati. intelligãt ergo hãc verbi Cephæ interpretationẽ non carere exẽplis & imitatione ſcripturæ ſanctæ, ac cõſuetudine catholicæ eccleſiæ Interpretes enim ſeptuaginta, quos antiqui patres diuino ſpiritu interpretatos eſſe veteres ſcripturas affirmant, & quorũ interpretatione propter diuinam eius auctoritatem S. Apoſtoli vtebantur, quibuſdam nominibus vſi ſunt ſecundum conſuetudinẽ, & opinionẽ vulgi, tanquã vulgò notioribus, vt nomine Orionis in Eſaia, vt in eodem loco B. Cyrillus obſeruauit: & paulò pòſt nomine Syrenarum, quod Theodoretus quoque ibidem notauit: & in 2. lib. Reg. nomine Titanum, & in extremo cap lib. Iob, vnam ex tribus eius filiis fæminis interpretati ſunt, vocatam eſſe cornu Amaltheæ, nomine ex conſuetudine, ac opinione vulgi ſumpto & accommodato, tanquam notiore εἰς παράστασιν τῆς εὐδαιμονίας vt notauit Olympiodorus in eodem loco, id eſt ad declarandam ac repræſentandam fælicitatẽ Sancti Iob, cui Deus fortunas omnes duplicauit. & apud Paulum in epiſ. ad Gal. faſcinum (inquit Hierony.) dignè Paulo, debemus exponere, nõ quod ſcierit eſſe faſcinũ, qui vulgò putatur nocere, ſed vſus ſermone ſit triuij, & verbum quotidianæ ſermocinationis aſſumpſerit. Hanc verborum conſuetudinem Eucherius

Quibus nominibus vſa ſit ſcriptura ſancta ſecundum opinionem vulgi.

Eſ. c 3.

2. Reg. c. 23.

Iob 42.

Cyrillus.

Theodoretus.

Olympiodorus

Eucherius.

quoque Lugdunenſis inter latinos ante mille centum annos obſeruauit, Sic enim ait in libro de quæſtionibus veteris teſtamenti Quid, inquit, ſibi vult, quod in Iob, auctorum ſecularium conſuetudine, legimus Pleiadas, Oriona, Arcturum? reſpondet, nō quod his apud Hebræos nominibus cenſeantur, ſed, vt apud nos horū ſiderum ſignificatio poſſet eſſe manifeſtior. Deinde ſubiungit, Itaque hæc tranſlator appellare voluit, vt vſus gentilitatis inuenerat. illud quoque, inquit, generaliter obſeruandum eſt, quod etiam Apoſtoli, & Apoſtolici viri in epiſtolis ſuis ſcribentes ad populos abutuntur interdum his teſtimoniis, quæ videbantur diuulgata per populos. Hactenus Eucherius. hoc ergo & nos cum ſancto Eucherio, in ſcripturis ſanctis exercitatiſſimo, ad reprehenſionem iſtorum in interpretatione Cephæ, reſpondemus vſum eſſe de induſtria, ac prudentiſſimè Pontificem Anacletum interpretatione per populos diuulgata, ex conſuetudine, inquam, atque opinione vulgi, exemplo ſanctarum ſcripturarum vſum fuiſſe interpretatione nominis Cephæ, non tanquam Syri, ſed tanquam ex Græco formati, propter maiorem claritatem. Cùm enim tam nota eſſet temporibus Anacleti apud omnes lingua Græca, quàm eſt modo Latina, ac fortaſſe magis, Syriacam verò pauciſſimi ac rariſſimi, vt nunc, intelligerent, ita vt, cùm audirent nomē Cephæ, ſtatim omnes ἀπὸ κεφαλῆς, id eſt, à capite dictū exiſtimarent, quid prudentiùs facere potuit, aut debuit, quàm ſic, propter facilitatem intelligendi, ſecundum conſuetudinem vulgi interpretari in ea epiſtola, quæ ab omnibus vbique legenda erat? præſertim cùm tam neceſſaria, & vtilis eſſet iſta verbi Cephæ clarior interpretatio, vt ſcilicet facilè omnes intelligerent, caput eſſe Petrum, ſicut præ ſe ferebat ipſa, quæ ſecundū conſuetudinem, & opinionem vulgi magis in promptu erat, verbi Cephæ interpretatio. Imò accedit etiam huc exemplum euangeliſtarum, quos aliquando nō ex ipſa veritate rei, ſed ex vulgi conſuetudine & opinione nomen ſumpſiſſe, auctor eſt Magnetes vetuſtiſſimus ſcriptor eccleſiaſticus lib. 2. & 5. quos contra Theoſthenem gentilem diſcrepantiam euangeliſtarum & alia nobis

Magnetes.

falſò in euangelio obiiciētem ſcripſit: ait enim, pro eo, quod vnus euangeliſta dixit, calamo ſpongiam circum ponentes, dixiſſe alium propter ſimilitudinem arbuſti, hyſſopo circumponentes, cùm dicendum, inquit, eſſet calamo. item, quod vnus Euangeliſta dixit, vinum, rurſus dictum eſſe acetum in cruce (ex eodem enim vaſe poſito hauſerunt, cùm peruentum eſt ad Caluarium, & in cruce) præſertim, inquit, cùm legem hiſtoriæ Euangeliſtæ ſeruarent: nihilque vltrà ſcriberent, quàm quod tunc dicebatur in illo tumultu ac furore. Sic enim exiſtimarunt fore, vt hiſtoria omni ſuſpicione careret, εἰ μὴ περιεργότερον ἀλλ' ἄπλαστον εὑρεθείη τῆς ἱστορίας τὸ γράμμα, id eſt ſi litera hiſtoriæ non curioſa, ſed ſimplex reperiretur. item Photius Conſtant. patriarcha in quæſtionibus ad Amphilochium Archiepiſcopum Cyzici ait, euangeliſtam dæmoniacum appellaſſe lunaticum, cùm alioqui nihil mutatio lunæ in dæmoniaco efficeret, vt vulgus falſò putabat, quia fuit, inquit, propoſitum illi narrare miracula vocabulis conſuetis, & notis vulgò: non attice dicere, ſed perſpicuè. Similiter hæc ſimplex interpretatio non ex natiua proprietate nominis Cephæ, ſed ex vulgi opinione & conſuetudine ſumpta, quam vos Magdeburgenſes contra epiſtolam Anacleti obiiciendam eſſe temerè putaſtis ad probandum eam falſam, argumentum potiùs eſt veritatis eius. qui enim fingit, quod alteri falſò adſcribat, non ſimplicitatem, ſed artificium affectare ſolet: cauereque ſtudioſè, quicquid probabiliter obiici poteſt, vt quod fingitur, illius verè eſſe videatur, cuius eſſe videri vult, qui fingit. Deinde, vt ad alia exempla propiora etiam propoſito veniamus. Quis ignorat, phaſca verbum hebraicum eſſe, ſignificareque tranſitum, ſecundum hiſtoriam, ab Aegypto ad terram promiſſionis, & ſecūdum Anagogem, aſcenſum à terrenis ad cæleſtia? hoc tamē verbum Hebraicum conſuetudo ecclesiæ catholicæ quaſi dictum eſſet ἀπὸ τοῦ πάσχειν pro nobis Chriſtum, ἐξελληνίζοντα, id eſt, ex Græco ducens ph. in p. mutatio &.c in ch. pro phaſca paſcha dixit: & tāquam ſanctiorem, ac magis piam vocem retinuit, vt auctor eſt Gregorius Nazianzenus, qui huius verbi mutationē in 2.

Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Matt. 27. Mar 15. Ioan. 19.

Quod interpretatio Cephas, id eſt, caput non careat exemplis ſcripturæ, & cōſuetudine eccleſiæ catholicæ.

ſermone de paſcha obſeruauit, & ſecutus eſt, aitque factum eſſe hoc frequenter in ſcripturis, vt obſcuriora nomina in clariora mutentur. Cuius rei exempla ſint, quæ paulò antè notauimus Hæc ergo cùm Anacletus Pontifex ſanctiſſimus ac ſapientiſſimus non ignoraret, non indoctè, neque inſulſe, vt imperitiſſimi centuriatores calumniantur, ſed potiùs ſcitè atque eruditè ad exemplum ſcripturæ ſanctæ, & eccleſiaſticæ conſuetudinis Cephas verbum Syriacum, & obſcuriùs ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐξελληνιζόμενον mutato λ. in σ. & η σ. ſyllaba detracta caput & principium vertit. itaque non Syriacum Cephas. ſed Cephas ἐξελληνιζόμενον hoc eſt ex Græco factum interpretatus eſt Anacletus, ſicut factum eſt ab eccleſiaſticis patribus in phaſca Hebraico mutato in paſcha ἐξελληνιζόμενον, id eſt, ex Græco ductum. Relegant auctores centuriarum, vt nobis credant, locũ Gregorij Nazianzeni de conſuetudine ſcripturæ in mutatione nominum: & de Hebraico verbo paſcha mutato in paſcha Græcanicum. Hunc locum Anacleti, quem Magdeburgenſes ideo reprehendunt, quia non intelligunt, vel potius, quia nulla ratione aut modo audire volunt caput eſſe Pontificem Romanum, imitatus eſt Optatus Afer auctor doctus & eloquens, ita enim inquit, lib. 2. aduerſus Parmenianum, in vrbe Roma, Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam; in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde Cephas appellatus eſt, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur. Sic quoque ante Anacletum interpretatus eſt Dionyſius Areop. cùm in diuinis nominibus c. 3. inquit, aderant enim Iacobus, & Petrus ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης ſequens enim ἐξελληνισμὸν, id eſt, Græcitatem verbi Cephas, vocauit Petrum ἀπὸ τῆς κορυφῆς, id eſt, à capite coryphæum. κορυφὴ enim propriè ſignificat ſummã partem capitis, quod ipſa etymologia declarat ἀπὸ τῆς κάρας καὶ ὀροφῆς. illud etiam verbum ἀκρότης capiti congruit ſecundum etymologiam verbi, dicitur enim ἄκρον τὸ ἄχρις οὗ τινος ἔξεστιν ἐπέκεινα, id eſt, ſummum, quod vltra non licet progredi: quod capiti conuenit. Igitur quia à Domino cõceſſum eſt, vt eſſet Petrus omnium Apoſtolorum, ac

De verbo paſcha Græco ex Hebraico ſecũdum conſuetudinem ſcripturæ auctore Grego. Naz.

proinde totius eccleſiæ catholicæ ſuper fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum ædificatæ caput, ſapienter ac valde piè factum eſt, vt ad memoriam & honorem huius principatus beati Petri nomen eius, id eſt, Cephas Syriacũ mutaretur in Cephas factũ ex Græco ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, vt iam non ſolùm Cephas Petrũ Syriacè declararet, ſed quod clarius eſt, Gręcè acceptũ, caput ſignificaret. Cùm verò omnes & veterũ & recentiũ auctorũ libros appellatione capitis plenos reperiamus, ſitque tam frequens, & tritum, caput eccleſiæ Petrus, quis nõ intelligit, eueniſſe hic, quod Gregorius cognomẽto Theologus in voce paſcha eueniſſe dicit, ſcilicet libenter audiſſe omnes Cephas à Græco ductum, tanquam vocem magis piam, quæ Petrum caput eccleſiæ declararet: atque hinc factum eſſe, vt conſuetudo ſit verbum hoc accipiendi, & interpretandi obtineret: ſicut de paſcha dixit Gregorius valuiſſe conſuetudinem huius vocis προστεθείσης τῶν πολλῶν ἀκοῆς ὡς εὐσεβεστέρῳ τῷ ῥήματι, id eſt, auditu multitudinis tanquam ad magis piũ verbum approperante. Ergo vt nemo catholicus audeat reprehendere phaſe Hebraicum nomen tranſitus mutatum eſſe ſecundum Græcitatem in paſcha τοῦ σωτηρίου πάθους ὄνομα, vt ait Greg. Naz. id eſt, in nomẽ paſſionis ſalutaris, ſic neq; Cephas Syriacũ nomen Petri mutatum eſſe ſecundum Græcitatẽ in Cephas nomẽ capitis & Principatus Petri. & ſicut is, qui Paſcha interpretatur non trãſitus, ſed paſſionis nomẽ eſſe, nõ indoctè, & inſulſe interpretari dicendus eſt, vel Gregorio Naziãzeno Iudice, qui hanc conſuetudinẽ verbi probat, & laudat, non enim phaſe, hebraicũ, neq; paſcha ex hebraico ductũ interpretatur, ſed paſcha ex Hebraico mutatione litterarum Græcum factũ, & ἀπὸ τοῦ πάσχειν, id eſt, à patiendo ductum, quod ipſum fecit quoque beatus Ambroſius, Gregorius Naz. imitatus, in libro de myſterio Paſchæ, cùm ait, Quod ſacrum nomen, (Paſcha dicit) ab ipſius Domini paſſione deſcẽdit: ſic qui Cæphas interpretatur caput, non eſt dicendus indoctè, & inſulſe interpretari. non enim interpretatur Cephas Syriacũ. quod nemo eſt, qui ignoret Petrum ſignificare, qui ſic à Petra dictus eſt, cũ apertè id dicat euãgelium Ioannis.

Quæ ratio fuerit ducendi ex Græco verbum Syriacum Cephas ſecundum conſuetudinem eccleſiæ.

Quod Anacletus fecit in interpretatione Cephas, non diſſimile fecerunt Græcè doctiſſimi Greg. Naz. Epiphanius, Dionyſius, Iuſtinus.

ſed interpretatur Cephas κατὰ τὸν ἐξελληνισμὸν, ex Græco ductum. Sit aliud exemplum ſimilis interpretationis: mutatum eſt Ieſua Hebraicum nomen, in Ieſus, quod quidem qui interpretatur Saluatorem is quidem nomen Ieſus, tanquam Hebraicum interpretatur, hoc enim ſignificat Hebraicè: qui verò interpretati ſunt medicum, aut curatorem, ſiue ſanatorem, non indoctè illi quidem, nec inſulſe fecerunt, vt iſti indoctiſſimi & inſulſiſſimi dicturi ſunt, quaſi ignorarent hebraicum eſſe nomen Ieſus, ſed potius ἐξελληνίζοντες nomen Ieſus, id eſt, facientes Græcum ἀπὸ τῆς ἰάσεως mutatione litterarum. Scitè admodum, & ſapienter, ac piè interpretati ſunt. Sic Sanctus Epiphanius in Panario, cùm de Nazaræis agit, interpretatus eſt auctor eruditiſſimus: & quem ſatis ſtultum ſit, & abſurdum, dicere, ignoraſſe Hebraicum verbum eſſe Ieſus quod nemo noſtrum ignorat, tametſi nullam litteram Hebraicam didicerit, omnes enim hoc audiuimus. Sed Sanctus Epiphanius, vt dixi, nomen Ieſus ἐξελληνιζόμενον ἀπὸ τῆς ἰάσεως, interpretatus eſt θεραπευτὴν, ἤτοι ἰατρὸν καὶ σωτῆρα, id eſt, curatorem, vel medicum, & Saluatorem, hoc verò extremum addidit, vt interpretationem quoque nominis Hebraici coniungeret. Hanc etiam interpretationem ſecutus eſt Philo Alexandrinus: vnde primos illos Chriſtianos Sancti Marci apud Alexandriam diſcipulos, vt Euſebius, & beatus Hieronymus, & alij teſtantur, in libro περὶ θεωρητικοῦ βίου θεραπευτὰς à curandis animarum ægritudinibus vocauit, ſecutus inquam etymologiam nominis Ieſu ἀπὸ τῆς ἰάσεως deriuati. de aliis enim ſtudio vitæ, & religionis horum ſimilibus ſcripſit etiam idem Philo, quos Ieſſæos vocabant, ſiue à Ieſu, quod magis credendum eſt, ſiue à Ieſſe, ex cuius ſtirpe natus eſt Ieſus, ducto nomine, vt ab eodem quoque Epiphanio notatum eſt. Anacletus igitur, & Optatus Afer non ignorarũt Syriacum eſſe nomen Cephas, vel ſaltem hoc ignorare non potuerunt, Petrum ſignificare, cùm hoc ſit in euangelio clariſſimè expreſſum, ſed tamen ἐξελληνίζοντες verbum, vt ſæpe dixi, & Græcanicum Etymon ſecuti, tum etiam conſuetudinem multitudinis, quæ in verborum vſu plurimum valet,

caput

caput interpretati ſunt. Eſtque hoc diuinæ prouidentiæ admiratione dignum, quomodo non fortuitò, ſed magno Dei conſilio factum ſit, vt Cephas Petrum, & idem verbum à Græco ductum, caput ſignificaret, ſcilicet vt ſucceſſor eius Pontifex nomen & poteſtatem capitis ſuſcipere intelligeretur. ſicut conſilio quoque diuino factum eſt, vt Ieſus Saluatorem ſignificaret, & idem verbum ἐξ ἑλληνιζόμενον ſignificaret medicum & curatorem, vt, & ipſo nomine admoneremur, nō ſolùm ſaluare animas à peccato, & Diabolo, ac morte & inferno, ſed omnes etiam languores animæ & corporis ſanare. ſcio nihil horum conſideraſſe auctores centuriarum, qui, vt hæreticorum mos eſt, quæ non norūt, blaſphemant, vt beatus Petrus de ſimilibus dixit, ſi Magdeburgenſes Petrum caput Eccleſiæ confiterentur, nunquam profectò de interpretatione Cephæ in caput, diſceptandum eſſe putarent nunc verò hoc agunt, & moliuntur, vt, ſublato verbo Cephæ græcanico, tollatur res, id eſt, caput. hoc eſt eorum conſilium, quod contra Dominum ineūt, qui, vt ait Eſaias, omnia vocat ex nomine ſuo, &, ſi quid fuit, vt ait eccleſiaſtes, iam vocatū eſt ab eo nomen eius: id eſt, ſimul atque facta ſunt, habuerunt ſingula nomen ſibi aptum, quod nemo poſſit mutare, quia ipſe nouit omnia, antequā ſint, qui vocat, ſicuti Apoſtolus ait, ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, neq; poteſt vlla varietate linguarū mutari ab vllo, quod Dominus, ſecundum naturā eius vocare voluit. Denique, vt hunc tandē locum finiam, nō eſt diſſimile, quod Iuſtinus Martyr fecit, cui non poteſt exprobrari Græcæ linguæ inſcitia, quia enim Romani ad accuſandum & damnandum Chriſtianos non putabant, inquirendum eſſe in eorum vitam & mores, ſed ſatis eſſe nomen tantum Chriſtiani deferre, idcirco nomē Chriſti, quod probè alioqui ſciebat, vnctū ſignificare, hoc interim diſſimulans, ad vſum ſuū & Chriſtianorū defenſionē ſcitè accomodauit, inde enim parū deflexo nomine, vnius ſcilicet litteræ mutatione, quaſi χρηστὸς diceretur, alioqui, inquit, quod ad noſtrā appellationē attinet, ſumus χρηστότατοι. i. cōmodiſſimi: ea enim docebant Chriſtiani, vt idem Iuſtinus ait, quæ ſi ſeruarentur, Summa

De diuina prouidētia in verbo Cephas, & Ieſus.

2. Pet. 3.
Iud. 1.

Quo conſilio reprehendant Magd. interpretationem verbi Cephas, id eſt caput.
Ecl. 6.

Rom. 4.

Iuſtinus mart.

pax & innocentia in repub. futura eſſet, quo nihil eſſe poterat vtilius. idem rurſus eis, qui obiiciebant, eos, qui ante Chriſtum natum, vtcũque vixiſſent, extra culpam eſſe, hoc enim eos excuſare poſſe, quod nondum Chriſtus veniſſet, reſpondet, omne genus humanum particeps eſſe Chriſti vnigeniti Dei, &, qui cum ratione vixiſſent, Chriſtianos fuiſſe: qui verò ante Chriſtum natum ſine ratione vixiſſent, omnes fuiſſe ἀχρήστους & Chriſti inimicos, id eſt, inutiles ac ſine Chriſto. mirabili itaque prouidentia nõ ſolùm in rebus, ſed in nominibus quoque rerum, in quibus tantam gloriam & ſplendorem Græci ſitum eſſe exiſtimabãt, vſus eſt Deus, vt hic etiam cernitur. voluit enim vt Chriſtus, vna littera mutata, bonũ quoque ſignificaret, vt admoneremur etiam ex ipſo nomine, cum Chriſtum Dominum dicimus, bonum Dominum dicere, quæ eſt ſumma conſolatio, & lætitia ingens ſeruorum, ſcire ſe habere bonum Dominum. hinc illud in propheta, Guſtate, & videte, quàm bonus Dominus: quod beatus Petrus imitatus, & mutuatus eſt, inquiens, Si tamẽ guſtatis, quàm bonus Dominus. vbi, vt hoc quoque obiter obſeruemus, quidam veteres legunt, ſi tamen guſtatis, quod Chriſtus dominus: qui enim hoc guſtant, iidem guſtant, quàm bonus Dominus: nec enim ſeparari poteſt bonitas ab hoc Domino, vt ab aliis Dominis poteſt. Sic igitur Anacletus quamuis non ignoraret, Cephan Petrum ſignificare, ad vſum tamen ſuum, id eſt, ad defenſionem Principatus beati Petri ſcite, & prudenter eiuſdem verbi ἐξελληνισμὸν accommodauit, in quo nihil noui, aut non magnis auctoribus poſteà vſitatum fecit.

De mirabili prouidentia, qua vſus eſt Deus non ſolum in rebus, ſed etiam in nominibus.

Pſalm. 33.

1. Pet. 2.

Reſponſio ex ſcripturis ſanctis ad reprehenſionem interpretationis, Super hanc petram, id eſt, ſuper Petrum, vel ſedem Apoſtolicã, & de interpretatione illius loci, Tu autẽ conuerſus confirma fratres tuos, & de exemplo Petri pro firmandis fratribus in fide, in epiſtola ad Galat. & quomodo Paulus fidem Euangelii, quod prædicabat, cum fide Petri contulit ad firmandam fidem ſuam: & de traditione Apoſtolica conferendi fidem cum Pontifice Romano per Synodicas literas ad eum, & de Patriarchis, qui hoc fecerunt ad confirmandam fidem ſuam. Cap. 4.

SEquitur iam, vt reſpondeamus ad illud, quod in prima Anacleti epiſtola de violenta ſcripturæ ſanctæ interpretatione accuſant, ſuper ſedem Apoſtolicam vniuerſam eccleſiam conſtitutam eſſe, dicente Domino ad beatum Principem Apoſt. Petrũ, Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiã meã: hoc enim exemplũ poſuerunt ſcripturæ ineptè & violentè, vt ipſi aiũt, citatè. mirũ profectò ſi aptè & cõuenienter citari faterẽtur eccleſiæ Romanæ hoſtes, & Principatus pontificalis coniurati oppugnatores. Dicã hic quod Firmianus Lactantius in libro de vera ſapientia ſcripſit, Quamquã apud bonos Iudices ſatis habeant firmitatis, vel teſtimonia ſine argumẽtis, vel argumenta ſine teſtimoniis: nos tamen non contẽti alterutro ſumus, cùm ſuppetat nobis vtrumque, ne cui peruerſè ingenioſo, aut non intelligendi, aut contra diſſerendi locum relinquamus. Negant iſti eccleſiam catholicam ædificatam eſſe ſuper hanc petram, id eſt, ſuper ſedem Apoſtolicam: Sed nos eos primùm argumentis ſcripturæ ſanctæ, cum ratione ipſa conſentientibus reuincemus, deinde teſtimoniis veterum patrum. Quæro igitur, cũ Christus orauit, ne deficeret fides Petri, exauditus ne eſt, pro ſua reuerentia, an non? Si non exauditus eſt, fruſtra orauit: non bene petiuit, & ideo non impetrauit, defecit fides Petri. Quis iſta concedat? niſi qui neget Chriſtum Dei filium? exauditus ergo eſt: nunquã defecit fides Petri ad firmãdos fratres. Ad hũc enim vſum rogaſſe pro eius fide, ſatis docuit, cũ ſtatim ſubiunxit, Tu autem conuerſus confirma fratres tuos. ex quo fit, vt pro fide Petri immediatè orauerit: pro fide verò fratrum mediante Petro, eorum inquam fratrum, qui à Petro firmandi eſſent. nec enim caput eſſe poterat, niſi aliquorum caput eſſet, eorum ſcilicet, quos Petrus in fide firmaret. Quod ſi pro fide Petri, & eorũ, qui per verbum Petri firmandi erant in fide, quibuſque ipſe dextrã, concordiæ Symbolum daturus erat, orauit Chriſtus Dominus, & orando exauditus eſt, conſequẽs neceſſariò eſt, vt, cùm dixit, poſt magnificam illam fidei Petri confeſſionem, Tu es Petrus, & ſuper hanc pe-

De eccleſia catholica fundata ſuper ſedem apoſtolicam ex locis ſcripturæ ſãctæ.

Luc. 22.
Heb. 5.
Iac. 4.

tram ædificabo eccleſiam meam, quæ ſcilicet vſque ad conſummationem ſæculi durare, non aliam fidem intellexerit, nec alium, in quo eiuſmodi fides eſſet, præter fidem Petri, & eius in fide & cathedra firma ſucceſſorem, cùm enim ſcriptura ſancta, velut vnum corpus ſit, ſicuti eſt vnus ſpiritus eius, neceſſe eſt, vt omnes partes eius aptè inter ſe reſpondeant: & nihil diſſideat. Sed, vt rationẽ firmandi in fide Petro, & eius ſucceſſori à Domino commiſſam, vnde ducta eſt ratio Petræ, & ædificationis eccleſiæ ſuper hãc petram, magis explicemus, & muniamus, conſideremus duo exempla, quæ extant in litteris ſacris præcipua & inſignia firmandi in fide, à beato Petro, vt petra eccleſiæ, & ſummo capite profecta, vt Dominus hoc loco euangelij Lucæ ei præcepit, & conſtituit, alterum in actis Apoſtolorum: alterum, de quo prius diſſeram, in epiſtola Pauli ad Galatas. Cùm enim aſcendit idem Paulus Hieroſolymam, & contulit euangelium ſeorſum cum iis, qui videbantur eſſe aliquid, ne fortè in vacuũ curreret, aut eucurriſſet, id eſt, vt ait Tertull. in 4. contra Marcionem lib ne non ſecũdum illos crediſſet, & non ſecundum illos euangelizaret, auctoritatem anteceſſorum, vt ait idem Tertull. fidei & prædicationi ſuæ optauit, contulit, inquam, cũ Iacobo, Petro, & Ioanne: ſed cum Petro quidem ſecundum locum, & dignitatem gradus, in quo à Domino poſitus erat ſecundum euangelium. quod non obſcurè ſignificauit Apoſtolus, cùm eum hoc loco vocauit Cephas, ſcilicet vt admoneremur, cum eo contuliſſe, vt in fide, & prædicatione ab eo firmaretur, qui erat à Petra ſic dictus, quod eſſet Petra eccleſiæ Catholicæ, & caput Apoſtolorum iuxta interpretationem nominis Cephas tum Syriacam, tum Græcanicã, de qua ſatis ſupra diſſeruimus. De hoc Pauli ad Petrum aduentu ad conferendum euangelium Theodoretus in epiſt. ad Leonem pontificem Rom. ſi Paulus, inquit, prædicator veritatis & Spiritus ſancti tuba ad Petrũ accurrit, vt iis, qui Antiochiæ de viuendo ſecundũ legẽ Moyſis diſceptabãt, definitionẽ & explicationẽ ab eo ferret, multo magis nos, qui puſilli ſumus, & viles, ad ſoliũ veſtrũ Apoſtolicũ accurremus, vt à vobis medicinã vlceribus eccle-

Quæ ſint in ſcriptura inſignia exempla firmandi in fide à Petro tanquã petra eccleſiæ oſtenſa.

Galat. 2.

ſiarum feramus. Quod ſi Paulus Apoſtolus auctoritatē prædicationi ſuæ optauit conferendo euangelium, vt doctus Tertull. affirmat, firmari ergo prædicationē ſuā ab illis antecesſoribus voluit: firmari autem debet minus à maiore, at Ioannes, & Iacobus non maiores erāt, licet in electione, & vocatione pares Apoſtolo Paulo, qui de cælo vocatus eſt: erat igitur Cephas maior, vt iam firmatus quidē fuerit à Iacobo, Cepha, & Ioanne auctoritate non quidem Iacobi, & Ioannis, ſed Cephę, hoc eſt Petri. Et quamquam, vbi natura ipſa & ratio atteſtatur, non opus eſt teſtimonio, tamen, quia cum peruicacibus agitur, adhibeamus huius interpretationis loci Pauli ad Gal. teſtem & adſtipulatorem, is autem erit Sophronius Hieroſolymit. Patriarcha, auctor ſingulari doctrina & ſanctitate. Is igitur tēpore Heraclij Imperat. in ſua ad Honorium Romanum Pontificem Synodica, cuius etiam Photius Conſtant. meminit in ſua bibliotheca, cùm ad eum de fide ſua refert, & ab eo firmari poſtulat, Paulum Apoſtolum ſe ſequi dicit, qui exemplum poſteris reliquiſſet faciendi, quod ipſe feciſſet. interpretemur latinè, Apoſtolica, inquit, & vetus traditio inualuit, vt qui ad Hierarchiam eliguntur, Epiſcopatum dicit, ad eos qui in Hierarchiis capeſſendis, & adminiſtrandis maiores ſunt, omnino ſyncerè referant, quid ſentiant, & qua fide ſint, vt Paulus illis tradidit ἄγαν ἀσφαλῶς, id eſt, valde cautè, ne in vacuum currerent, ſi qua in parte fides manca eſſet. Paulus enim cùm alioqui arcana Dei, quæ nō licet homini loqui, vt ipſe ait, audiſſet, metuebat tamē ne, cū aliis euangeliū ſalutis prædicaret, ipſe reprobus fieret. Vnde & Hieroſolymam aſcendit, quamquā Chriſti diſcipulus cæleſtis: & anteceſſoribus ſuis diuinis diſcipulis ſe ſubmiſit, & euangelicam doctrinam, quam prædicabat iis, qui videbantur aliis antecellere manifeſtauit; ac dogma cū eis cōmunicauit. Deinde ſubiungit Sophronius, quorſum ea communicatio ſpectaret: communicauit, inquit, τὸ ἀσφαλὲς ἑαυτῷ μνηστευόμενος, id eſt, poſcens interrogando, quod eſt latinè ſtipulari, & Græcè μνηστεύεσθαι, vt firmum ſibi fieret, quod tradebat. Hoc eſt igitur quod Tertull. dixit veluti vim verbi huius Græci exprimens

De Synodica Sophronii Hieroſoly. ad pont. Ro. pro confirmatione eius in fide more apoſtolico.

Quorſum ſcriptũ ſit de aſcenſu Pauli Hieroſolymam ad cõferendum prædicationem ſuã cum Petro.

auctoritatem ſuæ prædicationi optaſſe. Deinde ſubiũgit, & exemplum firmum poſteris relinquens, vt ſic ipſi quoque facerent. Docuit planè his verbis Sophronius, non propter Paulum tantum ſcriptum eſſe hoc ab eo, quemadmodum Hieroſolymam aſcendiſſet: & euangelium cum Iacobo, Cepha & Ioanne contuliſſe, ſed propter poſteros Hierarchas, vt ſimiliter auctoritatem doctrinæ ſuæ firmam ac ſolidam à ſucceſſore Cephæ poſceret, & expectarent. Sciebat quidem Apoſtolus, ſe eſſe diſcipulum Chriſti, & è cælo edoctum: nec enim ab homine accepit, quod didicit, euangeliũ, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti, ſciebat inquam, nihil ſibi doctrinæ ex illa cum Iacobo, Petro, & Ioanne communicatione acceſſurum: nec enim illi quicquam Paulo contulerunt, vt ipſe teſtatus eſt: ſciebat tamen, ſic à Domino ſancitum eſſe in euangelio, quod ſibi reuelatum erat, vt Cephas eſſet omnium Hierarcharum, ſiue Epiſcoporum Princeps, à quo, tanquam petra & capite omnes fratres firmandi, ac ſolidandi, & dirigendi eſſent in iis, quæ ad dogma fidei pertinerent: ita vt periculum certum eſſet, ne in vacuum currerent, aut cucurriſſent tantiſper dum id non fieret. Sin verò fieret, poſſe iã firmè, ac conſtanter dicere, quod ipſe idẽ Paulus de prædicatione ſua, auctoritate Cephæ Principis Apoſt. firmata dixit, Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit: & iterum Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. acceperant enim Galatæ à Paulo, vt ipſe eis, ne quis eos deciperet, narrauit, dogma fidei auctoritate Cephæ, Iacobo & Ioanne in conſilium adhibitis, firmatum, ac ſolidatũ; & veluti ſigillo Apoſtolicæ Petræ ſignatum, ac munitum. Hunc

De cõſuetudine ſcribendi Synodicas epiſt. de fide ad põt. Rom. ſecundũ traditionẽ apoſtolicã.

igitur Apoſtolum Paulum ſecundum traditionem Apoſtolorum, quam ipſi à Domino acceperunt, ſecutus Sophronius Hieroſolymitanus Apoſtolicus vir ſubiũgit, Huic nos conſuetudini ſeruientes, ad vos θεοσόφους, qualis ſit fides noſtra ſcribimus πρὸς δοκιμήν, id eſt, vt probetur: ne terminos æternos, quos patres noſtri poſuerunt, tranſire videamus: ſcribimus, inquam, ad vos, qui non ſolùm noſtris diſcernere κατὰ τῶν νόθων τὰ δόκιμα

λόγματα, id eſt, legitima dogmata ab adulterinis. ſed etiam προσαναπληρῶσαι τὰ ἐλλείποντα, id eſt, ſupplere quæ deſunt, poteſtis. In eandem ſententiam ſcripſit Beatus Baſilius in epiſt. data Sabino diacono ad Pontificem Rom. τῷ ὄντι γὰρ τῆς ἀνωτάτου μακαρισμοῦ ἄξιον τῆς τῇ ὑμῶν πορὰ θεοσεβείᾳ χαρισθέντος τὸ μὲν κίβδηλον ἀπὸ τῆς δοκίμου καὶ καθαροῦ διακρίνειν τὴν δὲ τῶν πατέρων πίστιν ἄνευ τινὸς ὑφαιρέσεως κηρύττειν αὐτήν. reuera enim, inquit, dignũ eſt illa excellentiſſima voce, qua te beatum prædicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino eſt, ſcilicet vt, quod adulterinũ eſt, à legitimo & puro diſcernas: ac fidẽ patrũ ſine vlla ſubtractione prædices. Ad extremum, poſtquã fidem ſuam multis Sophronius verbis Pontifici Rom. expoſuit πρὸς δοκιμὴν, vt idem Sophronius dixit, rogat eum, vt quàm primùm Synodicã de fide ſua acceperit, reſcribat litteras, quibus exhilaretur ipſe Sophronius, euangelizaturus, vt ait, τὴν ὑμετέραν θεόσδοτον ῥῶσιν, id eſt, ſanitatem veſtrã à Deo datam: ſanitatem fidei ſignificauit, imitatus Apoſtolũ, cũ ait, Vt ſani ſint in fide: & iterũ, Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana: & rurſus Tu autem loquere, quæ decent ſanã doctrinã, & illud, Formam habe ſanorũ verborũ, &c, Qui non acquieſcit ſanis Domini noſtri ſermonibus. θεόσδοτον verò id eſt, à Deo datam vocauit, quod pro fide Petri ſpecialiter tãquã capitis orauit Dominus, ne deficeret, vt ipſe in Euangelio teſtatus eſt, fides ergo Pontificis & eccleſiæ eius Romanæ, quæ omniũ eccleſiarũ eſt caput, ſanitatẽ à Deo accepit. fides verò, quæ eſt in cæteris eccleſiis, vt in membris reliquis, ſanitatem accipit à Deo per cõmunionem fidei eccleſiæ Romanæ, Catholicæ, quæ fides annunciatur in vniuerſo mundo, vt Paulus dixit. illam enim fidem ſciebat tantùm Catholicam eſſe, à qua quæ diſſentit, non eſt ſana fides: nec annunciatur in vniuerſo mundo, ſed in penetralibus, in deſerto, in angulis, in ſpeluncis, vt apud hæreticos. probant hoc, quod dicimus, ſcripta veterum, & hodiernus ſtatus eccleſiarum. Ex quo enim Patriarchæ firmitatem ſanitatis fidei ſuæ à cœleſti diuina ſanitate Capitis ſui petere, id eſt, fidẽ ſuam cũ fide eccleſiæ Rom. per Synodicas litteras Apoſtolico more conferre, & fidem ſanam eccleſiæ

Vnde exiſtat ſanitas fidei pont. & vnde ſanitas fidei omnium eccleſiarum.

Rom. 1.

Ex quo tẽpore cœperint Patriarchæ, & alii hierarchæ eccleſiarũ amittere ſanitatem fidei. Quæ ſuperbia fuerit ſemper in hæreticis maximè peſtifera.

Rom. tanquam regulam ac formam, Synodicis item litteris deſcriptam accipere, & habere deſierunt, fidem amiſerunt: neque fidem ſolùm, ſed ſedes etiam, & libertatem in correptionem veſaniæ ſuæ, vt beatus Petrus de ſimilibus ait. hæc enim fuit ſemper omniũ hæreticorum peſtifera ſuperbia, nolle cũ Pontifice, & eius eccleſia Rom. conferre Euangeliũ hanc Theoph. Alexand. in 2. lib. paſchali notauit in Origene: In tantum, inquit, ſe ipſo magiſtro intumeſcens, vt nõ imitaretur humilitatem Pauli, qui plenus ſpiritu. S. contulit cum prioribus Apoſtolis Euangeliũ, ne in vacuum curreret. Hoc ipſum ergo, quod Sophronius, fecit quoque Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, idem exemplum & Apoſtolicam traditionem ſecutus, is enim ante ſeptingentos annos miſit Synodicã epiſt. ad Leonem 3. Adriani primi ſucceſſorem cum confeſſione fidei ſuæ, petiitq; à põtifice, vt litteras viciſſim reſcriberet, quibus Patriarchæ fidem, ac doctrinã firmaret. Sed recitemus pauca ex epiſt. Nicephori, quia veſtra, inquit, fides Euãgelica munda, & immaculata eſt, & extra quam non eſt alia: neque Romanis finibus terminata circumſcribitur, neque terminis mundi finitur, ſicuti propheticæ & Apoſtolicæ voces teſtantur, in omnem terrã exiuit ſonus diuinæ prædicationis, & in fines orbis terræ verba prædicantium. Hanc rationem attulit in procœmio, cur cum Rom. Pontifice confeſſionem fidei ſuæ conferret. Deinde poſt expoſitã plene & copioſè fidei ſuæ confeſſionem, optans profeſſioni fidei ſuę auctoritatem, vt de Paulo Apoſtolo dixit Tertull. & vt pontifex fide ſua tanquam regula fixa, & certa norma confeſſionem Patriarchæ firmaret, petiit ab eo, vt mitteret λόγους ϛηρίζοντας, καὶ συνετίζοντας, id eſt, ſermones firmãtes & dantes intellectum. quis non agnoſcat hic verbum ϛηρίζειν, id eſt, firmandi, quo vſus eſt Euãgeliſta, cũ dixit Dominus Petro, tu autem conuerſus cõfirma fratres tuos: deinde ſubiungit Nicephorus explicans, quod dixerat, Vt veſtris doctrinis, & exhortationibus firmati ſtemus in hac fide integri & ſolidi, omnia, quæ in ea ſunt myſteria ab initio tradita, inuiolata conſeruantes. hæc enim erat ex Apoſtolica traditione profecta conſuetudo, vt Ro-

manus pontifex ſtatim, vt erat creatus, ad firmandos fratres in fide, fidem ſuam, tanquam regulam, ac normam, eis mitteret. Teſtatur hoc etiam Gælaſius Pontifex ſanctiſſ. & ſapientiſſ. in epiſt. ad Laurentiũ de Lignido: Quia nos, inquit, admones dilectione fraterna, vt velut medicinam quandam fidei Epiſcopis per Illyricum vel aliis miniſtrare debeamus. quamquã hoc copioſiſſimè factum ſit à beatę recordationis prædeceſſore noſtro, & quia mos eſt Romanæ eccleſiæ ſacerdoti nouiter conſtituto formam fidei ſuæ ad ſanctas eccleſias prorogare. hæc eadem compendioſa nimis breuitate ſtudui renouare, vt ſub qua fide viuendum ſit, ſecundum ſtatuta patrum, in hac noſtra epiſt. per breuitatem ſine faſtidio lector agnoſcat. Hactenus Gelaſius. Huiuſmodi ergo litteras petiit Nicephorus à Põtifice, ex quibus certum haberet, ſub qua fide viuendum ſibi eſſet: & quibus firmatus, vt ipſe idem dixit, in ea fide integer & ſolidus permaneret accepto Symbolo concordiæ à Pontifice, quod in extremo exiſtolæ mitti obſecrarat. Sicut Paulus Apoſtol' à beato Petro, Iacobo, & Ioanne accepit: hoc enim ſignificarunt dextræ illæ, quas Paulo & Barnabæ dederunt, poſtquam gratiam Euangelicæ veritatis, quam vterque prædicabat, cognouerũt. ſimiliter ad exemplum Pauli Proterius Patriarcha Alexandrinus retulit ad Leonem primum de fide ſua per Synodicas litteras, petiitque, vt in ea firmaretur: vt ex epiſtola Leonis magni ad Iulianũ intelligi poteſt. Sic enim de eo ſcribit, Fratrem Proterium Alexandrinæ vrbis epiſcopum gratulor ſatisfactionis plenas de fide ſua ad nos litteras direxiſſe: & manifeſtè quid nam tedeat indicaſſe: cui me dignã gratiam pro fidei ipſius ſynceritate neceſſe eſt præſtare, vt honorem in nullo ſuæ perdat excellentiæ, ſed ſedis ſuæ priuilegia paternæ antiquitatis exẽplo illibata poſſideat. Hactenus Leo. Bene habet, quod huius pontificis Romani epiſtolas grauiſſimas non auſi ſunt negare Magdeburgenſes in centuria 5. imò neque de eis meminerunt inter eas, quas illic partim vt ſuppoſitas, partim vt corruptas notant Anaſtaſij, Innocentij, Cœleſtini, Bonifacij, Zoſimi, Gelaſij, credo, ne ſi omnium Pontificũ epi-

Conſuetudo Rom. pont. ex apoſtolica traditione.

ſtolas negarent, Leonis præſertim, quarum celebritas, & auctoritas vbique iam olim percrebuit, ipſis etiā Luteranis ridiculum videretur: vt vel hoc ſolum Magdeburgica commenta maxime redarguere poſſet. eſt igitur alia etiam epiſtola eiuſdem Leonis ad Anaſtaſium Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, ex qua perſpici poteſt, quemadmodum Pont. Rom. in eccleſiis Orientis Vicarium haberet Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, qui nomine Pontificis, vt vniuerſalis paſtoris prouincias viſitaret longinquas: tum alia expediret, quæ ratio, ac neceſſitas poſtularet. Cuius etiam auctoritate, ne propter longinquitatem vrbis Romæ mora interponeretur, Epiſcoporum ordinationes confirmarentur, quæ ſine auctoritate ſucceſſoris beati Petri fieri non poterant ſecundum Apoſtolicam conſtitutionem, quæ in libro 8. Clementis cap. 4. ſcripta eſt, quæ vſque in hodiernum diem viget, & ſeruatur. Cū enim beatus Petrus ſanciat, vt electionem Epiſcopi à presbyteris, & populo factā Metropolitanus, quē vocat τὸν πρόκριτον, approbet ſi nihil obſtet, & rurſus idem cum duobus Epiſcopis Epiſcopum ordinet, conſequēs eſt, vt ex ipſius Petri, id eſt, ex ſucceſſoris eius auctoritate confirmatio electionis factæ, & auctoritas ordinationis faciendæ pendeat. idcirco enim in perſona Petri hanc conſtitutionem de electione, atque ordinatione Epiſcoporum Clemens ſcripſit. in hanc igitur Apoſtolicam traditionem intuens magnus Leo ſic cap. 6. huius ad Anaſtaſium epiſtolæ ſcripſit: De perſona autem conſecrandi Epiſcopi, & de cleri, plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuā referat: quodque in prouincia beneplacuit, ſcire te faciat, vt ordinationē ritè celebrādam tua quoque firmet auctoritas. Et paulò poſt in eodem decreto præcepit, vt de electione Metropolitani referant Epiſcopi prouinciales ad Vicarium pontificis Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, vt auctoritate eius firmetur. Verùm hæc, & alia eiuſmodi vno verbo arrogandi, vſurpandi, vendicandi, ſumendi more ſuo Magdeburgenſes impudentiſſimè eludunt. Arrogabant (inquiunt) ſibi hanc poteſtatem citandi alios ad dicendum coram ſe cauſam,

De Vicario Pont. Rom. in eccleſiis Orientis.

Apoſtolica cōſtitutio.

& rurſus, citati ſunt eam ſibi vendicare ſuper Archiepiſcopos auctoritatem, vt ſi quid illi agerent, ex auctoritate Romani pont. egiſſe viderentur, quaſi ſerui, & mancipia eius eſſent, & iterum in eadem 5. centuria, vſurpabant ſibi poteſtatem mandandi alijs Epiſcopis, vt quę ipſi vellent, & proponerent, in diſſitis eccleſiis Epiſcopum ordinarent: aut, quem ipſi nollent, deponerent. Item vſurpabant ſibi ius confirmandi alios in Epiſcopatu. nam Leo inquiunt, Maximum Antiochenum, cōfirmauit in Epiſcopatu: ac idem Proterio Alexandrino Epiſcopo iura antiqua eius ſedis confirmaſſe iudicatur epiſt. 68 ad Iulianum, & 90. ad Marcianum Imper. & rurſus, ſumebant ſibi, inquiunt, poteſtatem excommunicandi alios Archiepiſcopos, & eccleſias. ita denique loquuntur iſti; quaſi Pontifices Romani magnas copias militum ex delectu Italiæ comparatas per omnes prouincias etiam longinquiſſimas ſemper habuiſſent, vt Epiſcopos, & eccleſias omnes ad obediendum cogerent: aut quaſi omnes Imperatores hoc ipſum præſidiis militaribus in gratiam Pontificis Romani ſemper feciſſent. Quid igitur amentius cogitari poteſt, quā quæcunque Magdeburgenſes de ſumma auctoritate Pontificis Romani Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſoris apud veteres auctores, & quidem magnos, ac per multos, & ſanctiſſimos legunt, & obſeruant, in ea omnia, tanquam in gladios à ſe diſtrictos, & è vagina eductos, vt quoſdam nouos Saules, furioſe irruere, & lætali vulnere percuſſos vno verbo vſurpationis, vel alterius ſimilis: tanquam alicuius magi cantione putare ſe rediuiuos & ſanos. Dicite nobis Magdeburgenſes, quis à principio, quandiu fides eccleſiæ Romanæ in Germania viguit, Archiepiſcopos generoſæ, ac bellicoſæ nationis Germanorum parere Romano Pontifici, tāquam ſeruos & mancipia, vt vos loquimini, coegit? ſi vſurpatio erat violenta, cur generoſi ſpiritus pręſulum Germanorum, & religioſi non audebant in Domino ſeruile iugum, durum, & iniquum excutere? cur tam pueriliter veſtris Germanis illuditis? ſed propoſitum nobis proſequamur. Item Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus idem exemplū imitatus, & apo-

Quo vno verbo eludant Magdeb. omnia quæ de ſumma auctoritate pont. apud magnos & veteres auctores legunt, & obſeruant.

Quomodo Magd. b in gladios à ſe diſtrictos irruant vt noui Saules.

ſtolicæ traditionis conſuetudinem ſecutus de fide quoque ſua ante quingentos annos ad Leonem 9. per Synodica retulit, petens vt in fide, & ſede ſua firmaretur, cui Pontifex ita reſcripſit, Porrò ſicut calamitoſum eſt, ſi vnitas deeſt bonis, ita pernitioſum eſt, ſi adſit malis. quod ipſe ex ſpecula illius eccleſiæ, cui videris diuinitùs deſignatus ſpeculator, prudenti oculo conſyderans promotionem tuam ad epiſcopale faſtigium electione cleri, & populi, ſicut aſſeris, factam, atque fidem tuam ſecundum antiquæ conſuetudinis religioſum & valde neceſſarium ſtudium apoſtolicæ, ac primæ ſedi, cui Deo adiutore, quamuis indigni præſidemus, annunciare, & exponere curaſti. & paulò poſt, Mea verò humilitas in culmine apoſtolici Throni ideo exaltata, vt approbanda approbet, improbãda quoque improbet, tuæ ſanctiſſimæ fraternitatis Epiſcopalem promotionem libens approbat, collaudat, & cõfirmat. & paulò poſt. Sanè fidem tuam, quam proprio ſcripto ſummæ, & Apoſtolicæ ſedi expoſuiſti, ſanam & catholicã, atq; orthodoxam per omnia proteſtamur: & ſicut verè vnicam, & ſalutarem præcordialiter amplectimur: & tuæ dilectioni vehementer gratulantes in Domino, eandẽ noſtram eſſe deuoto & prompto ore profitemur. hæc erant, vt ante dixi, ſymbola concordiæ: quæ Nicephorus optabat: & Paulus per dextras ſocietatis ſibi, & Barnabæ datas ſignificauit. Denique hanc Romani Pontificis beati Petri ſucceſſoris auctoritatem, & Apoſtolicã conſuetudinem à Chriſto inſtitutam confirmandi fratres, & omnes eccleſias in fide atteſtatur etiã maxima, & grauiſſima auctoritate ſua ſancta Synodus Epheſina ducẽtorum Epiſcoporum ex multis, ac variis prouinciis in epiſtola ad Cæleſtinum Pontificem, in qua ſic ait, Eſt enim vobis tam eximiis hoc in conſuetudine poſitum, vt fulcra eccleſiarum cõſtituatis. expreſſit interpres vim verbi Græci *ϛήριγμα*, quo vſa eſt Synodus intuens in locum euangelij, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Græce enim eſt *ϛήριζον*. Satis cum hac epiſtola conuenit, quod beatus Cyrillus, qui poſtea eidem Synodo loco Pontificis Romani præfuit, ad eundem Cęleſtinum ſcripſit, cùm ad eum, tanquam

Grauiſſimum Synodi Epheſinæ de auctoritate Pont. teſtimonium.

ad caput eccleſiæ de hæreſi Neſtorij referre neceſſariũ eſſe iudicaret, ſic enim ait, Qandoqnidem Deus à nobis in huiuſmodi cauſa vigilantiam noſtram poſtulat, καὶ τὰ μακρὰ ἔθη τῶν ἐκκλησιῶν πείθουσιν ἀνακοινοῦσθαι τῇ σῇ ὁσιότητι id eſt, & longinqui temporis conſuetudo ſuadet cum ſanctitate tua communicare, neceſſe eſt mihi ſcribere, & quæ ſequuntur. Hanc conſuetudinem priſcam omnium eccleſiarum intellexit Synodus, cùm dixit, hoc in conſuetudine poſitum eſſe Pontifici. quod ſi ante mille ducẽtos prope annos iam erat lõginqua, & antiqua hæc conſuetudo omnium eccleſiarum teſtimonio Cyrilli, quæ illum cogebat ad Pontificem referre. ex qua alia origine illam longinquitatem profectã eſſe dicere poſſunt Magd. niſi ex diuina inſtitutione, & apoſtolica diuinæ inſtitutionis traditione? Sed, ne hoc confiteantur, confugient, credo, ad næuos ſuos, quos Satanas illis excogitauit: vt nullam formam Synodi, neq; ſanctos patres ſine næuo hæreſis agnoſcãt.

De alio exemplo Petri ad firmandum in fide fratres in Actibus apoſtolorum c. 15. & quomodo Iacobus fidem ſuam firmauerit ſententia beati Petri, & quomodo nõ Simeon legendum eſt ibi in actibus Apoſtolorum, vt Chryſoſtomus, & Græci legunt, ſed Simon, vt latini meliora exemplaria Græca ſecuti, & collatio illius loci Actuum, cum Clemente Romano in libro 6. de conſtitutionibus Apoſt. & quid Tertullianus ex Petri ſententia in illa Synodo Hyeroſolymitana ſcripſerit, & quomodo omnia concilia imitata ſemper fuerint illam formam firmandi ſua decreta. Caput 5.

HActenus ergo de põtificali exemplo firmandi in fide fratres in beato Petro Apoſtolo expreſſo, cùm Paulus ad Petrũ diſcipulorum Coryphæum, vt diuinus Dionyſius vocat, de prædicatione ſua & fidei doctrina retulit, vt haberet ſcilicet certum & firmum de auctoritate doctrinæ ſuæ à Principe Apoſtolorum confirmatæ, ne fortè in vacuũ curreret, ſi diſcreparet. venio ad alterum exemplum

De altero exẽplo pontificali firmandi in fide fratres in actis apoſt. propoſito.

ſcripturæ ſanctæ in Actis Apoſt. poſtquam Petrus primus, vt caput eccleſiæ, ſentẽtiam ſuam in illa Synodo Hieroſolymitana de relinquenda legis Moſaicæ obſeruatione dixerat, quia erat Iacobus illius eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopus, in qua ſurrexerant quidã ex hæreſi phariſæorum, qui dicebant oportere ſeruare legem Moyſis, neceſſariumque videbatur, vt quid ipſe ſentiret populus, cui præerat, ſciret, & vtrum cum capite ſuo concordaret, poſtquam Petrus perorauit, & tacuerunt Paulus & Barnabas, qui cum Petro conſentientia de conuerſatione gentium narrauerant, reſpondit Iacobus dicens, Viri fratres audite me: Simon narrauit quemadmodum primum Deus viſitauit ſumere ex gentibus populum ſuum nomini ſuo: & huic concordant verba prophetarum. & paulò poſt, Propter quod ego iudico, non inquietare eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, & quæ ſequuntur. auctoritatẽ Petri citat, cum prophetico teſtimonio conſentientem, qua confirmatus audet dicere cõſtanter, propter quod ego iudico &c. ſed dicent hic non ſolum Magdeburgenſes, ſed fortaſſis alij, non Simon ſed Simeon ſcriptũ eſſe, in Actis. ſcio Ioannem Chryſoſtomum non de Simone Petro interpretari, ſed de Simeone ſiue illo euãgelico, ſiue alio, neutrum enim affirmat, atque ita ferri ſcriptum in iis exemplaribus Græcis, quæ ædita habemus: ſed legendum eſſe Simon, vt eſt in latinis exemplaribus, & non Simeon, vt in Græcis, ex Clemẽte etiã Romano dicimus. is enim lib. 6. de Apoſtolicis conſtitutionibus cap. 12. Petrum introducit narrantem in illa Synodo ea, quæ tum Lucas de Petro cap. 10. tum idem Petrus cap 11. Act. Apoſt. narrauerat de linteo magno è cœlo demiſſo, pleno quadrupedibus reptilibus & volatilibus, & quomodo diuinitùs à Cornelio accerſitus eſſet, & de ſpiritu S qui ſuper illum & domum eius cecidit, & alia inſuper quæ in Actis prætermiſſa ſunt quemadmodum tunc intellexiſſet verbum Domini, quod ſcriptũ erat, Omnis qui inuocauerit nomẽ Domini, ſaluus erit, & rurſus, Recordabuntur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt coram eo vniuerſæ familiæ gentium, quoniã Domini

Act. 15.

Quod in act. apoſt. non Simon legendum ſit cap. 15.

Locus act. 15.

eſt regnum,& ipſe dominabitur gentium, quodque vbique ſcriptum eſſet de vocatione gentium. quia igitur hæc Petrus cap. 1. Act. Apoſt. narrauit, vt Clemens auctor eſt, quæ in eo loco non ſine magna ratione, vt paulò poſt oſtendam, à Luca prætermiſſa ſunt, idcirco Iacobus dixit, Simon narrauit quemadmodum primum Deus viſitauit ſumere ex gentibus populũ nominĩ ſuo, ſcilicet narrauit Petrus cùm dixit paulò ſupra, Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire gentes verbum euangelij, & credere,& qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit illis. Cornelio enim Centurioni apparuit Angelus, & dixit,vt accerſeret me, & reliqua,quæ, vt dixi,tũ Lucas cap 10.de Petro narrauit,tum ipſe idem Petrus cap.11. coactus eſt narrare iis, qui erant ex circuncisione, qui cum eo diſceptabant dicentes,Quare introiſti ad viros præputium habentes,& manducaſti cum illis?incipiẽs enim, exponebat illis ordine dicens, Ego eram orans, & vidi in exceſſu mentis viſionẽ, deſcẽdens vas quoddam,& quæ ſequuntur:hæc omnia,vt antè dixi, Simon narrauit in illa Synodo, vt nos Clemens Romanus docuit, vt iam meritò dixerit Iacobus, Simon ἐξηγήσατο, quod verbum non conciſe, & ſummatim ſed fuſius & explicatius exponere ſignificat. cur autem non ſint ibi à Luca tertio per Petri perſonam repetita, in promptu eſt ratio,& quidem valde idonea,& prudenti ſcriptore digna, quia, ſi Petrus, quæ ſibi cum Cornelio acciderant, coactus eſt exponere ordine Hieroſolymitanis illis,qui Hieroſolymis ex circumciſione aduerſus eum diſceptabant dicentes,Quare introiſti ad viros præputium habentes, & mãducaſti cum illis? quoquomodo poſtea etiam ſimiliter, imò multo magis non cogebatur eadem exponere in Synodo? vbi audiebat multitudo,vbi Lucas teſtatur, & qui ex Antiochia aſcenderãt, cùm conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc, quia docebant quidam, oportere circumcidi, & ſeruare legem Moyſis. Quid igitur opus erat, vt ſanctus Lucas tertiò illa repeteret quæ tametſi non repeteret, conſequens erat, intelligere narrata eſſe ibi, & expoſita à beato Petro eadem, quæ illis,

A Clemente in conſt. apoſt. libro 6. expoſitus de quibuſdam à Luca prætermiſſis, & cur.

qui contra eum principio diſceptare cœpiſſent, narraſſet? Accedit huc, quod ſic illa prætermiſit Lucas capite illo 15. vt, prætermiſſa eſſe. ne toties repeteret, nō obſcure ſignificauerit ſignificauit inquam, cùm poſt narrationem Petri reſpondit ſtatim Iacobus dicens, Viri fratres audite me, Simon ἐξηγήσατο, id eſt, expoſuit. verbo enim idem ſignificante vſus fuerat ſanctus Lucas in Petro, cùm dixit cap. 11 de eo ἐξετίθετο καθεξῆς, id eſt exponebat ordine, idem enim ſignificat ἐξηγεῖσθαι. deinde quod Iacobus de Petro dixerit, cùm dixit, Simon narrauit, quis dubitare poteſt, ſi quæ Iacobus dicit Simonē narraſſe, cum iis ipſis, quæ ibi Petrus narrauit, conferat & ſententiam verbis vtriuſque ſubiectam pōderet. Petrus enim dixit, Viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meū audire gentes verbum Euangelij, & credere. Iacobus verò, nō in verba, ſed in ſenſum intuens narraſſe illum ait, quēadmodum primum, id eſt, ab antiquis diebus, vt Petrus dixit, Deus viſitauit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo. verbo viſitandi conſilium ac prouidentiam, & miſericordiam Dei ſignificauit: viſitauit, inquam, vt eligeret gentes, quæ credentes in eum per prædicationem Euangelij fierent populus eius, & à Chriſto chriſtiani vocarentur, hoc enim ſignificat elegiſſe Deum, ex gentibus populum nomini ſuo hoc ipſum itē ſignificat elegiſſe audire gētes verbū Euāgelij, & credere. Itaq; Iacobus nō verba, ſed ſenſum Petri expreſſit, vt Euangeliſtæ quoque non raro facere ſolent, cùm teſtimonia ex ſcripturis ſanctis producunt. Cùm igitur certum ſit, quod beatus Iacobus dixit, Simon narrauit, non de Simeone quopiam iuxta corrupta exemplaria, ſed de Simone Petro accipiēdum eſſe, vt ex omnibus latinis exemplaribus, & ex Clemente Romano, tum ex recta ratione ſcribēdi, deinde ex ipſis verbis beati Petri, & beati Iacobi collatis, ponderata ſententia demonſtratum eſt, non eſt quod amplius hęretici in inuidiam auctoritatis beati Petri Principis Apoſtolorum hunc locum vanè, & temeritate iactent, vt ſolent. immo intelligant potius exemplum eſſe clariſſimum eius auctoritatis, quam Dominus in Euāgelio

lio eidem Petro, tanquam Petræ Eccleſiæ dedit firmā-dı fratres, cùm dixit, Ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua: Tu autem conuerſus firma fratres tuos. cùm enim, vt ſanctus Lucas narrat, ſurrexiſſent quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderent dicentes, quia oporteret circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſis: conueniſſent quoque Apoſtoli, videre de verbo hoc, cúmque magna conquiſitio fieret, quia ad Petrum pertinebat firmare eos in ea fidei ſanitate, quam à Domino acceperat, qui pro ea ſpiritum ſanctum, qui omnem veritatem reuelat, orauerat, ſurgēs, inquit, Petrus dixit ad eos, Viri fratres, vos ſcitis, quoniā ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meū audire gentes verbum Euāgelij, & credere. ab antiquis diebus dixit, id eſt, ante mundi cōſtitutionem, vt Paul. in epiſt. ad Eph. ait, benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui elegit nos ante mundi conſtitutionem fuit enim à ſæculis abſconditum hoc myſterium fidei, ſicut idem ad Coloſſ. ſcripſit, nec enim fuit nouum conſilium, ſed conſilium antiquum, & verum: vt Eſaias prædixit. dixit ergo beatus Petrus, electas eſſe gentes ab antiquis diebus, id eſt, ex æternitate ad myſterium fidei, tunc ipſis reuelatū aduerſus eos, qui aiebant, vt beatus martyr Ignatius in epiſt. ad Philad. ſcripſit, euangelio non credam, niſi videro in antiquis: putabant enim nouum inuentum eſſe myſterium euangelij, & vocationem gentium ad verbum euangelij, & ad fidem. idcirco beatus Petrus cùm exponit Cornelio cap. 10 Act. hoc myſterium fidei Chriſti, producens teſtimonia Prophetarum, Huic, inquit, omnes Propbetæ teſtimonium prohibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eū. prætermiſit verò Lucas ipſa teſtimonia Prophetarum breuitatis cauſa: ex quibus pauca Clemens recitauit, Tūc enim, inquit, cùm vidiſſet Petrus ſpiritum ſanctum ſuper Cornelium gentilem, & domum eius cecidiſſe, intellexit verbum Domini, quod ſcriptum erat, Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit: & rurſus Recordabuntur, & conuertentur ad Dominū vniuerſi fines terræ, & adorabunt coram eo vniuerſæ familiæ

Auctoritas Petri in Euang. ei data affirmandum in fide cæteros, expreſſa in actis.

Eph. 1.

Coloſſ. 1.

Eſa. 25.

De teſtimoniis prophetarum à Luca prætermiſſis Act. c. 10. à Clemente relatis.

gentium, quoniam Domini eſt regnum: & ipſe dominabitur gentium, & quod vbique ſcriptum eſſet de vocatione gentium. Iacobus ergo Epiſcopus Hieroſolymitanus expoſitione beati Petri firmatus, ac repetens ſummatim illius ſententiam, & expoſitionem de vocatione gentium ad verbum Euangelij, teſtimoniis Prophetarum roboratam, & de ceſſatione Moſaicæ legis, auctoritatémque eius, vt Principis Apoſtolorum ſequens, ac totum conſeſſum & multitudinem ad idem faciendum hortans, Viri, inquit, fratres, audite me, Simon expoſuit: hoc enim ſignificat, vt antè dixi, verbũ græcum ἐξηγήσατο, quemadmodum primum, id eſt, à principio antequam quicquam faceret: quod Petrus dixerat, vt antè notatum eſt, ab antiquis diebus, & quę ſequuntur, ne eadem ſæpius repetam. Deinde ad teſtimonia Prophetarum, quæ beatus Petrus citauerat, vt ex cap. 10 act. & ex Clem. Rom. demonſtrauimus, addidit idem Iacobus teſtimonium Amos Prophetæ, & ſubiungit, Propter quod ego iudico, id eſt, quia Simon ſic expoſuit, & cum eius expoſitione, vt à Deo reuelata concordant verba Prophetarum, iudico, inquam, non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum. non inquietari dicit, ſcilicet cogendo eos ad obſeruationem legis: ſiquidem in ſingulis ciuitatibus prædicabatur lex per Synagogas, vbi legebatur per omne ſabbathum. hoc ipſum dixerat prius beatus Petrus. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum, ſcilicet legis Moſaicæ, ſuper ceruices diſcipulorum: & quæ ſequuntur, ſubiungit deinde idem Lucas, tacuit autem omnis multitudo: quod ſatis declarat, omnes auctoritati Petri acquieuiſſe: neque enim ſilentium factum eſt ad audiẽdum Paulum. quaſi prius omnes loquerentur, ſed tacuit, inquit, multitudo. quia ſcilicet nemo quicquam obiecit, ſed potius omnes in fide illius dogmatis confirmati, tacuerunt. videte Magdeburgenſes, quid doctiſſimus Tertull. & in ſcripturis ſanctis exercitatiſſimus de illa Petri ſententia in libro de pudicitia ſcripſerit, poſtquam dixit, in Petro extructam eſſe eccleſiam, cùm vellet eius rei per exempla quædam exitum, & experientiam quandam in Actis

De exemplo, & experientia auctoritatis Petri ſupra eccleſiam in Act. ex obſeruatione Tertulliani.

Apoſt. oſtendere, ſubiungit, Ipſe denique primus in Chriſti baptiſmo reſerauit aditum cœleſtis regni, quo ſoluuntur alligata retrò delicta, & alligantur, quæ non fuerint ſoluta ſecundum veram ſalutem: & Ananiam vinxit vinculo mortis: & debilem pedibus abſoluit vitio valetudinis: deinde ſubiungit, Sed & in illa diſceptatione cuſtodiendæ legis primus omnium Petrus ſpiritu inſtinctus, & de nationum vocatione præfatus, etiam nunc, inquit, quid tentaſtis Dominum de imponendo iugo fratribus, quod neque vos, neque patres veſtri ſufferre valuerunt? ſed etiam per gratiam Dei credimus ſalutem conſecuturos, ſicut illi. Deinde ſubiungit Tertull. hac ſententia, & ſoluit, quæ omiſſa ſunt legis: & alligauit, quæ ſeruata ſunt. Sed redeamus ad Acta Apoſt. & conſideremus, quod Lucas poſt Iacobi per orationem ſubiungit. Tunc inquit, placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni eccleſia eligere, & quæ ſequuntur. tunc inquit, ſcilicet cùm Iacobus propter expoſitionem Petri Principis Apoſtolorum, & verba prophetarum illi conſona iudicauit non eſſe legis obſeruationem à gentibus requirendam. Omnes igitur, tum Apoſtoli, tum presbyteri, & omnis eccleſia firmitatem ſententiæ ex Petri expoſitione cum Prophetarũ teſtimoniis conſentiente duxerunt. quam formam vniuerſa deinceps concilia ritè habita, tenuerunt, vt eorũ decreta non, niſi auctoritate Pontificis, firma eſſent. vt, ſit Benedictus 3. ad Ignarum Rhemenſem Archiepiſcopum de Synodo eius à Pontifice Romano confirmanda ante ſeptingentos annos ſcripſit, quæſtio inde nullis aliquando temporibus oriatur: & aſpirantes in Deo anhelitus compreſſi funditus perpetuò maneant, ne amplius illorum contradicentium aduerſitatibus Dei conturbetur eccleſia: Sed omnibus eruta ſæuę pertractationis erroribus, vnita ſemper in Chriſto permaneat. ob eandem cauſam Leo magnus Chalcedonenſem Synodum confirmauit, vt ipſe in epiſtola ad Marcianum Imperatorem teſtatur, ne, inquit, per malignos interpretes dubitabile videatur vtrum, quæ in Synodo Chalcedonenſi per vnanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem, hæc ad omnes fratres &

Vnde ducta forma, vt concilia auctoritate pôti. Rom. confirmentur.

Coepiſcopos noſtros, qui prædicto concilio interfuerunt, ſcripta direxi, & quæ ſequuntur. Hæc quoque fuit cauſa, cur Tridentina Synodus contra ætatis noſtræ hæreticos habita, nuper à Pio 4. Pontifice Romano confirmaretur. ad Pontificem enim pertinet ἐπικυροῦν συνοδικὴν ἀπόφασιν, id eſt, confirmare, ac ratam habere Synodi ſententiam, vt Photius Conſtantinop. ad Nicolaum primum ſcripſit. & magnus Baſilius cùm peteret à Pontifice Rom. vt mitteret Legatos ſuos ad Orientem cum actis concilij Ariminenſis, vt ea reſcinderet, confitetur Pontificem Rom. περὶ ταῦτα αὐθεντεῖν (hoc enim verbo vtitur) id eſt, ius & auctoritatem habere in his, vt ex epiſt. eius ad Athanaſium, in qua hæc ſcribit, perſpici poteſt. Immo illud hic obſeruatione dignum eſt, cùm dixit beatus Petrus, ab antiquis diebus elegiſſe Deum gentes, vt audirent verbum euangelij per os eius, idque eos, qui aderant, ſcire, ſignificaſſe τὸ αὐθεντικὸν, id eſt, auctoritatem ſibi à Deo datam, quæ conuenienter ſcripturæ ſanctæ ad confirmandam fidem omnium, & verbi prædicationem pertineret: hac enim ratione τῆς αὐθεντείας, id eſt, auctoritatis excepta, æque, omnes ad prædicandum verbum euangelij Deus elegerat: ſed ratione, vt dixi, auctoritatis ipſe erat os omnium.

Quid in Act. ſignificet, quod Petrus dixit, elegiſſe Deũ gẽtes, vt per os eius audirent euangelium.

Quomodo ex locis ſcripturæ ſanctæ de confirmandis fratribus in fide per Petrum concludatur ſuper Petrum ædificatam eſſe eccleſiam: & quomodo qui Petrus propriè vocatus eſt, idem quoque Petra tranſlatè ſecundum conſuetudinem ſcripturæ dictus eſt, & de comparatione promiſſionis factæ Abraæ cum promiſſione facta Petro, & de teſtimoniis veterum patrum Græcorum, & Latinorum, qui ſic interpretati ſunt, ſuper hanc Petram, id eſt, ſuper Petrum, Tertullianus, Cyprianus, Athanaſius, Ambroſius, Hilarius, Euſebius Alexandr. Hippolytus, Hyeronymus, Auguſtinus, Cyrillus, Theodoretus, Theophanes Cerameus, Baſilius, Chryſoſtomus & alii.

Caput 6.

SAtis hactenus, vt opinor, exemplis ſcripturæ ſanctæ demonſtratum eſt, quemadmodum beatus Petrus, vt ei Dominus præcepit, & ſanxit, fratres in fide ſua, pro qua Dominus oraſſet, firmauerit. ex quibus locis, apud eos quidem, quos aut tarditas ingenij, aut malitia nō impedit, quin conſequentia, & repugnantia videant, clarè iam apparet, Eccleſiam Catholicam ſuper eum eſſe ædificatam, cui Dominus mandauit, vt fratres, & fratrum eccleſias in fide, inſtar Petræ, fulciret, ac ſolidaret. Etenim, ſi cō cedant Petro hanc auctoritatē firmandi fratres in fide, vident certè neceſſario conſequens eſſe, vt ſimul concedant, ſuper eius auctoritatem ad firmandum in fide ſua, pro qua orauit Dominus, ædificatam eſſe eccleſiā fratrum. nam, ſi non poteſt eſſe eccleſia fratrum, niſi auctoritate eius ſtabiliatur, ac firmetur, ergo ſuper eam ædificatur: quod enim firmatur, ſuper id, quo firmum efficitur, ædificatur. ſuper Petrum igitur habentem auctoritatem ad firmandum in fide ſua, ædificata eſt eccleſia: auctoritas enim non poteſt eſſe ſeparata σχετικῶς, id eſt, ſecundum habitudinem ab eo, cuius eſt auctoritas, quare neceſſariò confitendum eſt, quod Dominus dixit, Tu es Petrus & ſuper hanc Petrā ædificabo eccleſiam meam, perinde eſſe, ac ſi diceretur, tu es Petrus ſic enim voluit Dominus, vt propriè vocaretur, cū ei dixit, tu es Simon Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus: & ſuper te, qui poſt hac eris Petra, ædificabo eccleſiam meam. itaque, quem vocauerat Petrum nomine impoſito à Petra, vt beatus quoque Hieronymus in comm. Matth. teſtatur, rurſus ſtatim vocauit Petram Metaphorice, nomen enim, quod lapidi conuenit ſecundum naturalem firmitatem, ad Petrum propter firmitatē fidei eius, & propter firmandi in ea fratres auctoritatem tranſlatum eſt: Sicut alias ſcriptura ſancta facere ſolet, tranſire ſcilicet à proprio nomine ad tranſlatum. vt, cum ait, vidit Petrum, & Andream fratrem eius, mittentes retia, erāt enim piſcatores, & ait illis, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. & apud Lucam, Stupor, inquit, circūdederat eum, & omnes, qui cum illo erant ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ

Quomodo ex auctoritate Petri aſſirmandū fratres in fide ſecundū euang. ſequatur ædificatam eſſe eccleſiam ſuper eum ſecundum idem euang.

Matth. 16.

De nomine Petri propriè: & de nomine Petræ Metaphorico, ſiue tranſlato.

Conſuetudo ſcripturæ tranſeundi à proprio nomine ad tranſlatum.

ἁλιείᾳ ἰχθύων, id eſt, ſuper captura piſcium, & Dominus dixit, Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens, Græce eſt, ζωγρῶν, dictum ἀπὸ τῆς ἄγρας ζώσης, id eſt, à præda viua ratione carente, cui propriè conuenit, trãſlatum verò eſt ad homines. Eccleſiam igitur ædificatam eſſe ſuper ſedẽ Apoſtolicã, id eſt, Romanã, vt ſanctus Anacletus ait quod Magdeburgẽſes accuſant, nõ intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, eſt eſſe ædificatam ſuper firmam fidẽ, & immobilem Rom. pontificis auctoritatẽ: hoc enim ſignificare ſolet in ſcriptura ſancta ſedes, vt veteres obſeruarunt τὸ ἑδραῖον καὶ ἀμετακίνητον, vt illud, Parata ſedes tua ex tunc. Sedem itaque vocauit ſanctus Anacletus Metaphoricè eum, quem Dominus tranſlate quoque vocauit petram διὰ τὴν στερρότητα, id eſt, propter firmitatem fidei, pro qua Dominus orauit, & in qua firmare fratres iuſſit: Quod ſi adhuc cõtendunt iſti, nõ eſſe accipiendũ de Petro, quod Dominus dixit, Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, quæramus rurſus ab eis, quare Dominus nomen mutauit Simoni, cũ dixit ei, Tu vocaberis Cephas? quod nomen idem poſtea interpretans à petra, quam Syri, & Hebræi propter linguæ viciniam Cephan vocant, vt beatus Hier. in cõment. epiſt. ad Galatas auctor eſt, Petrum vocauit, cùm ei dixit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, quod perinde eſt, quaſi diceret, & ego impono tibi nomen Petrus vt Marcus euangeliſta interpretatur, cùm ait, & impoſuit Simoni nomen Petrus. dictum eſt, vnde ſit appellatus Petrus, ſcilicet à petra. Quare autẽ ſic à petra appellatus ſit, ſtatim declarat, idem Dominus ſubiungens, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiã meã: illa enim coniunctio, &, pro, quia, accipitur hoc loco, vt ſolet alias frequenter in ſcriptura. Vt ſit perinde, ac ſi diceret, Hoc nomen Petrus à petra tibi impono, quia ſuper te tanquam ſuper petram ædificaturus ſum eccleſiam meam. Sic etiam, cùm Deus nomen impoſuit Abrahæ, mutato vetere, cauſam cõtinuò reddidit. poſtquam enim dixit, Tu vocaberis Abraham, ſtatim ſubiunxit. quia patrem multarum gentium te cõſtitui: hoc enim ſonat nomen Abrahæ, patrem multitudinis. Hoc

Quid ſignificet ædificatam eſſe eccleſiam ſuper ſedem apoſtolicam.

Marc. 3.

Gen 17.

ergo nomine Abrahę voluit Deus teſtatum eſſe omnibus, & notum qui eſſent in filiis Abrahæ, & Dei habēdi: ſcilicet non filij carnis, id eſt, nati ex ſanguinibus, ſed nati ex aqua & ſpiritu S. ſecundum Dei promiſſionem, Sicut Iſaac natus eſt Abrahæ ſecundum promiſſionem, & non ex ſanguinibus, (deſierant enim Sarræ fieri muliebria, ſicut ſcriptura teſtatur, id eſt, natus eſt, non agente natura, ſed gratia, & virtute Dei, qui hoc promiſit Abrahæ, cùm eſſet corpus eius, vt Apoſtolus ait, emortuum, quippe qui erat prope centum annorũ, è vulua Sarræ emortua. Vnde pulchrè beatus Chryſoſtomus conferens ortum noſtrum ſpiritualẽ cũ illo Iſaac ſecũdum promiſſionem, ſic in homilia de mutatione nominis Pauli, & Abrahæ ſcribit, ὥσπερ γὰρ ἐκεῖ χάρις εἰργάσατο, οὕτω καὶ ἐνταῦθα. προῆλθεν ἐκεῖνος ἀπὸ μήτρας κατεψυγμένης, ἀνέβης σὺ ἀπὸ ὑδάτων ψυχρῶν. ὅπερ οὖν ἐκείνῳ ἡ μήτρα, τοῦτο σοι ἡ κολυμβήθρα, εἶδες τόκου συγγένειαν, εἶδες χάριτος συμφωνίαν, εἶδες πανταχοῦ τὴν φύσιν σχολάζουσαν, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ τὸ πᾶν ἐργαζομένην, διὰ τοῦτο κατ᾽ ἐπαγγελίαν τέκνα ἐσμὲν interpretemur nos eiſdem fere verbis, vt enim, inquit, gratia illic operata eſt, ſic etiã hic. æditus eſt ille ex vtero, qui frigore obriguerat: & tu ex aquis frigidis aſcendiſti Quod igitur illi fuit vterus, hoc tibi fons baptiſmi. hæc cognatio vtriuſque partus: hæc conſenſio vtriuſque gratiæ vtrobique vacat natura. Omnia efficit vis Dei. ob hanc cauſam filii ſumus ſecundum promiſſionẽ Iſaac. Hactenus de Abraham patre multarum gentium, & de mutatione nominis eius: in quo tanquam in columna perpetua, vt ait idẽ Chryſoſtomus, promiſſionem Deus inſcripſit, redeamus ad Petrum multarum quoque gentium, id eſt, innumerabilium eccleſiarũ patrẽ, & rectorem, in cuius nomine à Domino impoſito, & à petra ducto, tanquam in columna quadam ante conſpectũ omnium collocata monumentum eccleſiæ ſuper eum ædificatæ, & promiſſionis fidei nunquam defecturæ poſitum à Chriſto eſt quo etiã maximè admonere nos voluit, tandiu eccleſiam aliquam, eccleſiam Dei eſſe, quandiu ſuper Petrum ædificata eſſet. hoc enim ſignificauit, cùm dixit, Et ſuper hanc petram ædificabo

De comparatione.

Gen. 18.

Rom. c. 4.

Cõparatio fidei Abrahæ, & promiſſionis ei factæ cum fide Petri. & promiſſione ei facta.

eccleſiam meam. Perinde enim eſt hoc, vt ſi diceret, nõ erit mea eccleſia, nec ego ero Deus eius, niſi ſit Petri eccleſia ſecundum fidem, & obedientiam. Ad eundem enim modum poſtquã dixit Abrahæ, vocaberis Abraã, quia patrem multarum gentium te conſtitui, ſubiungit paulò poſt, Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. quæ hanc vim habent, vt ſi dictum ſit, non ero Deus, niſi eorum, quorum tu eris pater. ſecundum fidem, & promiſſionem. Quod ſi Abraæ fides meruit, vt fieret pater multarum gentium, cur hæretici, & ſchiſmatici non credunt, inſignem illam Petri fidem principatum omnium eccleſiarum Dei meruiſſe, ita vt ſuper firmamentum poteſtatis eius Epiſcopalis, eccleſia catholica, tanquam ſuper petram firmam ædificata eſſet? idcirco enim quem Petrum propriè appellauerat, ſtatim aptiſſima tranſlatione petram vt paulò ante dixi, appellauit, quaſi firmamentum, quia is, qui bonis legibus aliis præeſt, firmamentum eſt ſolidum ſtatus eorum, ſicut in ſapientia Salomonis ſcriptũ eſt, Rex ſapiens ſtabilimentum populi. Sed videamus, quæ illa inſignis & illuſtris fides Petri fuerit, cui iſti tantum principatũ eccleſiaſticæ hierarchiæ deferre nolũt, fuit enim fides totius Trinitatis: Tu es enim (inquit) Chriſtus filius Dei viui, id eſt, filius genitus ex ſubſtãtia Dei patris, cuius vita vera eſt ipſa natura diuinitatis. Cùm autẽ cõfeſſus eſt Petrus, eſſe Chriſtum filium Dei naturalem, in eo ſimul confeſſus eſt ſpiritum ſanctũ, à quo vnctus eſt, Deo patri, & Deo filio æqualem, ac cõſubſtantialem. Si enim ſpiritus ſanctus in vngendo Chriſtum miniſter fuiſſet gratiæ alterius, quomodo, inquit beatus Cyrillus lib. 7. de Trinitate, potuiſſet Chriſtus eſſe ab eo vnctus, vt eſſet Rex? Ieſum Chriſtum enim à Nazareth vnxit Deus ſpiritu S. & virtute. vt idẽ Petrus in Actis Apoſt. ait. Quod quidem tunc pater cœleſtis eidem reuelauit, cùm reuelauit eſſe Chriſtum filiũ Dei viui: nec enim reuelare potuit Petro, eſſe hunc verum Chriſtum, id eſt, verè & diuinè vnctum, vtpote filiũ Dei factum hominem, niſi fidẽ ſpiritus S. à quo erat vnctus,

Act. 15.

reuelaret. Hæc ergo eſt illa fides admirabilis, quam nõ caro, & ſanguis Chriſti Petro reuelarunt: quia non cœpit hanc fidem Petrus, eo quod Chriſtum ſecundum carnẽ cognoſceret. imo hoc potius obſtabat. Sic enim beatus Hieronymus in libro, quem de circunciſione ſcripſit, interpretatus eſt. Nunquid enim ait, caro & ſanguis Petri obſtabant, quin filius Dei diceretur? non inquam, ſed potius Domini caro, & ſanguis, in quibus dum homo cernitur, quod erat Dei filius, non credebatur eſſe quod erat. Impoſſibile enim hominibus videbatur, Deum credere eſſe, cùm hominem viderent: & tantam maieſtatem, in qua inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, quam ipſe non capit mũdus, in corpuſculo etiam deſpectæ imaginis incluſam. Ait ergo, non hæc caro mea tibi, & ſanguis me eſſe Dei filium prodiderunt, imò iſta non patiuntur, me hoc credi, Hactenus interpretatio Hieronymi. Quid igitur rationi conuenientius, aut diuina admiratione, & laude dignius fieri poterat, quàm vt is toti eccleſiæ catholicæ præficeretur, qui & primus, & nomine omnium Apoſtolorum excellentiſſimam illam totius trinitatis fidem teſtatus, & profeſſus eſt? in cuius profeſſione, per baptiſmum regeneramur, ac membra eccleſiæ efficimur: & ad eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, accedimus, digni habiti, ſicut Apoſt. ait. in partem ſortis ſanctorum in Lumine. Quòd ſi iſti, dicam iterum, fidẽ Abrahæ meruiſſe credũt, vt fieret pater multarum gentium, cur non ſit eiſdem credibile, meruiſſe hanc talem ac tantam fidem Petri, vt fieret pater, & rector multarũ eccleſiarum? Ac rurſus, ſi Deus fidem Abraæ ita honorare voluit, vt illos tantum voluerit ſuos eſſe, ſeque eorum Deum, qui eſſent filij Abraæ ſecundum fidem, cur iſti credere nolunt, ita Chriſtum Dominum beatum Petrum ob fidem illam admirabilem totius Trinitatis honorare voluiſſe, vt illam tantum eccleſiam ſuam eſſe voluerit, Seque illius Deum eſſe, quæ eſſet Petri? Hoc enim ſignificabat, vt paulò ante dixi, illud ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: vt perinde eſſet, quaſi diceret, illa erit eccleſia mea, & ego illius Deus, cui tu præeris, & ſucceſſores tui poſt te in generationi- *Coloſſ. c. 1.*

Gen. 22. bus ſuis: Hi enim ſunt ſemen quoddam ſpirituale bea-
1. Ioan. c. 5. ti Petri principis Apoſtolorum. Denique, ſi Deus Abraę promiſit inquiens poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, (quia ſcilicet omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, ſicut beatus Ioannes ait: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra) & hanc promiſſionem factam Abraæ hæretici non negant, cur potius negare audent, quod beato Petro promiſit, aduerſus eccleſiam, quæ ſuper eum ædificata eſſet, nullas vires portas inferorum vnquam habituras eſſe, id eſt, nunquam eſſe interituram, quia ſcilicet nunquam fides eccleſiæ Romanæ, pro qua Chriſtus orauit, defectura eſſet. Interitum enim ſignificant hic portæ inferi, vt Euſeb. Cæſar. in libris de demonſtr. Euang. annotauit. Sed qui plura in hunc locum euangelij de eccleſia ſuper hanc petram ædificata deſiderauerit, ne eadem hic repetamus, legat, ſi placet, quæ ex ſcripturis ſanctis cùm eo loco ad interpretationem collatis in primo libro de ſummi Pontificis ſupra concilia auctoritate iam pridẽ ſcripſimus. Adhibeamus verò deinceps teſtimonia eorum, qui ſic hunc locum euangelij interpretati ſunt, ne quid à nobis aduerſus prauos interpretes ſcribentibus requiratur, teſtimonia dico veterum patrũ doctrina & ſanctitate præſtantium. qui petram de Petro, ſuper quẽ ædificata ſit eccleſia, acceperunt. quod ſi illos quoque, quamuis non Pontifices, neque apud Magdeb. hac ratione inuidioſos, indoctiſſimè tamẽ, & inſulſiſſimè interpretatos homines ſuperbiſſimi dixerint, vt de Anacleto Apoſtolico Pontifice dicere auſi ſunt, more ſuo facient: qui quæ ignorant, blaſphemant, & quæ nolunt, negant. ſed ſpero rurſus & confido, pleróſque eorum, quos ipſi iam deceperunt, cùm hæc legerint, iſtorum potius non ſolùm ignorantiam & malitiam, ſed amentiam & temeritatem cognituros. Beatus ergo Hieronymus incredibili lectione, & eruditione, & in litteris ſanctis exercitatiſſimus in epiſtola ad Marcellum aduerſus Montanum, Petrus, inquit, ſuper quem Dominus fundauit eccleſiam: & ſi hoc loco Eraſmus homo audax, ne dicam præceps, auſus eſt Hieronymum reprehendere. Hoc inquit, in præſentia detorquet ad com-

mendationem Petri, nec enim Petrus eſt fundamentum eccleſiæ, cùm Paulus dicat fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. non diſtinxit iſte auctor, quid interſit inter fundamentum θεαρχικὸν ſpiritum ſubminiſtrans, & vt Apoſt ait, caput ſuper omnia, quod eſt Chriſtus Ieſus, & fundamẽtum Hierarchicum, & ὑπουργικὸν hoc eſt miniſteriale, cui ſpiritus ſubminiſtratur, caput ſub Chriſto. & ex numero omnium creaturarũ, quod eſt Petrus. nemo itaque poteſt ponere aliud fundamentum ἰσότιμον καὶ αὐτοσθενὲς id eſt, æqualis honoris, ac per ſe forte, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. ſed proſequamur teſtimonia, rurſus idem Hieronymus in Comment. Matth. Ac ſecundum metaphoram Petræ rectè, inquit, dicitur ei, ædificabo eccleſiam meam ſuper te, item in commentariis Hieronymi prolixioribus, erudítiſſimis, quos in pſalmos ſcripſit qui in multis bibliothecis manu ſcripti extant, pſal. decimoquinto, immutabo, inquit nomina illorum, & de Simone Petrum faciam, quia ſuper petram illius mea fundata eſt eccleſia: de filiis Zebedæi filios tonitrui, ſublimia enim illis euangelij mei commiſſurus ſum ſacramenta. rurſus idem Hierony. in Ep. cap. ſecundo, vnde ſuper vnum, inquit, montium fundat eccleſiam, & loquitur ad eum, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, neſcio an audebunt dicere Magdeburgenſes, qua ſunt impudentia, indoctiſſimum quoque Hieronymum, ſicut Anacletum auſi ſunt. Cyrillus ἐν τοῖς ἑορτασικοῖς, πέτρα γὰρ καλεῖται, καὶ τὰς κλεῖς τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται, πέτρα δὲ οἶμαι παρωνύμως ἕτερον οὐδὲν ἢ ἀκατάσεισος καὶ ἑδραιοτάτη τοῦ μαθητοῦ πίστις κέκληται, ἐφ᾽ ᾗ καὶ ἀδιαπτώτως ἐρήρεισται καὶ διαπέπηγεν ἡ ἐκκλησία χριστοῦ καὶ αὐταῖς ἀνάλωτος ταῖς ᾅδου πύλαις εἰς ἀεὶ διαμένουσα interpretemur latinè, Petra, inquit, vocatur, & ei claues eccleſiæ creditæ ſunt. petra verò nihil aliud, vt arbitror, vocatum eſt nomine ducto à Petro quàm immobilis, & firmiſſima diſcipuli fides, ſuper quã eccleſia Chriſti ita fundata aç fixa eſt, vt ſubuerti nõ poſſit, & à portis inferni perpetuo tuta, ac incolumis duret, cùm ait Petrum vocari petram

De altero exẽplo pontificali firmandi in fide fratres in actis apoſt. propoſito.

ſcripturæ ſanctæ in Actis Apoſt. poſtquam Petrus primus, vt caput eccleſiæ, ſentẽtiam ſuam in illa Synodo Hieroſolymitana de relinquenda legis Moſaicæ obſeruatione dixerat, quia erat Iacobus illius eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopus, in qua ſurrexerant quidã ex hæreſi phariſæorum, qui dicebant oportere ſeruare legem Moyſis, neceſſariumque videbatur, vt quid ipſe ſentiret populus, cui præerat, ſciret, & vtrum cum capite ſuo concordaret, poſtquam Petrus perorauit, & tacuerunt Paulus & Barnabas, qui cum Petro conſentientia de conuerſatione gentium narrauerant, reſpondit Iacobus dicens, Viri fratres audite me: Simon narrauit quemadmodum primum Deus viſitauit ſumere ex gentibus populum ſuum nomini ſuo: & huic concordant verba prophetarum. & paulò poſt, Propter quod ego iudico, non inquietare eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, & quæ ſequuntur. auctoritatẽ Petri citat, cum prophetico teſtimonio conſentientem, qua confirmatus audet dicere cõſtanter, propter quod ego iudico &c. ſed dicent hic non ſolum Magdeburgenſes, ſed fortaſſis alii, non Simon ſed Simeon ſcriptũ eſſe, in Actis. ſcio Ioannem Chryſoſtomum non de Simone Petro interpretari, ſed de Simeone ſiue illo euãgelico, ſiue alio, neutrum enim affirmat, atque ita ferri ſcriptum in iis exemplaribus Græcis, quæ ædita habemus: ſed legendum eſſe Simon, vt eſt in latinis exemplaribus, & non Simeon, vt in Græcis, ex Clemẽte etiã Romano dicimus, is enim lib. 6. de Apoſtolicis conſtitutionibus cap. 12. Petrum introducit narrantem in illa Synodo ea, quæ tum Lucas de Petro cap. 10. tum idem Petrus cap. 11. Act. Apoſt. narrauerat de linteo magno è cœlo demiſſo, pleno quadrupedibus reptilibus & volatilibus, & quomodo diuinitùs à Cornelio accerſitus eſſet, & de ſpiritu S qui ſuper illum & domum eius cecidit, & alia inſuper quæ in Actis prætermiſſa ſunt quemadmodum tunc intellexiſſet verbum Domini, quod ſcriptũ erat, Omnis qui inuocauerit nomẽ Domini, ſaluus erit, & rurſus, Recordabuntur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt coram eo vniuerſæ familiæ gentium, quoniã Domini

Act. 15.

Quod in act. apoſt. non Simon legendum ſit cap. 15.

Locus act. 15.

eſt regnum,& ipſe dominabitur gentium, quodque vbique ſcriptum eſſet de vocatione gentium. quia igitur hæc Petrus cap. 1, Act. Apoſt. narrauit, vt Clemens auctor eſt, quæ in eo loco n ſine magna ratione, vt paulò poſt oſtendam, à Luca prætermiſſa ſunt, idcirco Iacobus dixit, Simon narrauit quemadmodum primum Deus viſitauit ſumere ex gentibus populũ nominĩ ſuo, ſcilicet narrauit Petrus cùm dixit paulò ſupra, Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire gentes verbum euangelij, & credere, & qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit illis. Cornelio enim Centurioni apparuit Angelus, & dixit, vt accerſeret me, & reliqua, quæ, vt dixi, tũ Lucas cap. 10. de Petro narrauit, tum ipſe idem Petrus cap. 11. coactus eſt narrare iis, qui erant ex circuncisione, qui cum eo diſceptabant dicentes, Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? incipiẽs enim, exponebat illis ordine dicens, Ego eram orans, & vidi in exceſſu mentis viſionẽ, deſcẽdens vas quoddam, & quæ ſequuntur: hæc omnia, vt antè dixi, Simon narrauit in illa Synodo, vt nos Clemens Romanus docuit, vt iam meritò dixerit Iacobus, Simon ἐξηγήσατο, quod verbum non conciſe, & ſummatim ſed fuſius & explicatius exponere ſignificat. cur autem non ſint ibi à Luca tertio per Petri perſonam repetita, in promptu eſt ratio, & quidem valde idonea, & prudenti ſcriptore digna, quia, ſi Petrus, quæ ſibi cum Cornelio acciderant, coactus eſt exponere ordine Hieroſolymitanis illis, qui Hieroſolymis ex circumciſione aduerſus eum diſceptabant dicentes, Quare introiſti ad viros præputium habentes, & mãducaſti cum illis? quoquomodo poſtea etiam ſimiliter, imò multo magis non cogebatur eadem exponere in Synodo? vbi audiebat multitudo, vbi Lucas teſtatur, & qui ex Antiochia aſcenderãt, cùm conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc, quia docebant quidam, oportere circumcidi, & ſeruare legem Moyſis. Quid igitur opus erat, vt ſanctus Lucas tertiò illa repeteret quæ tametſi non repeteret, conſequens erat, intelligere narrata eſſe ibi, & expoſita à beato Petro eadem, quæ illis,

A Clemente in conſt. apoſt. libro 6. expoſitus de quibuſdam à Luca prætermiſſis, & cur.

qui contra eum principio diſceptare cœpiſſent, narraſ-
ſet? Accedit huc, quod ſic illa prætermiſit Lucas capite
illo 15. vt, prætermiſſa eſſe, ne toties repeteret, nō obſcu-
re ſignificauerit ſignificauit inquam, cùm poſt narra-
tionem Petri reſpondit ſtatim Iacobus dicens, Viri fra-
tres audite me, Simon ἐξηγήσατο, id eſt, expoſuit. verbo
enim idem ſignificante vſus fuerat ſanctus Lucas in
Petro, cùm dixit cap. 11 de eo ἐξετίθετο καθεξῆς, id eſt ex-
ponebat ordine, idem enim ſignificat ἐξηγεῖσθαι. deinde
quod Iacobus de Petro dixerit, cùm dixit, Simon nar-
rauit, quis dubitare poteſt, ſi quæ Iacobus dicit Simonē
narraſſe, cum iis ipſis, quæ ibi Petrus narrauit, conferat
& ſententiam verbis vtriuſque ſubiectam pōderet. Pe-
trus enim dixit, Viri fratres vos ſcitis, quoniam ab an-
tiquis diebus Deus in vobis elegit per os meū audire
gentes verbum Euangelij, & credere. Iacobus verò, nō
in verba, ſed in ſenſum intuens narraſſe illum ait, quē-
admodum primum, id eſt, ab antiquis diebus, vt
Petrus dixit, Deus viſitauit ſumere ex gentibus po-
pulum nomini ſuo. verbo viſitandi conſilium ac pro-
uidentiam, & miſericordiam Dei ſignificauit: viſitauit,
inquam, vt eligeret gentes, quæ credentes in eum per
prædicationem Euangelij, fierent populus eius, & à
Chriſto chriſtiani vocarentur, hoc enim ſignificat ele-
giſſe Deum, ex gentibus populum nomini ſuo hoc
ipſum itē ſignificat elegiſſe audire gētes verbū Euāge-
lij, & credere. Itaq; Iacobus nō verba, ſed ſenſum Pe-
tri expreſſit, vt Euangeliſtæ quoque non raro facere
ſolent, cùm teſtimonia ex ſcripturis ſanctis producunt.
Cùm igitur certum ſit, quod beatus Iacobus dixit, Si-
mon narrauit, non de Simeone quopiam iuxta corru-
pta exemplaria, ſed de Simone Petro accipiēdum eſſe,
vt ex omnibus latinis exemplaribus, & ex Clemente
Romano, tum ex recta ratione ſcribēdi, deinde ex ipſis
verbis beati Petri, & beati Iacobi collatis, ponderata
ſententia demonſtratum eſt, non eſt quod amplius hę-
retici in inuidiam auctoritatis beati Petri Principis
Apoſtolorum hunc locum vanè, & temeritate iactent,
vt ſolent. immo intelligant potius exemplum eſſe cla-
riſſimum eius auctoritatis, quam Dominus in Euāge-
lio

lio eidem Petro, tanquam Petræ Eccleſiæ dedit firmã-dı fratres, cùm dixit, Ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua: Tu autem conuerſus firma fratres tuos. cùm enim, vt ſanctus Lucas narrat, ſurrexiſſent quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderent dicentes, quia oporteret circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſis: conueniſſent quoque Apoſtoli, videre de verbo hoc, cúmque magna conquiſitio fieret, quia ad Petrum pertinebat firmare eos in ea fidei ſanitate, quam à Domino acceperat, qui pro ea ſpiritum ſanctum, qui omnem veritatem reuelat, orauerat, ſurgẽs, inquit, Petrus dixit ad eos, Viri fratres, vos ſcitis, quoniã ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meũ audire gentes verbum Euãgelij, & credere. ab antiquis diebus dixit, id eſt, ante mundi cõſtitutionem, vt Paul. in epiſt. ad Eph. ait, benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui elegit nos ante mundi conſtitutionem fuit enim à ſæculis abſconditum hoc myſterium fidei, ſicut idem ad Coloſſ. ſcripſit, nec enim fuit nouum conſilium, ſed conſilium antiquum, & verum: vt Eſaias prædixit. dixit ergo beatus Petrus, electas eſſe gentes ab antiquis diebus, id eſt, ex æternitate ad myſterium fidei, tunc ipſis reuelatũ aduerſus eos, qui aiebant, vt beatus martyr Ignatius in epiſt. ad Philad. ſcripſit, euangelio non credam, niſi videro in antiquis: putabant enim nouum inuentum eſſe myſterium euangelij, & vocationem gentium ad verbum euangelij, & ad fidem. idcirco beatus Petrus cùm exponit Cornelio cap. 10 Act. hoc myſterium fidei Chriſti, producens teſtimonia Prophetarum, Huic, inquit, omnes Prophetæ teſtimonium prohibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eũ. prætermiſit verò Lucas ipſa teſtimonia Prophetarum breuitatis cauſa: ex quibus pauca Clemens recitauit, Tũc enim, inquit, cùm vidiſſet Petrus ſpiritum ſanctum ſuper Cornelium gentilem, & domum eius cecidiſſe, intellexit verbum Domini, quod ſcriptum erat, Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit: & rurſus Recordabuntur, & conuertentur ad Dominũ vniuerſi fines terræ, & adorabunt coram eo vniuerſæ familiæ

Auctoritas Petri in Euang. ei data affirmandum in fide cæteros, expreſſa in actis.

Eph. 1.

Coloſſ. 1.

Eſa. 25.

De teſtimoniis prophetarum à Luca prætermiſſis Act. c. 10. à Clemente relatis.

gentium, quoniam Domini eſt regnum: & ipſe dominabitur gentium, & quod vbique ſcriptum eſſet de vocatione gentium. Iacobus ergo Epiſcopus Hieroſolymitanus expoſitione beati Petri firmatus, ac repetens ſummatim illius ſententiam, & expoſitionem de vocatione gentium ad verbum Euangelij, teſtimoniis Prophetarum roboratam, & de ceſſatione Moſaicæ legis, auctoritatémque eius, vt Principis Apoſtolorum ſequens, ac totum conſeſſum & multitudinem ad idem faciendum hortans, Viri, inquit, fratres, audite me, Simon expoſuit: hoc enim ſignificat, vt antè dixi, verbũ græcum ἐξηγήσατο, quemadmodum primum, id eſt, à principio antequam quicquam faceret: quod Petrus dixerat, vt antè notatum eſt, ab antiquis diebus, & quę ſequuntur, ne eadem ſæpius repetam. Deinde ad teſtimonia Prophetarum, quæ beatus Petrus citauerat, vt ex cap. 10 act. & ex Clem. Rom. demonſtrauimus, addidit idem Iacobus teſtimonium Amos Prophetæ, & ſubiungit, Propter quod ego iudico, id eſt, quia Simon ſic expoſuit, & cum eius expoſitione, vt à Deo reuelata concordant verba Prophetarum, iudico, inquam, non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum. non inquietari dicit, ſcilicet cogendo eos ad obſeruationem legis: ſiquidem in ſingulis ciuitatibus prædicabatur lex per Synagogas, vbi legebatur per omne ſabbathum. hoc ipſum dixerat prius beatus Petrus. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum, ſcilicet legis Moſaicæ, ſuper ceruices diſcipulorum? & quæ ſequuntur, ſubiungit deinde idem Lucas, tacuit autem omnis multitudo: quod ſatis declarat, omnes auctoritati Petri acquieuiſſe: neque enim ſilentium factum eſt ad audiẽdum Paulum. quaſi prius omnes loquerentur, ſed tacuit, inquit, multitudo. quia ſcilicet nemo quicquam obiecit, ſed potius omnes in fide illius dogmatis confirmati, tacuerunt. videte Magdeburgenſes, quid doctiſſimus Tertull. & in ſcripturis ſanctis exercitatiſſimus de illa Petri ſententia in libro de pudicitia ſcripſerit, poſtquam dixit, in Petro extructam eſſe eccleſiam, cùm vellet eius rei per exempla quædam exitum, & experientiam quandam in Actis

De exemplo, & experientia auctoritatis Petri ſupra eccleſiam in Act. ex obſeruatione Tertulliani.

Apoſt. oſtendere, ſubiungit, Ipſe denique primus in Chriſti baptiſmo reſerauit aditum cœleſtis regni, quo ſoluuntur alligata retrò delicta, & alligantur, quæ non fuerint ſoluta ſecundum veram ſalutem: & Ananiam vinxit vinculo mortis: & debilem pedibus abſoluit vitio valetudinis: deinde ſubiungit, Sed & in illa diſceptatione cuſtodiendæ legis primus omnium Petrus ſpiritu inſtinctus, & de nationum vocatione præfatus, etiam nunc, inquit, quid tentaſtis Dominum de imponendo iugo fratribus, quod neque vos, neque patres veſtri ſufferre valuerunt? ſed etiam per gratiam Dei credimus ſalutem conſecuturos, ſicut illi. Deinde ſubiungit Tertull. hac ſententia, & ſoluit, quæ omiſſa ſunt legis: & alligauit, quæ ſeruata ſunt. Sed redeamus ad Acta Apoſt. & conſideremus, quod Lucas poſt Iacobi per orationem ſubiungit. Tunc inquit, placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni eccleſia eligere, & quæ ſequuntur. tunc inquit, ſcilicet cùm Iacobus propter expoſitionem Petri Principis Apoſtolorum, & verba prophetarum illi conſona iudicauit non eſſe legis obſeruationem à gentibus requirendam. Omnes igitur, tum Apoſtoli, tum presbyteri, & omnis eccleſia firmitatem ſententiæ ex Petri expoſitione cum Prophetarũ teſtimoniis conſentiente duxerunt. quam formam vniuerſa deinceps concilia ritè habita, tenuerunt, vt eorũ decreta non, niſi auctoritate Pontificis, firma eſſent. vt, ſit Benedictus 3. ad Igmarum Rhemenſem Archiepiſcopum de Synodo eius à Pontifice Romano confirmanda ante ſeptingentos annos ſcripſit, quæſtio inde nullis aliquando temporibus oriatur: & aſpirantes in Deo anhelitus compreſſi funditus perpetuò maneant, ne amplius illorum contradicentium aduerſitatibus Dei conturbetur eccleſia: Sed omnibus eruta ſæuę pertractationis erroribus, vnita ſemper in Chriſto permaneat. ob eandem cauſam Leo magnus Chalcedonenſem Synodum confirmauit, vt ipſe in epiſtola ad Marcianum Imperatorem teſtatur, ne, inquit, per malignos interpretes dubitabile videatur verum, quæ in Synodo Chalcedonenſi per vnanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem, hæc ad omnes fratres &

Vnde ducta forma, vt concilia auctoritate põti. Rom. confirmentur.

Coepiſcopos noſtros, qui prædicto concilio interfuerunt, ſcripta direxi, & quæ ſequuntur. Hæc quoque fuit cauſa, cur Tridentina Synodus contra ætatis noſtræ hæreticos habita, nuper à Pio 4. Pontifice Romano confirmaretur. ad Pontificem enim pertinet ἐπικυρῶν συνοδικὴν ἀπόφασιν, id eſt, confirmare, ac ratam habere Synodi ſententiam, vt Photius Conſtantinop. ad Nicolaum primum ſcripſit. & magnus Baſilius cùm peteret à Pontifice Rom. vt mitteret Legatos ſuos ad Orientem cum actis concilij Ariminenſis, vt ea reſcinderet, confitetur Pontificem Rom. περὶ ταῦτα αὐθεντεῖν (hoc enim verbo vtitur) id eſt, ius & auctoritatem habere in his, vt ex epiſt. eius ad Athanaſium, in qua hæc ſcribit, perſpici poteſt. Immo illud hic obſeruatione dignum eſt, cùm dixit beatus Petrus, ab antiquis diebus elegiſſe Deum gentes, vt audirent verbum euangelij per os eius, idque eos, qui aderant ſcire, ſignificaſſe τὸ αὐθεντικὸν. id eſt, auctoritatem ſibi à Deo datam, quæ conuenienter ſcripturæ ſanctæ ad confirmandam fidem omnium, & verbi prædicationem pertineret: hac enim ratione τῆς αὐθεντείας, id eſt, auctoritatis excepta, æque, omnes ad prædicandum verbum euangelij Deus elegerat: ſed ratione, vt dixi, auctoritatis ipſe erat os omnium.

Quid in Act. ſignificet, quod Petrus dixit, elegiſſe D. ũ gẽtes, vt per os eius audirent euangelium.

Quomodo ex locis ſcripturæ ſanctæ de confirmandis fratribus in fide per Petrum concludatur ſuper Petrum ædificatam eſſe eccleſiam: & quomodo qui Petrus propriè vocatus eſt, idem quoque Petra tranſlate ſecundum conſuetudinem ſcripturæ dictus eſt, & de comparatione promiſſionis factæ Abraæ cum promiſſione facta Petro, & de teſtimoniis veterum patrum Græcorum, & Latinorum, qui ſic interpretati ſunt, ſuper hanc Petram, id eſt, ſuper Petrum, Tertullianus, Cyprianus, Athanaſius, Ambroſius, Hilarius, Euſebius Alexandr. Hippolytus, Hyeronymus, Auguſtinus, Cyrillus, Theodoretus, Theophanes Cerameus, Baſilius, Chryſoſtomus & alii.

Caput 6.

SAtis hactenus, vt opinor, exemplis ſcripturæ ſanctæ demonſtratum eſt, quemadmodum beatus Petrus, vt ei Dominus præcepit, & ſanxit, fratres in fide ſua, pro qua Dominus oraſſet, firmauerit. ex quibus locis, apud eos quidem, quos aut tarditas ingenij, aut malitia nõ impedit, quin conſequentia, & repugnantia videant, clarè iam apparet, Eccleſiam Catholicam ſuper eum eſſe ædificatam, cui Dominus mandauit, vt fratres, & fratrum eccleſias in fide, inſtar Petræ, fulciret ac ſolidaret. Etenim, ſi cõcedant Petro hanc auctoritatẽ firmandi fratres in fide, vident certè neceſſario conſequens eſſe, vt ſimul concedant, ſuper eius auctoritatem ad firmandum in fide ſua, pro qua orauit Dominus, ædificatam eſſe eccleſiã fratrum. nam, ſi non poteſt eſſe eccleſia fratrum, niſi auctoritate eius ſtabiliatur, ac firmetur, ergo ſuper eam ædificatur: quod enim firmatur, ſuper id, quo firmum efficitur, ædificatur. ſuper Petrum igitur habentem auctoritatem ad firmandum in fide ſua, ædificata eſt eccleſia: auctoritas enim non poteſt eſſe ſeparata σχετικῶς, id eſt, ſecundum habitudinem ab eo, cuius eſt auctoritas, quare neceſſariò confitendum eſt, quod Dominus dixit, Tu es Petrus & ſuper hanc Petrã ædificabo eccleſiam meam, perinde eſſe, ac ſi diceretur, tu es Petrus ſic enim voluit Dominus, vt propriè vocaretur, cũ ei dixit, tu es Simon Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus: & ſuper te, qui poſt hac eris Petra, ædificabo eccleſiam meam. itaque, quem vocauerat Petrum nomine impoſito à Petra, vt beatus quoque Hieronymus in comm. Matth. teſtatur, rurſus ſtatim vocauit Petram Metaphorice, nomen enim, quod lapidi conuenit ſecundum naturalem firmitatem, ad Petrum propter firmitate fidei eius, & propter firmandi in ea fratres auctoritatem tranſlatum eſt: Sicut alias ſcriptura ſancta facere ſolet, tranſire ſcilicet à proprio nomine ad tranſlatum vt, cum ait, vidit Petrum, & Andream fratrem eius, mittentes retia, erãt enim piſcatores, & ait illis, Venite poſt me & faciam vos fieri piſcatores hominum. & apud Lucam, Stupor, inquit, circũdederat eum, & omnes, qui cum illo erant ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ

Quomodo ex auctoritate Petri aſſirmandũ fratres in fide ſecundũ euang. ſequatur ædificatam eſſe eccleſiam ſuper eum ſecundam idem euang.

Matth. 16.

De nomine Petri propriè: & de nomine Petræ Metaphorico, ſiue tranſlato.

Conſuetudo ſcripturæ tranſeundi à proprio nomine ad tranſlatum.

τῶν ἰχθύων, id eſt, ſuper captura piſcium, & Dominus dixit, Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens, Græce eſt, ζωγρῶν, dictum ἀπὸ τῆς ἄγρας ζώσης, id eſt, à præda viua ratione carente, cui propriè conuenit, trã-ſlatum verò eſt ad homines Eccleſiam igitur ædificatam eſſe ſuper ſedẽ Apoſtolicã, id eſt, Romanã, vt ſanctus Anacletus ait quod Magdeburgẽſes accuſant, nõ intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, eſt eſſe ædificatam ſuper firmam fidẽ, & immobilem Rom. pontificis auctoritatẽ: hoc enim ſignificare ſolet in ſcriptura ſancta ſedes, vt veteres obſeruarunt τὸ ἑδραῖον καὶ ἀμετακίνητον, vt illud, Parata ſedes tua ex tunc Sedem itaque vocauit ſanctus Anacletus Metaphorice eum, quem Dominus tranſlate quoque vocauit petram διὰ τὴν στεῤῥότητα, id eſt, propter firmitatem fidei, pro qua Dominus orauit, & in qua firmare fratres iuſſit: Quod ſi adhuc cõtendunt iſti, nõ eſſe accipiendũ de Petro, quod Dominus dixit, Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, quæramus rurſus ab eis, quare Dominus nomen mutauit Simoni, cũ dixit ei, Tu vocaberis Cephas? quod nomen idem poſtea interpretans, à petra, quam Syri, & Hebræi propter linguæ viciniam Cephan vocant, vt beatus Hier in cõment. epiſt. ad Galatas auctor eſt, Petrum vocauit, cùm ei dixit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, quod perinde eſt, quaſi diceret, & ego impono tibi nomen Petrus vt Marcus euangeliſta interpretatur, cùm ait, & impoſuit Simoni nomen Petrus. dictum eſt, vnde ſit appellatus Petrus, ſcilicet à petra. Quare autẽ ſic à petra appellatus ſit, ſtatim declarat, idem Dominus ſubiungens, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiã meã: illa enim coniunctio, &, pro, quia, accipitur hoc loco, vt ſolet alias frequenter in ſcriptura. Vt ſit perinde, ac ſi diceret, Hoc nomen Petrus à petra tibi impono, quia ſuper te tanquam ſuper petram ædificaturus ſum eccleſiam meam. Sic etiam, cùm Deus nomen impoſuit Abrahæ, mutato vetere, cauſam cõtinuò reddidit. poſtquam enim dixit, Tu vocaberis Abraham, ſtatim ſubiunxit. quia patrem multarum gentium te cõſtitui: hoc enim ſonat nomen Abrahæ, patrem multitudinis. Hoc

Quid ſignificet ædificatam eſſe eccleſiam ſuper ſedem apoſtolicam.

Marc. 3.

Gen 17.

ergo nomine Abrahę voluit Deus teſtatum eſſe omnibus, & notum qui eſſent in filiis Abrahæ, & Dei habēdi: ſcilicet non filij carnis, id eſt, nati ex ſanguinibus, ſed nati ex aqua & ſpiritu S. ſecundum Dei promiſſionem, Sicut Iſaac natus eſt Abrahæ ſecundum promiſſionem, & non ex ſanguinibus, (deſierant enim Sarræ fieri muliebria ſicut ſcriptura teſtatur) id eſt, natus eſt, non agente natura, ſed gratia, & virtute Dei, qui hoc promiſit Abrahæ, cùm eſſet corpus eius, vt Apoſtolus ait, emortuum, quippe qui erat prope centum annorū, è vulua Sarræ emortua. Vnde pulchrè beatus Chryſoſtomus conferens ortum noſtrum ſpirituale cū illo Iſaac ſecū dum promiſſionem, ſic in homilia de mutatione nominis Pauli, & Abrahæ ſcribit, ὥσπερ γὰρ ἐκεῖ χάρις εἰργάσατο, οὕτω καὶ ἐνταῦθα. προῆλθεν ἐκεῖνος ἀπὸ μήτρας κατεψυγμένης, ἀνέβης σὺ ἀπὸ ὑδάτων ψυχρῶν. ὅπερ οὖν ἐκείνῳ ἡ μήτρα, τοῦτο σοι ἡ κολυμβήθρα, εἶδες τόκου συγγένειαν, εἶδες χάριτος συμφωνίαν, εἶδες πανταχοῦ τὴν φύσιν σχολάζουσαν, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ τὸ πᾶν ἐργαζομένην, διὰ τοῦτο κατ' ἐπαγγελείαν τέκνα ἐσμὲν interpretemur nos eiſdem fere verbis, vt enim, inquit, gratia illic operata eſt, ſic etiā hic. æditus eſt ille ex vtero, qui frigore obriguerat: & tu ex aquis frigidis aſcendiſti Quod igitur illi fuit vterus, hoc tibi fons baptiſmi. hæc cognatio vtriuſque partus: hæc conſenſio vtriuſque gratiæ vtrobique vacat natura. Omnia efficit vis Dei. ob hanc cauſſam filii ſumus ſecundum promiſſionē Iſaac. Hactenus de Abraham patre multarum gentium, & de mutatione nominis eius: in quo tanquam in columna perpetua, vt ait idē Chryſoſtomus, promiſſionem Deus inſcripſit, redeamus ad Petrum multarum quoque gentium, id eſt, innumerabilium eccleſiarū patrē, & rectorem, in cuius nomine à Domino impoſito, & à petra ducto, tanquam in columna quadam ante conſpectū omnium collocata monumentum eccleſiæ ſuper eum ædificatæ, & promiſſionis fidei nunquam defecturæ poſitum à Chriſto eſt quo etiā maximè admonere nos voluit, tandiu eccleſiam aliquam, eccleſiam Dei eſſe, quandiu ſuper Petrum ædificata eſſet. hoc enim ſignificauit, cùm dixit, Et ſuper hanc petram ædificabo

De comparatione.

Gen. 18.

Rom. c. 4.

Cōparatio fidei Abrahæ, & promiſſionis ei factæ cum fide Petri. & promiſſione ei facta.

ecclesiam meam. Perinde enim eſt hoc, vt ſi diceret, nõ erit mea eccleſia, nec ego ero Deus eius, niſi ſit Petri eccleſia ſecundum fidem, & obedientiam. Ad eundem enim modum poſtquã dixit Abrahæ, vocaberis Abraã, quia patrem multarum gentium te conſtitui, ſubiungit paulò poſt, Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. quæ hanc vim habent, vt ſi dictum ſit, non ero Deus, niſi eorum, quorum tu eris pater ſecundum fidem, & promiſſionem. Quod ſi Abraæ fides meruit, vt fieret pater multarum gentium, cur hæretici, & ſchiſmatici non credunt; inſignem illam Petri fidem principatum omnium eccleſiarum Dei meruiſſe, ita vt ſuper firmamentum poteſtatis eius Epiſcopalis, eccleſia catholica, tanquam ſuper petram firmam ædificata eſſet? idcirco enim quem Petrum propriè appellauerat, ſtatim aptiſſima tranſlatione petram vt paulò ante dixi, appellauit, quaſi firmamentum, quia is, qui bonis legibus aliis præeſt, firmamentum eſt ſolidum ſtatus eorum, ſicut in ſapientia Salomonis ſcriptũ eſt, Rex ſapiens ſtabilimentum populi. Sed videamus, quæ illa inſignis & illuſtris fides Petri fuerit, cui iſti tantum principatũ eccleſiaſticæ hierarchiæ deferre nolũt. fuit enim fides totius Trinitatis: Tu es enim (inquit) Chriſtus filius Dei viui, id eſt, filius genitus ex ſubſtãtia Dei patris, cuius vita vera eſt ipſa natura diuinitatis. Cùm autẽ cõfeſſus eſt Petrus, eſſe Chriſtum filium Dei naturalem, in eo ſimul confeſſus eſt ſpiritum ſanctũ, à quo vnctus eſt, Deo patri, & Deo filio æqualem, ac cõſubſtantialem. Si enim ſpiritus ſanctus in vngendo Chriſtum miniſter fuiſſet gratiæ alterius, quomodo, inquit beatus Cyrillus lib. 7. de Trinitate, potuiſſet Chriſtus eſſe ab eo vnctus, vt eſſet Rex? Ieſum Chriſtum enim à Nazareth vnxit Deus ſpiritu S. & virtute. vt idẽ Petrus
Act. 15. in Actis Apoſt. ait. Quod quidem tunc pater cœleſtis eidem reuelauit, cùm reuelauit eſſe Chriſtum filiũ Dei viui: nec enim reuelare potuit Petro, eſſe hunc verum Chriſtum, id eſt, verè & diuinè vnctum, vtpote filiũ Dei factum hominem, niſi fidẽ ſpiritus S. à quo erat vnctus,

reuelaret. Hæc ergo eſt illa fides admirabilis, quam nõ caro, & ſanguis Chriſti Petro reuelarunt: quia non cœpit hanc fidem Petrus, eo quod Chriſtum ſecundum carnẽ cognoſceret. imo hoc potius obſtabat. Sic enim beatus Hieronymus in libro, quem de circunciſione ſcripſit, interpretatus eſt. Nunquid enim ait, caro & ſanguis Petri obſtabant, quin filius Dei diceretur: non inquam, ſed potius Domini caro, & ſanguis, in quibus dum homo cernitur, quod erat Dei filius, non credebatur eſſe quod erat. Impoſſibile enim hominibus videbatur, Deum credere eſſe, cùm hominem viderent: & tantam maieſtatem, in qua inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, quam ipſe non capit mũdus, in corpuſculo etiam deſpectæ imaginis incluſam. Ait ergo, non hæc caro mea tibi, & ſanguis me eſſe Dei filium prodiderunt, imò iſta non patiuntur, me hoc credi, Hactenus interpretatio Hieronymi. Quid igitur rationi conuenientius, aut diuina admiratione, & laude dignius fieri poterat, quàm vt is toti eccleſiæ catholicæ præficeretur, qui & primus, & nomine omnium Apoſtolorum excellentiſſimam illam totius trinitatis fidem teſtatus, & profeſſus eſt? in cuius profeſſione, per baptiſmum regeneramur, ac membra eccleſiæ efficimur: & ad eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, accedimus, digni habiti, ſicut Apoſt. ait. in partem ſortis ſanctorum in Lumine. Quòd ſi iſti, dicam iterum, fidẽ *Coloſſ. c. 1.* Abrahæ meruiſſe credũt, vt fieret pater multarum gentium, cur non ſit eiſdem credibile, meruiſſe hanc talem ac tantam fidem Petri, vt fieret pater, & rector multarũ eccleſiarum? Ac rurſus, ſi Deus fidem Abraæ ita honorare voluit, vt illos tantum voluerit ſuos eſſe, ſeque eorum Deum, qui eſſent filij Abraæ ſecundum fidem, cur iſti credere nolunt, ita Chriſtum Dominum beatum Petrum ob fidem illam admirabilem totius Trinitatis honorare voluiſſe, vt illam tantum eccleſiam ſuam eſſe voluerit, Seque illius Deum eſſe, quæ eſſet Petri? Hoc enim ſignificabat, vt paulò ante dixi, illud ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: vt perinde eſſet, quaſi diceret, illa erit eccleſia mea, & ego illius Deus, cui tu præeris, & ſucceſſores tui poſt te in generationi-

Gen. 22. 1. Ioan. c. 5.

bus ſuis: Hi enim ſunt ſemen quoddam ſpirituale beati Petri principis Apoſtolorum. Denique, ſi Deus Abraæ promiſit inquiens poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, (quia ſcilicet omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, ſicut beatus Ioannes ait: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra) & hanc promiſſionem factam Abraæ hæretici non negant, cur potius negare audent, quod beato Petro promiſit, aduerſus eccleſiam, quæ ſuper eum ædificata eſſet, nullas vires portas inferorum vnquam habituras eſſe, id eſt, nunquam eſſe interituram, quia ſcilicet nunquam fides eccleſiæ Romanæ, pro qua Chriſtus orauit, defectura eſſet. Interitum enim ſignificant hic portæ inferi, vt Euſeb. Cæſar. in libris de demonſtr. Euang. annotauit. Sed qui plura in hunc locum euangelij de eccleſia ſuper hanc petram ædificata deſiderauerit, ne eadem hic repetamus, legat, ſi placet, quæ ex ſcripturis ſanctis cùm eo loco ad interpretationem collatis in primo libro de ſummi Pontificis ſupra concilia auct ritate iam pridẽ ſcripſimus. Adhibeamus verò deinceps teſtimonia eorum, qui ſic hunc locum euangelij interpretati ſunt, ne quid à nobis aduerſus prauos interpretes ſcribentibus requiratur, teſtimonia dico veterum patrũ doctrina & ſanctitate præſtantium, qui petram de Petro, ſuper quẽ ædificata ſit eccleſia, acceperunt. quod ſi illos quoque, quamuis non Pontifices, neque apud Magdeb. hac ratione inuidioſos, indoctiſſimè tamẽ, & inſulſiſſimè interpretatos homines ſuperbiſſimi dixerint, vt de Anacleto Apoſtolico Pontifice dicere auſi ſunt, more ſuo facient: qui quæ ignorant, blaſphemant, & quæ nolunt, negant. ſed ſpero rurſus & confido, pleróſque eorum, quos ipſi iam deceperunt, cùm hæc legerint, iſtorum potius non ſolùm ignorantiam & malitiam, ſed amentiam & temeritatem cogrituros. Beatus ergo Hieronymus incredibili lectione, & eruditione, & in litteris ſanctis exercitatiſſimus in epiſtola ad Marcellum aduerſus Montanum. Petrus, inquit; ſuper quem Dominus fundauit eccleſiam: & ſi hoc loco Eraſmus homo audax, ne dicam præceps, auſus eſt Hieronymum reprehendere. Hoc inquit, in præſentia detorquet ad com-

mendationem Petri, nec enim Petrus eſt fundamentum eccleſiæ, cùm Paulus dicat fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. non diſtinxit iſte auctor, quid interſit inter fundamentum ἀρχικὸν ſpiritum ſubminiſtrans, & vt Apoſt. ait, caput ſuper omnia, quod eſt Chriſtus Ieſus, & fundamẽtum Hierarchicum, & ὑπουργικὸν hoc eſt miniſteriale, cui ſpiritus ſubminiſtratur, caput ſub Chriſto. & ex numero omnium creaturarũ, quod eſt Petrus. nemo itaque poteſt ponere aliud fundamentum ἰσότιμον καὶ αὐτοσθενὲς id eſt, æqualis honoris, ac per ſe forte, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. ſed proſequamur teſtimonia, rurſus idem Hieronymus in Comment. Matth. Ac ſecundum metaphoram Petræ rectè, inquit, dicitur ei, ædificabo eccleſiam meam ſuper te, item in commentariis Hieronymi prolixioribus, eruditiſſimis, quos in pſalmos ſcripſit qui in multis bibliotheci manu ſcripti extant, pſal. decimoquinto, immutabo, inquit nomina illorum, & de Simone Petrum faciam, quia ſuper petram illius mea fundata eſt eccleſia: de filiis Zebedæi filios tonitrui, ſublimia enim illis euangelij mei commiſſurus ſum ſacramenta. rurſus idem Hierony. in Ep. cap. ſecundo, vnde ſuper vnum, inquit, montium fundat eccleſiam, & loquitur ad eum, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. neſcio an audebunt dicere Magdeburgenſes, qua ſunt impudentia, indoctiſſimum quoque Hieronymum, ſicut Anacletum auſi ſunt. Cyrillus ἐν τοῖς ἑορταστικοῖς, πέτρα γὰρ καλεῖται, καὶ τὰς κλεῖς τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται, πέτρα δ' οἶμαι παρωνύμως ἕτερον οὐδὲν ἢ ἀκατάσειστος καὶ ἑδραιοτάτη τοῦ μαθητοῦ πίστις κέκληται, ἐφ' ᾗ καὶ ἀδιακλώτως ἐρήρεισται καὶ διαπέπηγεν ἡ ἐκκλησία χριστοῦ καὶ αὐταῖς ἀνάλωτος ταῖς ᾅδου πύλαις εἰς ἀεὶ διαμένουσα interpretemur latinè, Petra, inquit, vocatur, & ei claues eccleſiæ creditæ ſunt. petra verò nihil aliud, vt arbitror, vocatum eſt nomine ducto à Petro quàm immobilis, & firmiſſima diſcipuli fides, ſuper quã eccleſia Chriſti ita fundata ac fixa eſt, vt ſubuerti nõ poſſit, & à portis inferni perpetuo tuta, ac incolumis duret, cùm ait Petrum vocari petram

in euangelio, & rurſus nihil aliud vocatum eſſe petram quàm fidem Petri ſignificat Petrum vocatum eſſe petram à firmitate & immutabilitate fidei ſuæ: hæc verò duo Petrus fide firmus, & firma Petri fides non re, ſed cogitatione tantum ſeparantur. Aug. in lib cõtra epiſt. Donati, in Petro ait, tãquam in petra fundatam eſſe eccleſiam quam ſententiam, atque loci euangelici interpretationem auctoritate beati Ambroſij multorum ore celebratam probauit libro priore retract. cap. 21. ſic enim ait, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait, hoc ipſa petra eccleſia canente, culpam diluit. deinde ſubiungit idem Aug. ſed ſcio me poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, vt ſuper hanc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus, dicens, tu es Chriſtus filius Dei viui: ac ſi Petrus ab hac petra appellatus perſonam eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur: & accepit claues regni cælorum. non enim dictum eſt illi, tu es petra, ſed tu es Petrus, petra autem erat Chriſtus quem confeſſus Simon, ſicut eum tota eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Priorem ſententiam auctoritate verſuũ beati Ambroſij, & approbatione multorum eos canentium probauit. de poſteriore verò ſenſu, quia dubitabat, & nullius veterum patrum auctoritate probare poterat, admonere voluit inter cætera, quæ à ſe aliquando dicta nõ probabat: aut ſuſpecta habebat: cuiuſmodi eſt hoc. idcirco ſubiungit, harum autem ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector. Nos igitur priorem eligimus, & ſequimur, quæ non ſolùm probabilior eſt: ſed huius loci euangelici magis propria. Non negamus eccleſiam eſſe fundatam ſuper Chriſtum, eúmque eſſe petram, ſicut ſcriptum eſt, petra autem erat Chriſtus, ſed illud affirmamus ſcripturæ ſanctæ, & ſanctorũ patrum auctoritate confirmati, Chriſtum, qui eſt verum eccleſiæ ſuæ fundamentum, ædificaſſe eccleſiam ſuper Petrum tanquam ſuper petram, ſicque eum appellaſſe tranſlatè à fortitudine & firmitate fidei eius, pro qua etiam idem Dominus poſtea orauit, ne vnquam defice-

De retractatione Aug in interpretatione eius ſuper hanc petrã, id eſt, Chriſtum.

ret:& vt ea cæteros fratres firmaret,eidem mandauit. item beatus Cyprianus fundatam eſſe eccleſiam ſuper Petrum frequenter affirmat in lib. de vnitate eccleſiæ, lib. 1. epiſ. epiſt. 3. lib. 4. epiſ. 9. in tractatu 2. de habitu virginum, ſer. 3 de patientia, & in epiſt. ad Quintinum, quos omnes locos Magdeb. in 2 centur. cap. de doctrina diligenter quoque notarunt. credo vt ſtudium legendi oſtentarent: vtinam ſic poſſent ſtudium intelligendi. Tertull. in lib. de pudicitia ſuper te, inquit, ædificabo eccleſiam meam: & dabo tibi claues, non eccleſiæ & quæcunque ſolueris, vel ligaueris non quæ ſoluerint vel alligauerint. Sic enim & exitus docet, in ipſo eccleſia extructa eſt: id eſt per ipſum ipſe claues imbuit fidei. Hactenus Tertull. Athanaſius, & Synodus Alexãdrina in epiſt. ad Fælicem Pontificem Rom. tu, inquiunt, es Petrus, ſicut veraciter dicit diuinum eloquium, & ſuper fundamentum tuum eccleſiæ columnæ ſunt confirmatæ. Theodoretus in epiſt. ad monachos conſtant. interpretans hunc locum euangelij, ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, ſic ait, τὴν δὲ ταύτην τὴν ὁμολογίαν κρατυνῶν, id eſt, hanc confeſſionem Petri roborans, ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & rurſus in epiſt. ad Eulalium Epiſcopum Armeniæ Perſicæ, ſic ait, & beatum Petrum, cuius confeſſionem tanquam rupem quandam fundamentum eccleſiæ collocauit, permiſit σαλευθῆναι καὶ ἀρνηθῆναι, id eſt, concuti, & negari: & rurſus illum erexit. non dixit ſimpliciter, confeſſionem fidei fundamẽtum eſſe eccleſiæ vt hæretici dicunt, ſed Petri confeſſionem fidei: confeſſio enim fidei, quæ ſit eccleſiæ fundamentum, eſt illa confeſſio fidei firmæ, quæ fuit Petri, & permanet in ſucceſſoribus eius: eſt itaque aduertendum, vt iterum admoneam, ne quis erret, vnum idémque eſſe re, fidem Petri firmam, & Petrũ in fide firmũ, ac proinde vnum idémque eſſe re, ædificatam eſſe eccleſiam ſuper petrum in fide firmum, tanquam petram: & ædificatam eſſe ſuper fidem petri ſiue confeſſionem petri firmam tãquam petram, ſiue rupem. vtraque enim cogitatione quidem diſtingui poſſunt: re verò non poſſunt. quod quidem quia Magd. non conſiderarunt, nec

intellexerunt, ſic in Centuria 5. de primatu loquentes ſcripſerunt, fundamentum illud, tu es Petrus, &c. quo Gelaſius & alij, Felix Roman. Epiſcopus eneruat in epiſ. ad Zenonem Imperatorem, in qua ſuper confeſſionem Petri Ieſum eccleſiam ædificaſſe indicat. hæc iſti ſuper confeſſionem ergo Petri dixit Felix pro eo quod eſt, ſuper Petrum confitentem, re enim iſta, vt dixi, ſeparari non poſſunt. Theophanes cognomento Cerameus Archiepiſcopus Tauromeniæ in Sicilia auctor in ſcripturis valdè exercitatus, & eruditus, in ſermone de ſanctis Apoſtolis ſic ait. ἐγὼ δὲ σοί λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ τῇ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω τὴν ἐκκλησίαν, σὺ φησὶ πέτρος ὢν πέτρα γενήσῃ τῆς Χριστοῦ λόγου πίστεως καὶ τῆς ἑδραζομένης ἐκκλησίας θεμέλιος καὶ πρώτη τῆς πνευματικῆς οἰκοδομῆς ἀφορμή. ἐπὶ ὁμολογίᾳ γὰρ ταύτῃ τῆς ἐκκλησίας ὁ θεμέλιος ϛήσεται, διαύτης γὰρ τῆς κρηπῖδος τεθείσης καὶ τὰ λοιπὰ δόγματα ἀσφαλῶς οἰκοδομηθήσεται, interpretemur latinè, ego verò, inquit, dico tibi, quod tu es petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: tu, inquit, qui petrus es, petra fies fidei verbi, & eccleſiæ firmatæ fundamentum ac ſpiritualis ædificationis primus aditus ſuper hanc enim confeſſionem fundamentum eccleſiæ ſtabit tali nanque petra, ac rupe collocata, reliqua dogmata firmè ac tutè ædificabuntur. Magnus Baſilius in commentariis Eſ. cap. ſecundo interpretans illum locum, & erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domini, domus Domini, inquit, in ſummis montium eccleſia eſt, vt dixit Apoſtolus, oportet ſcire. quomodo oporteat in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viuentis, cuius fundamenta ſunt in montibus ſanctis. ædificata enim eſt ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum Deinde ſubiungit, vnus ex his montibus fuit Petrus, quem petram appellauit, propter firmitatem maximam fidei, & infractum robur animi ad non cedendum ictibus tentationum, & periculorum, ſuper quam petram promiſit Dominus ædificare eccleſiam ſuam. Hactenus Baſilius rurſus idem Baſilius in ſermone de pœnitentia, cùm audiſſet (inquit) petra es, laudem tulit: etſi enim petra eſt, non, vt Chriſtus petra: vt Petrus pe-

tra. Chriſtus enim eſt verè petra immobilis: Petrus verò propter petram ſcilicet eſt immobilis. donat enim Ieſus dignitates ſuas non exinanitus & exhauſtus ipſe, ſed habens largitur. Lux eſt. vos eſtis lux mũdi. Sacerdos eſt: facit ſacerdotes. Hactenus Baſilius. Item Euſeb. Epiſc. Alexand. de quo meminit Anterus pont. in epiſt. ſua, in homelia de reſurrect. explanans illud, dicite diſcipulis & Petro, dic, inquit, Petro veni, ne metuas οὐκ ἠλάττωσά σε τοῦ χοροῦ τῆς δόξης, οὐκ ἐχώρισά σε τῆς ἀξίας, οὐκ ἔστησά σε δεύτερον ἄλλου, οὐ δέδωκα ἄλλῳ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. μὴ δειλιάσῃς πέτρε, οἷος ὑπῆρχες, διοῦτος καὶ εἶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. μὴ φοβηθῇς πέτρε, ὃ ἐπηγγειλάμην πληρῶ. ἐπὶ τῇ πετρωμένῃ σοῦ πίστει οἰκοδομήσω μοῦ τὴν ἐκκλησίαν, vt non timeret Petrus, ne propter negationem dignitatem apoſtolici principatus amiſiſſet, veni, inquit, ne timeas, nihil tibi de gloria chori Apoſtolici minui: non te à dignitate remoui: non feci te ſecundum infrà alterum: nõ dedi alteri claues, ne timeas Petre, qualis eras, talis es. quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis. ne timeas Petre, quod promiſi, impleo: ſuper tuam fidem, quæ ſit petra, ædificabo eccleſiam meam fidem non alterius, ſed quę in Petro, vocauit petram, ſuper quam promittit ædificare ſuam eccleſiam. beatus Hilarius lib. 6. de trinitate loquens de Petro Chriſtum Dei viui filium confeſſo, ſuper hanc igitur, inquit, confeſſionis petram eccleſiæ ædificatio eſt. Sed quia hoc Magd. vt ſunt peruerſi interpretes, malè interpretabuntur, item illud quod paulò poſt ſequitur, hæc fides, eccleſiæ eſt fundamentum, neceſſaria cautio eſt, vt B. Hilarium à falſa iſtorum interpretatione, & peruerſa intelligentia vindicemus ac defendamus. ergo ſuper hanc petram confeſſionis, eccleſiæ, inquit, ædificatio eſt: rectè quidem, & veriſſimè. ſed quæro, cõfeſſio iſta, ſuper cuius petrã ædificatio eſt eccleſiæ, cuiuſnam hominis eſt, auctore etiam Hilario, an cuiuſcũq;? an hæc fides in quocũque ſit, erit is eccleſiæ fundamẽtũ? nec enim fides ſeparata eſſe poteſt, quin alicuius ſit, eius ſcilicet in quo eſt. vide quid ſequitur, Hæc fides, ſubiungit Hilarius, regni cœleſtis habet claues: quæro

hic rurſus, cuiuſnam hæc fides? nullius fortaſſe, aut omnium: vt vel nullus ſit, qui claues habeat regni cœlorum, vel habeant omnes, quicunque fidē hanc habent, atque ita Chriſtus vel non promiſerit Petro inquiens, tibi dabo claues regni cœlorum: vel omnes in hac cōfeſſione beatos prædicauerit, & omnes fecerit Petros. ô cœcam iſtorum tarditatem! Ergo cum poſt illam beatiſſimam confeſſionem à Deo patre primum magnificè reuelatam Petro, dixerit, tibi dabo claues regni cœlorum, qui, vt ait idem Hilarius, promeruit ſuper eminentem beatæ fidei ſuæ cōfeſſione locum, conſequens neceſſariò eſt, vt in toto iſto loco Hilarij intelligenda ſit confeſſio, & fides Petri. itaque cùm ait, ſuper hanc igitur confeſſionis petram eccleſia ædificata eſt, petram confeſſionis Petri intelligere oportet. itē cùm ait, Hæc fides eccleſiæ fundamentum eſt, fides, inquam, Petri: hoc eſt, Petrus hac ſua fide eccleſiæ fundamentum eſt: ſicut illud, quod ſtatim ſequitur, hæc fides regni cœleſtis habet claues, hæc fides Petri ſcilicet, & nō vt in Hilario, quem Eraſmus nō tam correxit, quàm more ſuo diuinando, & audendo, & vt ſibi videbatur, ſentiendo, deprauauit, peruerſè notatum eſt in margine, ſic fides, eccleſiæ fundamentum, habet claues regni cœlorum: & rurſus in eodem loco lib. 6. ſic, ſuper confeſſionis petram eſt ædificatio eccleſiæ, cùm potius ſuper petram confeſſionis Petri ſit eccleſiæ ædificatio: & fides Petri, eccleſiæ fundamentum, habeat claues regni cœleſtis, id eſt Petrus propter hanc fidem habuerit claues regni cœlorum: in qua poteſtate & fide iuxta orationem Domini Pontifices Romani Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſores ſunt vſque ad conſummationem ſæculi. Sed quod interpretamur, hæc fides claues regni cœlorum, id eſt, hæc fides Petri: Petrus, inquam, propter hanc fidē habet claues regni cœlorū, ſi mihi non credunt Mag. credant ſaltem illi ipſi Hilario ſui interpreti, qui paulò poſt ob hoc, inquit, beatus eſt: hæc reuelatio patris eſt: hoc eccleſiæ fundamentum eſt: hæc ſecuritas æternitatis eſt. Deinde ſubiungit tanquam ſui interpres, hinc regni cœlorum habet claues: hinc terrena eius iudicia cœleſtia ſunt: vt quæ paulò ſupra de fide, & petra confeſſionis

De Eraſmi falſis annot. in margine Hilarii de ædificatione eccleſiæ ſuper cōfeſſionis petrā, aut ſuper fidem.

feſſionis dixerat, apertè de Petro propter fidẽ & cõſtantiã confeſſionis eius accipi voluerit, hanc formã loquẽdi plerique Pontifices poſt beatũ Hilarium ſecuti ſunt; vt illud, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, ſic interpretarentur, id eſt, ſuper hanc fidem: aut ſuper hanc confeſſionem, vt Leo magnus, Agatho, Nicolaus primus, Adrianus primus, & alij, ne omnes enumerem. Sed admonui iam, nihil referre, ſiue Petrus propter firmitatem fidei petra metaphoricè dictus ſit, vt magni auctores tum Græci, tũ Latini interpretati ſunt: ſiue fides ipſa beati Petri propter ipſius firmitatem, vtrunque enim verum eſt: imò ſola ratione hæc duo, vt ſæpius dicam, diſtinguuntur. non enim cùm ſuper petrum ædificata eſt eccleſia, ædificata eſt ſuper carnem Petri, ſed ſuper fidem Petri, quæ non humana, ſed diuina erat, quam non caro, & ſanguis Petro, ſed pater cœleſtis reuelauit. vnde beatus Chryſoſtomus homilia in pentecoſten interpretans illud, ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, non dixit (inquit) ſuper Petrum ædificabo, non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem Petri. Petrus igitur nõ per carnẽ ſuã, ſed per fidẽ diuinitus ei reuelatam fundamentum eccleſię eſt loco Chriſti, qui eum poſuit. rurſus idem Chryſoſtomus in homilia de Petro & Elia: quia quod eſt in euãgelio, ſuper hanc petram, ſic intelligebat & interpretabatur, id eſt, ſuper Petrum propter fidem eius firmiſſimam, idcircò petrum vocat τὴν κρηπῖδα τὴν ἀσάλευτον, id eſt, rupem immobilem τὴν πέτραν τὴν ἀρραγῆ, id eſt, petram, quæ ſcindi non poſſet τὸν πρῶτον τῆς ἐκκλησίας, τὸν πύργον τὸν ἀσάλευτον, id eſt, primũ eccleſiæ, & arcem, quæ quatenus fieri non poſſet. Sanctus Nilus in epiſt ad Euſebium, & Sacerdotium, inquit, ſuſceperunt homines ſimiles nobis & carne & ſanguine compoſiti, vt cùm aliquem in crimine deprehenderent, de propriis peccatis admoniti, humanitate erga homines ſui generis oſtenderent. vt cerni, inquit, poteſt, in Petro primo lapide eccleſiæ, qui poſitus eſt ἐκ μετανοίας κορυφὴ, κεφαλὴ, καὶ ἀκρότης χοροῦ τῶν ἀποστόλων, id eſt, poſt pœnitentiam, vertex, caput, & faſtigium chori Apoſtolorum. primum lapidem eccleſiæ appellauit Petrum, ſic illud euangelij interpretans,

De interpretatione locorum Hilarii ex ipſo Hilario.

ſicut per traditionem maiorum ſecundum ſcripturas didicerat, ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam me-am. Poſtremò, tempus enim me deficiet, ſi omnes enumerare velim, Hippolytus martyr, & Epiſcopus Portuenſis, in libro de cõſummatione ſæculi, & Antichriſto, Petrus, inquit, petra fidei, & magiſter eccleſiæ, princepsque diſcipulorum, qui claues regni habet & Synodus magna Chalcedonenſis in actione 3. de beato Petro ait, qui eſt petra & crepido eccleſiæ catholicæ & rectæ fidei. Idem ſanctus Theodorus cognomento Studites eruditiſſimus auctor in epiſtola ad Paſchalem primum implorans auxilium eius aduerſus ſanctarum imaginum inſectatores, audi (inquit) Apoſtolicum caput, paſtor ouium Chriſti θεοπρόβλητε, id eſt, à Deo electè, clauiger regni cœlorum, petra fidei, ſuper quam ædificata eſt eccleſia catholica. Leo etiam Imperator cognomento ſapiens in quodam ſermone ex plurimis quos mirabili doctrina, & ſpiritu repletos compoſuit, explicans totum myſterium apoſtolici principatus, poſt reſurrectionem (inquit) ter Petrum percunctatus, an ab eo diligeretur, ouium ſuarum ποιμενάρχην, id eſt, Principem paſtorem Chriſtus conſtituit: deditque ei paſcendi poteſtatem, petens ab eo paſcendi curam, tanquam vicem redamandi, idcirco enim aiebat, amas me, paſce agnos meos. Petrus verò (inquit) cùm intelligeret principatum illum magnum eſſe, & magnis indigentem viribus, videretque Ioannem ſequentem, illum dico, quem vehementer Chriſtus amabat, hic (inquit) quid? quod perinde erat, quaſi diceret, me ne præfici vis caput diſcipulis? hunc verò à te dilectum, qui voluit ſedere ad dextram, & matrem præmiſit, quæ peteret, vt vnus ſederet ad dextram, hunc inquam, quid facere iubes? ne igitur occaſionem erroris aliqui corriperent, quod omnibus diſcipulis communiter dixiſſet, quæcunque ſolueritis, & quæ ſequuntur, reſpondit Dominus quaſi increpans Petrum, Sic eum volo manere, donec rurſus veniam, quid ad te? Tu me ſequere. Id eſt, ſequere me hoc baculo paſtorali: & ſicut ego, cùm eram vobiſcum, ſeruabam vos, vt pater veſter, & caput, ac magiſter, vigilans pro vobis, ſic tu eſto meo

loco,& ſequere me, principatu,& poteſtate iſta fratres tuos confirmans: te enim volo eſſe meo loco. Vnde manet inquit) vſque in hodiernum diem Petrus ſequens Chriſtum in ſucceſſore ſuo. Hactenus Imperator Leo cognomento ſapientis digniſſimus. Habere ergo principatum, & poteſtatem loco Chriſti ad confirmandum fratres omnes, quid aliud eſt, quàm eſſe fundamentum eccleſiæ à Chriſto poſitum, ſuper quod eccleſiam ſuam ædificauerit? Hũc quoque locum Leonis recitauit Genadius Scholarius in iis quę pro defenſione principatus Romani pontificis ſcripſit, qui Synodo Florentinæ interfuit, & Conſtantinopolitanus Patriarcha poſtea factus eſt. Cuius teſtimonium, vt mihi quidem videtur, plurimum apud Magdeburgenſes valere debet: imò magno eos afficere pudore, quod auctor Græcus aduerſus Græcos, etſi non omnes, multos tamen, eccleſiæ noſtræ in hac dignitate aduerſarios patrociniũ veritatis, quàm vos oppugnatis, publicè tunc ſuſcepit, & ſuſcepto non ſolùm non eſt inuidia diſſentientium & maleuolorum ſuperatus, ſed potius à Deo patrono veritatis ſummo honore, & dignitate in eccleſia ſua auctus, permulta ille ex patribus, ex Synodis, atque hiſtoriis in vnum caput libri ſui congeſſit, quæ ego libenter prætermiſi, quod is liber iam latinè tranſlatus propediem ſit in lucem exiturus. Omitto plura alia teſtimonia veterum patrum ab aliis obſeruata, & ea quæ in lib. 1. confeſſionis Auguſtinianæ cap. 9. indicatis locis nuper notata ſunt.

Quomodo Anacletus non ſcripſerit ſuper hanc petram, id eſt ſuper Eccleſiam Romanam, vt Magdeburgenſes finxerunt, & quomodo, ex eo quod eccleſia catholica ædificata eſt ſuper Petrum neceſſario ſequatur eccleſiam Rom. cui præeſt ſucceſſor Petri, eſſe principem omnium eccleſiarum & quomodo non credit vnam eccleſiam catholicam iuxta Symbolum, qui non credit vnam determinatè, vnam rurſus determinatè non credere, qui caput eius pontificem non credit.

Caput 7.

ILlud verò non eſt diſſimulãdum, quod cùm Anacletus ſcripſiſſet in epiſt. 1. ædificatam eſſe eccleſiam ſuper ſedem Apoſtolicam, vbi auctoritas Petri principis Apoſtolorum ſimili tropo dicta eſt ſedes, vt Petrus ipſe dictus eſt petra, Magdeburgenſes tamen vt inuidioſiorem apud ſuos facerent Pontificis Anacleti interpretationem, non ſuper ſedem Apoſtolicam, vt ille ibi ſcripſerat, ſed ſuper hanc petram, id eſt, ſuper Romanam eccleſiam ſcripſiſſe finxerunt. ſed fortaſſe reſpondebunt, ſi non in prima, at in tertia epiſt. ſic ſanctum Anacletum interpretatum eſſe, cùm ait, hæc verò ſacroſancta Romana, & Apoſtolica eccleſia non ab Apoſtolis ſed ab ipſo Domino ſaluatore noſtro primatum obtinuit & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt: ſicut ipſe beato Petro Apoſtolo dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: ſed nec hoc loco ſic Anacletus interpretatus eſt, vt iſti mentiuntur & ſi enim ex eò quòd eccleſia catholica ſuper hanc petram, id eſt, ſuper Petrum ædificata eſt, neceſſariò ſequitur, vt paulò poſt demonſtrabo, eccleſiam Romanam eminentiam poteſtatis habere, vt Anacletus ait ſuper vniuerſas eccleſias, non tamen ſequitur, vt eccleſia catholica ſuper Romanam eccleſiam ædificata ſit, niſi quatenus eccleſia eſt in Epiſcopo, & Epiſcopus in eccleſia, vt beatus Cyprianus ait. ſed quia hæc paulò ſubtiliora ſunt diſſeramus de eis paulò explicatiùs ſi fortè intelligant Magdeb. quos ipſa malitia, odio Romanæ ſedis excæcauit: mutuabor verò ad huius loci explicationem, quę Trapezuntius vir eruditus genere, & patria Græcus ad Cretenſes ſcripſit, principatum pontificis Romani, vt ex ſanctis Patribus didicerat, Græcus aduerſus Græcos defendens. interpretabor latinè, vt ſi quis in græcam epiſt. inciderit, conferat, ſi fortè fidem interpretis experiri voluerit. Demonſtrauimus, inquit, natura duce ſemper omnem multitudinem vno quopiam eiuſdem ſpeciei in vnum congregari, vt in exercitu decem milites decurione: decuriones centurione: tribuno militum

Quid Magd. finxerint in epiſt. Anaclet.

Trapezuntius. defenſor Rom pontificatus aduerſus Græcos.

centuriones,tribunos militum duce: ſic multas paroëcias,quas vulgò vocant ἐνορίας, in vnam eccleſiam ἐπισκοπικὴν Epiſcopo: ἐπισκοπὰς in vnam metropolim metropolita: metropoles in vnam patriarchicham eccleſiam magnam Patriarcha.quamobrem,quia omnes magnæ eccleſiæ ſunt quinque,oportet eas in vnam eccleſiam vno capite congregari, vt poſſit vna catholica eccleſia ὀρθοτομεῖν,id eſt,aptè tractare verbum veritatis: ad idque neceſſitas naturæ impellit: imò, quod maius eſt,impellit etiam fides.omnes enim,inquit,ſynodi anathema fecerunt, eos, qui non credunt vnam ſanctam eccleſiam ὡρισμένως non autem ἀορίστως,id eſt,vnam finitè,& non infinitè, quod eſt blaſphemum. quomodo enim,inquit,vnam credes, ſi neſcis quàm?an dices vniuerſam totius mundi?erit ergo tibi Orthodoxus Armenius,Aethiops, Sergianus, Indianus, Monothelita, ac Theopaſchita. Quare,cùm dicimus vnam catholicam eccleſiam,ſcire oportet,qua nam ex eccleſia efficitur vna,ſi quidem omnis multitudo,vt diximus,vno aliquo eiuſdem ſpeciei efficitur vna, eſt igitur catholica eccleſia vna vnius eccleſiæ Romanæ cōiunctione:quæ ipſa cum Pontifice vno vnitur,ita fit,vt omnes eccleſiæ catholicæ cùm Romana vniantur: & Romana cum Pontifice, ac proinde omnes cum Pontifice hactenus Trapezuntius ex quo ſimul fit, vt ſicut eccleſia Rom. fundata eſt ſuper ſucceſſorem Petri principis Apoſtolorum,qui ei præeſt,ſic reliquæ omnes eccleſię,quæ cùm eccleſiá Rom.ſunt in vnam magnam eccleſiam catholicam copulatæ, ſuper Pontificem Rom. ſint fundatæ ab eo,qui dixit beato Petro,tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. quod verbum Magdeburgenſ. & ceteri Luterani non intelligunt. quia non credunt, ſicut Iudæis dixit Eſaias, niſi credideritis, non intelligetis. imò dicam amplius, Non credunt iſti vnam ſanctam eccleſiam catholicam, quia illum negant, qui eſt origo vnitatis & coniunctionis eccleſiarum in vnam catholicam eccleſiam. quem quidem ſi non negarent, nunquam Magdeburgenſes, nunquam Luterani, & Caluiniani, & Anabaptiſtæ fidem amiſiſſent, veniſſent enim ad eccleſiam Rom. &

Quomodo eccleſia cathol quã credere oportet, ſit vna.

Qui vnũ caput eccl. cathol. non agnoſcunt, non poſſunt orthodoxos à non orthodoxis internoſcere.

Matt 7.
Eſ.7.

Negant vnam eccl. cathol. qui originẽ, & fundamentum vnitatis negant.

Vnde factũ ſit, vt fidem amiſerint Luterani, & Caluiniani ſecundum veriſſimã Cypriani ſententiam.

cùm ſucceſſore Principis Apoſtolorum euangelium contuliſſent, ne in vacuum currerẽt, ſicut hactenus cucurrerunt, & adhuc currunt: & inde fidei ſanitatem, ac firmitatem ex ſanitate ac firmitate fidei Petri, pro qua Dominus vſque ad cõſummationem ſæculi orauit, & exauditus eſt, tanquam ex petra Apoſtolica & ſalutari medicina reportaſſent, nunc autem experimur, veriſſimè à beato Cypriano grauiſſimo ſanctitatis, & eruditionis Magiſtro, & in verbis Dei intelligendis, & docendis perfecto. ſcriptum eſſe ad Cornelium Pontificẽ, non aliunde hæreſes obortas, aut nata eſſe ſchiſmata, quàm inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.

Reſponſio ad aliam reprehenſionem allegationis ſcripturæ ex Geneſi tanquam violentæ, vbi redarguuntur Magdeburgenſes de mendacio, & ignorantia. & explanatio loci ſapientiſſimè, & accommodatiſſimi allegati. Item reſponſio ad aliam reprehenſionem argumentationis in epiſtola Clementis quarta, & in epiſt. Theleſphori. vbi etiam redarguuntur Magdeb. de ignorantia, & malitia.

Cap. 8.

Sed quoniam ſatis iam, vt arbitror, refutatum eſt quod Magdeb. de eccleſia càtholica ſuper hanc petram, id eſt, ſuper ſedem Apoſtolicam fundata, vt ſanctus Anacletus ait, tanquam indoctiſſimè & inſulſiſſimè expoſitum obiiciebant, & argumentis ſcripturæ ſanctæ, ac veterum patrum teſtimoniis totus euangelij locus explicatus eſt: pergamus deinceps ad alia, quæ in eadem epiſt. Anacleti prima iidem notarunt, hic quoque more ſuo blaſphemantes, quod ignorant. Illud enim inquiunt, violentiùs &
„ craſſiùs Geneſ. 19. Dominus per Moyſem loquitur di-
„ cens de Lot, ingreſſus es quidem vt aduena, nunquid,
„ vt iudices? ergo peregrina ſubmouenda ſunt iudicia.
„ nam illud non Dominus per Moyſem loquitur, ſed Sodomitæ hoſpites Lot ad ſtuprũ exprobrant ei, quod

cùm ſit aduena Sodomæ, nolit tamen eorum cupiditatibus obtemperare]

Commentum, & calumnia Magd. *Gen. 19.*

Hic quoque deprehenſi ſunt Magd. in calumnia manifeſta, Anacletus enim ſic ſcripſit, vt perſpici poteſt à quouis, qui locum epiſtolæ relegere voluerit. Leges (inquit) eccleſiæ Apoſtolica firmamus auctoritate: & peregrina iudicia ſubmouemus. vnde & Dominus mentionem faciens Lot, per Moyſem loquitur, dicens, ingreſſus es quidem, inquiunt, vt aduena, nũquid vt iudices? inquiunt, dixit Anacletus, ſicut Moyſes ipſe ſcripſit, Sic enim ait, ingreſſus es, inquiunt, ſcilicet Sodomitæ. iſti verò boni viri, & æqui iudices non curantes, quod Dominus per eundem Moyſem præcepit inquiens, non addetis ad verbum, quod vobis loquar, nec auferetis ex eo, ſuſtulerunt illud, inquiunt, vt locum calumniæ ſuæ relinquerent, ſubiungentes, Nam illud non Dominus per Moyſem loquitur, ſed Sodomitæ: in quo non ſolùm calumniam, ſed ignorantiam prodiderunt. hoc enim quod Sodomitæ inquiunt, vt Moyſes narrat, & Anacletus ipſe recitat, Dominus per Moyſem Prophetam, & ſcribam ſuum loquitur ad noſtram ſcilicet doctrinam, vt prudentiſſimè idem Pontifex Anacletus admonuit, cùm ſtatim ſubiunxit, vnde facilè intelligeremus, quorſum ſpectarét, quod narrat, dixiſſe Sodomitas Sancto Lot: ingreſſus es, vt aduena, nunquid, vt iudices? cùm ſubiunxit, inquam, Vnaquæque prouincia, tam iuxta eccleſiaſticas, quàm iuxta ſæculi leges, ſuos debet iuſtos, & non iniquos habere iudices, & non externos, niſi apoſtolicæ ſedis huius decreuerit auctoritas, quatenus quicunque cauſam, habuerit, apud ſuos iudices iudicetur: & non ad alienos cauſa vagandi, ſtimulante proteruia, ſuam deſpiciens patriam tranſeat. Huc ergo ſpectabat, quod ſanctus Anacletus narrauit, dixiſſe Sodomitas, vt intelligeremus, ſi hoc ſecundum ſæculi leges ſit, quãtò magis fieri debere ſecundum eccleſiaſticas leges? debere dico vnamquamque prouinciam habere iudices iuſtos, & non externos: peregrináque iudicia ad contemptum patriæ pertinere, niſi propter aliquã iuſtã cauſam aliter primæ ſedi viſum eſſet. Sodomitæ enim contemni patriam ſuã

Deut. 4.

Quomodo Magdeb. cùm calumnia ſua ſimul ignorantiam prodiderunt.

Explicatio loci epiſt. Anacleti quem Magd. nõ intellexerunt.

ſatis ſignificabant, cùm inquiunt, Ingreſſus es, vt ad-
2. Pet. 2. uena, nũquid vt iudices? iudicare enim illos videbatur,
quoniam S. Lot, vir aſpectu, & auditu iuſtus, vt beatus
Petrus de eo dixit, Nolite, inquit quæſo fratres mei, no-
lite malum hoc facere. Hoc ergo illi exprobrarunt So-
domitæ, quod cùm aduena eſſet, tanquam Iudex tamẽ
eos reprehenderet inquiens, Nolite hoc malum face-
re. Sed Magdeb. cùm nec hoc intelligerent, dixerunt, ad
ſtuprum exprobraſſe ei, quod cùm aduena eſſet, nollet
tamen eorum cupiditatibus obtemperare. Quis non
rideat, vel potiùs defleat iſtorum tarditatem ingenij ex
cœcitate mentis proficiſcentem? quis enim vnquam di-
ceret præter iſtos, ſpeciem vllam Iudicis præ ſe ferre e-
um, qui alterius cupiditati non obtemperet? Illa verò
conclusio, iſtorum quoque ſit, vt ſunt valentes dialecti
ci, Dominus per Moyſem loquitur dicens de Lot, in-
greſſus es quidem, vt aduena, nunquid vt iudices? ergo
peregrina ſubmouenda ſunt iudicia: in Anacleti enim
epiſtola nunquam eam legerunt. explicatum verò eſt,
quomodo & qua ratione ad iudicia peregrina ſubmo-
uenda pertineret. quod de Sodomitis, & de S. Lot Pon-
tifex Anacletus valde prudenter & appoſitè recitauit.
Simili exemplo ab humanis legibus ſumpto vſus eſt
Eleutherius in epiſtola ſua, ſanciens enim, ne quid in
iudicio abſque legitimo accuſatore fieret, nam ſi le-
ges, inquit, ſæculi accuſatores requirunt, quantò magis
eccleſiaſticæ regulæ? docent enim terreſtria, & huma-
na, quæ ſint eccleſiaſtica, atque cœleſtia. huc etiam
pertinet, quod Calixtus primus Pontifex quoque A-
poſtolicus in epiſtola ſecunda ſcripſit, Quis enim, in-
quit, dubitat, leges humanas rationi & honeſtati non
repugnantes eſſe amplectendas? præſertim vbi vel pu-
blicæ conſulunt vtilitati, vel eccleſiaſticæ dignitatis au
ctoritatem defendunt, & eo adminiculo tuentur. Rur-
ſus Chryſippi iſti, qui omnem argumentationis formã,
quam ipſi non intelligunt, reprehendunt, & rident, &
inde fictam eſſe epiſtolam perſuadere volunt, ſimile,
inquiunt, exemplum ſcilicet argumentationis proximè
reprehenſæ extat in 4. epiſt. Clem. ſub finem. Sed & illa
ſpecies caſtimoniæ obſeruanda eſt, vti ne paſſim & libi-

Concluſio à Magd. per calumniam & inſcitiam ficta in epiſt. Anacleti.

dinis ſolius cauſa cum fœminis coeat quis, ſed poſteritatis reparandæ gratia. Deinde ſubiungit Clemens, quæ obſeruãtia cum etiam in nonnullis pecudibus inueniatur, pudori eſt, ſi non ab hominibus rationabilibus, & Deum colentibus obſeruetur: ergo omnes peccauerunt, & egent auxilio Dei. hãc concluſionẽ Magdeb. reprehendere, & Clementis eſſe, negare maluerũt, quàm cõſiderare, quam vim haberet. Habet enim hãc, (vt intelligere licet ex antecedenti Enthymemate, ſiue ſententia, quæ eſt, pudori eſſe, non obſeruari hanc caſtitatis ſpeciem à rationabilibus, & Deum colentibus) ſi ratio naturalis, & lex colendi Deum non ſufficit ad obſeruandam hanc ſpeciem caſtitatis, quam pecudes ſine ratione & lege, ſolo naturæ inſtinctu ſeruant, & ita mutabiles ſunt homines, ſequitur omnes eſſe peccatores, & auxilio Dei ad bene viuendũ indigere: quo nihil neque verius, neque ſubtiliùs, nec ad rem accõmodatius dici potuit. hac enim cõcluſione admonuit, quid laicos facere oporteret ad ſeruandam hanc ſpeciem caſtitatis cõiugalis, in qua turpiſſimum ſit, à quibuſdam pecudibus vinci: ſcilicet oportet auxiliũ à Deo petere, ſiquidem omnes peccauerunt, & indigent gratia, non ſolum vt ſanentur, ſed etiam, vt ſani facti, rectè operentur. eadem Pauli ſententia vſus eſt Athanaſius in eundem ſenſum, in epiſ. ad Epiſcopos Africæ, Creata (inquit) mutabilia eſſe, nemo inficias iuerit, cùm & angeli præuaricati ſint, & Adam non obediuerit, & omnes egeant gratia Dei. Addunt præterea Magdeb. Et in epiſt. Theleſphori, vbi dicit hymnum angelicum recitandum ſolemniter in miſſarum ſolemniis, infert, „Ipſi enim, qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab „omnibus ſunt audiendi, obediendi, atque timendi, & „non lacerandi, aut detrahendi. „quæro à vobis Magdeburgenſes, cur dixiſtis, infert Theleſphorus? quis vnquam dixit, niſi vos, coniunctionem Enim ad concluſionem rationis adhiberi? Cur inquam, dixiſtis, infert Theleſphorus? niſi quia fingere voluiſtis, & perſuadere neſcientibus, quaſi ita Theleſphorus ridiculè argumentaretur, hymnis recitandus eſt ab Epiſcopis in ſolemniis, ergo ipſi qui proprio ore corpus Domini con-

Alia concluſio imprudenter à Magd. reprehẽſa in epiſt 4. Clementis.

Alia concluſio ficta à Magd. in epiſt. Teleſphori.

ficiunt ab omnibus ſunt audiendi & obediēdi & à nemine lacerandi,&c.at Theleſphorus nullā hic concluſionem ne ſomniauit quidem, ſed potius rationē reddidit, cur ſacerdotes & Epiſcopi non eſſent temerè à laicis accuſandi. de quo cum paulò ſupra admonere cœpiſſet ſub nomine clericorum, quod Latius patet, & quædam interiecta eſſent de ſanctitate vitæ clericorū,de ieiunio 7. hebdomadarū, de celebratione miſſæ in nocte natiuitatis,de hymno angelico recitando,iterum redit ad intermiſſum locum de non accuſandis clericis.& iam propriè de clericis ſacerdotibus loquēs, cauſam reddit,quare non ſint à vulgo laicorū arguendi,& accuſandi: quia ſcilicet ipſi, qui tantæ dignitatis ſunt,vt corpus Domini ore ſuo cōſecrent, & conficiāt, tanquam magiſtri populi ab omnibus ſunt audiendi, & timendi,ſiquidem ab ipſis populus benedicitur, inſtruitur,& corrigitur.at eos à quibus lacerantur, & accuſantur,corrigere minimè poſſunt. An non ſunt hæc conſentanea? non pudet vos Magdeburgenſes ſic omnia inuertere,& deprauare? omnia in peiorem partem malitioſe rapere?nulla æquitate vti?neque quæ dicuntur,neque cauſas eorum, quæ dicuntur vllo modo cōſiderare.

Non pudet Magdeb. inuertere,deprauare, fingere.

Quomodo quod Eleutherius ad Epiſcopos Galliæ ſcripſit, commiſiſſe eis eccleſiam vniuerſalem,quia non intellexerunt Magd. falſo exiſtimarunt primatui eccleſiæ Rom. repugnare. & quomodo intelligendum ſit, ex ipſo Eleutherio intelligi & ex iis,quæ Greg. Naz. de S. Athanaſio & Cypriano in eorum epitaphiis ſcripſit, & ex epiſtola Ioannis Hieroſolymitani Patriarchæ ad Theophilum Alexand. & ex Sidonii Apollinaris ſenſu de inſcriptione epiſtolæ Clem. ad Iacobum.

SEd proſequamur reliqua. Aiunt præterea, multa in his Epiſtolis eſſe perplexa, & contraria. vt in Eleutherij Epiſ. huius rei gratia vniuerſalis vobis Gallis commiſſa eſt eccleſia,ſi hoc,inquiunt,verum eſt, quomodo principatum tribuit eccleſiæ Romanæ? hæc poſteriora deſtruunt

priora.] non eſt reprehẽdendus auctor præſertim Apoſtolicus, ſiquid in libro ſuo, aut epiſtola dicat, quod non quiuis facilè intelligat, aut quod aliqui indocti ad ſuam perditionẽ deprauent, vt beatus Petrus de epiſtolis Pauli ſcripſit, in quibus ſunt, inquit, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuã ipſorum perditionem. huiuſmodi eſt, quod Eleutherius ſcribit ad Galliæ Prouincias, id eſt, ad Epiſcopos earũ, Huius rei gratia vniuerſalis vobis à Chriſto Ieſu cõmiſſa eſt eccleſia: vt pro omnibus laboretis, & omnibus opem feratis. quod quidem quia Magdeb. non intelligunt, primatui Romanæ eccleſiæ repugnare arbitrantur. Explicemus ergo nos, qua ratione vniuerſalis eccleſia commiſſa illis dicatur: & quomodo intelligendum ſit idem enim dixit Clemens Rom. lib. 6. de Apoſt cõſtit. cap. 14 Scripſimus, inquit, vobis omnibus, ſcilicet Epiſcopis hanc Catholicam doctrinam ad cõfirmandum vos, quibus Epiſcopatus vniuerſalis creditus eſt ac commiſſus. Epiſcopatum vniuerſalem, ſiue eccleſiam, vniuerſalem dicit Epiſcopis commiſſam, ſcilicet per partes, id eſt, ſuam cuique eorum partem Epiſcopatus vniuerſalis, ſiue eccleſiæ vniuerſalis, pro qua parte ita laborare, & cui ita præſidere quiſque debet, vt ſuus in ea labor, & præſidentia ad omnes mundi eccleſias, tanquam ad membra vnius corporis, pertineat iuxta Apoſtolicam illam humani corporis analogiam, ſiue proportionem: cuius membra, inquit id ipſum proinuicem ſunt ſolicita: &, ſi patitur vnũ membrum, compatiuntur omnia membra. Sic igitur intelligendũ eſt, quod Eleutherius Gallicanis Epiſcopis ſcripſit. quod ſatis idem explicat, ſi quis aduertat, cùm ait. Vobis huius rei gratia vniuerſalis à Chriſto commiſſa eſt eccleſia. cuius nam rei gratia? vt pro omnibus, inquit, laboretis: & cunctis opẽ ferre non negligatis. Vobis, inquam, cõmiſſa eſt eccleſia catholica, ſcilicet cuique veſtrũ ſua eccleſia illius catholicæ pars, quam partẽ quiſque veſtrũ, ſuſcepit, & cuius eſt caput: in qua tãquam lucerna in cãdelabro poſita iuxta parabolã Domini omnibus, qui in vniuerſa domo ſunt, luceat, tanquam luminare in mundo, ſicut Apoſtolus ait. ſic enim

Quomodo ſecũdum ſcripturã, & veterũ auctoritatem, & apoſtolicã conſt. eccleſia vniuerſalis commiſſa ſit epiſcopis, nec id repugnet primatui.

1. Cor. 12.

Matth. 5.

Philip. 2.

Nicena Sinodus in quadã diatypoſe ex iis, quæ in quibuſdam fragmentis actorum eius feruntur, Epiſcopus, inquit, eſt imago Chriſti, & caput eccleſiæ, quam ſuſcepit. in quo ſatis apertè ſignificauit, vt ſunt ſingularum eccleſiarum ſinguli Epiſcopi, id eſt, ſingula earum capita, ſic eſſe vniuerſalis eccleſiæ vnum Epiſcopum vniuerſalem, qui eam ſuſcepit, vt cuius caput eſt vniuerſale. Hinc beatus Gregorius Nazianzenus Athanaſiũ in Epithaphio laudans, creditur, inquit, illi populi Alexãdrini præſidentia: deinde ſubiungit, quod perinde eſt, vt ſi dicam, totius orbis præfectura. cur ita? quia ſcilicet ita præfuit eccleſiæ Alexandrinæ, vt vniuerſo orbi prodeſſet ſiquidem fides, quam quiſque Epiſcopus in eccleſia ſua prædicare, ac defendere debet, vna eſt & catholica, id eſt, vniuerſalis, ad omneſque mundi eccleſias eiuſmodi prædicatio ac defenſio pertinet. Simile item eſt, quod idem Gregorius de beato Cypriano in laudem eius ſcripſit. Non enim inquit, ſoli carthaginenſium eccleſiæ præfuit, aut Africę, quæ meritò eius vſque in hodiernum diem omniũ ſermone celebratur, ſed vniuerſo Occidenti, imò Orienti fere ipſi, & Meridiei ac Septentrioni, quocunque ille admiratione ſui peruenit. Hactenus Greg. Satis hic explicauit, qua ratione, qui eccleſiam Carthaginenſium regendam tanquam Epiſcopus eius ſuſcepit, ei dem iuxta Apoſtolicã conſtitutionem, & Eleutherij Pontificis ſententiã vniuerſalis eccleſia, ſiue vniuerſalis Epiſcopatus commiſſus eſſet: ſcilicet, vt ad Epiſcopatum vniuerſum, id eſt, ad omnes mũdi eccleſias, ſi fieri poſſet, ſanctitatis eius fama & ſanctæ gubernationis exemplum, ac catholicę fidei & doctrinæ profeſſio ad Dei gloriã & totius corporis eccleſiæ ædificationem peruaderet. eodem ſpectat inſcriptio Epiſtolæ Clementis ad Iacobũ Archiepiſc. regentem eccleſiam ſanctam Hieruſalem, & omnes vbique prouidentia Dei fundatas eccleſias, quam inſcriptionem Sidonius Apollinaris ad Epiſcopum ſui temporis eccleſiæ Lirinenſis, quem laudare voluit, argute accommodauit, ac ſimul interpretatus eſt. paulò poſt loco proprio cap. 13. verba eius recitabo. Mirabili itaque breuitate, id eſt, vno verbo Apoſtolica conſtitu-

tio,& S.Eleutherius eam imitatus,admonuit,in quam arduo opere verſetur Epiſcopatus,in quo ita laborandum ſit,vt ad vniuerſas eccleſias catholicæ prædicationis lumen ac fructus , & omnium bonorum operum exemplum pertingat. Rectè hactenus Ioãnes Patriarcha Hieroſolymitanus,cum apologiam aut Theophilum Alexandrinum ſcribit, eumque in exordio laudans, Tu quidem , inquit, vt homo Dei, & apoſtolica ornatus gratia,cura omnium eccleſiarũ,maximè eius, quæ Hieroſolymis eſt,ſuſtines.cùm ipſe pluribus ſolicitudinibus eccleſiæ,quę ſubeſt,diſtringaris.nihil prohibet , quin rectè hoc Ioannes ſcripſerit: apologiam verò,vt origeniſta non rectè. Hoc ergo eſt , cõmiſſam fuiſſe eccleſiam vniuerſalẽ Epiſcopis Galliæ , non quidem quod ſub eis eſſet, vt eſt ſub Pontifice Rom. ſed quod de omnibus eccleſiis, ſicut explicaui. ſoliciti eſſe deberent : & omniũ eccleſiarum cura & ſtudio teneri, ſicut Theophilus Patriarcha Alexãdrinus eccleſiæ Hieroſolymitanæ,quamuis ad eius diœceſim non pertineret,cura & ſtudio tenebatur. Huc pertinet illud in actis Apoſt. cùm ait Paulus , Attendite igitur vobis, & vniuerſo gregi,in quo poſuit vos ſpiritus S. Epiſcopos regere eccleſiam Dei,quam acquiſiuit proprio ſanguine. Illud enim,in quo poſuit vos,ſignificat portionem gregis,quæ,vt Cyprianus ait, ſingulis paſtoribus aſcripta eſt,quam regat quiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus Hanc portionẽ gregis ſingulis Epiſcopis adſcriptam vocat idem in lib. de vnitate eccleſiæ partem Epiſcopatus, quæ à ſingulis,inquit, in ſolidũ tenetur.Illud verò,regere eccleſiam Dei,quã acquiſiuit proprio ſanguine,ad vniuerſalem eccleſiam pertinet,quam dilexit Chriſtus,& tradidit ſemetipſum pro ea,vt,ſicut ſcriptum eſt,ſanctificaret eam.ſimile eſt illud in epiſt.beati Petri,paſcite,qui in vobis eſt, gregẽ Chriſti. id eſt, vnuſquiſque portionem vniuerſi gregis Chriſti ſibi aſſignatam,& commiſſam Sed explicemus adhuc magis , quæ hactenus de vniuerſali eccleſia , & partibus eius dicta ſunt, vndè etiam facilè iam intelligi poſſit,quod quibuſdam eruditis fortaſſe non ita facilè ad intelligendum aliquando viſum eſt , quomodo à

Act. 20.

1. Pet. 5.

1. Pet. c. 5.

beato Cypriano in libro de vnitate eccleſiæ dicatur E-piſcopatus vnus, & indiuiſus, cuius pars in ſolidum te-netur. non enim indiuiſum eſſe videtur, cuius partes à ſingulis tenentur. & rurſus, ſi pars quomodo in ſolidũ tenetur? teneri enim in ſolidum non partis, ſed totius videtur eſſe. Quare explicãdum eſt, quid hic ſignificet, teneri in ſolidum. Cùm ergo beatus Cyprianus Epiſco-patum vnum & indiuiſum dicit, quem Clemens Ro-manus, vt paulò ante dixi, Epiſcopatum vniuerſalem vocat, vnum gregem dicit vnius paſtoris: & vnum pa-ſtorem vnius gregis, ſicut Dominus, (inquit idem Cy-prianus) monet in euangelio ſuo, & docet dicens. & erit vnus grex, & vnus paſtor. Eccleſia enim ait, vna eſt, & caput vnum, & origo vna. Paulo autẽ ſupra pro-bat idem Cyprianus auctoritate euangelij aduerſus auctores ſchiſmatum, diſpoſuiſſe Dominum auctori-tate ſua, vt origo huius vnitatis eccleſiæ à Petro eius capite duceretur. Probatio, inquit, eſt ad fidem facilis compẽdio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrũ, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petrã ædificabo eccleſiam meam: & portæ inferorum non vincent eam. tibi dabo claues regni cœlorum. & quæ ſequũtur. Hæc igitur eccleſia vniuerſalis, quæ vna eſt, & ab vno capite, quod ei Dominus auctoritate ſua im-poſuit, vnitatem habet: partes habet diſtinctas quidem inter ſe, ſed non diuiſas ab iſta ſua vnitate. Hæ autem partes ſunt ſingulæ eccleſiæ catholicæ, id eſt, ſingulæ plebes ſingulis Epiſcopis adunatæ, eſt enim eccleſia, vt ait idem Cyprianus libro 4. epiſ o. plebs ſacerdoti adu-nata: & paſtori ſuo grex adhærẽs. vnaquæque ergo ha-rum partium, eccleſia, ſiue epiſcopatus eſt & dicitur, & pars eſt illius indiuiſi epiſcopatus, & indiuiſæ eccleſiæ. ita fit, vt epiſcopatus vnus ſit, cuius pars à ſingulis te-neatur: ſitque aliquid indiuiſum, cuius partes cum iſto indiuiſo ſcilicet cohærentes, à ſingulis teneantur. Cum enim per ſchiſmata deſinunt cohærere, ſimul deſinunt eſſe partes illius: & deſinunt eſſe, & dici eccleſiæ, vt Do-minus in euangelio ſuo docuit, quod beatus quoque Cyprianus in eodem lib. 4. epiſ. 9 notauit, cùm enim dixit Petro, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam

Ioan.10.

meam, nomine eccleſiæ docuit, non eſſe eccleſiam, quæ non eſſet cum Petro & ſucceſſore eius cohærens. Eſt itaque vnus epiſcopatus, indiuiſus, ſiue vna eccleſia indiuiſa, quia partes eius, quamdiu partes ſunt, non poſſunt eſſe ab ea vnitate ſeparatæ: diuulſæ enim, & ſegregatæ non ſunt amplius partes iſtius epiſcopatus vniuerſalis, & vniuerſalis eccleſiæ. ita fit, vt ſemper maneat indiuiſa eccleſia, & epiſcopatus indiuiſus inſtar tunicæ Domini inconſutilis. Illud verò, in ſolidum teneri à ſingulis partem iſtius epiſcopatus, ſignificat, eum, qui partem illam tenet, ita tenere, & gubernare, vt ipſe ſolum ſit rationem ſui actus Domino redditurus, vt idẽ Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium ſcripſit. Ex his ergo, quæ de vno epiſcopatu, & partibus eius, & earũ cohærentia auctore Cypriano explicata ſunt, facilè iã intelligitur, non poſſe committi alicui Epiſcopo partẽ epiſcopatus vniuerſalis, ſiue eccleſiæ vniuerſalis, quin propter neceſſariam cohærentiam, & connexionem ſimul committatur ipſa vniuerſalis eccleſia, & epiſcopatus vniuerſalis. Hoc intereſt, quod pars eccleſiæ in ſolidum committitur, vt explicatum eſt: ipſa verò vniuerſalis eccleſia, & vniuerſalis epiſcopatus non in ſolidum, ſed ex parte. Illud etiam hic aduertendum eſt, pro eo, quod beatus Cyprianus ſcripſit, epiſcopatũ eſſe vnum, cuius pars à ſingulis tenetur, quod ſatis iam explicatum eſt, Patronus Molinæi Iuriſconſulti, quiſquis ille fuit, (nomen enim ſuum callidè reticuit, ne cum à Ruffo poſtea redargueretur, & patrocinium ſuum defendere non poſſet, ſe ac clientem ſuum tacẽdo palàm condemnaret) hoc modo ſcripſit, locum Cypriani fatuè corrumpens, Vnum epiſcopatum eſſe, qui apud ſingulos epiſcopos in ſolidum eſſet, quod quidem non magis poterat eſſe verum, quàm duos eſſe eiuſdem rei Dominos in ſolidum, quod Vlpianus negat fieri poſſe: aut vnius corporis plura eſſe capita, quo nihil poteſt eſſe monſtri ſimilius. Satis ergo hactenus demonſtratum eſt, non repugnare primatui eccleſiæ Rom. vt Magd. obiiciebant, quod Eleutherius Pontifex rationem, ſcripturam, & Apoſtolicam conſtitutionem à Clemente Romano deſcriptam ſecutus dixit: &

teſtimoniis atque imitatione veterum , quemadmodum intelligendum ſit, explicatum eſt.

Reſponſio ad id,quod obiiciunt , quomodo Anacletus citet litteras Clementis cum ſit Anacletus à Petro ordinatus, teſte Irenæo, & Euſebio , & quemadmodum intelligendum ſit,quod tam variè de ſucceßione Clementis à variis ſcriptum eſt,vt alii ſecundum poſt Petrum numerent , alii tertium, alii quartum , & de Lini morte viuente Petro: & quare à quibuſdam antiquis auctoribus prætermiſſus eſt Anacletus in deſcribenda ſucceßione Pontificum.

Caput 10.

OBiiciunt præterea Magdeburgenſes citationes Pontificum Apoſtolicorũ ad negandas eorum epiſtolas. huc enim ſpectant omnes eorum accuſatoriæ obſeruationes. Anacletus , inquiunt, citat literas Clementis, cùm, teſte Irenæo & Euſebio , Anacletus à Petro presbyter, aut Epiſcopus ſit ordinatus]

Nos Clementem ipſum Romanum, Apoſtolicũ auctorem habemus, qui non ſolum in Epiſ. ad Iacobum fratrem Domini, de qua paulò poſt Magdeburgẽſibus reſpondebo, affirmat in perſona Petri, ſibi ſoli à Petro cathedram traditam, & poteſtatem, quam eidẽ Petro Dominus tradiderat,ſed etiam in lib.7.Apoſtolicarum conſtitutionum, quas idem Clemens litteris mãdauit, in perſona quoque Petri cap. 45. ſcribit ſe à Petro ſecũdum Epiſcopum eccleſiæ Rom.ordinatum: tametſi Euſebius tam diligens alioqui librorum inueſtigator & repertor, neque epiſtolam hanc, neque hos libros reperit à tam multis alioqui patribus olim & cognitos & relectos. atque in ſumma auctoritate habitos.Si cui verò incredibile, aut certè mirum videatur,non reperiſſe hos libros Euſebium, (de Irenæo enim fortaſſe minus mirandum ſit) legat quid. S. Maximus iis reſpõdeat , qui Dionyſium Areopagitam ſuo quoque tempore negabant,eodem vtentes argumento:cùm tamen ante Euſebium Dionyſius Alexandrinus non ſolum viderit,

Cur non ſit mirum, quod Euſebius nec epiſ. Clem neque libros eiuſdem de conſt.Apoſt. viderit.

viderit, ſed etiam ſcholiis illuſtrauerit, vt S. Anaſtaſius Antiochenus ἐν τῷ ὁδηγῷ teſtatur. Quaſi verò omnes auctores Euſebius Cæſarienſis videre potuiſſet, vt quos non viderit, neque fuiſſe vnquam putemus, cùm tamē ſint & alij, quos ille non vidit, neque meminit, vt libros Narciſſi & Himenæi & aliorū, quos S. Maximus dicit. de Cleto verò, quod nulla eius extaret epiſtola, quam Magdeb. negarent, nihil obiiciendum eſſe putauerunt, quomodo Clemens ſecundus à Petro ordinatus eſt, cum hiſtoriæ, ferè omnes latinorum Cleto Clementem ſucceſſiſſe narrent? neque rurſus de Lino obiecerunt, quomodo primus ante Clementem ordinatus fuiſſet? Ergo, tametſi res propter auctorum varietatem aliis fortaſſe non ſatis conſtare videatur, ſic tamen habendum eſſe arbitror, quantū ex epiſtola Ioannis 3 aſſequi licet, quem tanquam certiorem & probatiorem auctorem ſequimur ſic enim ait, Si autem Petrus Princeps Apoſtolorum adiutores ſibi aſciuit Linum & Cletum, non tamen pontifici; poteſtatem, aut ſoluendi & ligandi normam eis tradidit, ſed Clementi ſucceſſori ſuo. Hæc Ioannes Pontifex ante mille annos in epiſtola ſua decretali ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ: licet Marianus Scotus hanc epiſtolam Leoni 2 Agathonis ſucceſſori tribuat. Linus igitur, qui primus in eccleſia Rom. ordinatus eſt, adiutor tantum Petri fuit in Rom. pontificatu adminiſtrando: quia aliquando neceſſe erat, vt ad alias regiones Petrus proficiſceretur: & vrbs ſine epiſcopo eſſe non poterat. Hoc autē non à nobis inuentum, aut excogitatum eſt, ſed ita etiā S. Epiphanius in Panario ſuo lib. 1. tomo. 2. hæreſi 27. ſcripſit. mortuus verò eſt Linus viuēte Petro, vt præter Clementem, Sophronius quoque hieroſolymitanus in homilia de agone Petri & Pauli teſtatur. hoc etiā confirmat hiſtoria, quæ fertur eſſe Damaſi, quæ vſque ad Capitonem, & Rufum Coſſ. qui vt Caſſiod. ait, biēnio martyrium Petri & Pauli antecefferunt, ſediſſe dicit. idē ait Marianus Scotus. Clemens verò electus & ordinatus eſt Epiſcopus Rom. ab ipſo Petro, cùm iam paſſio eius inſtaret. Vnde quia Cletus cum Lino, & poſt Linum Petri in eodem Pontificatu adminiſtrando adiu-

Linus viuente Petro mortuus Clemēte, & Sophronio Hier. auctoribus.

tor fuerat, qua ratione Clemens ſucceſſit Lino, eadem ſucceſſit & Cleto. Lino verò ſucceſſit, quia epiſcopatũ Romanum, quem Linus, tanquam adiutor Petri, cum proprio Epiſcopo, id eſt, cum ipſo Pètro gubernabat, idem Clemens tanquam proprius ac principalis Epiſcopus ſuſcepit. Simili ratione ſucceſſit Cleto: nihil enim differt, niſi quod Linus, viuente adhuc Petro, mortuus eſt, Cletus verò non ex quo factum eſt, vt Clementem alij ſecundum poſt Petrum, alij tertiũ, alij quartum numerent: ſintque quodãmodo omnia vera, ſi rationes ſuccedendi diſtinguantur: eſt enim Clemẽs, ſcilicet ſecundus poſt Petrum, vt principalis: tertius, vt ſucceſſor Lini: quartus, vt ſucceſſor Cleti, qui poſt mortem Lini fuit quoq; Petri adiutor, cui ſucceſſit vt Principalis Clemens. Cauſa verò cur Euſebius, non Cletũ, ſed Anacletum anteceſſorem Clementis, & Euariſtum prætermiſſo Anacleto ſucceſſore eiuſdem Clementis fecerit, hæc fuit, quia enim annos 11. Lino poſt Petrum tribuerat, & legerat Clementem annis 21. eccleſiæ catholicæ præfuiſſe, atque annos Cleti, qui fuit adiutor Clementis annis 12. ab annis Clementis principalis Epiſcopi ita diſtinxerit (cum alioqui non eſſent diſtinguendi, vt quidem neque Marianus Scotus diſtinxit) vt Cletum, quem ipſe Anacletum vocat, 12. annis, Clementem verò 9. qui 21. efficiunt, præfuiſſe diceret, vno errore alium trahente, vt ratio annorum pontificatus Clementis conueniret, perſuaſit ſibi 9. annos, qui Anacleto ſucceſſori tribuendi erant, Clementi tribuere. qui annis 12. ſedit ſcilicet vſque ad Veſpaſianum 9. vt eadem hiſtoria Damaſi affirmat. Ita factum eſt, vt idem quoque Marianus Scotus mecum ſentire videtur, vt Anacletum ſucceſſorem Clementis ignorans tolleret, & pro eo Euariſtum ſubſtitueret: & ex Cleto Anacletum anteceſſorem eiuſdem Clementis faceret, & Clementis vitam vſque ad Traianum produceret. Acceſſit ad hanc errandi occaſionem auctoritas Irenæi, qui ex Cleto quoque Anacletum fecit libro 3 contra hæreſes cap. 3. & Euariſtum Clementis ſucceſſorem: quem libenter Euſebius ſecutus eſt. Non eſt autem idẽ error tametſi videatur, in epiſtola beati Ignatij ad Ma-

Vnde factũ ſit, vt Clementem alii ſecundum poſt Petrũ, alii tertium, alii quartum numerarint.

Quæ fuerit cauſa erroris Euſebii in Anacleto prætermiſſo.

riam Zarbenſem,quę nuper cum reliquis epiſtolis eius à Guilielmo Morelio Gallo Græcè ædita eſt. Etſi enim in ea ſcriptum eſt. Clemētem Anacleto ſucceſſiſſe,ſiue hic error ex exemplari Græco epiſtolarum Ignatij,parum emendato fluxerit, ſiue Euſebium, & Irenæum ſequens ita Morelius corrigendum eſſe putauerit,neutrum enim affirmo, hoc ſolum admonere volui,in exemplari vetuſtiſſimo, & emendatiſſimo bibliothecæ Mediceæ Florentinæ non Ἀνακλήτῳ, ſed Λίνῳ eſſe quę lectio,id quod magnam fidem facere debet,cum Clemente conuenit,qui in libro 7 de conſtitutionibus Apoſt. Sic ait in extremo cap in perſona Petri, Poſt mortem verò Lini Clemens eſt à me Petro ſecundus ordinatus. Quare quod beatus Ignatius in eadem epiſtola ad Mariam Zarbenſem ſcribit, cùm eſſes Romæ apud Papam Linum, cui nunc ſucceſſit Clemens, omnino intelligendum eſt fuiſſe illam Romæ apud Papam Linum ante mortem beati Petri, cum eo abſente erat loco eius Papa Linus, nè vrbs ſine Papa eſſet. Si enim Romæ tunc fuiſſet Petrus, nunquam ſic Ignatius ſcripſiſſet,cùm eſſes Romæ apud Papam Linum,cum duo Papæ adeſſe nō poſſent. Lino itaque Papę tunc Romano propter abſentiam Petri, & poſtea ante Petrū mortuo ſucceſſit poſt mortem Petri Clemēs, cuius adiutor fuit Cletus, vt Petri fuerat. Succeſſor verò Clementis non Euariſtus,vt illi duo veteres dixerunt, neque Cletus,vt quidā noſtro tempore ſcripſit, plus auctoritatis tribuens notationi conſulum, quæ vitio librariorum, imò vitio quoque eorum, qui litteras in æs,aut lapidē incidūt,obnoxia eſt,quam voci viuæ eccleſiaſticæ traditionis, quæ hoc ordine ab ipſis vſque Apoſtolorum temporibus Linum,Cletum, Clementem ponit. Anacletus verò ipſe in epiſtola ſua prima, & ſecunda anteceſſorem ſuum vocat non Cletum,ſed Clementē. Hæc vox publicæ,& antiquæ traditionis maioris auctoritatis eſt,quàm omnes faſti conſulum,de quibus ſic ſcripſit in prologo 8. libri diligentiſſimus noſtri temporis Chronographus Maſſæus Cameracenſis. Nihil hodie incertius,quàm per ſolos conſules computare: quod partim ſupprimātur ab hiſtoricis:partim diuerſo loco,

De lectione vetuſti exemplaris epiſt. Ignatii non Anacleto, ſed Lino.

Succeſſor Clementis nec Euariſtus, neque Cletus.

Quid Maſſæus cronographus de faſtis conſulum ſenſerit.

& ordine collocentur. id autem pluribus exemplis hiſtoricorum docet: additque, confiteri etiam Titum Liuium neſcire ſe, in multis annis qui fuiſſent, conſules: eſſe præterea conſules bimeſtres, trimeſtres, & interdū paucarum horarum. Hieronymus verò, & ſi aliquādo aliter ſenſit, in commentariis tamen Eſaiæ cap. 52. & libro 1. contra Iouinianū Clementem ſcribit fuiſſe beati Petri ſucceſſorem: Anacletum verò Clementi ſucceſſiſſe, vt infinitos alios nunc omittā, Auguſtinus quoque, cuius Luterani videri volunt ſtudioſi, auctor eſt in epi. 55. ad Generoſum Cletum verò prætermiſit, credo, quia ſciebat adiutorē Clementis fuiſſe. Sed de his hactenus, quæ quidem ignorare Magdeburgenſes non eſt mirū, præſertim cum neque ſtudio diſcendi, neque explicandi aliis veritatem, ſed calumniandi potius, & mentiendi teneantur.

Reſponſio de formulis citationum, quas obiiciunt, hæc ab antiquis, hæc ab Apoſtolis, hæc à ſanctis Patribus accepimus, quaſi longo poſt Apoſtolos tempore illi pontifices ſcripſerint: & quomodo centuriatores non intellexerint quos illi antiquos, neque quos Patres, neque quare Patres vocauerint. *Caput* 11.

Reprehendunt, præterea Magde. illam citationis formulam in epiſt. Anacleti, Hæc ab antiquis, ab Apoſtolis à S. Patribus accepimus: Sic Apoſtoli ſtatuerunt. Sed quis non rideat, vel potius non defleat horum nugas? qui ſatis eſſe putant, ſi vtcunque reprehendant: an verò rectè intelligant, & an reprehenſio redargui poſſit, non curant. Reſcripſit ergo Anacletus ad Epiſcopos Italiæ, de quibus eum conſuluerant, id eſt, de ordinationibus Epiſcoporum, & aliorum minorum ſacerdotum, ac de accuſatione eorum, tum etiam de ordine iudicum eccleſiaſticorum per prouincias, & Metropoles. Quia verò nihil de his nouum ſcribebat, ſed quæ ab Apoſtolis tradita erant, quin etiam diuiſionem prouinciarum ad conſtituenda tribunalia cauſarum eccleſiaſticarum ab antiquis acceperat, idcirco vt eorum quæ reſpondebat, au-

ctoritatem magis commendaret, Hæc inquit, ab antiquis, hæc ab Apoſtolis, hæc à S. Patribus accepimus: vobiſque, vt poſtulaſtis, rimanda, & futuris tenenda tẽporibus mittimus: & reliquis fratribus prædicanda, ac cunctis fidelibus tradenda mandamus. Ab antiquis dixit propter diuiſionem Prouinciarum, quã dixit multo ante Chriſti aduentum tempore factã maxima ex parte. & poſtea ab Apoſtolis renouatam: à ſanctis verò patribus propter Apoſtolos: hi enim erant & Apoſtoli, & patres, qui Anacletum, & Euariſtum, & horum anteceſſores docuerunt. Vnde Anacletus in priore epiſtola inſtructorem ſuum vocat beatum Petrum. Sed Magdeb. cum nullos habeant, nec agnoſcant ſpirituales patres, vt qui in carne ambulent & ſecundum carnem militent, ſuſpicati ſunt. ſanctos patres non potuiſſe ab Anacleto Pontifice niſi eos dici, poſt quos longiſſimo, vt iſti aiunt, tempore ille ipſe ſcripſiſſet. cum tamen præſentes etiam ſoliti ſimus patres vocare. itaque nomen patrum Magdeburgenſes ad longinquitatem temporum ſuperiorũ retulerunt non intelligentes quod Dauid Propheta de ſanctis Apoſtolis prædixit, cùm ait, pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: ſignificabat enim, vt Cyrillus Alexandrinus in comm. Eſ. cap. 62. interpretatur, filios Synagogæ ſecundum carnem, qui erant Apoſtoli futuros eſſe patres eiuſdem Synagogæ origigine minorũ filiorũ, vocatorum per fidem ad cognitionem Dei. Erant igitur ſancti Apoſtoli ſecundũ ſpiritum patres eorũ omniũ, quos docebãt. inter quos ſe numerat Anacletus, cũ dicit, hæcque tradit, ab Apoſtolis, hæc à ſanctisPatrib⁹ ſe accepiſſe, ideſt, ab Apoſtolis, eiſdẽque patribus. Reſpõdeãt nũc mihi Magd. cũ Apoſtolus Paulus ſcribit ad Corinth. Et ſi decẽ milia pædagogorũ habeatis, tamen non multos Patres, ſi poſtea iidẽ Corinthii ſcripſiſſent de ſuis regulis, tẽpore etiã Pauli his verbis, bas regulas ab Apoſtolis, has à ſanctis Patribus accepimus: an ſignificaſſent, multo tempore poſt Apoſtolos ſe hoc ſcripſiſſe? quis hoc putet, aut dicat, præter Magd. quorũ eſt hæc in eorum centuriis percõtatio, Sed quos ſanctos patres vocet, cùm Anacletus ſit à Petro ſecundus? & ſubiungunt idem de Euariſto dici 1. *Corinth.* 4.

poteſt, qui allegat, inquiunt, auctoritatem patrum Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, quaſi longiſſimo tempore poſt Apoſtolos ſcripſerit: cùm tamen aliquandiu, cum Apoſtolis vixerit. hæc ſunt Magdeburgenſium ridicula deliramenta.

Reſponſio ad id, quod obiiciunt ad probãdum falſas eſſe epiſtolas, quia non ſcribant de rebus illorum temporum, de perſecutionibus, de doctrina, de officio Epiſcopi, & cura gregis, non refutent dogmata hæreticorum, non ſcribant conſolationes martyrum, & quomodo apertè mentiti ſunt Magdeburgenſes, ſubiectis exemplis demonſtratur.

Caput 12.

“ Obiiciunt præterea Magdeburg quod
“ non ſcribant auctores harum epiſtolarum
“ de rebus illorum temporum,
“ de perſecutionibus, de doctrina, de
“ officio Epiſcopali, & cura gregis: nõ refutant dogmata hæreticorum: non conſolationes martyrum ſcribũt.] quam falſa hæc ſint, ex iis ipſis epiſtolis, quæ in manibus ſunt, perſpici poteſt. tametſi non continuò ſequebatur, vt falſæ eſſent quamuis nihil de iis, quæ iſti dicunt, cõtinerent. videamus tamẽ, an contineãt iſta, quæ deſiderant attingam pauca, legat cætera, cui otium ſit. In priore epiſt. Anacleti an non pertinent ad conſolationes Martyrum in perſecutionibus illa, quæ ſtatim partim ex epiſtola beati Petri, partim è ſuo ſcribit? ſic enim ait, Tribulationes veſtras audiuimus fratres tam per nos, quàm per aliorum apocriſarios: ſuper quibus valde dolemus vobiſque cõpatimur: & auxiliũ ferre, prout ipſe largitus fuerit, qui pro nobis nõ ſolum tribulatus ſed etiam paſſus eſt parati ſumus. nolite mirari chariſſimi, quia perſecutiones patimini, quaſi nouũ vobis aliquid contingat: ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeãtis exultãtes, & quæ ſequuntur. Deinde, ſi doctrinã requirunt, an illa non pertinent ad doctrinã, quę de nõ accuſandis epiſcopis nec eis detrahendo ſcribit? & illa tam multa, quomodo Dei ſimilitudinẽ ſtudio omniũ

Deprehenſio Magd. in commento manifeſto.

virtutum comparare oporteat? item, quæ in tertia epiſtola de obediendo præpoſitis? Præterea an illa nō ſpectant ad officiū Epiſcopale, & curam gregis? cum ait, Nihil eſt autē illo paſtore miſerius, qui luporum laudibus gloriatur: quibus ſi placere voluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ouibus magna pernicies. & quæ ſequuntur eodē pertinentia, vt cuiuis licet perſpicere: ne in iis quæ omnibus patent, & ab omnibus legi poſſunt, tēpus fruſtra conſumā. Reuertitur poſtea Anacletus ad martyrū hortationes, & cōſolationes. Et quid aliud, inquit, ſi Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquēs exemplū, vt ſequamur veſtigia eius: & ſi Apoſtoli paſſi ſunt ſequētes eius exemplū, & reliqui Patres, niſi vt ſequamur tam doctrinā eorū, quā & exemplū, & patiamur aduerſa pro Chriſto? & cum patribus, & fratribus crucem portemus? rurſus de officio Epiſcopi & cura gregis an non ſcribit ſanctus Euariſtus? cū ait epiſt. 2. Epiſcopum verò oportet opportune, importune ac ſine intermiſſione eccleſiam ſuam docere, eamque prudēter regere, & amare, vt à vitiis ſe abſtineat: & reliqua deinceps, quæ poteſt quiſq; legere, & per ſe in manifeſto cōmento Magdeburgenſes Centuriatores deprehendere. Iam quod dicunt non refutari dogmata hæreticorū in his epiſtolis, quod ſit argumentū nō eſſe, quorum feruntur, an non refutat Euariſtus, & quidem eruditiſſimè eorum dogma hæreticorū, qui aiebāt de ſolo patre dictum eſſe in epiſt. ad Timoth. priore, quia ipſe ſolus habet immortalitatē, & lucē habitat inacceſſibilem? & Alexander Pont. ep. 1. dogma hæreticorum aut trinitatem, aut vnitatem negantium, qui vel iam erant, vel eſſe poterant, an nō eruditiſſimè & vehemētiſs. refutat, cum 20. locis, & amplius ſcripturæ ſanctæ, recitatis, illud vrget percontando, ſi trinitas non eſt, quare hoc ſcriptum eſt? &, ſi vnitas non eſt, quare illud? eſt igitur commentum, quod Magdeb. dicunt, nihil horum eſſe in his epiſtolis: aut ſi quid eſt, non congruere cōtrouerſiis huius ſæculi. quæſtio enim illa, in quiūt, an filius ſit minor patre, an filius habeat immortalitatē, Arii tempore agitata eſt, non hoc ſæculo. hoc quoque ſapientes iſti, & magni lectores ignorarunt,

Quæſtio, an filius minor patre ante Arii agitata contra Magd.

Vnde Origenes, & ante eũ Clem. Alex. errorem contra conſubſtantialitatem filii traxerunt.

non fuiſſe Arium erroris ſui auctorem, & inuentorem, imò nec Origenem, nec magiſtrum eius Clementem Alexandrinum, qui malè etiam de filij Dei conſubſtãtialitate aliquando ſenſerunt, ſed hos ex philoſophis potius peruerſum dogma traxiſſe, quos ſcitè Tertull. Patriarchas hæreticorum vocauit, & in primis ex Platone, quem ex libris ſacris veteris teſtamenti ante 70. interpretes Græcè, vt Euſebius Cæſar affirmat, tranſlatis, trinitatem non perfectè didiciſſe, tum ex epiſ. eius ad Eraſtum, & Coriſcum, tum ex Timæo perſpici poteſt. quod idem quoque Clemens Alex. in 5. lib. Stromatum obſeruauit, & Iuſtinus martyr in Apologia. potuerunt ergo ante Arium ſcribere cõtra Patriarchas hæreticorum de dogmate conſubſtantialitatis patris & filij, tum hi pontifices, tum alij deinceps conſecuti: vt Sixtus epiſt. 1. & Iginus, ac Soter, vterque epiſt. 1. item Marcellinus epiſt. 1. Felix epiſt. 3. Sixtus 2. epiſt. 1. Sicut Eutychianus, & Gaius Pont. & idem Felix. 1. in epiſt. ad Maximum epi. quæ in Eph. Synodo recitata eſt ante Neſtorium, & Eutychem hæreticos de dogmate fidei incarnationis in epiſtolis ſuis ſcripſerunt. imò hoc ipſum ſanctus Athanaſius affirmat: ſic enim in epiſtola ad Epiſcopos Africæ ſcripſit, Si quidem Priſci Epiſcopi ab hinc annis propè centum triginta, tum qui Romæ, tum qui in noſtra ciuitate pontificatum geſſerunt, accuſauerunt eos, qui filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum conſubſtantialem patri. quomodo ergo dicere audent Centuriatores, quæſtio hæc, an filius ſit minor patre, tem pore Arij agitata eſt, ſi centum triginta prope annis ante tempora Athanaſij, & Arij, erant iam, qui id dicerent, qui ab Epiſcopis Romanis, & Alexandrinis accuſabantur? Sed quærent iſti fortaſſe, cur de multo antiquioribus pontificibus apoſtolicis non meminit idem Athanaſius ſed de illis tantum, qui prope centum triginta annis ante ætatem eius de ea quæſtione ſcripſiſſent? quaſi neceſſe ſit, vt omnium pontificum ſuperiorum epiſtolę ad manus eius veniſſent, ſi poſteriorum venerunt: quod perinde eſſet, vt ſi quis putaret, neceſſe eſſe, nos Menandrum comicum legiſſe, quia Terentium legimus: aut

Qui pontifices apoſtolici de æqualitate filii ſcripſerint.

Ennium poëtam, quia Virgilium extat ergo adhuc epiſtola Sixti 2 Epiſcopi Rom. qui ætatem Athanaſij annis prope c 20 anteceſſit, in qua cõtra id quod iam hic tot ante Arium annis, vt Ath. teſtatur hæretici de generatione filij ex tempore tradebant, ſcriptum eſt, non ex tempore, neque poſt tempora filium Dei natum, ſed ante omnia, inquit, tempora de paterno vtero inenarrabiliter generatum. hoc autem apertè ſignificat, ex ſubſtantia patris genitum eſſe, ac proinde conſubſtantialem, quod ſignificat homouſion. extat item Euſebij Alexandrini, quem Antherus pont. ſcribit in epi. ſua trãſlatum fuiſſe ex parua ciuitate Alexandriam, ſermo in aſcenſionem Domini inter alios 18. eiuſdem auctoris, quos nuper in libro vetuſtiſſimo bibliothecæ Cryptæ Ferratæ reperi, in quo vſus eſt verbo homouſij, quod S. Athanaſius in eadem epiſt. ad Epiſcopos Africanos ait, non fuiſſe in Synodo Nicena inuentum, ſed prius fuiſſe etiam ab Epiſcopis Alexandriæ vſurpatum ad aſſerendam contra hæreticos conſubſtantialitatem filij Dei, Sic ergo ait Euſeb. Alexand. καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς πληρώσας πᾶσαν οἰκονομίαν ὁμοούσιος ὑπάρχων ἐξ οὐσία πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος τρισαγία ἔνδοξος εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. & idem paulò ſuprà, ἀλλὰ πέμψω ὑμῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς, καὶ ἐμοῦ.

Reſponſio ad ea, quæ dicunt aliena eſſe ab hiſtorica veritate, ac primum ad id, quod obiicitur de morte Iacobi ante mortem Petri: & quomodo Clemens epiſtolam transfigurauerit in perſonam mortui, & quæ cauſa, & vtilitas huiuſmodi transfigurationis perſonæ, & quomodo ſit vſitata in ſcripturis ſanctis, & in magnis, & antiquis auctoribus, & quomodo inducere Apoſtolos iam mortuos loquẽtes in libris de conſtitutionibus Apoſtolorum, quos Clemens in perſona eorum ſcripſit ſimile ſit, vt ſcribere ad mortuum: & quomodo vtrunque ad imitationẽ perſonæ pertineat, & de exemplo antiquo ſcribendi ad mortuum: item quomodo Clemens Iacobum vocauerit Epiſcopum Epiſcoporum, & regemtem omnes eccleſias.

Cap. 13.

„ SEd tranſeamus iam ad alia fortaſſe difficiliora, quæ iſti obiiciunt, quæ minùs mirandum ſit, non intellexiſſe eos: etſi eò minùs reprehendere debuerunt. verũ faciunt more ſuo, id eſt, hæreticorum blaſphemantium, quæ ignorant, vt eſt in epiſtola Petri à veritate, inquiunt, hiſtorica aliena ſcribũt. vt Clem epiſtola prima, quod Petrus ſit primitiuæ electionis Domini, cui ſoli primùm pater filium reuelauit, cùm Andreas prius ad Chriſtum venerit: & poſteà Petrum adducit. Item quod Petrus Clementi mandarit, vt ad Iacobum ſcriberet, cùm non potuerit ignorare ante 8. annos illum fuiſſe mortuum, cùm frequenter ab vrbe Hieroſolymam, & inde Romam venirent.]

Hactenus Magdeburgenſes. Reſpondebo prius ad hoc, deinde reuertar ad primùm. Non ignoro, quam variè ab ſcriptoribus ad hoc, quod de epiſtola Clemẽtis ad Iacobum iam mortuum ſcripta à Magdeb nunc obiicitur, & ab ſtudioſis adhuc quæritur, hactenus reſponſum ſit. Non opus eſt, quæ illi reſponderunt, repetere, aut refellere: quia, & ſi facilè eſſet, non cõtinuò ſequitur, vt meum ſit verum, ſi illa non ſunt. præſertim cùm magis illi laudandi ſint, quam reprehendendi, qui quod potuerunt, liberaliter in commune contulerunt. Quare magis in confirmandis noſtris quàm in alienis confutandis verſandum mihi erit, ita vt non ex coniecturis, ſed ex propria ratione auctoris in ſcribendo, totius quæſtionis explicationem afferam. Ac primùm, ita certè eſt, vt iſti dicunt, non potuiſſe ignorare Petrum, fuiſſe iam ante annos 8 mortuum Iacobum. Imò cùm hoc nos poſt mille quadringentos amplius annos non ignoremus, ſed potius ita eſſe, ex hiſtoriis cognouerimus, cui fiat veriſimile, ignoraſſe hoc epiſtolæ huius auctorem? quem quidem veterem ſaltem fuiſſe, non credo eo dementiæ Magdeb. proceſſiſſe, vt negent, cũ tot, ac tam veteres auctores. vt loco ſuo docebimus, eam citent. Quod ſi hoc ſciebat auctor epiſtolæ, quiſquis ille ſit, vt ſic interim loquamur, quorſum nomine Clementis ad Iacobum fratrem Domini grauiſſimam & ſanctiſſimam epiſtolam, omnis doctrinæ ac pietatis

plenam ſcribere voluiſſet? quo conſilio, aut ratione vſus hoc feciſſet? Etenim ſi grauiſſimi ac ſanctiſſimi Pōtificis Clem auctoritate & nomine doctrinam, quam in ea epiſtola tradit, commendare volebat, non debebat tam aperta diſcrepantia temporum, & hiſtoriæ repugnantia fidem epiſtolæ derogare. quid igitur illum coëgit eo imprudentiæ delabi? Quare, ſi longè incredibiliùs eſt & magis à veriſimilitudine, ac probabilitate alienum, vt vllus alius, quàm Clemens hanc epiſtolam ſcripſerit, profectò ratio ipſa cogit, tot præſertim ac tātis teſtimoniis veterum confirmata, confiteri, Clementis eſſe, cuius eſſe fertur, ex quo in manibus hominum ferri cœpit, & à catholicis legi, & inter decretales epiſtolas poni, atque in cauſis, & iudiciis eccleſiaſticis produci & recitari. Neque enim ignorabat beatus Petrus, cū ad mortuum iuſſit ſcribere, neque Clemens, cùm iuſſu eius ſcribebat, quin ſtatim, vt lectores viderent, ad eum, quem omnes ſcirent ante beatum Petrum eſſe mortuum, epiſtolam ſcribi, cauſam diligēter quæſituri eſſent, & quæſitam reperturi. Imò hoc fuit beato Petro propoſitum: imitatúſque in eo eſt ſacram ſcripturam, in ſcriptura enim, vt Origenes in 4. lib. περὶ ἀρχῶν notauit, & eam obſeruationem vt eruditam Gregorius Nazianzenus, & Baſilius in eum librum contulerunt cùm aliis eius obſeruationibus pulchris, & ingenioſis, quem Philocaliam nominarunt. In ſcriptura, inquam, ſancta voluit Deus, inquit Origenes, vt eſſent quædam offendicula, & ἀδυνατα in lege, & in hiſtoria: ne ſi ipſius legis vtilitas αὐτόθεν, id eſt, ex ipſa lege appareret, & ipſa hiſtoriæ conſequentia, ac facilitas αὐτόθεν item appareret, cōtinuò crederemus, nihil ibi aliud, præter id, quod in promptu erat, intelligi poſſe, aut debere. Et paulò pòſt, quando ſcriptura, inquit, reperit ſecundum hiſtoriam, quæ poſſent ad myſtica accommodari, vſa eſt illis, abſcondens multitudini altiorem ſenſum. Vbi autem conſequentiæ ſpiritualium non erat apta ac conſentanea horum, aut illorum actio, tunc ſcriptura propter myſtica attexebat hiſtoriæ non factum: aliquando quod neque fieri quidem poterat, ſcilicet ſi ſecundum litteram tantùm accipiantur: interdum quod poterat

Quare ſit prorſus incredibile, epiſtolam Clemen. ad Iacobū ab vllo fingi potuiſſe: immo ratio ipſa cogat confiteri Clementis eſſe.

Quomodo Petrus imitatus ſit ſcripturam, cum iuſſit Clementi ſcribere ad Iacobum iā mortuum.

De obſeruatione Origenis in ſcripturis ex Philocalia eius.

quidem,ſed non erat factum.Similis,inquit, ratio intel ligenda eſt in lege vt in hiſtoria: aliquando enim ratio vtilis apparet: interdum quæ impoſſibilia ſunt, ſanciuntur propter curioſiores,& ſtudioſiores, vt dantes ſe ad ſtudium inquirendi, iure putent, ſenſum in his dignum oportere quærere. Deinde ſubiungit, ſimiliter factum eſt in euangeliis,& Apoſtolis nec enim, inquit, quæ texuntur, omnia totam hiſtoriam habent κατὰ τὸ σωματικὸν factam, vt illud, ductus eſt Ieſus à Diabolo in montem excelſum,& oſtendit illi omnia regna mũdi.Quis enim putet,oculo corporis, qui loco ædito indigeret,omnia regna mundi vidiſſe?item, quid,inquit, à ratione alienius eſſe videtur, quàm neminem in via ſalutare, quod ſimplices putant præcepiſſe Dominum Apoſtolis?illud prætereà, Si quis te percuſſerit in dextra maxilla, alieniſſimum eſt à probabilitate, cum is, qui percutit dextra manu,ſiniſtram maxillam percutiat,niſi præter naturam percutiat: ſimiliter eruere dextrum oculum,& cùm duo ſint oculi, quibus videmus, cauſam ſcandali ad dextrum tantùm referre. deinde cùm ait Apoſtolus,circumciſus quis vocatus eſt,ne adducat præputium,primùm, inquit, alienum eſt hoc à propoſito ſermone, præcipiebat enim de nuptiis & caſtitate: prætereà,quis dicat,iniuſtè facere eum,qui propter fœditatem, quàm plerique in circuncisione carnis ineſſe putant, curet adducere pelliculam?& paulò pòſt, Ergo de omni,inquit,ſcriptura ſic ſentimus, habere eam τὸ πνευματικὸν id eſt, ſenſum ſpiritualem: ſed non omnis ſcriptura habet τὸ σωματικὸν,id eſt,ſenſum corporalem & hiſtoricum.Transferamus nos has obſeruationes ad ſcriptionem epiſtolæ Clemẽtis ad Iacobum,fateamurque,videri quidem alienam eſſe à ratione,vt illa quę in ſcriptura ſancta Origenes notauit.quid enim à ratione magis alienum,quàm ad mortuos ſcribere? nam quid illis prodeſſe poteſt?aut quis tabellarius ad eos mitti?aliud nanque eſt,abſentem eſſe: aliud mortuum. Aliud ergo beatus Petrus voluit,cùm Clementi iuſſit, ad Iacobum ſcribere iam mortuum, voluit ſcilicet transfigurare hæc in perſonam Iacobi conſuetudine ſcripturæ ſanctæ cùm propter alios, tum in primis propter

Exempla, quibus in locis noui teſtamenti habeat ſcriptura ſenſum ſpiritualem, & non hiſtoricum.

Quid ſibi voluerit Petrus, cũ ad Iacobum mortuum iuſſit ſcribere, cùm alioqui à ratione alienũ videretur.

reliquos Epiſcopos ſucceſſores eius in eccleſia Hieroſolymitana, vnde primùm cœpit euangelij prædicatio iuxta prophetiam Eſaiæ: vt ſic ſecum cogitarent, Si hæc, princeps Apoſtolorum Clementi iuſſit, ad Iacobum fratrem Domini ſcribere, quem primùm Petrus, Iacobus, & Ioannes ordinarunt, qui iam deſiit paſtor eſſe, & corona ei tributa eſt, profectò non propter illum iuſſit ſcribere, ſed propter nos, quibus Salomon ait, diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. non enim habebis iugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur tibi in generatione, & generationem, ad noſque potius ſub illius nomine iuſſit ſcribere, vt vel ſic ad exemplum eius & formam imitãdam omni tempore moneret, & hortaretur. ſolẽt enim, qui aliorum mores, & vitam velut in ſcena in hoc ſæculo imitando repræſentant, eorum nominibus appellari. Sit hæc vna cauſa transfigurationis ſiue imitationis perſonæ in hac epiſtola. Transfiguratione quoque, quæ μετασχηματισμὸς προσώπου dicitur, vſus eſt Apoſtolus, vt idem interpretatus eſt, cùm in epiſt. ad Corinth. priore eos doctores arguit, qui cupiditate gloriæ ſchiſmata in eccleſiam introducebant, cùm quiſque quos baptizabat, eorum baptiſmum de nomine ſuo appellaret. Cùm enim, inquit, quis dicat, ego quidẽ ſum Pauli, alius autem, ego Apollo, nónne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? & paulò pòſt, Hæc, inquit, fratres transfiguraui in me, & Apollo propter vos, vt in nobis diſcatis, ne, ſupra quod ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum infletur pro alio. Quem locum interpretans Theodoretus, ſi nos, inquit, doctores ipſorũ, qui prædicationis munus diuinitus accepimus, nõ impoſuimus vobis noſtrorum nominum appellationes, ſed potiùs, vt à Chriſto cognomenta ſumeretis, rogauimus, videte, quàm impium ſit, quod iſti factitant hoc enim ſignificat, quod ait, vt in nobis diſcatis, non ſupra quod ſcriptum eſt, ſapere: ſcriptũ eſt enim, Si quis vult in vobis eſſe primus, erit omniũ nouiſſimus. hactenus Theod. Quod ergo dixerat Paulus, cùm enim quis dicat, ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, non erat verum ſecundum hiſtoriam: Paulus enim neminem

Eſaiæ 2.

Prou. 27.

De transfiguratione perſonæ vſitata in ſcripturis, qua vſus eſt Clemens iuſſu Petri.

1. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Corinthiorum baptizauerat, niſi Criſpum, & Caium, vt idem teſtatus eſt: in ſe tamen hæc transfigurauit ob aliam cauſam, vt explicatum eſt. Ac clariùs adhuc Photius Conſtantinopolitanus ſic totum hunc locum interpretatus eſt: propter vos, inquit, transfiguraui hæc in me ipſum & Apollo, ne vos moleſtia afficerem, ſi nominatim reprehenderem. (volebat enim Paulus corrigere eos, & non contriſtare) per transfigurationem ergo inquit, vtrunque facere licuit, ſi vultis & corrigi, & reprehenſionem ad correctionem adhibendam non grauatè audire. fecit autem hoc Paulus, ne perſonas nominatim reprehendens, affectione quapiam, aut maleuolentia hos diſſimulare, illos non diſſimulare videretur. Præterea etiam, ne in hac diſtinctione, quos nominatim reprehēderet, eos ad deſperationem cogeret, aut iram vel contentionem magis incenderet: quos verò non nominaret, eos tumidiores, ac amentiores efficeret: idcirco non eſt in eos inuectus nominatim, ſed potius in ſe, & Apollo reprehenſionem transfigurauit. Hactenus Photius. cur ergo non exiſtimemus nos, hāc quoque rationem acceſſiſſe, vt beatus Petrus epiſtolam de morte ſua & doctrina ad omnem Epiſcopum pertinente in Iacobum iam mortuum transfigurare, Clementi iuberet? ne ſi ad Simonem Epiſcopum, Hieroſolymitanum, qui beato Iacobo ſucceſſerat, ſcribere iuſſiſſet, aut ad alium quempiam, vt Marcum Alexandriæ Epiſcopum aut Anianum Antiochiæ, aut alium, videretur fortaſſe magis eum diligere, aut honorare: & æmulationis vel inuidiæ, vel ſuſpicionis materiā præbuiſſe: aut rurſus is, ad quem ſcriberet viuentem, magis doctrina, & præceptis, quæ in ea ipſa epiſt. tradit. indigere exiſtimatus eſſet, quod erat magis adhuc inuidioſum & ſuſpectum. An ne parui momenti hæc cautio erat? quis tam obtuſa mentis acie ſit, qui ſic ſentiat? ſic igitur hæc altera cauſa transfigurationis, τὸ ἀζηλότυπον, quæ fuit cauſa, cur etiam Cicero, vt ipſe ait, in libris περὶ τελῶν eos diſputantes induceret, qui iam erant mortui. Alterum exemplum trāsfigurationis in aliam perſonam, eſt apud Paulum in epiſtola ad Theſſal. cùm illa, quæ in eos conueniunt, quos aduentus Domini vltimus vi-

Cauſa grauiſſima ſcribēdi per transfigurationem perſonæ ad Iacobum iam mortuum iuſſu Petri de doctrina ad omnes Epiſc. pertinente.

Theſſ. 14.

uos reperiet, in perſonam ſuam quaſi tunc viuentem, & in alios ſimiles transfigurat. Hoc enim (inquit) vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. notauit hoc Orig. lib 5. contra Celſum. ſic enim ait, Paulus, vt vita tunc fruens, ac vigilãs, & à mortuis alienus, hæc loquitur Deinde cùm præter ſe, & ſui ſimiles, vel alios ſciret in Domino mortuos, illud ſubiecit, Et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: Deinde qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cùm illis in nubibus obuiam Domino in aëra. Hactenus Orig. vt igitur hæc Paulus loquitur, quaſi tunc viuat in aduentu Domini ad iudicium, cùm erit iam olim mortuus, vt nunc eſt, ſic Clemens ad Iacobũ iuſſu beati Petri ſcripſit, quaſi tunc Iacobus viueret, cũ erat iam mortuus. Hunc quoque locum obſeruauit idem Magnetes, quem ſupra memini, in libro 4. apologiarum contra Theoſthenem euangeliorum calumniatorem. reddit enim rationem, cur ſe hoc loco Paulus alioqui viuentem mortuis annumerauerit, οὕτω γὰρ ἄν τις φιλέταιρος, καὶ τῶν ὁμοστοίχων ἀγαπῶν τὴν συγγένειαν δοκεῖ, id eſt, quia ſic, inquit, fit, vt videatur aliquis amicus quibus ſe annumerat: eoſque, qui ſui ordinis ſunt, diligere. Nihil autem intereſt, annumerari viuentem mortuis: an mortuum viuentibus. Sic ergo, cùm beatus Petrus ad Iacobum fratrem Domini, & Epiſcopum Hieroſolymitanum iam mortuum, tanquam ad viuentem ſcribere iuſſit admonere voluit de amicitia & coniunctione eius cum iis, qui poſt eum in ſede eius viuerent eiuſdem dignitatis, ac loci conſortes. in quo ſimul admonebat, quantùm præſidij, & adiumenti in tanto amico conſtitutum eſſet: & quantopere ad morum, ac vitæ eius ſimilitudinem, qua nihil magis ad amicitiam illicit, & attrahit, contendere oporteret. Sit hæc quoque alia cauſa transfigurationis perſonæ. Deinde cùm mandat princeps Apoſtolorum Clementi, vt ad Iacobum fratrem Domini mortuum de morte ſua ſcribat, clariſſimum teſtimonium reſurrectionis præbet: quod eo tempore inter tot perſecutionũ flammas, & gladios, & tot martyrum cru-

ciatus, ac tormenta valde neceſſarium erat. Quis enim, cùm legeret, ſcriptam eſſe epiſtolam ad Iacobum iam mortuum, non ſtatim ſimul intelligeret, ita illum quidem mortuum eſſe, vt tamen viueret? ſicut Apoſtolica conſtitutio à Clemente Rom. nomine Apoſtolorum litteris mandata in 8. lib. ait, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, non vt mortuorum, ſed vt viuentium Deus: quoniam animæ, inquit, omnium apud te viuũt: & ſpiritus iuſtorum in manu tua ſunt. Hæ igitur fuerũt cauſæ epiſtolam in perſonam Iacobi mortui transfigurandi, vt Apoſtoli verbo in re ſimili vtar. ex quibus illa mihi potiſſima videtur cautionis, ac prudentis conſilij, & vtilitatis plena, nempe inuidiæ declinatio, quæ fuit etiam cauſa Paulo apud Corinthios transfigurandi ſimiliter in perſonam ſuam, quod ſibi alioqui minimè conueniebat. Denique ſimile exemplum ad mortuum tanquam ad viuentem ſcribendi in aliis eiuſdem Clementis libris cernitur. Quid enim intereſt, mortuos inducere loquentes, quod idem auctor in his libris facit, quos de conſtitutionibus Apoſtolorum poſt eorum mortem ſcripſit, an mortuum inducere viuentem, ad quem ſcribas, quod in hac epiſtola fecit? in vtroque enim eſt quædam factio, ſiue inductio perſonæ. In epiſtola enim facit iuſſu Petri Iacobum viuẽtem, ad quem ſcribit: in libris de Apoſtolicis conſtitutionibus facit Apoſtolos iam mortuos loquentes, quod genus totum ad imitationem perſonarum pertinet, quod in ſcripturis quoque ſanctis præſertim propheticis exemplum habet, vt à magnis auctoribus notatum eſt ſicut Iuſtinus martyr vt cæteros nunc taceam, hanc conſuetudinem ſcripturæ ſanctæ in Apologia ſecunda ad Antoninum obſeruauit, ſic enim ait, Cùm verba prophetarũ, tanquam ex perſona ipſorum dicta auditis, ne ab ipſis, qui ſpiritu afflati ſunt, dici exiſtimetis, ſed à ſermone illo diuino, qui eos excitat, is enim aliquando tanquam ex perſona Domini omnium, Deique patris loquitur: aliquando tanquam ex perſona Chriſti: aliquando tãquam ex perſona populorum reſpondentium Domino, aut patri eius, quale etiam licet apud ſcriptores veſtros cernere: vt cùm vnus ſit ſcriptor omnium, perſonas

Quæ potiſſima cauſa transfigurationis perſonæ in epiſt. Clemẽti ad Iacobum.

Obſeruatio Iuſtini in faciendo perſonas loquẽtes in ſcripturis.

nas tamen loquentes inducat. id quod non intelligentes Iudæi, Chriſti aduentum non cognouerunt. Hæc Iuſtinus Cùm ſcriptores veſtros dixit, Platonem in primis ſignificare voluit. is enim ſermones Socraticos, quos dialogos appellauit, κατὰ μίμησιν ſcripſit inducto perſonarum ſermone ἀκρινείας ἕνεκεν, id eſt, cauſa bene res diſcernendi, vt magnus Baſilius in epiſtola ad Diodorum ait, idem ante Platonem Alexamenes Teius fecerat, vtrunque Ariſt. in Poëtica ſcribit, & Athenæus in libro 13. Δειπνοσοφιςῶν. Ac Cicero quidẽ ex noſtris magnus Platonis admirator, & imitator, hoc præcipuè genere delectatus eſt, vt cùm ipſe alioqui ſit ſcriptor, ſermones tamen inducat perſonarum, & quidem loquentium interdum inter ſe, quæ non ſunt locutæ, vt ipſe in epiſtola ad Varronem, quæ eſt in 13. libro epiſtolarum eius, excuſauit, hunc eſſe morem dialogorum: ſed nihil refert, modo perſonis congruant, quæ inducuntur loquentes. idem Cicero in libris de finibus bonorum loquentes facit eos, qui iam deceſſerant L. Torquatum, M. Catonem, & M. Piſonem, quia hoc ei viſum eſt, vt ait, ἀζηλότυπον, id eſt, omni inuidia carere. idem rurſus illa, quæ de Academicis quęſtionibus inductis Catulo, Lucullo, & Hortenſio, prius ſcripſerat, & ædiderat, quia perſonis illis nobilibus quidem, ſed non philologis minimè conueniebant, ad Varronem, & ſe, ac tertium Atticum tranſtulit. & cùm magnopere dubitaret, an mittendi eſſent ij libri ad Varronem, de eóque conſilium Attici expectaret, ſic de ea re ad eundem Atticum ſcripſit, & ſi nomina iam facta ſunt, induci, vel mutari poſſunt. ergo ex iudicio etiam Ciceronis limatiſſimo, cuius libri non ſolùm ſunt officina dicẽdi, vt ipſe de quodam alio oratore in Bruto ſuo dixit, ſed & ſcribendi, intelligi poteſt, non abhorrere ab ingenio polito ſcriptoris, alioqui vera ſcribentem inducere nomina loquentium poſt mortem: vel iam inducta transferre ad alia. Sed redeo ad Platonem, quem Cicero Deum ſuum vocare ſolet. Quid igitur mirum aut à ratione elegantis, & ſapientis ſcriptoris alienum fuerit, ſi vt Plato de rebus grauiſſimis naturæ, & morũ, quid ipſe ſentiret, per perſonas Socratis, Parmenidis, Timæi, & in legibus

Megilli aperit, ſic Clemens Athenis eruditus, omni liberali doctrina politiſſimus, & Platonis per ſtudioſus, illud genus ſcribendi ad noſtra transferens, ſcribit de doctrina catholica ex perſona Apoſtolorũ. in quos illa tanquam in magiſtros, ac prædicatores eius primos cadebat: idem intelligendum eſt de epiſtola Clemẽtis ad Iacobum fratrem Domini, quæ doctrinam B. Petri con tinet: in qua fecit ſe ſcribentem iuſſu beati Petri ad Iacobum, qui iam deceſſerat. nihil enim refert, vt ante dixi, facere nomen loquentis, an nomen eius, quocum ipſe per epiſtolam loquaris. Vtrobique enim eſt imitatio perſonæ, quæ dici poteſt μετασχηματισμὸς τῆς σαύτε, ſiue μετασχηματισμὸς εἰς πρόσωπον. Sic igitur Clemens in perſona Apoſtolorum lib. 7 c. 4. nos inquit, duodecim Apoſtoli Domini, qui vnà ſumus, has vobis regulas de omni eccleſiaſtica forma indicimus præſente Paulo, & Iacobo Epiſcopo, & reliquis preſbyteris ac ſeptem Diaconis. Hic quoque Iacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum iam mortuum viuentem facit, & præſentem cùm 12. Apoſtolis, & 7. diaconis: rurſus viuentem facit libro 8. c 10. cùm tradens formulam orãdi pro Epiſcopis & eorum eccleſiis in repræſentatione prioris canonis miſſæ, quo oratur pro viuis, Oremus (inquit in perſona diaconi) pro Epiſcopo noſtro Iacobo, & eccleſiis eius: Oremus pro Epiſcopo noſtro, & eccleſiis eius. Eſt autem Clemens ille ipſe, qui hæc iam Epiſcopus ſcribit: quare cùm in perſona diaconi iubeat orare pro Clemente Epiſcopo viuente, & in repræſentatione eiuſdem canonis, in quo oratur pro viuis, & in eis pro Clemente, iubeat orare pro Iacobo Epiſcopo, neceſſariò, & manifeſtè Iacobum repræſentat viuentẽ. Idem lib. 6. cap. 14. iterum facit Iacobum ſcribentem poſt mortem vnà cùm 12. Apoſtolis doctrinam apoſtolicam 8. libris comprehenſam. Ac rurſus, iidem 12. Apoſtoli cùm 7. diaconis, in quorum perſona Clemens hos libros ſcripſit, lib. 2. cap. 57. poſteà, inquiunt, legantur acta noſtra, & quæ ſequuntur de ordine legendi in eccleſia canonicos ſcripturæ ſanctæ libros atqui Stephanus vnus, è 7. diaconis iam lapidatus erat, & Iacobus frater Ioannis gladio peremptus, vt in iis ipſis Apoſto-

lorum Actis, quorum lectio ibi ſancitur, continetur. Imò lib. 5. cap. 8. ſancitum eſt ab Apoſtolis de honore martyribus Stephano, & Iacobo fratri Ioannis, qui iam pro Chriſti nomine interfecti eſſent, adhibendo vt igitur Clemēs in lib 6. omnes Apoſtolos facit eſſe vnà, cùm tamen in lib 5 Iacobus frater Ioannis iam dicatur interfectus: & rurſus in lib. 8. diaconos 7. cùm Apoſtolis adeſſe facit, cùm tamen in lib. 5. Stephanus iam ſit lapidatus, ſic Iacobum fratrem Domini viuentem facit epiſtolam ad eum ſcribens, ſicuti eundem quoque, vt antea dixi, in his ipſis libris de Apoſtolorum conſtitutionibus viuentem fecit poſt mortem, & cùm 12. Apoſtolis præſentem. Itaque cùm Clemens horum librorum catholicam doctrinam, & conſtitutiones in eorum perſona ſcripſit, omnes & Apoſtoli, & Diaconi, & Iacobus frater Domini præſentes erant, & vt Clemens ſcribit, in vnum congregati, non quidem præſentes & congregati corpore, vt eos μιμητικῶς facit, ſed ſpiritu, & vt Græci dicunt, κατὰ γνώμην, ſicut Paulus in epiſt. priore ad Cor. ſcripſit, congregatis vobis cùm ſpiritu meo: & in eodem loco, ego quidem, inquit, abſens corpore, præſens autem ſpiritu. Vna itaque mente ac ſententia ſancti Apoſtoli Clementi hanc doctrinam, ac conſtitutiones in perſona eorum ſcribenti interfuerunt in ſpiritu: vt iam doctrina omnium ſit, & cuiuſque eorum. Sic Chryſoſtomus in Encomio S. Ignatij martyris citans Paulum ad Titum de Epiſcopo, qualis eſſe debeat, ſcribentem, cùm Paulum, inquit, dico, non hunc ſolùm dico, ſed Petrum, & Iacobum, & Ioannem. & vniuerſum chorum Apoſtolorum. vt enim in vna lyra varij nerui ſunt in fidibus, vnus tamen concentus, ſic in choro Apoſtolorum variæ perſonæ, ſed vna doctrina. ἐπειδὴ καὶ εἷς ὁ τεχνίτης τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κινοῦν τὰς ἐκείνων ψυχάς. Si quidē vnus eſt artifex ſpiritus ſanctus, qui illorum excitat mentes. Item beatus Aug. in lib. 3. de conſenſu euangeliſtarum cap. 7. cùm Matthæus Hieremiæ teſtimonium de triginta argenteis producit, quod quidem non eſt in Hier. vt Hieronymus quoque teſtatur, ſed in Zacharia, ſic etiã, inquit, inſinuatũ eſſe, omnes ſanctos prophetas vno ſpiritu locutos mirabili

Quomodo erãt præſētes omnes Apoſt. cum eorum conſt. Clemens ſcriberet.

Matt. 26. Zach. 11.

inter ſe conſenſione conſtare: eſſeq́ue ſingula omnium, & omnia ſingulorum. Tametſi, vt hoc obiter obſeruetur, ex Hieremia potius credendum ſit, productum eſſe teſtimonium, non dico ex Prophetia Hieremiæ, quam in manibus habemus, ſed ex deſcriptionibus Hier. quę in. 2. lib. Machab. cap. 2. citantur, quæ à Græcis ἀπογραφαὶ dicuntur, id eſt, tabulæ actorum. Ergo, vt ad propoſitum reuertamur, qui mortem Iacobi cōtra epiſtolam Clem. quæ ad illum ſcripta eſt, obiiciunt, obiiciant quoque contra hos libros mortem Apoſtolorum, qui in his ipſis libris loquuntur, & negent Clementis eſſe, quia rationem eius in ſcribendo non intelligunt. quod quidem in Magdeburgenſibus non magnopere miror, nihil enim noui facient: ſed potius, quod in ſanctis etiam ſcripturis facere audēt. Catholici verò, ſi qui ſunt, quos hæc mouent, & ſcrupulum ac dubitationem eis aliquam in epiſtolam iniiciunt, quantò illi quidem religioſiùs facerent, ſi ſtudioſè inquirerent, quæ nam ratio ſcribendi ad mortuum, velut viuentem, aliquando eſſe poſſit? atque id, dum aut per ſe non aſſequuntur, aut ab alio non audiunt, interim in numero eorum ponerent, quæ & ſi vnde, aut quomodo ad nos profecta ſint, neſciamus, tamen ita ſine inuidia & contentione propter antiquorum patrum auctoritatem tenemus, vt de eis dubitare nefas eſſe exiſtimemus. Itaque iſtis ſatis, ſuperq́ue eſſe debebat, quod hanc epiſtolam Clementis ſanctus Anaclet. in prima & tertia epiſt. ſua citat: quod eius auctoritate vtitur Euariſtus: quod eam rurſus Alexander in epiſt. 1. citat: quod Marcellus item in epiſt. 2. qui quidem antiquiſſimi, & eruditiſſimi ac grauiſſimi Pontifices, vt non liceat dubitare, quin veritatem hiſtoriæ ſcirent, id eſt, mortuum eſſe Iacobum fratrem Domini, & Hieroſolymitanum Epiſcopum ante mortem Petri, idq́ue beatum Petrum ſcire & debuiſſe, & facilè potuiſſe, ita etiam cauſam & rationem transfigurandi inſcriptionem huius epiſtolæ in perſonam Iacobi iam mortui non ignoraſſe, apud homines ratione, & iudicio vtentes certum eſſe debet. Horum igitur Pontificū grauiſſimorum auctoritatem ſecuti ſunt deinceps cæteri omnes Pontifices, qui auctoritate huius epiſtolæ vtū-

2. Macc. 2.

Nihil mirum, ſi negent Magd. epiſt. Clementis ad Iacobum, qui epiſt. Iacobi canonicam negāt. Quid reſpondēdum ſit catholicis, ſi qui ſunt, qui de epiſt. Cle. ad Iacobum dubitant.

Qui grauiſſ. & antiquiſſ. pont. auctoritate epiſtolæ huius vtantur.

tur:quos quidem, vt concedamus, fortaſſe non omnes intellexiſſe huiuſmodi rationem inſcribendi litteras μιμητικῶς, quam iſti poſt Petrum,& Clementem proximi non ignorarunt,eo magis imitãdi ſunt: vt diſcamus eorum exemplo ea etiam tenere,quorum interdum tametſi cauſas,& rationes ignoremus, tamen antiquorũ exemplo,& auctoritate contenti eſſe debemus.Sed bene habet, quod iam ſcrupuloſis iſtis explicata eſt ratio artificioſæ inſcriptionis epiſtolæ ad Iacobum fratrem Domini iam mortuum : eſt enim veluti dramatica, id eſt,facta ex imitatione perſonæ quaſi viuentis, quæ nõ eſt κακοπλασία, id eſt,mala fictio, vt in conſtitutionibus Apoſtolorum à Clemente ſcriptis quibuſdã etiam ante annos propè 800. videbatur. vt Photius patriarcha Conſt.in biblioth.ſua teſtatur, ſic enim ait,loquens de libris Clementis,quos ſe dicit legiſſe, αἱ δὲ διαταγαὶ δοκοῦσιν ἐνέχεσθαι κακοπλασίᾳ, ἣν οὐ χαλεπὸν ἀποσκευάσασθαι,id eſt.conſtitutiones verò,inquit,videntur argui de mala fictione,quod non eſt difficile refellere.ſcilicet de mala fictione argui videbantur,quia facit Clemens,ab Apoſtolis iam mortuis conſtitutiones dictari, & ſanciri.Sed hoc facile, inquit, eſt refutare, nec amplius tamen Photius refutauit,tum quia non hoc agebat: tum quia non opus erat, cùm tritum eſſet hoc ſcribendi genus. Satis nobis ſit, quod vetus auctor acri iudicio, & multa eruditione, ac lectione infinita, leue eſſe iudicauit,& facilè refelli,quod accuſari videbatur.idem in epiſtola Clementis ad Iacobum fratrem Domini conuenit, quam qui de commentitia inſcriptione arguũt, imò negant,facilè à nobis hactenus refutati, & de imperitia conuicti ſunt.Sed rurſus,ne quid hic diſſimulemus,quomodo dicet aliquis,iuſſit Petrus Clementi, vt de morte ſua Iacobo iam mortuo nunciaret?nõ enim, inquit,multum doloris ex ea capiet, cùm probe ſciat, me, quod pro pietate pati oportebat, ſoluiſſe. ergo ne mortui qui in cœlo ſunt, dolẽt caſus & acerbitates noſtras? non dolent quidem more noſtro, qui ſunt omni lætitia pleni ac beati:ſed dolere dicuntur,vt eccleſiaſtici doctores tradunt,cùm ſecundum electionem voluntatis ex charitate aliquid nolunt propter gloriam Dei,

Quomodo beati dicantur dolere caſus noſtros.

quod Deus etiam non vult. ita vt id nolle actus charitatis ſit, idémque præmium, atque gaudium ſancti. vident itaque animæ beatæ, quicquid decet, & delectat in Deo videre propter gloriam eius. Quare, ſicut quod Tyrannus in cede Petri fecit, odium Dei, & dolor dicitur tropicè à noſtris diſpoſitionibus tranſlato nomine, quod eſt ſcripturæ ſanctæ familiare, ſic. S. Iacobus, qui in Deo id ipſum videbat contra voluntatem eius eſſe, ſimiliter eodem genere locutionis dici potuit dolere: cùm alioqui hoc ipſum nolle, ac dolere propter Dei gloriam, gaudium vt dixi, ac beatitudo illi eſſet. Etſi illud ſimpliciùs dici poteſt, quod cùm ad Iacobum tanquam ad viuentem ſcribi, beatus Petrus iuberet, dolor iſte, qui repræſentatur, in perſonam factam aptè cadebat. Verùm quia fortaſſis erunt, qui & ſi in ſcribendo nomina fieri & poſſe, & ſolere non negent, epiſtolam tamen ad mortuum ſcribi, ita abſurdum, & ab omni vſu, & conſuetudine abhorrere exiſtiment, vt nihil magis, ſi qui erunt eiuſmodi, quia fortaſſis, exemplo potius, quam ratione vlla ſe de opinione ſua dimoueri patientur, habent exemplum Magni Theodoſij, qui epiſtolam ad Ioannem Chryſoſtomum iam annis 35. vita defunctum ſcripſit: quam Nicephorus Caliſtus in libro 14 hiſtoriarum ſuarum c. 43. deſcripſit. Fuerat Proclus Conſtantinopolitanus rogatu populi ad Theodoſium Imperatorem profectus legatus, vt Ioannẽ Chryſoſtomum in exilio multis iam annis mortuum Conſtantinopolim reuocaret. Impetrauit Proclus Patriarcha. Miſſi ſunt, qui ſanctum corpus mortui ferrent. Cùm verò inde, vbi ſitum, humatúmque erat, mouere non poſſent, neque quicquam nitendo proficerent, ſubito in mentem venit imperatori, vt litteras ad mortuum his verbis ſcriberet. Orbis totius doctori, & ſpirituali patri Ioanni Sancto, & aurei oris Patriarchæ Theodoſius Imperator. Corpus tuum, itidem vt aliorũ, mortuum eſſe putantes pater honorande transferre id, & adducere ad nos ſicuti filij parentum amantes deſiderauimus. cùm autem debitũ prorſus honorem, & quantam opus fuit ſubmiſſionem & modeſtiam eam in te non contulerimus, imperialis fortaſſe faſtus leges in

rebus, quibus nos magis quàm imperio ipſo honeſtari decuit, ſecuti, nõ immeritò voto noſtro fruſtrati ſumus. At tu, pater patrum reuerendiſſimè, (nunc enim veluti viuentem alloquimur) ad deſiderium potius noſtrum, quàm ad cœptum tuum ſpectans, veniam da pœnitentibus: qui longè magis, quàm alius quiſquam, pœnitẽtiam docuiſti, & nos viciſti: idoneúmque caſtigationis deſiderio flagranti, errorémque ſuũ agnoſcenti animæ, eò quòd huc vſque reditum ad nos tuũ detrectaſti, exemplum exhibuiſti. redde te ipſum, quæſo: redde. Vt enim longiore mora & dilatione nos amplius etiam affligas, neque cõmiſerationis viſceribus tuis, nec amore, & expectatione noſtra dignũ eſt. qui non ſolũ corpus, & cineres, ſed ſolam etiam vmbram tuam cernere cupimus. Hactenus magni Theodoſij litteræ ad mortuũ. in quibus cũ Imperator ait, nunc enim veluti viuentem alloquimur, ſatis inde intelligi poteſt, cùm beatus Petrus ad Iacobum fratrem Domini ante annos 8. mortuum ſcribi iuſſit tanquam ad viuentẽ iuſſiſſe ſcribi. Solemus enim nos quandoq; excitare mortuos: & eos, veluti viuentes, alloqui. Præterea, cũ ait, vt enim longiore mora, & dilatione nos affligas, neque cõmiſerationis viſceribus tuis dignũ eſt, mortuo, quem viuentẽ facit, tribuit quod viuo congrueret, vt miſeratione affici. Sed beatus Petrus, cùm iuſſit Clementi, vt ad Iacobum de morte ſua ſcriberet, neq; verearis (inquit) ne fortè multum de meo exitu contriſtandus ſit cùm id me pro pietate ſuſtinere non ambigat. ſed rurſus ſi quis quærendum eſſe putet, quemadmodum ſi ad Iacobum fratrem iam mortuum Clemens iuſſu Petri ſcribit, Epiſcopum eum vocat Hieroſolymitanum, imò omnium eccleſiarum? ex iis, quæ antè diximus, in promptu eſt reſpondere, vt viuebat Iacobus non corpore ſed ſpiritu, ſic erat Hieroſolymis non corpore, qui iam ad cœlum migrauerat, ſed ſpiritu. Itaque vt ad Iacobum non corpore ſed ſpiritu viuentem Clemens ſcripſit, ſic etiam ad Epiſcopum eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſcripſit. quod ſi ſancti Epiſcopi dum in terra ſunt, eccleſias ſuas, charitate qua præditi ſunt, ſanctè curant, eò magis profectò curare eas ex charitate poſt receſſum ab hac vita cre-

Quomodo Iacobus mortuus dicatur Epiſc. Hieroſolymit.

dendi ſunt, quo eſt iam eorum charitas maior, ac perfectior. Vnde beatus Petrus, dabo, inquit, operam, & frequenter, vt poſſitis (hoc enim ſignificat hoc loco verbum Græcum ἔχειν, quod frequens eſt) poſt obitũ meum, horum omnium memoriam facere, promittit precaturum ſe pro eis poſt mortẽ, vt quæ ab eo audiſſent, & didiciſſent, poſt mortẽ eius retinerent ac ſeruarent, vt facerẽt quod Paul. in epiſt. ad Heb. monuit, cũ ait propterea abundantiùs oportet obſeruare ea quæ audiuimus, ne fortè perfluamus. An non erat hoc etiã, exercere adhuc officiũ Epiſcopi, & paſtoris? precari inquam, pro eis, & ſolicitum eſſe? adhuc ergo Petrus curã paſtoris gerit per preces: & præſidet per auctoritatem ſucceſſoris, & per doctrinam, quam tradidit, & reliquit. Vnde Nicolaus primus Pontifex eruditiſſimus, ac ſanctiſſimus reſpondens ad conſulta Bulgarorum c. 106. Poſcitis, inquit, vtrum ſecundum varios ſenſus eorum obedire, aut quid facere debeatis, (interrogauerãt enim de quibuſdam Græcis, & Armeniis, qui multa ac varia apud eos loquebantur) verùm nos, inquit Pontifex, nõ ſumus ſufficientes: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: & beatus Petrus, qui in ſua ſede viuit, & præſidet, dat quærentibus fidei veritatem. Hactenus Nicolaus. Sic beatus Iacobus, corpore quidem alioqui mortuus, viuebat, & præſidebat in Simone fratre cognomento iuſto Hieroſolymitano ſucceſſore. Huc etiam pertinet illud in conc. chalced. actione 3. Sanctiſſ. Archiepiſcopus magnæ ſenioris Romæ per nos & præſentem ſanctam ſynodum vna cùm beatiſſimo Petro, qui eſt petra, & crepido eccleſiæ catholicæ & rectæ fidei fundamentũ, nudauit eum tam epiſcopali dignitate, & quæ ſequuntur. adhuc igitur præſidet beatus Petrus, & cùm ſucceſſore ſuo hæreticos damnat. Rurſus, qui abſentes ſunt, aliquando propter charitatem, quam habent, iudicari & dici ſolent adeſſe. Vnde in cap. 1. concilij 2. Carthag. Cùm pro fide (inquit) & eccleſiaſtica vtilitate Epiſcopi conueneritis, licet non omnes, tamen charitas totum perſuadet, vt qui corpore ſunt abſentes, nobiſcum in ſpiritu videantur eſſe coniuncti, idcirco, Deo propitio, quia præſentes eſtis, pari profeſſione fides eccleſiaſti-

2. Pet. 1.

Hebr. c. 2.

Quomodo adhuc beatus Petrus in ſede Romana præſideat

Synodus Chalced.

ca,quę per nos traditur,in hoc cœtu glorioſo primitus confitenda eſt,&c. Item Synodus Antiochena in præfatione ad Epiſcopos abſentes,retulimus(inquit)ad veſtram notitiam, quæ nobis rectè viſa ſunt,credentes gratiæ Chriſti,& ſpiritui pacis, quod ipſi conſpirabitis tãquam poteſtate nobiſcum præſentes, & orationibus adiuuãtes,imò vniti vobiſcum, & ſpiritus S.præſentes, & quæ ſequuntur.Sic igitur ad huius figuræ exemplũ Iacobum iam mortuum, id eſt, abſentem (mors enim pij,ac ſancti quædam à nobis abſentia eſt)propter eius charitatem & preces pro eccleſia.præſentem in ea eccleſia,qua viuens regebat,diuino artificio Clemens facit.iam ad illud quod Magd. in eodem loco obiiciendum quoque putauerunt, quemadmodum Clemens vocet Iacobum Epiſcopum epiſcoporũ regentem omnes eccleſias,quæ vbique ſunt fundatæ, petenda eſt reſpõſio,ne eadem cum faſtidio & ſine neceſſitate repetamus,ex iis quæ cap 9.reſpondimus ad illud,quod ſimiliter in epiſtola Eleutherij obiiciebant de Epiſcopis Galliæ, quibus pontifex vniuerſalem eccleſiam commiſſam eſſe aiebat. Epiſcopum verò epiſcoporum vocat interpretans verbum Archiepiſcopi,ſic enim vocat eum S.Anacletus in ep.2.Archiepiſcopus verò, quibus Epiſcopis præeſt,eorum eſt Epiſcopus, vt eſt Hieroſolymitanus Epiſcopus epiſcoporum trium Palæſtinarũ, vt ex Synodo Chalced. actione 7. intelligi poteſt, tametſi Epiſcopo Cæſareæ,tãquam ſuo Metropolitano, ſecundum canonem 5.concilij Niceni ſubiectus ſit, vt etiam beatus Hieronymus in epiſt. ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani notauit. quod quidem factum eſt, non ſolùm, vt Pantaleon Græcorum canonum interpres notauit, quod ibi beatus Petrus Cornelium loco ſuo ordinaſſet, ſed etiam, vt magnus Nicolaus in reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap.92.ſcripſit,quia etſi,inquit,Hieroſolymitanus præſul & ipſe Patriarcha dicatur,& ſecundum antiquã conſuetudinem, & Nicenam Synodum honorandus ſit,ſalua tamen, inquit, Metropoli propria dignitate. Deinde ſubiungit, ſed & in eadẽ ſancta & magna Synodo nequaquam Hieroſolymitanus,ſed Eliæ Epiſco-

Quomodo Iacobus Epiſcopus epiſcoporum & rector omnium eccleſiarum.

Archiepiſcopos Hieroſoly. quibus prouinciis præſit,& cui Metropolitano ſubiectus.

pus dicitur:nam vera Hieruſalem tantum in cœlis eſt, quæ eſt mater noſtra: illa verò Hieruſalẽ terreſtris, ſecundum quod Dominus prædixit adeò funditus ab Adriano Imperatore Rom. deſtructa eſt, vt in ea neque lapis ſuper lapidem ſit derelictus: & ab eodem Elio Adriano in alio loco eſt conſtructa. hæc Nicol. Itaque non quia Clemens Epiſcopum epiſcoporum Iacobum appellauit, & omnes eccleſias regentem dixit, Pontificem vniuerſalem eum eſſe ſignificauit; ſed id in vtroq; voluit, quod ante explicatum eſt. Pontifex verò Rom. omnium epiſcoporum eſt Epiſcopus, quia omnibus omnium Epiſcoporum diœceſibus præeſt, quas propter vnitatem pacis & fidei, & capitis Synodus Chalcedonenſis can 9. diœceſim vocauit, vt idem magnus Nicolaus in epiſt. ad Michaëlem & notauit & probauit: de quo nos poſtea loco ſuo copioſius tractabimus. quod verò hæc inſcriptio de Iacobo Epiſcopo epiſcoporum, & regente Hieruſalem, & omnes vbiq; eccleſias, vera ſit, & antiqua, ad teſtimonium veterum exemplarium, in quibus ſic eſt Græcè κλήμης ἰακώβῳ τοῦ κυρίου ἀδελφῷ, καὶ ἐπισκόπων ἐπισκόπῳ διέποντι δὲ τὴν ἱερουσαλὴμ ἁγίαν ἐκκλησίαν, καὶ τὰς πανταχῆ θεοῦ προνοίᾳ ἱδρυθείσας καλῶς σύν τε πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἅπασιν ἀδελφοῖς εἰρήνη εἰς πάντοτε & ad fidem Rufini interpretis, qui ſic legit, & interpretatus eſt, accedit etiam teſtis Sidonius Apollinaris, qui ante mille annos in lib. 6. epiſtolarum ad Lupum Epiſcopũ Lirinẽſem ſic ſcribit, benedictus ſpiritus S. & pater Dei omnipotẽtis, quod tu pater patrum, & Epiſcopus epiſcoporum, & alter ſæculi tui Iacobus de quadam ſpecula charitatis, neque de inferiore Hieruſalem tota eccleſia Dei noſtri mẽbra ſuperinſpicis, dignus. qui omnes conſoleris infirmos, quique meritò conſularis ab omnibus. Hactenus Apollinaris. nemo credo erit iam tam hebes, aut tam contentioſus, qui vel nõ intelligat, vel neget. hæc ſcribentem ad illam inſcriptionem epiſtolæ Clementis ad Iacobum reſpexiſſe. alioqui quorſum dixiſſet, Epiſcopus epiſcoporum, & alter Iacobus, & de Hieruſalem meminiſſet? quo in loco ſimul interpretatus eſt, quid ſibi velit, quod Iacobum vocat

Clemens regentem omnes eccleſias,ſcilicet,de ſpecula charitatis omnibus eccleſiæ Dei membris, id eſt, omnibus eccleſiis,(omnes enim eccleſiæ particulares ſunt membra eccleſiæ catholicæ) proſpicientem, qui eſſet dignus,vt omnes eccleſias regeret, ac conſolaretur, & ab omnibus eccleſiis conſuleretur. fertur præterea alia quædam epiſtola Græcè Clementis ex perſona Petri ad eundem Iacobum, cuius meminit etiam Photius in bibliotheca ſua,cuius principium explanatio eſt huius inſcriptionis, Sic enim incipit, εἰδώς σε ἄδελφε μου εἰς τὸ κοινῆ πᾶσιν ἡμῖν συμφέρον σπεύδοντα προθύμως, ἀξιῶ καὶ δέομαι. id eſt. quoniam te video frater ad communem omnium noſtrum vtilitatem prompto,& alacri animo properantem, oro atque obſecro, & quæ ſequuntur. hoc ergo erat Iacobum eccleſias omnes regere,omniũ vbique eccleſiarum vtilitati conſulere, & omnia earũ commoda proſpicere,quod verbum διέπειν, quo vſus eſt,ſignificat. Hactenus exiſtimo de ſcriptione epiſtolæ Clemẽtis ad Iacobum fratrem Domini, qui iam à vita migrauerat, non malè, neque ineptè reſponſum eſſe, ſed potius rectè,& aptè ad morem ipſius auctoris. Sicut enim in aliis, vt antea dixi, quæ dialogicè ſcripſit, perſonas, quæ interdum loquerentur, fecit, ſic etiam more dialogi in quibuſdam epiſtolis perſonam Iacobi fecit,cui ipſe,tãquam abſenti loqueretur: eſt enim epiſtola velut altera pars dialogi, vt rectè ab Artemone, qui epiſtolas Ariſtotelis deſcripſit, dictum eſſe, auctor eſt Demetrius Phalereus,cum de epiſtolico charactere in libro περὶ ἑρμηνείας agit. Hoc etiam modo, ac more alteram epiſtolam ad Corinth. ex perſona eccleſiæ Rom.eundem Clementem ſcripſiſſe, teſtis eſt Hieronymus. Nihil autem intereſt, quod ad factionem perſonæ pertinet,feciſſe perſonam Iacobi in viuis,ad quã ipſe Clemens tanquam ad abſentem ſcriberet. explicatum præterea eſt, quemadmodum rectè etiam, & ſecundum conſuetudinem, idem Iacob. rector omnium eccleſiarum appellatus ſit hæc enim videbantur ad enodandum difficiliora. Reſpondeamus iam ad reliqua.

Reſponſio ad illud in epiſtola Clementis quomodo Petrus dictus ſit primitiæ electionis Domini, cum prius Andreas ad Chriſtum venerit, & in quo conſiſtat ratio primitiarum ſecundum ſcripturam, & de excellentia fidei Petro reuelatæ: & quomodo propter excellentiam fidei meruit fieri primitiæ electionis Apoſtolorum: & quomodo in eadem epiſtola Clementis dictus quoque ſit idē Clemens primitiæ gentium, cum prius fuiſſet conuerſus Cornelius Cēturio: Item reſponſio de nota infamiæ, quomodo non tantum ciuilis, ſed canonica pœna etiam ſit, & de tradendo curiæ ſeculari. *Caput* 14.

QVomodo Petrus ſit primitiæ electionis Domini, cui ſoli primum pater filium reuelauit, cum Andreas prius ad Chriſtum venerit, poſtea Petrum adduxerit.]

Quomodo Petrus primitiæ electionis Domini, non intellexerunt Magdeb. quia rationem primitiarū ignorarunt.

Hæc enim obiiciunt quoque cōtra epiſtolam Clem. nec hic intelligentes, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Si enim rationem primitiarū intellexiſſent, & fidei beato Petro reuelatæ excellentiā, nunquam hoc obiecíſſent. Igitur beatus Chryſoſtomus in homilia de aſcenſione Domini non ſunt, inquit, illæ primitiæ, ſi quis Deo primum fructum offerat, & dedicet, cum ſit tenuis & infirmus, vt eſſe ſolet primus fructus terræ, ſed ſi maturū & perfectū: quod quidem ex lege ait intelligi poſſe. Si ingredieris, inquit, in terram, quam dabit tibi Dominus, & plantaueris in ea lignum ad edendum, mundabitis immunditiā eius: fructus eius tribus annis erit immundus, non comedetur: quarto autem anno omnis fructus eius ſanctus erit Domino. Tribus annis iubebat lex, fructibus parcere, quia eſſent arbores infimæ, & fructus tenuis: neq; permittebat edere ex eis illis tribus annis, ne prius quā Deo libarentur, homo deguſtaret. neque rurſus permittebat offerre, quia ille fructus indignus erat Deo. ſic ergo, inquit, non primus Adam oblatus eſt Deo, tāquam primitiæ, vtpote factus obnoxius peccato: Sed potius ſecundus Adam, qui erat liber ab omni peccato oblatus eſt Deo, tāquam primitiæ. vt in illis primitiis, & propter offerētis, & propter oblati dignitatem Deo

acceptiſſimis naturæ illi, cui dictum fuerat in Adam, Terra es, & in terram ibis, poſtea diceretur, ſede ad dexteram meam. Hactenus Chryſoſtomus. Ad exemplũ ergo & ſimilitudinem huiuſmodi primitiarum, quarũ ratio à beato Chryſoſtomo explicata eſt, fuit quidem beatus Petrus primitiæ electionis Domini, non quia fuit prius fuit electus, prius enim fuit vocatus, & electus Andreas, ſed quia primus fuit, qui cum filium hominis audiſſet, vt S. Marcus Anachoreta notauit, reſpõdit interrogatus, filiũ Dei eſſe, quæ confeſſio, vt Theophanes cognomento Cerameus obſeruauit, Neſtoriũ coarguit Chriſtum in duas perſonas diuidentem: & Armenios atque Acephelos duas naturas in vnum cõfundentes. de hac mirabili fide beati Petri diſſerens beatus Hieronymus, vt ſupra cap. 6. copioſius expoſui, non hæc curo mea, inquit, & ſanguis tibi Dei filiũ prodiderunt: nam iſta non patiuntur me hoc credi item S. Theodotus Ancyranus in eandem ſententiam, quod dixiſti, inquit, de eo, qui cernitur, nõ didiciſti ex natura, quæ cernitur: quod, inquam, dictum eſt de carne, non didiciſti ex carne & ſanguine: quia ſcilicet filium hominis dixit eundem eſſe filium Dei, non diuidens duas naturas, neque duo ſignificata in Chriſto, ſed vnum confeſſus. hæc Theodotus. Huius ergo fidei reuelationem ſoli Petro, vt Clemens ait, fecit primum pater, tũc ſcilicet, cum dixit, hic eſt filius meus dilectus: vi beatus Hilarius in lib. 6. de trinitate notauit. item B. Cyrillus *ἐν ταῖς ἑορτάσι ταῖς ὁμιλίαις* homil. 8. ſic ait *τῶν ἁγίων μαθητῶν ἡγούμενος πέτρος*, id eſt, Petrus, ſanctorum diſcipulorum dux ac princeps non ignorabat Ciryllus, prius vocatum fuiſſe Andream, & Andrea duce, Petrum veniſſe ad Chriſtum: nihilominus tamen ducem diſcipulorum, & principem vocat Petrum: vtrunque enim ſignificat *ἡγούμενος*. eo ergo modo erat Petrus primitiæ electionis diſcipulorum, quo erat dux, & princeps eorum. rationẽ verò ſubiungit idem Cyrillus, Quia Domino percunctante, quem dicunt homines eſſe filium hominis, non reſpondit, in te eſt filius, ſed cum cognoſceret vnum, & eundem eſſe ante carnem & cũ carne, clara voce clamat, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Hæc

Quare Petrus primitiæ electionis Domini.
Quos hæreticos coarguat confeſſio Petri.
Et quid magni auctores de ea explicauerint.
Marcus Anachoreta.
Theophanes Cerameus.
Hieronymus.
Theodotus Ancyranus.
Hilarius.

excellentiſſima fides Petri meruit, vt cum alioqui non eſſet prius vocatus, fieret tamen primitiæ electionis, id eſt princeps vocatorum. Rurſus D. Hieronymus in eodem lib. de circuncisione, quem ſupra, memini, comparans Petrum cum Abraham ad demonſtrãdam beati Petri Principis Apoſtolorum excellẽtiam, illi, inquit, dicitur faciam te in gentem magnam, huic dicitur, faciam te piſcatorem hominũ: illi dicitur, in ſemine tuo, benedicentur omnes gẽtes: huic dicitur, iudicabis duodecim tribus. Et ſi enim, vt hoc admoneam, vtrunque horum dictum quoque eſt omnibus Apoſtolis, faciam vos fieri piſcatores hominum, & illud, ſedebitis & vos ſuper duodecim tribus Iſrael, hæc tamen Petro tribuit beatus Hieronymus, cui primũ, vt principi Apoſtolorum, conueniunt. vt illud, Faciam te in gentem magnam, quamuis Iſaac quoque in Geneſi dictum eſt, & illud item, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, licet Iſaac etiam dictum eſt, Abrahæ tamen primũ conueniunt, quia fuit primitiæ electionis populi Dei. Subiungit deinde idem Hieronymus, illi dictum eſt, vt ſtellæ erit ſemen tuum. huic dicitur, tibi dabo claues regni cœlorum. Hoc verò ſpecialiter beato Petro dictum eſt, ſicut ei ſoli dictum eſt, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Quem locum interpretãs S. Iſidorus Peluſiota grauiſſimus auctor, & in litteris ſanctis valde exercitatus, & eruditus in epiſt. ad Gainã, dabo, inquit, αὐθεντικῶς claues regni cœlorum, quia non ſeruum, neque miniſtrum, neque ſubiectum, aut alienum à ſubſtantia patris me vocaſti, ſed potius legitimum filium Dei viui: idque patre meo reuelante. vt igitur, quamuis alij ante Abraham ex patribus, ac maioribus eius fidem Dei, & quidem excellentem habuerunt, vt Noe, Enos, & Seth, & alij, tamen propter excellẽtiſſimam fidem meruit Abraham, vt eſſet primitię, & origo veteris populi Dei, ſic beatus Petrus propter admirabilem fidem Chriſti meruit fieri primitiæ electionis Apoſtolorum, quamuis prius Andreas & credidiſſet & vocatus eſſet. Non enim ratio primitiarũ, vt ſcriptura ſancta docet, & beatus Chryſoſtomus paulo ante explicauit, in anticipatione temporis, ſed in matu-

Hieronymus.

Gen. 23.
Gen. 29.

Iſidorus Peluſiota.

Comparatio Abrahæ, & Petri in ratione primitiarum, & fidei.

ritate perfecta fructus conſiſtit: cuiuſmodi fides illa beati Petri extitit. Cernitur etiam huiuſmodi primitiarum ratio in Chriſto, cum dictus eſt ab Apoſtolo primitiæ dormientium, non quia primus reſurrexit, ſed quia primus perfectiſſimè, ſua ſcilicet virtute, reſurrexit, & non amplius moriturus. Vnde & primogenitus quoque ex mortuis ab eodem Apoſtolo dictus eſt; quod eum, tanquam primitias ſequi debeat φύραμα, id eſt, conſperſio, ſiue maſſa, quæ eſt eccleſia illa primogenitorum, quam Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos dicit. Denique ipſe idem Clemens cur, & qua ratione Petrum primitias electionis Domini appellauerit, ſatis declarauit poſtquam enim dixit, Qui fuit primitiæ electionis Domini, ſtatim quaſi explicans quod dixerat, ſubiungit, Apoſtolorum primus, cui & primo Deus Pater filium reuelauit. ideo enim fuit primitiæ electionis Apoſtolorum, quia fuit Princeps Apoſtolorum: hunc verò principatum tulit propter excellentiſſimam fidẽ, quam reuelante Deo patre, de Chriſto Dei viui filio primus habuit. Sic etiam beatus Petrus in eadem epiſtola Clemente vocauit primitias gentium, quas ad fidem conuertiſſet: nôn quidem quod Clementem primum Deo obtuliſſet, prius enim obtulerat Cornelium Centurionẽ, quam Clemens Petrum vidiſſet: ſed quod præſtantior & excellentior eſſet. Sic enim Clemẽs narrat, Petrum dixiſſe, cum eum ordinare vellet, & ſucceſſorem relinquere. σὺ γὰρ δι' ἐμοῦ τῶν σωζομένων ἐθνῶν ἡ κρειττόνων ἀπαρχὴ. id eſt, tu enim es meliores primitiæ earum gentium, quæ per me ſaluæ fiunt. melius itaque eſt Græcè, quam vt interpres epiſtolæ his verbis vertit, cum primitias eorũ, qui ex gentibus per me ſaluantur & præcipuè huius vrbis te primum obtulerim Deo. qui locus manifeſtius, quã ille de Petro primitiis electionis Domini, reprehenſioni pateret, neſcio quomodo iſtorum calumniam effugit, niſi quia ita Dominus voluit, quo magis eos confunderemus. Vt igitur Petrus Clementem vocat primitias gentium propter præſtãtiam, ſic Clemens Petrum propter principatum eius primitias electionis Apoſtolorum vocauit: quem rurſus idem Clemens patrem Apoſtolorum in principio

Ratio primitiarum non in anticipatione temporis, ſed in maturitate perfecta fructus conſiſtit ſecundum ſcripturã.

1. Co. 15.

Coloſ. 1.

Heb. 12.

Quomodo ſtatim explicet Clemens, cur primitias electionis Domini Petrũ vocarit.

Cur Petrus Clementem vocauerit primitias gentium.

Quomodo locus de Clemente primitiis gentiũ calumniam Magd. effugerit.

Petrus vocatus à Clemēte pater Apoſtolorū, ſicut primitiæ electionis eorū.

epiſtolæ ſecundæ vocat. Sed obiiciunt præterea in extrema parte huius loci, quod Clemens epiſt.3.& Alexāder item epiſt.3.& Theleſphorus epiſt.1. infamiæ nota inobedientes Epiſcopis puniunt, cùm iſta inquiunt, pœna legum ciuilium ſit.]

Cur ad omnia quæ Magd. obiiciunt, quamuis indigna eſſent reſponſione, reſponſum tamen ſit.

Non reſponderem ad hoc, niſi propoſitum eſſet, nihil prætermittere, quia verebar, ne iſti ideo prætermiſſum interpretarentur, quia nihil eſſet ad reſpondendū: ac non potius quia quiuis reſpondere poſſet: aut indignum reſponſione eſſet. Quis enim ignorat, eſſe infamiam ciuilem, & infamiam canonicam? Vnde Adrianus Pont.6.q.1.c.Omnes, Omnes, inquit, infames eſſe dicimus, quos leges ſæculi infames appellant: & omnes qui culpis exigentibus ad ſacerdotium nō poſſunt prouehi. Item Fabianus Papa, Illi, inquit, qui peccata perpetrant, de quibus Apoſtolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt, valde cauendi ſunt: & ad emendationem, ſi voluntariè venire noluerint, compellēdi ſunt, qui infamiæ macula ſunt aſperſi. Et Victor Pontifex de conſ. diſ.3. c. celebritatem, Ipſi verò, inquit, qui infidelitatis nota aſperguntur, infames efficiuntur. Magdeburgenſes verò ſic argumentantur,

Argumentatio ridicula Magd.

infamia eſt legum ciuilium, ergo nō eſt legum eccleſiaſticarum. Concludant igitur ſimiliter, neque vincula, neque mulctas, neque amiſſiones bonorū, nec exilia, neque id genus alia eſſe in eccleſia, quia ſint etiam eiuſmodi pœnæ legum ciuilium. Pius etiam Pontifex curiæ, inquiunt, tradi præcipit hoc quoque notarunt tanquam alienum à veritate hiſtorica ſed quia Magd. ne nunc quidem quod in eccleſia fit, probant, vt clerici mortis rei, curiæ ſeculari tradantur, prius de hoc dicēdum eſt aliquid breui: poſtea de illo Pij Pontificis tēpore, cum Ethnicis imperatoribus, non erat Chriſtianorum laicorum curia, ſed Gentilium. non enim Pius pont. in tempus ſuum tantum reſpexit, ſed etiam in futurū, cum, ſublatis imperatoribus ethnicis futura erat inter chriſtianos curia ſæcularis. Primum igitur omnino conſonat ſcripturæ noui teſtamenti Pij pontificis decretum de tradendo ſacerdotem vel clericum curiæ ſæculari, ſi capitale crimen cōmiſiſſet, cuiuſmodi erat,

inſidias

inſidias Epiſcopo paraſſe. quod nunc etiam fit. Quia postquam ſuperabundauit, ſicut Apoſtolus ait, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum fide, & dilectione, lex euangelij, quæ tota ſpiritualis eſt, & abundare iubet iuſtitiam noſtram, pluſquam ſcribarum & phariſæorum, quod Paulus interpretatus eſt. non operatur iam iram, vt illa vetus, quam qui irritam faciebat, ſine vlla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moriebatur: ſed potius differens in alterum ſæculum iudiciũ mortis, nihil interim hic ſancit metu pœnæ capitalis: nihil enim niſi propter fidem, & dilectionem iubet, aut vetat Vnde Apoſtolus præcipit presbytero, non eſſe percuſſorem. Sed num quia Chriſtus, vt eſt in lib. 6. Clem. de cõſtitutionibus Apoſtolorum, liberam reliquit voluntatẽ noſtram, non præſenti eadémque breui morte mulctans, ſed iudicium in alterum ſæculum reſeruans, ac reuciens, idcirco poteſtas ſæculi fruſtra aduerſus clericos gladium portabit minimè. cur ita? quia, vt Apoſtolica conſtitutio in lib. 2. Clem. c. 24. docet, poteſtatis ſæculi eſt præeſſe corporibus cuſtodiendis, & ad cuſtodiam corporum pacem, ac bellũ ſuſcipere. Quare cum clericus reus mortis eſt, curiæ traditur, id eſt, poteſtati ſæculari, vt pro eccleſia cum eo bellũ ſuſcipiat: bellum enim quoddam cum eo ſuſcipit, cum pœnas ab eo exigit: vt Clerum, & eum qui Clero præeſt, ab huiuſmodi periculis defendat. Ex auctoritate ergo euãgelij, quod ſancti Apoſtoli nobis tradiderunt, decretũ de tradẽdo clericos reos ſanguinis curiæ ſeculari proceſſit. Imò non ſolùm ex euangelio per Apoſtolos prędicato, ſed etiam ex traditione non ſcripta Apoſtolorũ proceſſit. ipſi enim inter reliquos canones ſiue regulas, quas per ſermonem tradiderũt, vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinem in eccleſia fierent, quas Clemens Romanus collegit, & deſcripſit, prohibuerunt canone 27. ne Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus fideles propter peccatum, aut infideles propter iniuriã verberarent, alioqui, gradu mouerentur. non enim (inquiunt) Dominus hoc docuit: quin potius cum percuteretur, non repercutiebat: cùm pateretur non comminabatur., hunc canonem ſecuta eſt Synodus Antio-

1. Tim. 1.

Quomodo tradere curiæ ſeculari eccleſiaſticos reos mortis ex auctoritate euangelij profectum ſit.

Matth. c. 5.

Conſtitutio apoſtolica.

Heb. 10.

Conſtitutio apoſtolica.

chena annis 5. poſt Nicenam habita. renouans enim eiſdem ferè verbis ſententiam canonis Apoſtolorum 31 in eum presbyterum, qui contempto Epiſcopo alioqui pio & fideli, ambitioſè & tyrannicè aliud altare erigit, ſi, vocatus ab Epiſcopo ſemel & iterum, parere noluit, & deiectus de gradu, adhuc tumultus, & turbas excitet, iubet in 5. canone Synodus, vt corrigatur per ciuilem poteſtatem, quam Pius pont. curiam vocauit. vtrunque horum canonum & Apoſtolorum, & Synodi Antiochenæ citauit Synodus Conſtantinopolitana in templo ſanctorum Apoſtolorum ſub Photio Patriarcha habita. quę vocata eſt πρώτη, καὶ δευτέρα in eos enim, qui canonem Apoſtolorum malè interpretabātur, quaſi prohibuiſſet quidem ſacerdotibus, ne alios propter peccatum ſuis manibus verberarent, ſed non, ne iuberent, ab alio verberari, in extrema parte canonis ſui 9. Si cui verò, inquit, fuerint, qui neque monitis, neque ſuppliciis eccleſiaſticis corrigi voluerint, nemo hos per magiſtratus loci corrigi prohibuerit: ſiquidem Synodus Antiochena canone 5 ſanxit, vt qui ſeditiones in eccleſia mouerent, manu externa, id eſt, per ciuilem poteſtatem corrigerentur. Vt igitur hoc, quod Synodus Antiochena ſanxit de incorrigibili, vt ita dicam, poteſtati ciuili tradendo ad puniendum, ex traditione canonica Apoſtolorum, quæ Epiſcopis prohibet verberare, fluxit ſic etiam quod Pius Pont. iuſſit, tradere curiæ ſæculari. Dicendum eſt nunc de tempore Pij, in quod viſum eſt Magdeb. decretum Pij Pontificis non conuenire, cum tota vt dixi, curia ethnicorum tūc eſſet. Credo, exiſtimarunt Magd. de curia ſęculari chriſtianorum locutū fuiſſe Pium, ſed non ita eſt. nec enim alio gladio, quàm ignis, (ſic enim Clemens Rom. in libro 2. de conſtitutionibus Apoſt. anathema vocat), tūc vti poterat eccleſia, quia Chriſtiani tunc poteſtatem gladij non gerebant, alioqui tanquam ſicarij puniti fuiſſent. ſed quia rurſus æquum, & neceſſarium erat, ſcelerum pœnas eſſe, & innocentes defendi, quandiu hoc à Chriſtianis præſtari non poterat, voluit Apoſtolus Paulus, vt hoc per ethnicos magiſtratus præſtaretur. quod ſatis idem Paulus admonuiſſe videtur, cum

de illis ethnicis poteſtatibus in epiſ. ad Rom. ſcripſit, non ſine cauſa gladium portare, Dei enim miniſtros eſſe, vindices in iram ei, qui malè ageret: quamobrem tributa eis pendi, & parere oportere. Quare cum crimen à Chriſtiano commiſſum erat, quod pœna capitis, aut alio quopiam graui ſupplicio ciuili plectendũ eſſet, eorum curiæ tradebatur. vtile enim erat, corrigi eorum legibus ad bene viuendum, vt beatus Cyrillus in Iulianum apoſtatam libro 7. ſcripſit, cùm ei reſpondit Chriſtianis exprobranti, quod ſub imperio, & legibus Romanorum viuerent. Quis enim ignorat, ait Calixtus pont. de legibus illis æquitate, & prudentia plenis loquens, leges humanas rationi, & honeſtati nõ repugnantes eſſe amplectendas, præſertim vbi vel publicæ conſulunt vtilitati, vel eccleſiaſticæ dignitatis auctoritatem defendunt? vt igitur legibus Romanorum, ſic etiam curia eorum, quæ legum miniſtra erat, eccleſia, cum opus erat, vtebatur.

Reſponſio ad illud, quod obiicitur ex epiſtola Clementis quod Petrus potuerit integrè ſeruare præceptum, & quomodo non hoc intellexerint Magdeburgenſes: item reſponſio ad illud, cur Paulus in epiſtola ad Philippenſes non appellauerit Clementem Pontificem Romanum, ſicut appellauit cooperarium. Item ad illud, cur beatus Petrus in epiſtola 2. paulò ante mortem ſcripta, non meminit Clementis ſucceſſoris ſui. *Caput 15.*

ILlud quoque Magdeburg. tanquã falſum notarunt in epiſtola Clem. ad Iacobum, quod Petrus potuerit integrè ſeruare præceptum. cum tamen, inquiunt, Petrus illam regulam Chriſti obſeruauerit, cum omnia feceritis, dicite ſerui inutiles ſumus: & Chriſtus dicat, Ego veni legem adimplere.]

Vtrum Magdeburg. intellexerint, quod hic notarũt, iudicent, qui hæc legerint: & ex hoc loco de reliquis, quomodo intelligant, ſuſpicentur. Petrũ, ait Clemens, vtpote magis idoneum, iuſſum fuiſſe Plagam Occi-

Redarguuntur Magd. non intellexiſſe quod reprehenderũt.

dentis prædicatione ſua illuminare, & potuiſſe perficere, hoc autem, quod Clemens de hoc præcepto illuminandi Occidentem dixit, impletum eſſe à beato Petro, neſcio quomodo Magdeburg. ſtudio accuſandi obtuſi, & hebetati, de præcepto legis diuinæ acceperunt. ne autem iſti tergiuerſari, & elabi poſſint, deſcribam græca, quæ magis adhuc hanc ſententiam declarant, ſic enim ait, ὁ καλὸς καὶ δόκιμος μαθητὴς ὁ τῆς δύσεως τὸ σκοτεινότερον τοῦ κόσμου μέρος ὡς πάντων ἱκανώτερος φωτίσαι κελευσθεὶς καὶ κατορθῶσαι δυνηθείς: id eſt, bonus & probatus diſcipulus, qui partẽ Occidentis reliquo mũdo obſcuriorem, vtpote magis idoneus, illuminare iuſſus fuit: & perficere potuit. hoc item de Occidente per prædicationem beati Petri illuminato, ſicut Dominus ei pręceperat, teſtatur Apoſtolus Paulus cùm ad Rom. ſcribẽs, ait, deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam. ad confirmandos dixit, quia, vt Theodoretus quoque in commentariis ſuis obſeruauit, prius Petrus fuerat Romæ, & fidem Romanis, qui ad Occidentem pertinent, tradiderat. de qua fide ait idẽ Paulus in principio eiuſdem epiſtolæ, Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtũ, quod fides veſtra annunciatur in vniuerſo mũdo. quantæ verò tenebræ ignorantiæ, & quãta ibi cœcitas mentis eſſet, ibidem quoque idem Paulus declarat &c. Sed Magdeburg. aliud adhuc peius hic commiſerunt.

Quam inſcienter Magd. quod Dominus dixit in euangelio de lege vetere, de lege noua acceperunt.

verbũ enim Dei, de cuius ſcientia gloriantur, malè hic intellexerunt: ſiquidem quod Chriſtus dixit, vt ipſi recitant, Ego veni legem adimplere, de lege noua accipiendum eſſe putauerunt: vt enim doceret falſum eſſe, quod à Clemente dictum eſſe exiſtimabãt potuiſſe Petrum integrè implere præceptum, obiecerũt de ſe ſolo dixiſſe Chriſtum, Ego veni legem adimplere. quod quidem de illa lege dixit, de qua dixerat, Nõ veni ſoluere legẽ, ſubiungit enim ſed adimplere ſcilicet ipſam illam legem. quia lex per Moyſem data eſt, vt ait beatus Ioannes, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt & ſanctus Sixtus tertius in epiſtola de diuitiis explanans hunc locum, Adimplet, inquit, legem, cum

Matth. 5.

Ioan. 1.

eam veram eſſe oſtendit. veram enim oſtendit quando per ſe ceſſare facit illa, quæ iam ceſſatura prædixerat: & de antiqua lege legem produxit nouam: & nouum teſtamentum promulgauit ex vetere: vt magis ac magis legis ac prophetarum prædicta ſuppleret, in quibus continebatur, de Sion procedit lex, & verbũ Domini de Hieruſalem. & alibi, Dabo eis teſtamẽtum nouum, non ſecũdum quod diſpoſui patribus eorũ. Hactenus ille. ſequitur in centuriis, Nec illud veriſimile eſt, quod Petrus Clementem paulò ante mortem Romanũ ordinauit Epiſcopum: nam Paulus in epiſ ad Philipp. teſtatur Clementem ſuum cooperarium fuiſſe: neque eũ appellat Pontificem Romanum, Epiſcopum vniuerſalem, caput eccleſiæ. Hic quoque errant Magd. in ratione temporum, epiſtolam enim ad Philipp. ſcripſit Paulus Romæ, vt ex extremo eius intelligi poteſt, cum ait, Salutant vos qui ex Cæſaris domo ſunt: Romæ inquã ſcripſit ex cuſtodia & vinculis, vt intelligi poteſt ex 1. & 2 & 4. cap ex cuſtodia, inquam, priore in qua fuit biennium ſub Nerone, qua liberatus vixit ferè decennium. poſt hanc liberationẽ, conſtat, diſceſſiſſe Paulũ Roma, & rediſſe in Syriam, & inde in Græciam reuerſum eſſe circiter annum 9. aut 10. Imperij Neronis. ex ſecunda cuſtodia ſcripſit epiſtolam 2. ad Timoth. cum iam tempus mortis inſtaret. vt ipſe in eadem epiſt. ſcribit. quomodo ergo tam multis ante mortem annis de electione Clem. in epiſtola ad Philipp. in qua cooperariũ ſuũ eum vocat, ſcribere poterat? hoc igitur Magdeb. ſi poterant, probare debebant. ſcriptam eſſe epiſ. ad Philip. paulò ante mortem Petri: quæ cùm ſcripta ſit multo antequam Clemens Epiſcopus Romanus ordinatus eſſet, non poterat Paulus appellare eum Pontificem. Rurſus obiiciunt Magdeb. neque Petrus in 2. epiſtola quam etiam paulò ante mortem ſcripſit, mentionem Clementis facit, nec eius, nec alterius primatis: quod ſanè facere debuiſſet, ne ignorarẽt Petro mortuo Clementem, & Romanos ſucceſſores caput eccleſiæ futuros.]

Interpretatio erudita Sixti tertii in illud, non veni ſoluere legem, &c.

Deprehenſio Magd. in errore rationis temporum.

Explicatio de priore, & poſteriore cuſtodia Petri & de diſceſſu eius Romæ, & de reditu.

2. Tim. 4.

Quid obiiciant Magd contra Clementis põtificatum ex 2. epiſt. Petri c. 1.

Sanè quidem ſcribit B. Petrus in Epiſ. 2. ſignificatum eſſe ſibi à Domino de morte ſua proxima: certus, in-

2. Pet. 1. quit, quod velox depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi: ſed quam citò ſubeunda mors eſſet, nō dixit ſibi ſignificatum eſſe. aliud enim eſt ſignificare, cito intereundum eſſe, aliud, quam cito. quod quidem cum non eſſet illi ſignificatum, ſed, ſolum cito, hoc autem, cito, incertum erat non conueniebat, vt tunc de ſucceſſore ſcriberet. denique quis dubitare poteſt, quin quod in epiſ. ſcripſit, ſignificatū eſſe ſibi de morte proxima, hoc ante illos ipſos dies, quibus moriturus erat factū eſſet? at beatus Petrus propè ipſos illos dies, quibus moriendum erat, congregatis fratribus, elegit, & ordinauit Clementem, vt Clemēs ſcribit: ſic enim eſt Græcè πρὸς αὐταῖς δὲ ταῖς ἡμέραις εἰς ἤμελλε πλευτᾶν, & quæ ſequūtur non igitur ſcribere debebat, quod nondum fecerat: neque quid de eo facere cogitaret, neceſſe erat ante tempus nunciare. quod enim centuriatores dicunt, debuiſſe facere in Epiſ. 2. ad Tim. ne ecclesiæ ignorarent mortuo Petro Clemētem ſucceſſorē, & eccleſiæ caput. ſatis hoc prouiſum fuit, cum iidē Clemēti iuſſit, de eo ad Iacobum fratrem Domini ſcribere: quod nobis quidem ſatis ſuperq́ue eſt, qui fidem, quam debemus, ſicut à maioribus noſtris ſemper factum eſt, epiſtolæ accomodamus.

Deinde ad illud cur Petrus 1. cap. 5. de gradibus Epiſcoporū non meminit, ſed tantum presbyteros nominauit: & quomodo de gradibus Epiſcoporum per traditionem ſine ſcripto acceperit eccleſia, & quomodo id per ſcripturam probetur: & de loco Epiſtolæ Pauli ad Titū, Conſtitue presbyteros per ciuitates, ſicut conſtitui tibi: & quomodo Clemens potuerit videre Hieroſolymis cum Iacobo diſcipulos, qui habebant omnia communia. Caput 16.

" ADdunt deinde centuriatores, eiuſdem ge-
" neris & illa, quæ de gradibus Epiſcoporū
" finguntur, quod Petrus iuſſerit in gentiū
" vrbes, vbi ante Archiflamines maiores
" erant collocare Patriarchas, ſiue primates: vbi verò minores, eo Archiepiſcopos; in alia verò

magna oppida Metropolitanos: in cætera verò Epiſcopos: & vt illud caueretur, ne in vicos, & parua Caſtella Epiſcopi conſtituerentur, ne nomen eorum vileſceret: & ne in vno loco duo aut tres eſſent Epiſcopi, ſed in ſingulis ſinguli Clem. in 1.]

Quæ obiiciant Magd. contra gradus diſtinctos Epiſcoporum.

Hæc autem ſic Magdeb. refellunt, nam Petrus inquiunt, in ſuis Epiſ. quarum poſtremā paulò ante mortem ſcripſit, nullam iſtorum graduum mentionē fecit. & 1. Pe. c 5. miniſtros eccleſiæ tantum presbyteros, & quidem ſe compresbyterum vocat. nec vſquam Epiſcoporum, Metropolitanorum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, Papæ, & ſimilium titulorum meminit.]

Videtur ne vobis Magdeb. idonea hæc confutatio? probate nobis, nihil per ſermonem ſanctos Apoſtolos tradidiſſe, ſed omnia per epiſtolam, & cedemus vobis. at hoc facere non poteſtis: imò verbum Dei, quod vos ſemper requirere ſimulatis, hic planè negatis. an non eſt verbum Dei, quod ad Theſſ. ſcribit Apoſt. cùm ait. State itaque fratres, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſ. noſtram? ſi igitur ſancti Apoſtoli per ſermonem quoque ſine Epiſ. tradebant, quæ teneri volebant conſtanter, & in eis ſtare, ac permanere, ſicut hic Teſſalo. iuſſit, ſtare & tenere quæ per ſermonem, ſiue epiſtolā eis tradiderat, quid obſtat, quo minus hæc quę de gradibus Epiſcoporum requiritis, ſine Epiſt. Petrus tradiderit, ſicut coapoſtolus eius Paulus faciebat? quod ſi nihil obſtat, quin ita fecerit, cur verbo Dei, cur exēplo Pauli, cur rationi, cur auctoritati Clem. cur teſtimonij tot eccleſiarum, cur tot ſæculis repugnatis? reſpondete nobis Magdeb. cum Paulus ad Philipp. ſcribens hortabatur, vt ea cogitarent, quæ à Paulo didiciſſent, accepiſſent, audiſſent, & vidiſſent in eo: ſic enim futurum eſſe Deum pacis cum eis, an de iis, quæ per epiſtolam tantum didiciſſent, loquebatur? ſi ita eſt, quid opus erat illa verborum redundātia? quis rationis compos ſic loquatur, ſi de vno tantum genere docendi per epiſtolam loquatur? an ſenſus communis, & natura ipſa non docent vos, non ſolum audiri quæ ab abſentibus ſcribūtur, ſed quæ à præſentibus dicuntur? & non ſolum per auditum eorum, quæ

Quomodo Magdeb. verbum Dei ſcriptū negent, negantes traditiones ſine ſcripto.

Philipp. 4.

Quod ſenſus communis, & natura redarguat Magd. nō concedentes Pauli traditiones ſine ſcripto & quare nō ſit Deus pacis inter Luteranos.

quis abſens ſcribit. ſed per auditum eorum, quæ quis coram loquitur, diſci poſſet: ergo quia nos hæc, quæ ab aliis ſunt audita, tenemus, idcirco in noſtris eccleſiis eſt Deus pacis, ſicut Apoſ. ad Philipp. ſcripſit: in veſtris verò Synagogis non eſt Deus: quia non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis, vos enim audita de ſcripto ab auditis ex ore ita diſtinguitis, vt illis credatis, his quaſi à nullo auditis non credatis atque vtinam illis crederetis: ſi enim verbo Dei ſcripto crederetis, cum ſcriptum ſit, tenere traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonẽ, ſiue per epiſtolam noſtram, non amplius nobiſcũ, nec inter vos diſceptaretis: & Deus pacis eſſet vobiſcũ. hic enim eſt fructus cogitandi, & agendi ea, quæ eccleſiæ ſanctæ ſic nobis tradiderunt, ſicut didicerunt, & audierunt, & initio in ſanctis Apoſtolis viderunt, id eſt, ſicut vel per ſermonem, vel per epiſtolam didicerunt. Vt autem intelligamus, non eſſe Luteranos nouum genus hæreticorum, qui traditionem eccleſiæ conculcare audent, & ea, quæ ſibi veluti ſomniantibus apparent, iis quos fallunt, ſuadent deſcribam hic, quæ de ſimilibus beatus Cyrillus in homilia ἑορταστικῇ 8. ex 30. quas ſcripſit, & adhuc extant, elegantiſſimè, vt cætera, conſcripſit: quibus noſtri temporis hæreticos ad viuum, vt aiunt, depingere videtur: & quanto ſtudio traditiones eccleſiæ cõſeruandæ ſint, grauiſſimè admonet. πολλοὶ γὰρ τῆς εὐσεβείας τὴν μόρφωσιν καθάπερ τι προσωπεῖον, ἑαυτοῖς περιπλάττοντες, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι κατὰ τὴν τοῦ παύλου φωνὴν, τὸν τῶν ἁπλουστέρων λῄζονται νοῦν ἀπατηλοῖς παρασύροντες λόγοις, καὶ συνολισθαίνειν αὐτοῖς ἀναπείθοντες εἰς παγίδα θανάτου καὶ εἰς πέταυρον ἅδου κατὰ τὸ γεγραμμένον. οὐ γὰρ ἐκεῖνα χρῆναι προσλαλεῖν τοῖς προσιοῦσιν αὐτοῖς ἐγνώκασι, ἃ καὶ τοῖς ἱεροῖς συνδοκεῖ γράμμασι, ἀλλ' ὅσα καθ' ἑαυτὸν ὁ ἀδόκιμος αὐτῶν φαντάζεται νοῦς. ταῦτα ἀναπείθουσι φρονεῖν μὴ εἰδότες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται, σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες, καθάπερ ὁ παῦλος φησὶ, ματαίας μὲν λογομαχίας ἀποφοιτῶν, τὰ δὲ γραώδη τῶν αἱρετικῶν διαπτύων ῥημάτια, καὶ τοὺς μὲν οἰκαίους ἐκτρεπόμενος μύθους, ἔχων δὲ τὴν πίστιν ἐν ἁπλοῖς μὲν λογισμοῖς, καὶ τῆς ἐκκλησίας τὴν παράδοσιν καθάπερ τι κειμήλιον, ἐν τοῖς τῆς καρδίας ταμείοις ἐντιθεὶς ἔχου τῶν ἀρεσκόντων τῷ θεῷ

σπουδασμάτων, ἵνα μὴ μόνον ἐν πίστει λαμπρὸς, ἀλλ' ἤδη καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἐν εὐσεβείᾳ κατορθωμάτων ὑπάρχῃς διαφανέστατος. Conuertamus hæc ad verbum, Multi, inquit, tanquam perſonam quandam formæ pietatis ſibi imponendo, vim tamen eius negando, mentes ſimplicium perdunt verbis fallacibus à recta via eos abſtrahentes, ſuadentéſque eis, vt ſecum in laqueos mortis incidant, & in rete inferni, ſicut ſcriptum eſt. Non enim decreuerunt, ea, quæ cum ſacris literis conſentiunt, iis, qui ipſos adeunt proferre, atque eloqui oportere, ſed quæcunque eorum mens improbata ex ſe ſomniat, hæc aliis ſuadent non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Tu verò rectè facies, ſi in iis quæ didiciſti, permaneas, vt Apoſtolus ait, ab inani quidem de verbis contentione declinans, rancidas verò hæreticorum voculas deſpiciens, & commenticias fabulas defugiens fidem autem habens, quæ in ſimplicibus rationibus poſita ſit, ac traditionem eccleſię tanquam theſaurum quendam in penetrali cordis recondens, amplectere occupationes Deo gratas: vt non ſolùm fide ſplendeas, ſed officiis pietatis luceas. Hactenus Cyrillus. Non dixit, traditionem ſcripturæ recondens in penetrali cordis, ſed traditionem eccleſiæ, quæ latiùs patet. Siquidem eccleſia non ſolùm, quæ ſcripta ſunt, tradit, ſed ea etiam, quæ tametſi ſcripta non ſunt, tamen cùm ſcriptis conſentiunt, quæ idem Cyrillus vocauit τοῖς ἱεροῖς γράμμασι συνᾴδοντα quod genus totum omnes huius noſtræ ætatis hæretici contra auctoritatem Apoſtoli planè improbant: qui non minùs, vt paulò antè audiuimus, tenere iubet traditiones per ſermonem non ſcriptum acceptas, quàm per epiſtolam ſcriptam. Qui quidem cùm ad Titum Epiſcopum Cretæ ſcribit inquiens, huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi: ſi quis ſine crimine eſt, & quæ ſequuntur. dicant nobis Magdeburgenſes, & cæteri Luterani, qui de omnibus verbum Dei ſcriptum poſtulant, vbi ſunt diſpoſitiones iſtæ, quas Paulus dicit, & Apoſtolici patres vocant διατάξεις ab eo verbo dictas, quo vſus eſt hoc loco Apoſtolus: nec enim quod

Ad Tit 1.

Oſtendăt Magdeb. in ſcriptura Pauli deſpoſitiones Tito relictas de conſtituẽdis presbyteris per ciuitates.

ait, ſicut diſpoſui tibi, ad ea tantùm pertinet, quæ in miniſtris eligendis requirit, ſi quis ſine crimine eſt, & quæ ſequuntur: alioqui potius dixiſſet, reliqui te Cretæ, vt conſtituas presbyteros, ſicut diſpono tibi, ſi quis ſine crimine eſt, &c. nec illud addidiſſet, & ea quę deſunt, corrigas: ad quod etiam referendum eſt illud, ſicut & ego diſpoſui tibi. Sed, ne quis veſtrum adhuc tergiuerſetur, & contendat, non alias diſpoſitiones hic intelligendas eſſe, præter diſpoſitiones de qualitatibus miniſtrorum hic deſcriptis, ſi nobis & eccleſiis noſtris non creditis, quærite ex ipſis eccleſiis Cretenſium, quænam aliæ apud ipſos diſpoſitiones eccleſiaſticæ in conſtituendis per ciuitates presbyteris ab ipſo Tito, ſicut idem à Paulo Apoſtolo didicerat, relictæ, vſque in hodiernum diẽ durent? facilè eſt vobis ex infinitis Venetis hoc cognoſcere, ne longiùs in inſulam Cretæ nauigandum ſit. In ea igitur inſula eſt Metropolitanus, qui primatem ſuum agnoſcit: infra Metropolitanum ſunt ſinguli Epiſcopi per ſingulas ciuitates non paruas. hęc eadem diſpoſitio eccleſiarum per totum Orientem, & Occidentem cernitur. Quæ igitur inſania eſt negare gradus iſtos, qui ſemper in eccleſiis catholicorum ſecundum diſpoſitionem Apoſtolicam diſtincti fuerunt, & vſque ad conſummationem ſæculi futuri ſunt? quia non eos legant in epiſtola beati Petri: & quia in priore, inquiunt epiſt. cap. 5. miniſtros eccleſiæ, tantùm presbyteros, & qui ſe compresbyterum vocet. quis enim non intelligit, vocari hic Epiſcopos communi vocabulo presbyteros? ſi quidem de Paſtoribus, qui cleros habent, loquitur Petrus: vnumque tantum ordinem Epiſcoporum eſſe conſtat, ſicut eſt vnus item ordo minorum presbyterorum. Hi enim ſunt duo ordines ſacerdotum: vt Anacletus in epiſt 3. ait. vt iam quiſque Epiſcopus poſſit coëpiſcopus appellari aliorum Epiſcoporum, ſiue compresbyter communi vocabulo: Sicut cõmuni etiam nomine Epiſcopi Paulus Apoſtolus presbyteros vocare ſolet. Præterea quis non intelligit, præter vos, qui non vultis credere, in Ponto, Galacia, Cappadocia, Aſia, Bithynia non ſolùm Epiſcopos, ſed Archiepiſcopos, vel Metropolitanos, ac Patriarchas ſe-

Philip. c. 1.
Act. 20.

cundum Apoſtolicam diſpoſitionem fuiſſe? etenim ſi erant apud gentiles aliæ ciuitates nō paruæ, & aliæ maiores vt Metropoles: & harum, aliæ vt vnaquæque earum prouinciæ ſuæ eſſet Princeps & caput: & aliæ capita non vnius Prouinciæ, ſed Prouinciarū: ſi inquam ſic erat, quod negari non poteſt, cur nō credendum ſit, cùm tanta eſſet multitudo diſperſionis per regiones illas, fuiſſe tunc in illis prouinciis gradus iſtos in vno ordine Epiſcoporum: qui omnes, vt dixi, dicerentur presbyteri, quorum quiſque gregem ſuum ad paſcendū loco ſuo haberet: gradus, inquam, iſtos ita diſtinctos, vt poſcebat ratio Apoſtolicæ diſpoſitionis quę ea erat, vt dixi, vt per ſingulas ciuitates non paruas ſinguli Epiſcopi conſtituti eſſent: per maiores, vt Metropoles Archiepiſcopi, vel Metropolitani: per capita prouinciarū Patriarchæ. præſertim cū hoc præter auctoritatē ſummorum Pontificum, qui ſicut ab Apoſtolis acceperunt, ita nobis tradiderunt, ipſa etiā hodiernæ gubernationis eccleſiaſticæ diſpoſitio per omnes mūdi eccleſias teſtetur. Vt enim ad epiſt. Pauli ad Titum redeā, cum ei præcipit, vt conſtituat, ſicut ei diſpoſuit presbyteros per ciuitates omnes. hoc enim ſignificat κατὰ πόλιν ἀορίστως, id eſt infinitè, ſicut Lucas in Actis Apoſtolorum dixit κατὰ πόλιν, quod rectè interpres vertit inquiens, per omnes ciuitates poteſtatur mihi ſpiritus ſanctos, &c. cùm inquā præcipit, vt cōſtituat presbyteros per omnes ciuitates, ſcilicet maiores, & minores, quales erāt tūc (erāt. enim Cretæ, vt Stra. lib. 10. teſtatur, plures Metropoles, & centū ciuitates vnde ab Homero dicta eſt in Odyſſea Hecatōpolis) ſicut nunc itē ſunt aliæ maiores, aliæ minores, par eſt profecto credere, vt nūc nō vnius gradus presbyteri minoribus, & maioribus ciuitatibus præſūt, ſic Paulū Tito præcepiſſe, vt cōſtitueret presbyteros nō vnius gradus per omnes ciuitates, ſed maioris per maiores. & minoris per minores, id quod vſq; in hodiernū diē fit, ſecundū priſcam Apoſtolicæ diſpoſitionis traditionem. Sed dicent Magd. at nō dicit hoc expreſſè verbū Dei: fatemur, nō expreſſè, & apertè dicit, ſed nō cōtinuò nō dicit rē, qui eā obſcurè dicit alioqui dicamus quæ ſunt in epiſtolis Pauli ad intelligendum difficilia

Quod gradus diſtinctos Epiſcoporum maiorum ipſa hodie diſpoſitio eccleſiaſticæ formæ per omnes mūdi eccleſias teſtatur.

Act. 20.

Secundò Mag. quæ in ſcripturis dicta ſunt obſcurè, perinde eſt, vt ſi dicta non ſint.

vt beatus Petrus teſtatur. perinde eſſe, vt ſi dicta nō ſint. vt quamuis ſuo quis ſenſu, & vt ſibi videatur, intelligat, atque ita intelligat, vt non poſſit dicere, ex quibus patribus antiquis, & Apoſtolicis ſic intelligere didicerit, poſſit tamen hoc impunè, & nullo periculo facere. quare? quia ſint difficilia, & nihil in eis expreſſè & apertè dicatur, alioqui non eſſent difficilia: at beatus Petrus iſta, quæ in epiſtolis Pauli ſunt difficilia intellectu, nihilominus, vt rectè intelligantur, poſtulat, ne pereat, qui malè intelligat. vt, hoc quod dicit Apoſtolus, reliquiſſe Cretæ Titum, vt conſtituat presbyteros per omnes ciuitates, cū ſit δυσνόητον, id eſt, difficile intellectu, deprauari poteſt ad perditionem, non quidem à doctis, & ſtabilibus, ab iis, inquam qui permanent in iis, quæ didicerunt, & tradita ſunt ſibi, ſicut Apoſtolus Timotheo præcepit: qui tenent traditiones, quas ſiue per ſermonē, ſiue per epiſtolam acceperunt: qui ea tenent, quæ per multos teſtes audierunt, (hi enim ſunt ſtabiles) ſed deprauari poteſt ab indoctis, & inſtabilibus quos beatus Petrus dicit: ab iis, inquam, in quibus non permanet, quod ab initio audierunt: qui non perſeuerant in eadem regula fidei, & eccleſiaſticæ doctrinæ atque apoſtolicæ diſpoſitionis eccleſiarum, ac miniſtrorū ab initio traditæ. teſtes habetis in Belgica non ita procul, ſcilicet eccleſiam Rhemenſem, cuius primus Archiepiſcopus fuit ſanctus Sixtus beati Petri diſcipulus, quæ 11. habet Epiſcopos in ciuitatibus non paruis: item Senonenſem eccleſiam, cuius primus Archiepiſcopus fuit S. Sauinianus ſancti Petri diſcipulus, quæ ſex habet per ciuitates Epiſcopos: deinde teſtis eſt Viennenſis eccleſia, cuius primus Archiepiſcopus fuit Creſcens Pauli Apoſtoli diſcipulus & Martyr, quæ ſex item Epiſcopos habet per ciuitates non paruas: & quæ apud vos erat eccleſia, cuius fuit primus Archiepiſcopus Albertus anno Domini 971. Epiſcopos 5. per ciuitates habebat: ſed de his gradibus Epiſcoporum dicam plura, cùm ad ea reſpondebo, quę contra formam eccleſiaſticæ politiæ obiecistis ne eadē ſint mihi repetenda. Poſtremò hunc locum, in quo aliena ab hiſtorica veritate notare conati ſunt Magd. ſic concluſerunt, Nec illud verò conſonat, quod Clemens

A quibus deprauari poſſint quæ ſunt in epiſt. Pauli difficilia intellectu & à quibus nō.

Antiquiſſima diſpoſitio eccleſiarum per diſtinctos gradus epiſc. in Belgica, Viennenſi eccleſia, & Magdeburgica.

epiſt.5.ait, ſe Hieroſolymis vidiſſe vnà cùm Iacobo iuſto, & aliis quod diſcipuli omnia comunia haberent: "
Nam Nicephorus,inquiunt,lib.2.c.35.& alij teſtantur, "
Clementem à Petro ſub Nerone tandem conuerſum "
eſſe]

Hic quoque Magdeburgenſes magis ſtudium fingendi,quam in intelligendo diligentiam oſtenderunt. Ergo quia teſtimonio Nicephori,probare iſti nituntur, non potuiſſe Clementem videre Hieroſolymis vnà cum Iacobo diſcipulos omnia habere communia,nos rurſus teſtimonio eiuſdem probemus potuiſſe. ſcribit enim idē Nicephorus li.2.cap.27. principio imperij Neronis eiectum ex vrbe Petrum.eſt autem reuerſus tunc Hieroſolymam & ad Orientales ciuitates, vt narrat idem auctor eodem libro 2. cap. 35, à Magdeburgenſibus citato:quo tunc reuerſus,Clementem,vt Nicephorus ſcribit,ad ſe pertraxit cùm autē extremo anno Neronis,id eſt,14. interfectus ſit beatus Petrus Romæ,potuit Clemens tot annorum interuallo videre Hieroſolymis, vnà cum Iacobo, qui vſque ad 8. annum Neronis,vt Euſebius teſtatur,vixit,habere diſcipulos omnia communia. ſed recitemus teſtimonium Nicephori teſtis Magdeburgenſium.qui.n. libro 2.cap. 27. dixerat, vt iterum repetam principio Neronis eiectum ex vrbe Petrum,idem Paulò pòſt cap.35.poſt deſcriptam mortē Petri,continuans ſuperiorem narrationem, & proſequens,vt fieri à ſcriptoribus ſolet,prætermiſſa, ſubiungit,is porrò vnà cum Simone, tanquam prodigiorum effector,à Nerone Roma pulſus,Hieroſolymā rurſum, & Orientales ciuitates petiit.& Paulò pòſt,ciuitates viſebat,Simonis ſemina vbique radicitus euellens.Deinde etiam ſanctum Clementem ad ſe pertraxit, & quæ ſequuntur. Hactenus Nicephorus.Quis ergo nō videt, ſi Petrus bis,Nerone Imperatore, Romam venit,vt hic auctor Nicephorus ſenſit, de diſceſſu Petri poſt priorē aduentum narrare eum hic?ſiquidē in ſecundo aduentu Romā,anno vt diximus,14. Neronis interfectus eſt. à Petro igitur in Iudæā reuerſo principio imperij Neronis conuerſus eſt Clemens in Iudæa,nō à Petro Romam poſt tot annos reuerſo,id eſt,ad extremū Imperij

De aduentu B. Petri Romam, & de diſceſſu.

eiuſdem, quando martyrium paſſus eſt. reſponſum eſt iſtis ſecundum hiſtoriam Nicephori,quam nobis obiecerunt,& eos teſtimonio ſui teſtis redarguimus,& verò conſonare,quod negabant,conuincimus. reſpōdeamus rurſus aliam hiſtoriam ſequentes & quidem veriorem, & quæ grauiores, & antiquiores auctores habet. Scribit enim Hieronymus in eccleſiaſticis ſcriptoribus veniſſe beatum Petrum Romam anno 2. Claudij ad expugnandum Simonē Magum,qui fuit annus vndecimus poſt Chriſti mortē,vbi moratus eſt annis 4. hoc ipſum de aduentu eius Romam anno Claudij 2.vt alios nunc taceam, teſtatur etiam Euſebius in chronicis, & Caſſiod. ſenator in indicibus, ſiue deſcriptionibus conſulum,notatis anni illius ſecundi conſulibus Secundo & Vetuſto. quarto autem anno aduentus ſui, qui fuit annus 6. Claudij & 15.ab aſcenſu Domini in cœlum,coactus fuit recedere Roma cum cæteris Chriſtianis propter edictum Claudij, quo omnes Iudæi ex vrbe eiecti ſunt.Comprehenſos enim eſſe eodem edictô Chriſtianos non cadit in dubitationem, cùm legamus in actis Apoſt.c 18 receſſiſſe ex Italia Aquilam, & Priſcillam vxorem,eo quod pręcepiſſet(inquit Lucas) Claudius diſcedere omnes Iudæos Roma. Cauſam verò ſignificauit Tranquillus in Claudio,cùm ait cap.de quibuſdam ciuilibus geſtis,& ordinationibus eius, Iudæos,impulſore Chriſto,aſſiduè tumultuantes Roma expulit,ſcilicet excitabant Iudæi tumultus in chriſtianos propter prædicationem,& fructum prædicationis Petri & inuidiam, qua in Chriſtum & chriſtianos incenſi erant ob quam cauſam Claudius Chriſtianos quoque,ſiue quaſi tumultus conſortes, ac participes. ſiue vt Paulus Oroſius in 7. libro hiſtoriarum ait, quaſi cognatæ religionis homines vnà cùm Iudæis expelli iuſſit. Quia verò, poſtquam beatus Petrus expulſus fuit Roma,vſque ad mortem Claudij anni octo fluxerunt, potuit idē partes Syriæ & Iudææ peragrare,& Hieroſolymam frequenter aſcendere, & vna item aſcendere cùm eò pòſt conuerſionem ſuam Clemens Rom. &videre diſcipulos & Iacobum fratrem Domini habere omnia communia, cùm bis tēporibus primi aduētus Petri Romā,& reuer-

ſionis eiu̇s in Iudæā, & ſecundi ritus Romam, vt hoc quoque obſeruetur, non diſcrepat, imò mirificè conuenit, & quod de ætate virginis variè à veterib traditum eſt: & quod Dion. Areop. ſcripſit, interfuiſſe Petrum cū reliquis Apoſtolis funeri, & exequiis eius. etenim ſi, vt Hippolytus Thebanus ait, vt Epiphanius presbyter cōſtant. teſtatur, annos 59. vixit, totidem fluxerunt ab ortu eius vſque ad annum 11. poſt aſcenſum domini in cœlos. quo anno Petrus poſt funus & exequias virginis, relicta Iudæa, Romam venit anno 2, Claudij. ſic enim anni ab Epiph. numerantur, tertio anno, inquit, oblata eſt in templo, in quo annis 11. & ſex mēſibus fuit: ſex item mēſibus in domo Ioſeph. 15. anno peperit. annis 33. vixit cu̇m filio qui ſunt omnes 48 poſt aſcenſum domini vixit annis 9 auctore, vt dixi, Hippolyto Thebano, qui ſunt omnes 59. Sin verò ætatem 63 annorum, vt vulgò ferunt, egit virgo, totidem numerantur ſecundum hanc deſcriptionem oblationis in templo, & partus, & habitationis cū filio, ab ortu eius vſq; ad 15 annum poſt aſcēſum Chriſti, qui fuit annus ſextus Claudij, cū Petrus eiectus Roma & in Iudæā reuerſus, funeri virginis, quę illo ipſo anno mortua eſt, interfuit quòd ſi ætas virginis vſq; ad 72. annos proceſſit, vt hic auctor Epiphan. presbyter memoriæ prodidit in vita virginis, quā diligenter, & erudite cōſcripſit, id quod probabilius ei videtur, auctore etiā Andrea Cretenſi patriarcha Hieroſolymitano, qui ad ſummā ætatē ait veniſſe virginē, at ſumma ætas inquit Epiph. nō eſt ætas 59. annorū, ſi inquā ætas virginis vſq; ad 72. annos progreſſa eſt, totidem anni lapſi ſunt vſq; ad reditū Petri initio imperij Neronis, qui fuit annus non' poſt primū receſſum eius Roma, quo anno obiit virgo, poſt cuius obitū, & exequias, Romā initio, vt dixi imperij Neronis Romā rediit. Rectè etiā conuenit cū hac ratione temporum quod Paulus in epiſt. ad Galat. ait, aſcendiſſe ſe Hieroſolymā, ſcilicet poſt annos 17. à conuerſione ſua, qui fuit annus 18. poſt aſcenſionem domini. Hoc etiam tempore concilium illud Hieroſolymitanum Petrus cum reliquis Apoſtolis, & Iacobo fratre domini ſuper ceſſatione legalium habuit. Denique, vt magis adhuc conſtet, ve-

De ætate virginis Mariæ opiniones.

niſſe beatum Petrum Romam primum antę Imperiū Neronis anno ſcilicet ſecundo Claudij ad prædicandū euangelium Christi, & cathedram ibi epiſcopalem tenendam, quam tum præſens, tum abſens, vt neceſſitas tulit, ſemper vſque ad extremū annum Neronis, id eſt, per 25. annos tenuit, epiſt. Pauli ad Romanos teſtatur. diu enim antequam Paulus Romam primum veniret, (venit autem primum à Feſto præſide miſſus vinctus, anno 2. Neronis, Marcellino, & Auiola conſulibus, vt Caſſiodorus teſtatur) ſcripſerat ad Romanos gratulatúſque eis fuerat de fide, quam ſcilicet per prædicationem euangelij receperāt, quod prius eis beatus Petrus prædicauerat, vt beatus Chryſoſtomus, & Theodoretus Cyri, ac reliqui interpretes in eo loco epiſtolæ notarunt, ac prædicare Euangelium non potuit Petrus Romæ, niſi ante edictum Claudij: prædicauit ſcilicet ab anno 2. vſque ad 6. Claudij, ac cum tanto quidem fructu, & tanta, vt par eſt credere, Iudæorum conuerſione, vt dolore, & inuidia commoti tumultus ſuſcitarent, qui edicto Claudij occaſionem prębuerunt. Tunc igitur coactus Petrus, vt ante diximus Roma recedere, in Iudæam reuerſus eſt: ac tunc Clemētem conuertit. Cōuicimus ergo tum teſtimonio hiſtoriæ Nicephori, quam nobis Magdeburgenſes obiecerunt, tum teſtimonio verioris hiſtoriæ antiquiorum auctorum potuiſſe Clementem à Beato Petro conuerſum, videre Hieroſolymis diſcipulos cum Iacobo iuſto, quod haberent omnia communia, quod Magdeburgenſes negabant verò conſonare Sed probemus rurſum hoc ipſum, aliam hiſtoriam adhuc antiquiorem altius repetentes, quæ cum illa de aduentu beati Petri Romam anno ſecundo Claudij ad expugnandum, vt Hieronymus teſtatur, Simonem Magum, magnopere cōgruit. Scribit enim idem Clemens Romanus libro primo hiſtoriarum, Sic enim vocat Beda in libro de temporibus c. 3. quas de beati Petri actis, & diſputationibus cum Simone ſcripſit, quas Rufinus in Latinum cōuertit, vt Genadius quoque auctor eſt, & quibus idē Rufinus in apologia ſua ad Macarium teſtimonium tribuit Clementis Romani eſſe. Item S. Epiphanius in Panario

ſcribens

ſcribens contra hæreſim Ebionitarum) ſcribit, inquam, Clemens, veniſſe Romam Barnabam, Imperatore Tiberio, cùm iam ſermo creber eſſet de Chriſto, & diſcipulorum eius in Iudæa prædicatione, ac miraculis: tunc fortaſſe, cùm Pilatus, credo ob multitudinem iam chriſtianorum, ad Tiberium de dogmate eorum retulit anno Imperij eius 23. id eſt, 4. poſt paſſionem Domini, & Tiberius accuſatoribus chriſtianorum cōminatus eſt, vt Euſebius in chronicis teſtatur. is igitur Barnabas, qui, vt idem Clemens narrat, primus Romæ Chriſti fidem prædicauit, quod ſanctus quoque Dorotheus in Synopſi teſtatur, & Alexander monachus ſcriptor vitæ eius, & alij multi, tametſi à cæteris prædicatio eius, tanquam ſermo rudis irrideretur (quæ fuit cauſa, vt paucis diebus in vrbe cōmoratus, omni ſpe proficiēdi amiſſa, recederet, ita vt perinde fuiſſet quaſi non prædicaſſet) Clementem tamen commouit, & deſiderio fidei, ac doctrinæ Chriſtianæ incendit, ita vt paucis diebus ad res ſuas componendas ſumptis, breui poſt diſceſſum eius, vt eidem promiſerat, in Iudæam nauigauerit, qui cùm Cæſaream appuliſſet, Barnabā reperit, à quo eſt ad Petrum ductus, & ab eo ad fidem conuerſus, & factus comes peregrinationis illius, & diſputationum cùm Simone, quas etiam perſcripſit, auditor. Congruit igitur cum eo, quod Hieronymus teſtatur, veniſſe Petrū Romam anno Claudij 2. ad expugnandum Simonem Magum, iam enim cum eo in Iudæa diſputando, & prædicando pugnarat, & tandem Romæ expugnauit: & cùm eo, quod Irenæus lib. 1. contra hæreſes cap. 19. ſcribit, à Claudio honoratum fuiſſe ſtatua propter magiā, quod ipſum teſtatur quoque Iuſtinus martyr in apologia ad Antoninum. Potuit ergo Clemēs, dum hæc in Iudæa agebantur, videre cùm Iacobo iuſto Hieroſolymis diſcipulos, cùm omnia communia haberent: præſertim cū beatus Petrus Hieroſolymam ad diem paſchæ aſcendere ſoleret. imò in ipſo libro primo hiſtoriarum ſcribit idem Clemens, exacta hebdomada annorum poſt paſſionē Domini, aſcendiſſe duodecim Apoſtolos Hieroſolymā, quo in loco, vt hoc obiter obſeruetur, Iacobū Apoſtolum fratrem Ioannis tertio anno poſt paſſionē

Domini occiſum viuentẽ facit, & inter 12. numerat μιμητικῶς more dialogi, in quo de iis, quæ alioqui grauiſſima, & veriſſima ſunt, ac diuina, per perſonas inductas diſtinctè, & grate diſputari, & doceri ſolet. Quod genus ſcribendi ex Platone, vt Athenis eruditus, didicit, vt ſuo loco prius admonuimus. Satis ergo ad hunc locum epiſtolæ 5. Clementis, in quo nobis Magdeburgenſes hiſtoriam Nicephori obiiciebant, reſponſum ſit Illud verò miror, cur non obiecerunt, quod in eadem epiſtola eſt, quod magis à ratione temporum, & hiſtoriæ diſcrepare videri poterat, ſi iſti tam acutè cernerent, quàm ſe putant cernere: quod ideo diſſimulare nolui, ne quid eis reliquum faciam, quod aliquando amplius calumniari queant. Ait ergo Clemens, Ananias autem vir Auſterus, & Sapphira vxor eius, qui mentiti ſunt Apoſtolis de pretio agrorum ſuorum, quos vendiderant, nobis præſentibus in conſpectu omnium circunſtantium à conſpectu Apoſtolorum propter peccatum eorum, & mendacium, quod fecerunt, mortui delati ſunt, & quæ ſequuntur. Cùm ſecundum ſeriem hiſtoriæ, & ordinem actorum, quem Lucas ſeruaſſe creditur, beatus Clemẽs adeſſe tũc Hieroſolymis non potuerit, qui nondum Iudæam vidiſſet, neque fortaſſe cogitaſſet, quod nemo eſt, qui non ſciat, quis erit tam parum conſideratus, qui non aduertat, ſecutum eſſe conſuetudinem noſtram, cùm ſic locutus eſt? nos enim cùm habemus aliquos nobiſcum, qui aliquid, quod teſtatum eſſe volumus, viderit, & nos etiam vidiſſe dicere ſolemus: ita vt illorum, qui viderint, oculos noſtros eſſe, & exiſtimemus, & dicamus. Vnde Lucas euangeliſta ſe, ait, ſcripturum hiſtoriam euangelij, ſicut tradiderunt, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt, vt intelligeremus, perinde eſſe, quod ad auctoritatem facit, vt ſi ipſe vidiſſet. Erant igitur adhuc, vt probabile eſt, Romæ, cùm hanc epiſtolam Clemens ſcripſit, aliqui ex illis diſcipulis Domini, quos Paulus, cùm ad Romanos ſcripſit, ſalutari iuſſit: fuerunt enim ex numero 72. vt ex deſcriptione Hippolyti martyris, & S. Dorothei Epiſcopi Tyri perſpici poteſt, Epenetus, Andronicus, Ampliatus, Vrbanus, Stachys, Appel-

les,Probus,Ariſtobulus,Hermes,& alij, qui ibi nominati ſunt,ne omnes enumerem, qui fuerunt ex illis cẽtum viginti, qui erant in die pentecoſtes pariter in eodem loco.Iſtis igitur,qui morti Ananiæ, & Sapphiræ interfuerit,ſe annumerat: imò ipſi beato Petro, & reliquis Apoſtolis, qui præſentes fuerunt, ex quibus hoc ipſum Clemens audiuit,& quorum comes fuit, & diſcipulus. Idcircò conſuetudine ſermonis noſtri dixit, nobis præſentibus,quaſi ex perſona ſua,& eorum omnium,quos ſecum Pontifex Romæ habebat,ad Hieroſolymitanos ſcriberet,ſicut Paulus epiſtolam ſcripſit ad Galatas ex perſona ſua, & omnium fratrum, qui cum eo erant Romæ,vnde illam ſcripſit.

Reſponſio ad ea,quæ obiiciuntur de oleo ſacro,& de myſtica vnctione eorum,qui baptizantur,& qui auctores Iuſtino, quem Magdeburgenſes requirebãt,antiquiores de his meminerint,& de tranſubſtantiatione,quam in Iuſtino falſa interpretatione eludunt Centuriatores *contra rationem omnis philoſophiæ diuinæ, & humanæ.*

Cap. 17.

SEd tempus eſt, vt reſpondeamus ad alia crimina,quæ in locum alium congeſſe- "
runt,Quod in his epiſ. Multi, inquiunt, "
traduntur ritus de oleo conſecrato, de "
vngendis baptizatis, de confirmandis, "
de Miſſæ celebratione,ne fiat alio loco. "
Deinde ſubiungunt, Sed non accepiſſe hos ritus Apo- "
ſtolos à Chriſto,teſtem eſſe Iuſtinum,quia non memi- "
nit in apologia ſecunda.] "

Quia ſic legebant Magdeb.in epiſt.3. Clem. de baptizandis oleo primum ſacro vngendis, & de celebrãdo in locis ſacris, hæc Apoſtoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt:hæc nos docemus: & rurſus de cõfirmandis baptizatis,vt à beato Petro acceperunt:& cæteri ſancti Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt: cogitarunt,neceſſe eſſe, ſi hos ipſi ritus tenere nollent,

De argumentatione Magd. nõ meminit de his ritibus Iuſtinus, ergo Pontifices non acceperunt eos ab Apoſt.

aut negandos ſibi eſſe Apoſtolos, aut has epiſt. Maluerunt negare epiſtolas vt ſerpens callidior cunctis animantibus terræ eis perſuaſit. Sed videamus quàm bellè, qui eos decepit, inſtruxit. Sed non accepiſſe, inquiūt, hos ritus Apoſtolos à Chriſto, teſtem eſſe Iuſtinum, qui non meminit in 2. apologia. ergo ſi Iuſtinus meminiſſet, actum erat de dogmate Luteri. iam eius diſcipuli Magdeb. Apoſtolicos ritus vnctionis ſacræ, confirmationis, ac conſecrationis eccleſiarum nobiſcum tenerent. Credimus hoc, an non? imò maximè, ſi tamen reliqua teneant, de quibus in illa ipſa apologia idem Iuſtinus, ſicut Apoſtoli tradiderunt, meminit, vt de vera mutatione panis in corpus Chriſti verum. ſic enim ait, non vt communem panem, neque communem potum hæc ſumimus: ſed quomodo per verbum Dei incarnatus Ieſus Chriſtus Saluator noſter carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit, ſic & alimentum per precationem verborum eius conſecratum, ex quo, mutatione facta, ſanguis & carnes noſtræ nutriuntur, illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinē eſſe didicimus. deinde ſubiungit Iuſtinus, nam Apoſtoli in ſcripturis ſuis, quæ vocantur euangelia, ſic ſibi mandaſſe Ieſum tradiderunt. At verò ſi hoc non tenent, quis credat reliquos ritus ſacros, ſi de eis Iuſtinus meminiſſet, fuiſſe probaturos? ſed videamus obiter quàm acuta interpretatione ex intima philoſophia deprompta teſtimonium Iuſtini de vera mutatione myſtica panis in corpus Chriſti, quæ iam trito vocabulo tranſubſtantiatio dicitur, eludant in eadem ſecunda centuria, & eodem capite 7. vbi has epiſtolas, quas defendimus, negant. ignotū etiam, inquiunt, fuit eccleſiæ huius ſæculi commentū, de tranſubſtātiatione. & ſi enim dicit Iuſtinus, quæ mutata nutrit noſtras carnes, & ſanguinem, tamen eo ſolū reſpicit, atque id agit, vt hūc panem, & calicem, quibus accedit hoc verbum Chriſti, ab aliis vſitatis cibis, & poculis, quibus corpora nutriuntur diſcernat. Sic iſti interpretati ſunt verbum mutationis quo Iuſtinus philoſophus vſus eſt. Sed quæram à Peripateticis Magdeburgenſibus, eſt ne hæc mutatio, ſecundum quantitatem, an ſecundum locum, an ſecundum qualitatē? non enim

Quam craſſè, & falsè eludāt Magd. quæ Iuſtinus de vera mutatione panis in corpus Chriſti ſcripſit.

ſunt plures, quæ manẽte ſubiecto fiant mutationes, an nihil horũ? nihil horũ reſpondebũt ne ſe omnis philoſophiæ, & diuinæ & humanæ prorſus ignaros oſtẽdãt. eſt igitur mutatio ſecundũ ſubiectũ ac ſubſtantiã. quæro rurſus, naturalis ne eſt hęc mutatio, an ſupra naturã? ſupra naturam dicent. Si igitur ſupra naturam eſt, qui fieri poteſt, vt remaneat materia, quæ in mutatione ſecundum ſubiectum, maximè, & propriè eſt ſecundum naturam ſuſceptiua generationis & corruptionis: vt princeps philoſophorum in priore libro de generatione tradit, ſit igitur totius ſubiecti, ac ſubſtãtiæ mutatio ſupra naturã. & diuina: quę à Gręcis eiſdémq; antiquis Patribus dicta eſt μεταποίησις ἢ μετασοιχείωσις à latinis Patribus tranſmutatio. aut tranſubſtantiatio. Sed de trãſubſtantiatione ſcripſit nuper valde acutè, eruditè, ac piè Nicolaus Sanderus Anglus. cuius librum cùm magna voluntate atque admiratione ingenij & pietatis eius dudum legi ab amico eius optimo mihi dono oblatum. Sed age reuerſi. vnde digreſſi ſumus, videamus de illis ritibus qui nam auctores Iuſtino antiquiores meminerint. meminit enim Clemens Apoſtolorum diſcipulus non in ea epiſ. quam iſti negant, ſed in libris de Apoſtolicis conſtitutionibus: quos non credo Magdeburgenſes negare audebunt, ne tam multis. & tam antiquis eiſdémq; grauiſſimis auctoribus tum Græcis tũ Latinis repugnare videantur. qui illorũ auctoritate, ac doctrina in libris ſuis vſi ſunt, multa ab illis mutuati, quæ ſunt in iis ipſis libris à me Græcè editis in prologo notata, & obſeruata, & ſi nõ omnia. illinc petat qui volet ſatis ſit nũc auctorum nomina recenſere, ſi fortè nubem teſtium reuereantur, Dionyſij Areopagitæ, Ignatij. Polycarpi, Nicenæ Synodi. Athanaſij, Euthalij. Procli conſtantinopolitani, Cirylli Hieroſolymitani, Petri Alexandrini, Baſilij, Gregorij Nyſſeni, Epiphanij, Sophronij Hieroſolymitani. Hieronymi, Cyrilli Alexandrini, Damaſceni, Anaſtaſij Antiocheni. ſecundæ Synodi Nicenæ & octauæ conſtantinopolitanæ, & aliorum quos prætereo De vnctione ergo eorum, qui baptizãtur meminit Clemẽs lib. 3 cap. 15. Diaconus inquit, vnget primum eorum, qui baptizantur frontem oleo ſan-

Quomodo Magdeb. ratione etiã naturalis philoſophiæ redarguantur in ſuo cõmento de ſubſtantia panis in ſancta Euchariſtia.

Qui patres antiqui vſi ſint auctoritate, & doctrina librorum Clementis de conſt. ap. ſt.

Cõſtitutio Apoſtol. de vngẽdis oleo in bapiiſ.

ĉto:caput verò vnget Epiſcopus,vt olim ſacerdotes,& Reges prius vngebantur:non quidem quod ij,qui baptizantur,eligantur ad ſacerdotiū:ſed eliguntur,inquit, vt à Chriſto Chriſtiani regale ſacerdotiū, gens ſancta, eccleſia Dei,columna& firmamentū ſponſi,ſuper quos inuocatum eſt nomen nouum.& cap.17.oleum,inquit, eſt pro ſpiritu ſancto.vnde Aug.lib.15.de trinitate,quoniā,inquit,vnxit eum Deus ſpiritu S. non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguēto,quo baptizatos vngit eccleſia, & lib.7.idem Clemens de benedictione olei ſacræ vnctionis, Benedicitur,inquit,hoc ab Epiſcopo in remiſſionem peccatorū ac præparationē baptiſmi. hic enim inuocat ingenitū Deum patrem Ieſu Chriſti,omnis naturæ corporeæ,& ſpiritualis Regē,vt ſanctificet oleū in nomine Domini Ieſu:tribuátque ei gratiam ſpiritualem,& vim efficientem remiſſionem peccatorum,ac præparationem confeſſionis baptiſmi : vt is qui vngitur, remiſſa omni impietate dignus baptiſmo ſecundū vnigeniti præceptū efficiatur. hæc eſt Apoſtolica traditio de oleo cōſecrato myſticæ vnctionis eorum,qui baptizantur, à Clemēte Rom.Apoſtolorū diſcipulo litteris mandata:quā vſque in hodiernū diem cunctus Oriens, & Occidēs ſumma religione tenet,ac ſeruat. Itē Dionyſius Areopagita in eccleſiaſtica Hierarchia in cap. de baptiſmo nō ſolùm de oleo ſancto vnctionis meminit,& quomodo fiat vnctio, ſed quid etiam myſticè ſignificet,ita diuinè interpretatur,vt ſicut idem de myſterio baptiſmi ait,tametſi nihil diuinius haberet hæc Symbolica vnctio à ſanctis Apoſtolis,vt à Domino acceperunt,tradita tamen eſſet ſancta. quod ſicut illa corporis ablutio ſignificat in ænigmate vitam repurgari, omneſque ſordes ac labes eius elui,ſic oleum vnctionis,eum qui baptizatur,ſignificat,inquit,ad certamē,ac ſacrum pugillatū vocari ſub Chriſto agonotheta,qui vt Deus certamen inſtituit: vt ſapiens leges certandi dedit: vt bonus præmium propoſuit victoribus.eandem rationem myſticam ſecutus Ambroſius in lib.1 de Sacramentis cap.2. Venimus,inquit, ad fontem : vnctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen huius ſæculi luctaturus profeſſus es luctami-

Cōſtitutio Apoſt.de benedictione olei ſacræ vnctionis.

Quod ritū vnctionis olei cunctus Oriens vt Occidēs teneat.

Theoria diuina myſticæ vnctionis olei ex Dionyſio Areopag.

Ambr.de vnctione olei. Quā bene cohæreat

nis tui certamina. Sed cùm Magdeburgenſes, & cæteri Luteranorum magiſtri non vocent ad luctam, & certamen, in quo, vt beatus Petrus ait, probatio fidei multo precioſior inueniatur auro, quod per ignem probatur, ſed ad fidem nudam, & ſolam, viſum eſt illis, & ei qui illos decepit, non opus eſſe oleo iſto vnctionis: nec eſſe ab Apoſtolis traditum, ſed ab heri & nudiuſtertius inuentum, & in eccleſiam catholicam introductum. Item apud Auguſt. de Sacramento Chriſmatis frequens mẽtio eſt pſal. 132. tomo 7. contra litteras Petiliani lib. 2. cap 4. Tomo 9. in Ioan. tractatu 18. tomo. 7. de baptiſmo contra Donat. lib. 3. cap. 16. & lib. 6. cap. 19 & cap. 20. Sed producamus nos alium teſtem, & quidem ſanctiſſimum, & Apoſtolicarum traditionum periuſſimũ, is eſt Cyrillus Hieroſolymitanus, qui Catecheſes 18. ſcripſit, de quibus beatus Hieronymus in ſcriptoribus eccleſiaſticis meminit, in 2. igitur Catecheſe illarum quinque, quas myſtagogicas appellauit deſcribens ritus myſticos eorum, qui baptizantur, & eos alloquẽs, Poſteà (inquit) exuti, vncti eſtis oleo exorciſmis ſanctificato à ſummo capite vſque ad imas partes corporis: facti eſtis participes bonæ oliuæ, qui eſt Ieſus Chriſtus: exciſi enim ex Oleaſtro, inſerti eſtis in bonam oliüam, factiq; participes pinguedinis veræ oliuæ. deinde ſubiungit, Oleum igitur exorciſmis ſanctificatum ſymbolum erant participationis pinguedinis Chriſti: quod omne veſtigium cõtrariæ operationis fugat. ſicut enim inſufflationes, & inuocatio nominis Dei, inſtar flammę vehementiſſimæ vrunt, & fugant dæmones, ſic oleum exorciſmis ſanctificatum tantam vim per inuocationẽ Dei, & orationem accipit, vt non ſolùm veſtigia peccatorum vrendo deleat, ſed etiam dæmones fuget. Poſteà ſcribit idem Cyrillus de baptiſmo ipſo, quomodo fiat: & quæ vis eius: & quid illæ merſiones ſignificent. & in extrema parte, vt admoneret, quæ de oleo vnctionis, & reliquo ritu baptizandi ſcripſerat, tenenda ac ſeruanda eſſe, vt ab Apoſtolis tradita, repetens quæ Paulus in priore epiſt. ad Corinthios de traditionibus ſcripſit, laudo vos, inquit, quod ſemper mei memores eſtis: & traditiones, quas tradidi vobis, tenetis. Dicã iterum, quod

eam ſola fide, quam Luterani in iuſtificatione ſua profitentur, non habere eos myſticã vnctionem olei.

1. Pet. 1.

1. Cor. 11.

antea Dionyſium ſecutus dixi, licet nihil aliud diuinius in oleo iſto vnctionis eſſet præter id, quod myſticè docet, vt Cyrillus interpretatus eſt, inſeri ſcilicet eum, qui baptizatur in oliuam bonam, id eſt, in Chriſtum, fieriq́ue participem pinguedinis illius, an non ſanctus hic ritus eſſe, & haberi deberet? verùm quia ſciebat ſerpēs, qui iſtos decepit, etſi pueri Luteranorum in bonam oliuam inſeruntur, cum baptizantur, tamen excindi eos poſteà ex oliua, & rurſus in Oleaſtrum vetus, vnde prius exciſi fuerāt, inſeri, facilè ipſis perſuaſit, oleum iſtud vnctionis repudiare, & abiicere vt inane, & nullius vſus. nulla enim ratione illis poſtea conuenit, ſiue ipſum oleum ad certamen vocati ſignificet, ſiue ad participationem bonæ oliuæ. nihil enim refert vnius myſterij plures eſſe, & varias theorias ac myſticas interpretationes, vt in ſcripturis ſanctis fieri ſolet. imò illud quoque obſeruandum eſt, non referre, quod non vno & eodem per omnia ritu, atque cerimonia oleum vnctionis in omnibus eccleſiis Orientis, & Occidentis adhibeatur: non enim hoc neceſſe eſt. Satis eſt oleum vnctionis adhiberi ad baptiſmum, qui in eccleſia & eccleſiaſticè adminiſtratus, ſiue totum corpus vngatur, vt apud Cyrillum Hieroſoly. & Dionyſiū παντσώμως: ſiue partes quædam corporis, vt apud Clementē, qui eſt eccleſiæ Rom. ritus, ſicut pueri in aliis eccleſiis toti merguntur: in aliis caput tantùm aqua perfunditur.

Nihil refert euſdem myſterii plures eſſe theorias.

Nihil refert alium ritū in aliis eccleſiis vngēdi vel totū corpus, vel partes.

De Apoſtolica traditone myſticæ vnctionis baptizatorum, quæ confirmatio dicitur, & de figura eius in vetere teſtamento, authore Cyrillo Hieroſolymitano, & quid de eo Ioannes in epiſtola canonica dixerit, & Eſaias prophetauerit, ex eodem Cyrillo authore: & cur Satanas perſuaſerit Lutheranis negare hoc ſacramentum, & quid hoc ipſum ſacramentum operetur, & de locis Apoſtoli ad hoc ſacramentum acceperunt, variè appellet idem Apoſtolus, vnctos, ſignatos, confirmatos, perfectos: Item demonſtratio ex prophetia Eſaiæ, quod ſcripturā neceſſariò neget, qui hoc ſacramentum negat.

Caput 18.

DE vnctione verò alia, quæ fit in fronte eorum, qui iam baptizati ſunt, quæ non poteſt fieri niſi ab Epiſcopo, vt à Sanctis Apoſtolis traditum eſt, quam negant quoque Magdeb. ſic beatus Clemens in epiſt. 4. ſcripſit, omnibus ergo feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo: & demum conſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptifor mem gratiam ſpiritus S. percipere: quia incertus eſt vniuſcuiuſque vitæ exitus. cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſeptiformis ſpiritus gratia, vt memoratum eſt, confirmatus, quia aliter perfectus eſſe non poterit, neque ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſſitate, ſed incuria, aut voluntate remãſerit. deinde ſubiungit, vt habeat, quod à beato Petro accepimus: (ſic enim eſt in vetuſtiſſ. exemplari bibliothecæ Vaticanæ) & cæteri ſancti Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt. negarunt Magdebur. centuriatores cùm Luteranis ſuis auctore, ac ſuaſore Serpẽte myſterium confirmationis baptizatorum: at teſtatur hæc epiſt. Clem. traditum eſſe hoc miſterium à ſanctis Apoſtolis iuſſu Domini, qui illud inſtituit quid igitur faciãt Magdeb? quid? aut Apoſtolos negent, aut epiſtolam, optionem dedit ſerpens. illi verò vt calliditatem Serpentis imitarentur, maluerunt epiſtolam negare. Sed ſeponamus interim epiſtolæ auctoritatem, an negabunt libros eiuſdem Clem. quod de conſtitut. Apoſt. ſcripſit? id eſt, negabunt ne nubem teſtium, quos paulò antè commemoraui? in tertio igitur lib. cap. 16. poſteà inquit, vngat Epiſcopus τῷ μύρῳ id eſt, vnguento baptizatos: & cap. 17 eſt, inquit, τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας id eſt, vnguentum eſt confirmatio confeſſionis ſcilicet fidei. vnde vſque in hodiernum diem remanſit in conſuetudine eccleſiæ catholicæ hoc verbum cõfirmationis, quo myſterium hoc per vniuerſas eccleſias latinas appellant Chriſtiani, quæ eſt etiam huius Apoſtolicæ traditionis adſtipulatio grauiſſima, & lib. 7. cap 24. hanc vnctionem, qua baptizatus confirmatur, ait eſſe ſigillum promiſſionum. rurſus in eodem lib. 7. cap. 15. eſt precatio, quæ adhibetur, cùm iam baptizatus, hac myſtica vnctione confirmatur. quæ ſi nihil aliud diuinius

Calliditas diabolica Magd. negare epiſt. Clem. ne Apoſtolos negare videantur.

Conſtitutiones Apoſtolica de ſacramento cõfirmationis.

Verbũ cõfirmationis, quo per omnes eccleſias catholicorũ vocatur hoc ſacramentum, teſtis grauiſſ. Apoſtolicæ traditionis à Clemente ſcriptæ in qua ſic vocatur.

contineret, præterquam quod in ænigmate docet, & admonet eſſe regeneratos bonum Chriſti odorem, eſſet tamen ſanctus & pius ritus. nunc verò qui dedit aquæ per inuocationem ſanctę trinitatis vim regenerādi, idē dedit huic myſterio ſine ſacramento vim confirmādi nobis ab Apoſtolis traditam, quam ipſa precatio Apoſtolicæ traditionis declarat: ſic enim precatur, qui confirmat, Domine Deus ingenite, cui nullus eſt Dominus, & tu omnium Dominus es, qui odorem cognitionis euangelij omnibus gentibus ſuauem præbuiſti, tu etiam nunc præſta, vt hoc myſticum vnguentum in baptizato efficax efficiatur, vt bonus odor Chriſti tui firmus & ex omni parte ſanctus in eo maneat: & Chriſto commortuus, idem ſit conſuſcitatus, ac conuiuificatus ipſi. item Dionyſius Areop. in eccleſiaſtica hierarchia cap. de baptiſmo, ipſa verò, inquit, vnguenti vnctio, quæ perficiendi vim habet. facit eum, qui vngitur, bene odoratum, ſacra enim regeneratio copulat baptizatos cum ſpiritu S. aduentū verò Spiritus S. arcanum, qui odorem efficit ſpiritualē, illis relinquo cognoſcendū, qui cōmunione diuini ſpiritus habiti ſunt digni. & rurſus cap. 4. eccleſiaſticæ hierarchiæ, ei, qui baptizatus eſt, ipſa, inquit, vnctio perficiens donat aduentum ſpiritus S. videamus deinceps quid de hoc ſacramēto cōfirmationis beatus Cyrillus Hieroſoly. ſcribat, vt eccleſia Hieroſolymitana à S. Apoſtolis acceperat, poſtquā ergo in ſecunda Catecheſi de vnctione ex oleo ſancto, quæ in baptiſmo fit, diſſeruit, de ea, quæ poſt baptiſmū fit ab Epiſcopo ex eo, quod græci vocant μύρον, ex quo chriſma ſacramenti cōfirmationis conficitur, ſic in tertia myſtagogica catecheſi ait, vt Chriſtus, poſtquam in Iordane baptizatus eſt aſcendis de aquis, & factus eſt ſuper eū ſubſtantialis aduentus ſpiritus S. ſimili ſuper ſimilē requieſcente, ſic etiam nobis, poſtquam ex ſacro fonte aſcēdimus, datū eſt nobis chriſma illius, quo vnctus eſt Chriſt⁹, imago, qui eſt ſpiritus S. & paulò poſt, ſed caue, inquit, ne ſuſpiceris ſolū vnguentū eſſe illic, vt enim panis Euchariſtiæ poſt illam ſpiritus S. inuocationē non eſt amplius panis terrenus, ſed Chriſti corpus, ſic ſanctū hoc vnguentū cum inuocatione, non eſt

Quam vim habeat à Deo ſanctum chriſma, ipſa oratio, quæ ad confirmandum adhibetur, ſignificat.

Dionyſius Areopag. de chriſmate.

Quid Cyrillus Hieroſol. ſecūdum traditionē Apoſt. relictā eccleſiæ Hier. de chriſmate ſcripſerit.

ſolum,& nudũ,neque commune, vt aliquis poſſet dicere,ſed Chriſti & ſpiritus S.chriſma,præſentiam diuinitatis efficiẽs: quo quidẽ Symbolicè frons tua, aliæq; partes corporis vnguntur.atque vnguẽto quidẽ,quod cernitur,vngitur corpus,ſancto verò,ac viuifico ſpiritu anima ſanctificatur. vngitur primũ frons,vt liberemini illo dedecore,quod primus tranſgreſſor homo vbique circumferebat:& vt reuelata facie gloriã Domini ſpeculemini: deinde aures, vt prius accipiatis aures, quæ diuino audiunt myſteria. De quibus auribus aiebat Eſaias. addidit mihi Dominus auriculam ad audiendũ: Et Dominus in euangelio,Qui habet aures ad audiendum,audiat.poſtea vnguntur nares,vt diuini vnguenti odorem ſentientes,dicatis. Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis,qui ſalui fiunt poſtremo vngitur pectus, vt induti Thoracẽ iuſtitiæ ſtetis contra circumuentiones Diaboli. Sicut enim ſaluator poſt baptiſmũ & ſpiritus S.deſcẽſum egreſſus deuicit aduerſarium,ſic & vos per ſacrũ baptiſma induti myſticum chriſma, quæ eſt ſpiritus S armatura,ſtate aduerſus hoſtes,eoſq; debellate dicentes,omnia poſſum in eo, qui me confortat Chriſtus:à cuius chriſmate chriſtiani appellamini perducẽtes ad veritatem nomen chriſtiani, quod à baptiſmo. cœpit nominari. Siquidem ante hanc gratiam nõ eratis propriè digni eo nomine, ſed potius eo progrediẽtes tendebatis,vt Chriſtiani eſſetis. illud autem neceſſe eſt,vt ſciatis,eſſe ſymbolũ huius vnctionis in vetere ſcriptura.cum enim Moyſes mandatũ Dei cũ Aarone cõmunicauit,eumq; ſummũ Sacerdotem conſtituit poſtquam aqua lotus eſt,vnxit eum:& Chriſtus à chriſmate ſcilicet typico dictus eſt,Sic etiam ſummus ſacerdos Salomonem iam in Geon Lotum vnxit, vt Rex cõſtitueretur.Verum hæc illis in figura contingebãt: nobis autem non in figura, ſed verè: quandoquidem verè eſtis à Spiritu S.vncti. principium ſalutis noſtræ Chriſtus:ille enim eſt vera delibatio, vos autẽ maſſa: quod ſi ſancta eſt delibatio, profecto tranſibit ſanctitas ad maſſam. Seruate hoc chriſma purum ac mundum, omnia enim docere poterit, ſi in vobis maneat. Vt paulò ante beatũ Ioannem audiſtis dicere,ac multa de

Theoria vnctionis chriſmatis ex Cyrillo Hieroſol.

Eſ.50.
Luc.8.
2 Cor.2.
Eph.6.

Philipp. 4.

De Symbolo chriſmatis in vetere lege.

Leu.8.
3. Reg.1.

1.Ioan 2.

Ioannes diuinè de chriſmate diſſerit.
Eſ.25.

chriſmate philoſophari. Eſt enim hoc chriſma ſanctũ, ſpirituale, corporis cuſtodia, animæ ſalutare. de hoc iã olim prophetans Eſaias aiebat, & faciet Dominus omnibus gentibus in monte hoc (montem vocat eccleſiam) bibent vinum: bibent lętitiã: vngentur vnguento. & vt fieret tibi certum de hoc myſtico vnguento intelligendum eſſe, ſubiungit, trades hæc omnia gentibus. conſilium enim Domini ſuper omnes gentes. hoc ergo vncti ſeruate illud in vobis incontaminatum, & omnis maculæ expers proficiſcentes per opera bona, & placentes auctori, atque duci ſalutis noſtræ Chriſto Ieſu: cui gloria in ſæcula ſæculorum Amen Hactenus quæ Cyrillus Hieroſolymitanus de hac myſtica vnctione ex ſcripturis Apoſtolorum, & Prophetarum dixerat, & quæ ipſe & eccleſia Hieroſoly. à ſanctis Apoſtolis acceperat. dicam iterũ, & ſæpius. ſi nihil aliud diuinius in hoc ſacramento eſſet præter hanc ſymbolicam doctrinam, nec eſſet in veteris teſtamenti figuris adumbratum, neque à S. Prophetis prædictum, nec ab Apoſtolis epiſtolis, & ſermone traditum, tamen eſſet vel propter illa. quæ in ænigmate ſignificat, & de quibus admonet, non vulgari religione venerandũ. Cum verò non ſolum iſta ſignificet, ſed operetur quis miſeros iſtos faſcinauit, non obedire veritati? non credere apoſtolicæ traditioni? quis, inquam, niſi callidus ſerpens? vt enim minus laboraret in filiis Luteranorum iam baptizatis decipiendis, cum ad eam ætatem venirent, qua poſſent diſcernere rectum à prauo, perſuaſit parentibus eorum vt negarent hoc myſterium confirmationis: id eſt, vt tollerent armaturam. hac enim poſt baptiſmum nudati tanquam inermes faciliores fiunt, vt ſuperentur, & omni vento doctrinæ circumferãtur. vt enim S. Melchiades in epiſt. ad cleros & omnes Hiſpaniæ Epiſcopos de hoc myſterio confirmationis diuinè ſcripſit, quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter inuiſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitam: poſt baptiſmum cõfirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur: poſt baptiſmum roboramur. callidè ergo fecit ſerpens, cũ perſuaſit nõ induere poſt baptiſmum Thoracẽ Chriſma-

Prophetia Eſ. de chriſmate in noua lege interprete Cyrillo Hieroſol.

Cur diabolus perſuaſit Luteranis negare myſterium confirmationis.

tis,ne cum milite loricato decertaret. ſciebat ille, quæ beatus Ioannes de hac ſancta vnctione ſcriberet, vt paulò ante Cyrillum Hieroſolymitanum,ſicut à patribus acceperat, interpretari audiuimus. & vos, inquit, vnctionem,quam accepiſtis ab eo,maneat in vobis:& non neceſſe habetis,vt aliquis doceat vos:ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus: & verum eſt,& nõ eſt mendacium. dum enim incorruptum & purum ſeruatur chriſma,tamdiu ſeruatur in eo, qui chriſmate confirmatus eſt,ſpiritus intellectus, qui eſt pars illius ſpiritus ſeptiformis,quem Clemens & Melchiades dari dicunt in chriſmate:qui quidem ſpiritus quamdiu in nobis manet,omnia, quæ neceſſaria ſunt, vt cuique conuenit,& ſufficit,docet. Sciebat item idem ſerpens huc etiam pertinere,quod Paulus ſcripſit in epiſt. 2. ad Corinth.cum enim locutus eſſet de conſtantia, & ſtabilitate prædicationis & promiſſionum, quæ in prædicatione euangelij ſunt. quia chriſma eſt confirmatio cõfeſſionis, vt ait Apoſtolica conſtitutio. ſubiungit, Qui autem cõfirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus: qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. hoc enim eſt,quod per orationem & ſignum crucis operatur Chriſma in confirmato,ſcilicet aduentum ſpiritus S.ad prædicandum, & credendum conſtanter:& vt ſpiritu intellectus & fortitudinis inſtructi,non decipiamur. docet eruditè Ruardus Taper nobilis ſcholæ Louanienſis cancellarius in lib. de explicatione articulorum circa dogmata eccleſiaſtica locis ſcripturæ Sanctæ accuratè collatis, factam eſſe in Apoſtolis promiſſionem ſpiritus S. omnibus baptizatis,imperique in eis poſt baptiſmum, cum confirmantur,tum enim indui eos virtute ex alto. ſciebat igitur ſerpens ſcriptum eſſe ab Apoſtolo de illo ſpiritu promiſſo cum ait,In quo credẽtes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto : & ideo has quoque voces perhorreſcens dedit operam,vt baptizati non ſignarentur ſigillo promiſſionum,quod eſt chriſma, ne per hãc obſignationem pignore hoc ſpiritus S. accepto. hæreditatem firmius ſperarent. ad hoc quoque myſteriũ pertinet,quod idem Paulus in epiſt.ad Corinth.ait, ſapiẽ

Ioan.2.

Vnde vnctio chriſmatis docet de omnibus ſecundum epiſt. Ioannis.

2.Cor.1.

Quid operetur in baptizato chriſma,ex Paulo.

Epheſ.c.1.

1.Cor.2.

tiam loquimur inter perfectos. perfectos enim vocat eos,qui per hãc myſticam vnctionem donati ſunt ſpiritu intellectus:qui doceat omnia myſteria. tunc enim baptizati perficiuntur nõ perfectione regenerationis, ſed roboris,& intellectus. Vnde Clemẽs, & Dionyſius eadem ratione eos, qui confirmantur, perfici tradiderunt. rurſus eodem pertinet,quod idem ait, Quicunq; ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus, vt idem ſcilicet ſapiamus:& in eadem regula permaneamus.hæc enim vnctio,quæ,vt ait beatus Ioannes,docet omnia,ſpiritu intellectus, & fortitudinis perficit:facitque permanere in eadem regula, & in eodem apoſtolicæ doctrinæ ſenſu.vnctos,itaque & ſignatos,& confirmatos ac perfectos vocat Apoſtolus eos, qui hoc myſterium acceperunt. quæ non eſt mirum non intelligere Magdeburgẽſes,neque reliquos Luteranos: qui quidem quia non receperunt charitatem veritatis, vt ſalui fierent, miſit illis Deus operationem erroris, vt crederent mẽdacio: vt Apoſtolus de Antichriſto, & diſcipulis eius ſcripſit.niſi enim ita eſſet, qui fieri poſſet, vt non intelligerent,negare ſe ſcripturam, quam in ore ſemper ferunt,cum myſteriũ vnctionis in eccleſia negãt?Quæro enim cum Eſaias de eccleſia noui teſtamenti prophetans,dicit,vt paulò ante Cyrillum Hieroſolymitanum interpretantem audiuimus, Faciet Dominus in monte hoc,bibent vinum,bibent lætitiam : vnguento vngentur:trades hæc omnia gentibus:de quo vino dicit propheta ? an de cuppa ? nónne de vino myſtico viſibili, quod nos quidem verè habemus in eccleſia, Luterani verò credunt ſe habere, licet cum vini ſubſtantia ? ſi igitur de ſacramento calicis viſibili, quod iſti dicunt habere ſe in ſuis ſynagogis, prophetat Eſaias, & hoc ipſi lætitia hodie in eis αἰσθητῶς bibunt,quemadmodũ non coguntur de aliqua vnctione viſibili in eccleſia illud accipere, vt conſequens eſt, quod idem Propheta ſtatim ſubiungit,vnguẽto vngentur?Sic enim eſt apud ſeptuaginta, & vt fieret,inquit, Cyrillus Hieroſolymitanus,certum tibi de hoc myſtico vnguento intelligẽdum eſſe, ſubiungit Propheta, trades hæc omnia gentibus. Quæro ergo rurſus,ſunt ne Luterani ex genti-

1.Ioan.2.

Quibus nominibus vocet Apoſt.in epiſtolis ſuis eos,qui chriſma acceperunt.

2.Theſſ.2.

Eſ. 25.

Quomodo Magdeb. ratione connexi,ſiue conſequentiæ cogantur confiteri ſecundum ſcripturam vnctionem myſticam viſibilem In eccleſia Dei

bus ad Deum conuerſis, de quibus Eſaias prophetat, an non? ſi ſunt, oſtendant ſaltem in ſynagogis ſuis tale vnguentum, quale oſtendunt vinum, id eſt, viſibile, & myſticum, vt ipſi credunt. quod ſi non poſſunt oſtendere, quia negant eſſe in eccleſia, quomodo ad eos hæc prophetia pertinebit? an dicturi ſunt cum ſolis Iudæis, non pertinere hanc prophetiam ad eccleſiam noui teſtamenti? ergo dicant etiam, vt conſequens eſt cum eiſdem Iudæis, illud quod in eadem prophetia texitur, Poſuiſti vrbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non ſit ciuitas, & in æternum non ædificetur, non pertinere etiam ad tempus noui teſtamenti, cum iam ita funditus deleta eſt vrbs, vt iuxta hāc prophetiam non amplius ædificanda ſit, quia iuxta prophetiam Danielis deſolatio eius vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit. atque ita ſomnient cum illis auream, & gemmatam Hieruſalem, & expectent eam cum eorum Antichriſto: & maneant in morte, donec omnia neceſſaria eccleſiæ catholicæ tradita teneant: & illa in primis mirabilia myſteria credant, eorumque virtutem participent, & vſque in finem cōſeruent, in quibus Dominus virtutem deſtruēdæ mortis, & reſurrectionis conſequendæ, vt hic prophetauit, per paſſionem ſuam poſuit, ſanctum baptiſmum dico, quē chriſma, vt ante explicatum eſt, perficit: & ſanctā Euchariſtiam. de hac enim Dominus, Niſi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis. de baptiſmo verò, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum. idcirco poſtquā Propheta dixit bibent vinum, vnguento vngentur in monte hoc: trade hæc omnia gentibus, nam conſilium hoc ſuper omnes gentes, ſubiungit, quæ ad virtutem horum myſteriorum pertinent, deuorauit mors præualens, antea ſcilicet: & rurſum, abſtulit Deus omnem lachrymam ab omni facie: quia ſcilicet, vt eſt in interpretatione latina vulgata, præcipitauit mortem in ſempiternum. Sed quid ego cum iſtis de ſcripturis diſputo? qui magis ſtudent, quid non intelligendo reprehendant, quàm quid inquirendo

Quod prophetiam Eſa. de vino, & vnctione pertinere ad eccleſiam noui teſtamenti confiteri cogantur Magd. niſi velint iudaizare.

Dan. 9.

Quare Magd. & cæteri magiſtri Luter. ſcripturas ſanctas non intelligant.

2. Timoth. 3.

Quod nullum veterem interpretem neque Græcum neque latinum præter Iudaicos cõm. rabinorum preferre poſſunt Magd. qui prophetiam Eſa. de vino, & vnctione, non de eccleſia noui teſtamenti interpretetur.

Cyrillus Alex. ſecundum traditionem Marci Euangeliſtæ relictam eccleſiæ Alex. interpretatus eſt locum Eſ. de ſacramento chriſmatis.

rectè intelligãt. ſi enim interpretes ſanctarum ſcripturarum in eccleſia catholica probatos, tum apud Græcos, tum apud latinos, aut inquirerent, aut ab iis, quos decipiunt, inquirendos eſſe putarent, ſcirent quidem à quibus didiciſſent, & ea noſſent, quæ poſſent & ipſos inſtruere ad ſalutem, & eos, à quibus audiuntur, aut legũtur, ſicut Paulus de vtroque horum Timotheum admonuit. nunc autem non poſſunt dicere à quo iſta, quæ profitentur, & defendunt, didicerint niſi à Lutero, aut à Luteri diſcipulis, id eſt, à ſe ipſis peſſimis magiſtris. Reuoluant ergo omnes commentarios interpretum Eſaiæ, præter Iudaicos, & Luteranos, & obiiciant nobis catholicis, qui ſtudemus, vt ſciamus, ex quibus ſanctis patribus litteras ſanctas, & ſanctarum ſcripturarum interpretationes didicerimus, obiiciant inquã, ſi quem reperiant, ſiue Græcum ſiue latinum, qui locũ Eſaiæ, de vino, & vnctione ſecundum canonem & diuinam 70. interpretum æditionem, imò totum caput 25. non de eccleſia noui teſtamenti interpretetur. Atqui præter Cyrillum Hieroſol. cuius interpretationẽ ante recitauimus, alter Cyrillus Alexandrinus in commentariis huius Propheticum vinum dicit Eſaias, ſignificari, ait, myſticam benedictionem, & ἀναιμακτον θυσίαν. Sic enim vocat, id eſt, incruẽtum ſacrificium: quod inquit, in ſanctis eccleſiis facere conſueuimus. & de vnguẽto, illud, inquit, ſignificat, quo in baptiſmo vngimur: quod eſt Symbolum ſpiritus ſancti. ſicut traditum erat eccleſiæ Alexandrinæ à S. Marco Petri principis Apoſtolorum diſcipulo, & euangeliſta, qui eam fundauerat: & ſicut à ſanctis Apoſtolis per ſpiritum S. didicerat, ſic in ea ſacrificare, & baptizatos chriſmate vngere docuerat. Theophanes quoque auctor Græcus, & in ſcripturis valde, eruditus Niceæ Epiſcopus interpretans totũ hoc caput in lib. quem de Symphonia veteris & noui teſtamenti inſcripſit, quia dicit Propheta, bibent lætitiam, bibent vinum: explanans, inquit, Propheta quam lætitiam diceret, demonſtrat eam ex Symbolis diuinis, dicens, illam dico, quæ ſpecie vini apparet, & ſumitur, deinde ſubiungit, imò vngentur vnctione in monte hoc. Vide, quemadmodum vniuerſalem eccleſiam vocat

cat montem: manifeſtũ eſt enim, quod in cuncto orbe diuino vnguento vnguntur, & bibunt vinum diuinæ & æternæ ac dominicæ lætitiæ. Hactenus Theophanes. omitto cæteros, quia infinitum eſt, omnes perſequi tantum adiungam huic capiti, quod penè oblitus erã, vt ad illud reſpondeam, quod hoc loco Magdeburg. aiunt, ritus vngendi magis hæreticorum, quàm orthodoxorum videri eſſe, quod Irenæus lib. 1. cap. 18. recenſens Valentini errores, alios ait oleum in aquam recitatis quibuſdam verbis infudiſſe: alios opobalſamo vnxiſſe baptizatos. ſanè quidem, ſi eo ſpiritu Magdeburg. Centuriatores ſuperſtitioſos ritus hæreticorum „ in vnguendo apud Irenæum legiſſent, & notaſſent, „ quo Iuſtinus Martyr, cuius paulò ante auctoritatem „ iſti requirebant, notauit in ſecunda apologia ſuperſtitioſos ritus lauari apud Gentiles, magis inde ipſos cõtemptores noſtrorum myſteriorum exemplo Iuſtini redarguiſſent. notauit enim Iuſtinus, quia noſtrum lauacrum dæmones ex prophetis didiciſſent, conatos fuiſſe illud imitari: atque ita effeciſſe, vt qui templa adirent, ſe ipſos aſpergerent, aut etiam ſe totos abluerent, priuſquam ſacrificarent. & in Mithræ myſteriis ſimiliter conatos eſſe ſanctam euchariſtiam imitari apponentes panem & aquam initiandis. Sic Magdeb. notare potius debuiſſent, conatos eſſe dæmones per hæreticos imitari myſterium vnctionis, quod iidem ex ſcripturis ſanctis & apoſtolica traditione didiciſſent. vt enim dæmones transfigurant ſe in Angelos lucis, ſic quæ apud nos vera ſunt, in falſa apud ſuos mutant.

Ex ritibus vngendi apud hæreticos olim ab Irenæo notatis quid potius Magdeb. exemplo Iuſtini, quem nobis obiicere ſolent, notare debuiſſent.

De conſecratione eccleſiarum ad orationem, & ſacra operanda ex Paulo*, & euangelio, & Eſaia, & quomodo qui conſecrationem eccleſiarum negat, idem ſcripturas negare cogatur. Item quomodo id ipſum ex libro 2. Clementis de conſtitutionibus Apoſtolorum probetur ſecundum cõſuetudinem ſcripturæ ſanctæ ex nominibus templi, quæ in teſtimonium conſecrationis factæ vſque in hodiernum diem ſeruantur.* *Caput 19.*

SEquitur deinceps, vt de ritu celebrandi Miſſam in loco conſecrato Magdeburgenſibus reſpondeamus, quem negant Apoſtolicum eſſe, vt eſſe quidem Clemens in epiſ. 3. affirmat. quia inquiunt non meminit Iuſtinus in apologia ſecunda. ſic iſti probant, quæ tradunt, apud quos maior eſt auctoritas tacentis, quàm dicentis teſtimonium. & quod eſt adhuc magis impiæ temeritatis, quia Clemens ait hoc loco, hæc Apoſtoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt, audent dicere, non eſſe eius epiſtolam, negent igitur ſimiliter epiſtolam Fœlicis 4. ſanctiſs. ac ſapientiſs. Pontificis, & dicant non eſſe eius, quia ante mille annos in prooœmio ipſius epiſtolæ, quã ille ad omnes Epiſcopos de conſecratione eccleſiarum ad celebrandum Miſſas ſcripſit, ſic ait: Quamobrem fratres hortamur vos, monemus, & flagitamus, vt à tramite Apoſtolicæ inſtitutionis nequaquam recedatis, nec à capite diſſideatis: ſed fidem & ordinem, quem Apoſtoli & Apoſtolici viri ſtatuerunt, abſque vlla hæſitatione teneatis, deinde poſtquam conſecrationẽ Moſaici tabernaculi commemorauit, diuináſque illas Salomonis in dedicatione templi preces recitauit, ſubiungit, ſi enim Iudæi, qui vmbræ legis deſeruiebant, hæc faciebant, multo magis, quibus veritas patefacta eſt, & gratia & veritas per Ieſum Chriſtum data eſt, templa Domino ædificare, & prout melius poſſumus ornare, eaque diuinis precibus & ſanctis vnctionibus cum altaribus, & vaſis, veſtibus quoque & reliquis ad diuinum cultum explendum vtenſilibus deuotè, & ſolemniter ſacrare. & non in aliis locis quàm in Domino ſacratis ab Epiſcopis celebrare, nec ſacrificia offerre Domino debemus. Diſſeramus ergo cum iſtis de ſcripturis, quas in ore ferunt ſemper. docet Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, tabernaculum, quod Moyſes, vt in Exodo ſcriptum eſt, benedixit, & quæ in tabernaculo ſecundum legem fiebant, vt orare, & ſacra operari, & munera offerre, tum miniſtros ipſius tabernaculi, omnia denique eccleſiæ noſtræ, & eorum quæ in eccleſia fiunt, & ad eccleſiam pertinent, quæ idem Apoſt. in eadem epiſtola cœleſtia vocat, vmbras & exẽ-

Plus auctoritatis habet apud Magd qui ex veteribus aliquid contra eos non dixit, quam qui dixit.

Fœlix 4. de cõſecratione eccl.

Diſputatio de conſecratione Eccleſiarum ex ſcripturis ſanctis.

Hebr. c. 8.

plaria eſſe. Sicut reſponſum eſt Moyſi, cũ conſummaret tabernaculum, Vide, inquit, omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte: nihil enim horum excepit, qui dixit omnia. imò neque Moyſi ſolum, ſed Regi quoque Dauid idem oſtenſum eſt de templo à Salomone ædificando, & rurſus Dauid Solomonem docuit per ſpiritum Dei eadem, quæ ſibi erant oſtenſa, vt templum ædificãdum, & cætera, quæ ad templum ſecundum legem pertinebant, vmbras item eſſe, & exemplaria verorum, & cœleſtiũ, ſic enim Paulus, vt dixi, vocat eccleſiam noſtram, & ea, quæ eccleſiæ noſtræ ſunt. Sicut enim lex ſpiritualis erat, vt Apoſt. ad Romanos ſcripſit, quia ſcilicet vmbram habebat ſpiritus, ſiue rerum ſpiritualium noui teſtamenti, ſic eccleſia noſtra, & ea, quæ in ea fiunt, cœleſtia ſunt & dicuntur, quia ſunt imagines earum rerũ, quę in cœlo ſunt, vel fiunt. Hoc autem, quod de Dauid diximus, ſcriptum eſt in priore lib. Paralipom. dedit autem, inquit, Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionẽ porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorũ in adytis, & domus propitiationis: deinde ſubiungit, nec nõ & omniũ, quæ fuerũt in ſpiritu cum eo. Sic enim eſt apud 70. id eſt, quæ gratia ſpiritus ſanctus cum docuerat, Sic enim Theodoretus interpretatus eſt in 3. libro Reg. cap. 8. vbi hunc locum libri Paralip. obſeruauit. Igitur tabernaculum, quod Moyſes benedixit, & templum, quod Salomon dedicauit. & quæ in eis ſecundum legem, fiebant, & eorum miniſtri, omnia erant vmbræ futurorum in nouo teſtamento: & ſicut Apoſt. ait, vmbram habebat lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Quæro igitur à Magdeb. & cæteris Luterani ſectatoribus, quid ipſi re, ac veritate oſtendant pro agno typico, & vmbratili, quem Iudæi comedebant? reſpondebunt ſanè cœnam ſuam dominicam, vt ipſi vocant, & myſtica benedictione, vt putant, confectam. Quæro rurſus, quid oſtendant pro loco item typico, & vmbratili, quẽ Deus elegit Iudæis, in quo agnũ comedere deberent, vt eſt in Deut. ſcriptum? an oſtenſuri ſunt ſpelũcas ſuas, id eſt, loca communia, & profana? quod ſi lo-

Hebr. 9.

Ex. 25.

Rom. 7.

1. Par. 28.

Quod oſtẽſum fuerit regi Dauid de templo à Salomone ædificando, omnia eſſe typos eorũ, quæ ad templũ noui teſtamenti pertinebant ſicut Moyſi oſtẽſum fuerat de tabernaculo.

Deut. c. 16.

cum communem oſtendunt, quæro iterum, quæ veritas in loco communi & profano per Ieſum Chriſtum facta ſit, quæ vmbram & figuram illius loci Iudaici agno edendo benedicti, & conſecrati iuxta verbum Domini impleat (ſi quidem lex per Moyſem data eſt: veritas autem & gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt) vt enim ſe putant oſtendere panẽ myſtica benedictione conſecratum, qui vmbram & figuram illius veteris agni impleat, ſic quoque, ſi Paulo Apoſtolo credunt, oſtendere debent locum ſua item benedictione in nomine Chriſti conſecratum, qui vmbræ illius veteris loci ſua item benedictione typica olim benedicti reſpõdeat. an fortè dicturi ſunt, in myſtica quidẽ cœna fieri hoc poſſe, & debere, vt iſta cœna figurã illius Moſaicæ impleat, quia Dominus eam inſtituit, cum dixit viuifica illa verborum myſteria, quæ ſunt in euangelio: at de loco non eſſe aliquid dictum in euangelio. Videamus ergo, an ſit, putant ne Magdeb. quod Dominus ex Eſaia ſumptum in euangelio Ioannis exprobrauit inquiens, Domus mea domus orationis vocabitur, propter Iudæos tantum, & eorum templum dictum eſſe, non credo ita deſipiant: an dicent Eſaiam nõ prophetaſſe futura, cum dixit, domus mea domus orationis vocabitur cũctis gẽtibus? Sic enim eſt apud 70. ne id quidem dicent. prophetauit ergo de templis, & oratoriis noui teſtamenti ſub ſenſum cadentibus, vt illud vetus cadebat. imò ſi fortè negare voluerint, vt ſunt peruicaces, prophetaſſe ibi eũ de domibus ac orandũ in nouo teſtamento Deo dedicatis, cum iam gentes ad fidẽ venerunt, coguntur ex iis, quæ in eo loco antecedunt cõfiteri. Sic enim ait, & filios aduenæ ſiue alienigenas vt 70. interpretati ſunt, qui adhærẽt Domino, vt colãt eũ, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos omnem cuſtodientem ſabbatum, ne polluat illud, & tenentẽ fœdus meum adducam eos in montem ſanctum meum: & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocauſta eorum & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, ſiue cunctis populis, vt eſt in interpretatione latina vulgata. quem locum interpretans

Ioan. 1.

Cogũtur Mag oſtendere locum conſecratum in nouo teſtamẽto, qui reſpondeat tãquam corpus vmbræ veteri templo item cõſecrato, niſi ſcripturã Pauli negare malunt.

Collatio Eſaiæ cum euangelio de domo orationis.

Matth. 21.

Eſ 56.

beatus Cyrillus in cõmentariis eruditiſſimis prophetæ huius, Loquitur ergo, inquit, cum gentibus, quæ quidẽ per fidem coniunctione ſpirituali cum Deo copulentur: qui gloriã ſuam in ſeruitute Dei ſitam eſſe volunt: & nomen Dei ita amant, vt iugum regni eius omni obedientia ſubeant: nec amplius Deos alienos ſequãtur: qui ita ſeruant ſabbata eius, Chriſti ſcilicet, vt non profanent ea: ſabbatizant enim ſpiritualiter, quia ingreſſi ſunt in requiem Chriſti: huiuſmodi ergo alienigenas promittit introducere in mõtem ſanctum. Deinde ſubiungit, Prohibuit quidem lex alienigenis ingreſſum in templum: non ingredietur, inquit, Amanites & Moabites in eccleſiam Domini at Chriſtus, qui in nouitatem ſpiritualem omnia transfert, in montem ſanctum, id eſt, in eccleſiam introducit alienigenas. & delectabo eos. Inquit, in domo orationis meæ ſcilicet chariſmatibus, & ſpe ſacramentorum. Interrogo hic Magd. an non delectantur ipſi maximo omniũ chariſmate ſanctæ Euchariſtiæ in loco ſenſibili ad hoc deſignato? quis neget? debet ergo eſſe is locus domus orationis iuxta prophetam: quod ſi eſt domus orationis, quomodo conuenit, vt nõ ſit ſanctificata Deo per verbum, & orationem adorandum, & ſanctificetur cibus ad comedendum? cum magis nobis opus ſit exaudiri in domo orationis ad ſalutem animæ, magiſque nobis mali ſpiritus nocere poſſint inter orandum, mẽtes variè diſtrahendo, quam inter menſam edendo? an nõ ſatis ratio defendit traditionem, vnde conſuetudo manauit? & conſuetudinem, quam fides obſeruauit? nec enim refert, ait Tertull. traditionem ſine ſcripto defendens, vtrum ſcriptura, an ratione conſuetudo conſiſtat, quãdo & legem ratio commendat. Deinde paucis interiectis, quod autem, inquit Cyrill. domus orationis non ſolis Iudæis, ſed gentibus per fidem vocatis pateat, declarat ſubiungens, domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Deinde ſubiungit. Sed quis hæc promittit? an Propheta? minimè, inquit, ſed Deus, qui eſt natura bonus, qui vult omnes homines ſaluos fieri. Hactenus propheta, & Cyrillus optimus eius interpres. habent ergo catholici domos orationis, à

Cyrillus Alex. in Eſaiæ locum de templo noui teſtamenti.

Deut. 23.

Qui domos ad orationem Deo dedicatas negãt, alieni ſunt à prophetia Eſ. & ab euãgelio, in quo illa impleta eſt.

Propheta prædictas,& à Domino in euangelio declaratas.quare qui eas negant,& habere nolũt,alieni ſunt ab hac prophetia: ac proinde alieni à regni iis,de quibus Eſaias ibi prophetat,promiſſo.Deinde cum Apoſt. in epiſt.ad Cor. priore ait, nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum?aut eccleſiam Dei contẽnitis,& confunditis eos,qui non habent? Quæro à Magneburgenſibus,& Luteranis, ſi eccleſia Dei non eſt domus ſacra, quomodo eccleſiam Dei contemnebant,qui in ea communes cibos ſumebãt, vt in domibus noſtris ſolemus: vtrumque enim peccabant Corinthij,& de vtroque eos arguit Apoſtolus,& quod in eccleſia Dei communes cibos pro ſacris ſumerent: & quod eos cum iis, qui non habebant, non communicarent.an forum dicetur contemnere, aut porticũ,aut alium locum ex cõmunibus, ſi quis in eiuſmodi loco communi communem cibum aliquando ſumat?quis hoc dicat,qui ſenſu communi nõ careat?aut nunquid forum, aut porticus,aut quiuis alius locus communis dicetur locus Dei, ſicut dicitur eccleſia Dei, & domus Dei?minimè.erat igitur eccleſia, de qua Paulus loquitur, locus non profanus, neque communis, & religione ſolutus, ſed potius religioſus, ac Deo Apoſtolico ritu conſecratus,ac ſanctificatus. Quare cum eccleſiarum conſecrationem Apoſtolicam eſſe Magdeburgenſes negant, ſciant ſe non iam epiſtolam Clementis, ſed ſcripturas ſanctas veteris & noui teſtamenti negare, hinc Synodus Laodicenſis ex multis Aſiæ prouinciis coacta,quia didicerat ex ſcripturis ſanctis propheticis & Apoſtolicis, non eſſe domum orationis domũ communem,ſed domum Deo ſanctificatam ſanxit canone 57.non oportere Miſſas in domibus celebrare. & Synodus Pariſienſis ſub Ludouico, & filio eius Lotario habita cap.47. plerique, inquit, presbyteri neglectis baſilicis Deo dicatis in domibus Miſſarum celebrationes contra diuinam auctoritatem,& canonicam inſtitutionem facere præſumunt. & in extrema parte, quando ergo quod Dominus prohibet, humana præſumptio non metuit, proculdubio præceptum tranſgredi non pertimeſcit. Sed, vt tandem centuriatores

Quod eccleſia de qua Paul.loquitur in epiſt. priore ad Cor. neceſſe eſt,fuerit locus non communis,ſed ſacer.

Qui cõſecrationem eccleſiarũ negant, nõ iam epiſt. Clementis negant, ſed ſcripturas veteris, & noui teſtamenti.

De diuino cultu in tẽplis Synodus Laodicẽſis. Synodus Pariſienſis ſub Ludouico, & Lotario filio.

conſecrationem eccleſiarum ex Apoſtolica traditione perfectam eſſe intelligant, videamus, quod Clemens Rom. cuius epiſtolas negant, in iis libris in perſona Apoſtolorum dicat, quos de conſtitutionibus Apoſtolorum ſcripſit, quos non credo, vt ſæpius dicam negare audebunt, ne ſe negatores omnium librorum veterum profiteri videantur, iubet ergo 2. cap. 58. Apoſtolica conſtitutio clericis quotidie manè & veſpere pſallere ἐν τοῖς κυριακοῖς pſalmum 62. & pſalmum 140. cum κυριακοῖς dicit. domos Domino dedicatas intelligit. hoc enim ſignificat verbum, ſi quis latinè interpretetur. profecta eſt ergo ex traditione Apoſtolorum eccleſiarum Deo dedicatio: quæ per verbum & orationem fiat neceſſe eſt, ſiue benedictio, ſiue conſecratio dicatur, & ſit: alioqui nō ſic vocaretur. Ne verò Magd. hoc genus argumētandi ex interpretatione nominum leue eſſe putent, & ne ipſi negligant, meminerint ab Apoſtolo Paulo non eſſe neglectum, qui in epiſt. ad Hebræos ex interpretatione nominis Melchiſedech, & nominis Salem probat fuiſſe eum Typum Christi, qui vere fuit Rex iuſtitiæ, & Rex pacis: ſic locus eccleſiæ, quia dominica domus dictus eſt, ſanctus eſſe demōſtratur, & imago cœleſtis domus. dicāt enim nobis Magd. & reliqui Luterani cum ipſi κυριακὸν δεῖπνον, id eſt, dominicam cænam dicunt, volunt ne intelligi panē communem, an conſecratū & myſticè benedictū? ſic igitur cum Apoſtoli domū ad orandum & celebrandū Miſſam κυριακὴν vocarunt, domum cōſecratam ac ſanctificatā Domino intelligi neceſſariò voluerunt. Sed proſequamur Apoſtolicam conſtitutionem à Clemente Rom. deſcriptam, præcipit enim paulò poſt, quotidie ἐν τοῖς κυριακοῖς canere manè quidem pſal. 62. veſpere verò pſal. 140. quod vſque in hodiernū diē per vniuerſas eccleſias orientis ſeruari audimus: in eccleſiis verò occidentis ſcimus omnes, cani quotidie in matutinis laudibus ſecundū Apoſtolicam conſtitutionē pſalmū 62. veſpere autē ſingulis feriis, ac dominicis verſum ex pſal. 140. ſumptum, Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. qui verſus totam vim, ac propoſitum pſalmi complexus eſt. Doceamus igitur quēad-

Conſtitutio Apoſtolica de orādo in templis Deo dedicatis. Quod ex traditione Apoſt. profecta ſit conſecratio eccleſiarum Domino, ipſum nomen, quo ab illis vocata eſt eccleſia, declarat. Quomodo argumentari ex interpretatione nominis apoſtolus docuerit.

Quomodo ex duobus pſalm. quos ſecundum apoſt. traditionẽ quotidie in eccleſia canimus, demonſtremus locum Deo conſecratum ſucceßiſſe tabernaculo veteri conſecrato.

modum ex illis quoque pſalmis 62. & 140. quos quotidie manè, & veſpere cõſtitutio hæc in domo Domini pſallere iubet, demonſtretur, ſi quis ſine intellectu nolit eſſe, quod domus illa Domini, in qua hi pſalmi cani iubentur, domus ſit non communis, ſed ſacrata. ſi enim Dauid Saulem fugiens, quamuis non poſſet adeſſe in tabernaculo, tamen quaſi eſſet in tabernaculo, precabatur iuxta pſal. 140. vt oratio ſua eſſet Deo accepta, ſicut eſſe ſoleret thus, quod in templo Deo incendebatur: & ſicut ſacrificium, quod in gratiarum actionẽ in tabernaculo fiebat, item rurſum cum erat in ſolitudine eundem Saulem fugiẽs, tanquam eſſet in ſancto, id eſt, in tabernaculo iuxta pſal. 62. orabat, & preces ſuas exaudiendas eſſe ſperabat, quia in loco ſancto tabernaculi, vbi maximè cupiebat, adeſſe non poterat, cum ſancti apoſtoli tradiderunt fidelibus, vt hos pſalmos ἐν τῷ κυριακῷ, id eſt, in domo Domini quotidie alterum eorum id eſt. 62. manè in matutinis laudibus alterum id eſt, 140. in veſpertinis pſalmis canerent, an nõ ſatis clarè admonuerunt, domum Domini, in qua oramus & ſacra facimus, ſucceſſiſſe, tanquam corpus, vmbræ, ſancto, id eſt, tabernaculo typico, in quo Dauid orare deſiderabat? Ergo debet eſſe domus Domini, in qua oramus, locus cõſecratus ac ſanctificatus, alioqui, quomodo locus non ſanctus ſed communis, ſancto, id eſt, tabernaculo in quo immolabatur, & orabatur, ſucceſſiſſet? & profana domus quaſi eſſet locus verè ſpiritualis, figurã loci typici, & vmbratilis impleuiſſet? præterea ſancti Apoſtoli, vt in eodẽ libro ſcriptũ eſt, prophetas, vt mihi quidem videtur, imitati, qui frequenter eccleſias inſulas vocare ſolent, quod, vt ait beatus Cyrillus in comm. Eſ. cap. 24. in mundo velut in mari poſitæ turbas eius ſuſtinent, tanquam architecti ſpirituales voluerunt vt domus Domini ita ædificaretur, vt eſſet oblonga in modum ναὸς, id eſt, nauis, quæ ἀπὸ τῆς νήσου, quæ inſulam ſignificat, dicitur. idque vt ipſa forma ædificij admoneret eſſe nos in mundo tanquam in mari, quod fluctibus & tempeſtatibus aſſiduè agitatur, quod nauigari oporteret in naui eccleſiæ ab iis, qui ad portum ſalutis peruenire vellent quod quidem

Traditio Apoſtolica de forma eccleſiæ in modum nauis.

nomen vſque in hodiernum diem durat, vt nauis eccleſiæ dicatur, vt ſit, ſicut de illo altero nomine κυριακὸν dicendum quoque eſt, in teſtimonium hæreticis, profectam eſſe ab Apoſtolis, vt Clemens auctor eſt, conſtitutionem ædificandi & conſecrandi Domino domos ad orandum & ſacrificandum. ſolet enim ſcriptura ſeruare etiam nomina in teſtimonium rei geſtę, vt illud in euangelio vſque in hodiernum diem vocatur ager ille Acheldemach, id eſt ager ſanguinis in teſtimonium ſcilicet Chriſti ad mortem venditi. ſic nauis eccleſiæ hodie appellatur, vt ipſum nomen ſit adſtipulatio Apoſtolicæ conſtitutionis à Clemente ſcriptæ de ædificandis domibus inſtar nauis ad orandum: ipſi enim Apoſtoli conſtituerunt, vt hac forma ædificarentur, quàm ipſum nomen nauis eccleſiæ, quod eſt in conſuetudine ſermonis noſtri, ſignificat. Neque hoc ſolùm: ſed conſtituerũt vt ad Orientem ædes ſacræ ſpectarent, vt admoneremur de vero Oriente, qui eſt Chriſtus ſplendor patris, cuius ortus in mundo tenebras diſcuſſit peccati, & ignorantiæ: & de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum. vnde precationem facere verſus orientem ſcribit magnus Baſilius in lib. de ſpiritu S ab Apoſtolis ſine ſcriptura, ſcilicet canonica traditum eſſe. id quod vſque in hodiernum quoque diem ſeruatur, vt altare primum, quod vocare ſolemus maius, verſus orientem, ſi commodè fieri poteſt, extruatur: ſitque collocatum quaſi in puppi nauis eccleſiæ. Neque verò. S. Apoſtoli, cum de ædificandis domibus Domino conſtituebant, illud metuebant, ne Deum, vt hæretici obiiciunt, loco circumſcribere viderentur, quod Salomon quoque in vetere teſtamento docuit non eſſe metuendum, cùm in conſecratione templi dixit, ergo ne putãdum eſt, quod vere Deus habitet ſuper terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quàm ædificaui? Deinde ſubiungit ad quem tandem vſum ædificata eſſet domus Domini inquiens, Sed reſpice ad orationem ſerui tui, & ad preces eius: & clariùs adhuc in ſecundo lib. Paral. cap. 6. Sed adhoc, inquit, facta eſt, vt reſpicias orationem ſerui tui, & obſecrationem eius Domine Deus meus: & audias preces.

Quæ nomina eccleſiæ ab apoſt. relicta in teſtimoniũ ſint hæreticis, profectã ab illis traditionẽ ædificandi & conſecrãdi Deo eccleſias.

Cõſuetudo ſcripturæ ſeruare nomen in teſtimoniũ rei geſtæ.

Conſtitutio apoſt. de extructione eccl. verſus Orientem.

Quomodo Salomon docuerit, nõ eſſe metuendum, quod hæretici metuunt, ne circumſcribatur Deus ſi conſecretur ei domus ad orandum.

Ad quę vſum ædificentur eccleſiæ.

quas fundit famulus tuus coram te. Propter nos igitur ædificantur templa, vt gratia ſpiritus S. ibi per inuocationem Dei ad loci ſanctificationem, orationes noſtras adiuuet, vt virtutem ac gloriam Dei, in noſtris ſanctis poſtulatis ſentiamus. Vt, ſicut Dauid in tabernaculo, quod Moyſes, ſicut in Exodo ſcriptum eſt, benedixit, non ſolum ſpiritu adeſſe, quod abſens quidem facere poterat, ſed corpore etiam in Dei obſequium deſiderabat, (vt Daniel cum apertis feneſtris verſus Hieruſalem orabat propter templum Deo dedicatum) quo non ſolum fructum interiorem pietatis, ſed extrinſecus etiam corporis præſentiam & obſequium Deo offerret, cùm aiebat, Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea: in terra inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam, ſic idem quoque nos faciamus: nec enim, hoc quod ad cultum ſpiritualem Dei pertinet, propter Dauid tãtum ſcriptum eſt, ſed propter nos etiam, qui hæc verba, vſque in hodiernum diem in templis noſtris poſt impletas veteres figuras in ſpiritu & veritate Deo canimus.

Dan. c. 6.

Quæ de cultu ſpirituali in Salomone, & Dauid ſcripta ſunt non propter illos tantum, ſed propter nos ſcripta ſunt.

Quomodo conſecratio eccleſiæ neceſſario demonſtretur ex prophetia Aggæi collatis conſequentibus, & ex iis quæ Salomon dixit in conſecratione templi, & quid ſanctus Maximus de eccleſiis dicat, & de ritu multiplici conſecrandi domos Dei ex Iuone Epiſcopo Carnotenſi.

Caput 20.

DEnique, ne vllus iam contradicendi locus relinquatur, eſt prophetia Aggęi clariſſima de noſtris templis Deo ſanctificatis, quæ quidem quandiu Luterani negant eſſe loca orationis, ac cultus ſpiritualis religioſa & Deo conſecrata, nec in eis virtutem & gloriam Dei videre volũt, neque ibi pacem à Deo per remiſſionem peccatorum petere, tam diu neceſſe eſt, non eſſe eos filios prophetarum, & promiſſionis. Hortans ergo propheta Aggæus Iſraëlitas poſt reditum Babylone ad inſtaurationem templi diruti & ædificationem, ac dedi-

Qui ea, quæ per prophetas ſcripta ſunt, & promiſſa de cultu Dei, in templis eius, nõ credũt,

cationem noui tẽpli, vt eſt in libro Eſdræ priore, Quis in vobis, inquit, eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid videtis hanc nunc, quaſi non ſit in oculis veſtris? & nunc confortare Zorobabel dicit Dominus: & confortare Ieſu fili Ioſedec Sacerdos magne: & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite, quoniã ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum. ſpiritus meus erit in medio veſtri, nolite timere. & paulò pòſt Ego, inquit, implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. deinde ſubiungit, Magna erit gloria iſtius domus nouiſſimæ pluſquam primæ dicit Dominus exercituum. & in loco iſto dabo pacem dicit Dominus exercituum. Hunc locum, ne ſine auctore atque interprete & quidem grauiſſimo loquar, interpretans beatus Cyrill. Alexand. in commentariis huius Prophetæ Aggæi, quia, inquit, timebant Iſraëlitæ, ne templum pro dignitate ædificare poſſent, cùm deberet Propheta ad eos confirmandos loqui de illo ipſo templo ſecundo, ad cuius ædificationem hortabatur, quod plus erat, de noſtro templo ἐκ παθητικῶς prophetare maluit: vt ſic eos doceret, in eo ſpem ponere, qui hoc noſtrum templum multo illo admirabiliùs aliquando ædificaturus eſſet. tantò enim, inquit, glorioſiùs eſt templum, quod in aduentu Chriſti extitit, quàm vetus illud, quantò præſtantior eſt cultus ſpiritualis, quàm cultus ex lege Moyſis, & veritas quàm vmbra. præctereà, inquit, in templo tantum hieroſolymitano olim licebat ſacrificare, nec aliud templum erat præterquam illud: at poſt aduentum Chriſti omnia loca plena ſunt templis & eccleſiis: & vt Malachias ait, nunc in omni loco offertur thymiama nomini meo, & ſacrificium mundum, hactenus Cyrill. hoc ergo prophetico teſtimonio Iudæos cogimus, vt deſinant ſomniare aliam templi hieroſolymitani inſtaurationem, quia hæc domus, de qua Aggæus prophetat, neceſſe eſt, vt ſit noſtra: ſiquidem gloria huius nouiſſimæ maior eſt, quàm gloria primæ. at gloria ſecundæ domus non fuit maior, quàm gloria primæ. Etſi enim in ſecunda domo Chriſtus adfuit, tamen quia caro non prodeſt quicquam, ſed potius ſpiri-

non ſunt ſecundum ſpiritũ filii prophetarũ, & promiſſionis.

Eſd. 5.
Agg. 2.

Malach. 1.

tus eſt, qui viuificat, vt Dominus dixit, idcirco gloriam Chriſti ſecunda domus non participauit. Quare cùm ſit hæc noſtra nouiſſima. conſequens neceſſariò eſt, vt poſt eam non ſit alia ædificanda, & dedicanda, alioqui non eſſet nouiſſima. ergo Magdeb. & cæteri Luterani cùm tradunt, loca noſtra, in quibus myſteria celebrantur, eſſe loca profana, & communia, & non ſacra, neque religioſa, neque quæ templo veteri ſucceſſerint, peiores quàm Iudæi videri volunt. De hac eccleſia & domo orationis loquens Euſebius Alexandrinus vetuſtiſſimus auctor, & ad eam frequentandam hortans in homilia de die Dominico, Ne (inquit) eccleſia & oratione te priues. Nihil eccleſia ſublimiùs: cœlo eſt altior: ſole ſplendidior: luna & aſtris nitidior: vniuerſo mundo honoratior. Sed demonſtremus deinceps ex iis, quæ ſequuntur, domum iſtam nouiſſimam, de qua prophetat Aggæus, id eſt, templum Chriſtianorum locum eſſe gloria locum iſtius domus nouiſſimæ, in qua omnia futura eſſent ſpiritualia, quorum vmbræ omnia illius veteris templi fuiſſent vt admoneret, quanta reuerentia, ac religione, tum ipſe locus ſanctus tum ipſius loci vaſa ſancta tractanda eſſent, iuſſit Dominus prophetę, vt duas quæſtiones ſacerdotibus poneret. Interroga, inquit, ſacerdotes legem, ſi accipiat homo carnem ſanctam in ſumma parte pallij ſui, & tetigerit ſummum pallij eius panem aut obſonium, aut vinum, ſi ſanctificabitur? & reſponderunt Sacerdotes, & dixerunt, nequaquam: & dixit Aggæus, ſi tetigerit pollutus in anima de omnibus his, ſi polluetur? & reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt, polluetur. & reſpondit Aggæus, & dixit, ſic populus hic, & ſic gens iſta ante faciem meam, ſiue coram me, dicit Dominus: & ſic omne opus manuum eorum, & quicunque appropinquauerit ibi, polluetur. hunc locum optimè Theodorus Antiochenus in commentariis prophetæ huius interpretans, Voluit, inquit, dicere propheta, quod quemadmodum pallium non poteſt, quia ſanctum tetigerit, aliud quippiam ſanctificare, pollutus verò ſancta tacta polluit, ſic exiſtimare oportet. cùm vos temerè & ſine vlla ratione religionis attrectatis ſancta, vt vaſa, & quæcunque alia ad

Qui tradũt loca Deo conſecrata, in quibus myſteria noui teſtamẽti celebrantur, non eſſe religioſa, ſed cõmunia, Iudæi ſunt, imò peiores.

Demõſtratio ex Aggæi prophetia, quod in nouo teſtamẽto ſit locus Deo conſecratus.

Agg. c. 2.

Theodorus Antiochenus in Aggeum.

Deum pertinent, non ſanctificat vos illorum ſanctitas: ſed potius mores veſtri polluti dedecus & contumeliã inferunt ſanctis, ſiquidem ea non, vt decet, tangitis. vnde, inquit propheta, quicunque appropinquauerit ibi, id eſt, conſecratum tangit, ſi negligenter & per contemptum, ac, non vt decet, appropinquauerit, non ſolùm nullum fructum ex tangendo percipiet, ſed potius polluetur incommodo, & damno accepto. hactenus Theodorus Antiochenus. Si igitur qui ad templum noſtrũ, de quo Aggæus prophetat, vt demonſtratum eſt, indignè ac pollutus accedit, & appropinquat quia ſanctum eſt, polluitur. quomodo negare poſſunt Magdeburg. cũ cæteris Luteranis, eſſe eccleſias noſtras loca ſancta, ſeque pollui, cum in eis, tanquam in locis communibus, & omni religione ſolutis conueniunt? quomodo inquam negare hoc poſſunt, quin ſcripturam prophetiæ huius ſimul negent? nec enim locus ad tergiuerſandũ iſtis relinquitur, vt dicere poſſint, prophetari hic de domo Dei, quę domus ſumus nos, ſicut Apoſtolus ait, qui dixit etiam templum Dei vos eſtis, cũ propheta apertè prophetarit de loco corporali ſanctificato nouiſſimæ domus, ne aliam poſt hac miſeri Iudæi domum expectarent, ad quam accedendum eſſet: & in qua futuræ eſſent oblationes, & verſaturi ſacerdotes. Poſtremò quod Dominus dixit Salomoni de templo, quod idem Salomon ei conſecrauit, elegi enim & ſanctificaui locum iſtum: vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum: & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus: reſpondeant nobis Magdeb. eſt ne impletum in templo Salomonis, vt in æternum ſit ibi nomen Dei? minimè dicent: cùm potiùs ſcriptum ſit à Daniele Propheta, & erit in templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationẽ & finem perſeuerabit deſolatio. neceſſe ergo eſt, vt impleatur in eccleſiis chriſtianorum locis à Deo electis & ſanctificatis iuxta verbum Dei, qui dixit, elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum. in his igitur locis vſque ad conſummationẽ ſæculi manet nomen Dei, cui ſunt conſecratæ eccleſiæ per inuocationem nominis eius: & in quibus virtus, & gloria Dei habitat.

Hebr. c. 3.
2. Cor. 6.

Quod non poſſit accipi prophetia Aggæi de ædificatione domus, quæ ſumus nos, ſed de domo materiata.

3. Reg. 8.

Quod Dominus dixit Salomoni de loco templi, vt ſit nomẽ meũ ibi in ſempiternum, neceſſe eſt, impleri in tẽplis noui teſtamenti.

Dan. 9.

S. Maximus de Eccleſiis cathol.

vnde ſanctus Maximus auctor θεωρητικώτατος & antiquus pater, in libro de eccleſiaſtica myſtagogia hortatur adire eccleſias: & in templo, tanquam in domo orationis, exemplo Apoſtolorum, ac primorum Chriſtianorum perſeuerare, Tum, inquit, διὰ τοὺς ἀγγέλους ἀπογραφομένους ἑκάστοτε τοὺς εἰσιόντας καὶ ἐμφανίζοντας τῷ θεῷ, καὶ τὰς ὑπὲρ αὐτῶν δεήσεις ποιουμένους, καὶ διὰ τὴν ἀοράτως ἀεὶ μὲν παραμένουσαν τοῦ ἁγίου πνεύματος χάριν, ἰδιοτρόπως δὲ μάλιστα κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἁγίας συνάξεως, καὶ ἕκαστον τῶν εὑρισκομένων μεταποιοῦσαν καὶ μετασκευάζουσαν, καὶ ἀληθῶς εἰπεῖν μεταπλάττουσαν ἐπὶ τὸ θειότερον ἀναλόγως αὐτοῖς, καὶ πρὸς τὸ δηλούμενον διὰ τῶν τελουμένων μυστηρίων ἄγουσαν, id eſt, tum propter Angelos qui quotidie deſcribunt eos, qui ingrediuntur in templum: eoſque oſtendunt Deo, & pro eiſdem orant: tum propter gratiam Spiritus ſancti quæ ſemper ibi inuiſibiliter permanet, ac tūc maximè proprio quodam modo, cum ſancta Miſſa celebratur: & ſingulos eorum, qui adſunt, vt cuique cōuenit, ad meliora transfert: & per ea myſteria, quæ fiunt, ad id, quod iis ipſis myſteriis ſignificatur, traducit. Denique de religione ac ſanctitate ædium ſacrarum, quæ à ſanctis Apoſtolis eccleſiæ vocatæ ſunt, inter cæteros patres ex Auguſtini potiſſimum libris & ſermonibus in dedicatione eccleſiæ habitis intelligere poſſunt Magdeburgenſes ex tomo 10. ſerm. 252. de tēpore, qui eſt primus in anniuers. dedic. ſerm 256. qui eſt. 5 in anniu. dedic. itē ſerm. 16. in dedic. ſerm. 255. de tempore, qui eſt 4. in anniu. dedic. item tomo 2. epiſ. 107. ad Vitalem, & epiſ. 187. ad Bonifacium, tomo 5. de ciuit. lib. 1. cap. 4. Dicant ergo nobis Magdeb. qui ritum celebrandi Miſſam in loco conſecrato Apoſtolicum eſſe negant, vnde eum didicit Magnus Conſtant. qui tanto apparatu conuocatis vndique Sacerdotibus dedicationem templi Hieroſolymitani, quod ædificauerat, fieri curauit, vt Theod. lib. 1. cap. trigeſimo teſtatur, in quo (inquit) ipſa ara diuina regiis tapetibus, doniſque aureis, & gemmatis conſpiciebatur ornata. ex quibus, inquam, didicit, conſecrandum eſſe templum, in quo ara diuina ad ſacrificandum poneretur, niſi ex S. Siluestro, & ſanctis patribus ſynodi Nicenæ? & illi ruſus vnde didicerunt

De fructu, & vtilitate orandi in Eccleſia ex S. Maximo.

omnem locum, regionem & ciuitatem tam Græcam, quàm barbaram diuinorum templorum conſecrationibus implere, vt eſt in Panegyrico coram Paulino Tyriorum epiſcopo habito, & ab Euſebio deſcripto lib. decimo hiſtoriæ ſuæ cap. quarto. vnde inquam, didicerunt, niſi ex illa Apoſtolica traditione, cui Clemens in Epiſt. tertia teſtimonium tribuit? imò ipſi etiam Ariani contra Lutheranos pro Apoſtolica conſuetudine conſecrationis Eccleſiarum teſtimonium dicunt, qui beatum Athanaſium apud Conſtantium Imperatorem, quod in Eccleſia magna nondum conſecrata ſynaxes celebraſſet, calumniabantur, nunquam hoc facturi, niſi ingens crimen, & aliquid contra ſolennem Apoſtolorum traditionem commiſſam fuiſſe videretur. Quod quidem non ita beatus Athanaſius excuſauit, quaſi id vtcunque liceret, ſed quod propter anguſtiam aliarum eccleſiarum, & nimiam populi frequentiam ſumma neceſſitas, & ingens metus periculi facere coegiſſet, ſic enim in apologia ad Conſtantium ait, crede mihi imperator, & in eam rem teſtem veritatem ipſam accipe, in ſynaxibus Pentecoſtes ob multitudinem populorum, & in locis anguſtis plurimos pueros, neque paucas puellas, & anniculas complures, & adoleſcentes permultos afflictos iacuiſſe, & domum delatos eſſe. cũ igitur Eccleſiæ paucæ paruæq; eſſent, magnóque tumultu poſceretur, vt in magna Eccleſia ſynaxes celebrarentur, atq; ibidẽ preces pro ſalute Imperatoris adhiberentur, dicit ſe, quo ad potuerit, reſtitiſſe: cũ autẽ nihil proficeret, ſatius iudicaſſe, in Eccleſia nondum dedicata ſynaxes permittere, quam in deſertis locis, & ſub dio extra ciuitatem. Item quanta eſſet religio conſecrationis Eccleſiæ intellexit religioſus & eruditus auctor Ennodius Ticinenſis, qui ante annos mille ad Maximum Epiſcopum, qui eccleſiam conſecrauerat, ſic ſcripſit, laudibus conſecrationẽ celebrans, de æde, inquit, ſacramentum: de terrena habitatione cœleſte collegium: de manufactis quæ nulla poſſit ſenectute violari, (occaſum enim deo oblata non ſentiunt, nec ad vetuſtatẽ tremulam pietate fulta mittuntur) ſtat ſoliditas machinæ, quam Chriſtus ingreditur: & originariæ oblita fra-

gilitatis adipiſcitur de poſſeſſore virtutem. Tecta vilia de conſecrãdis nobilitate decorantur, dum rei caducæ precium tribuitur habere de domino. Iam verò de actu ipſo conſecrationis, qui multiplici cerimonia ſymbolica plenus eſt, cuiuſmodi ſit, & ea an ab Apoſtolis ſanctis traditus, nunquam profectò Magdeb. dubitandum eſſe putarent, ſi eccleſias ipſas loca ſancta & religioſa eſſe concederent: ſed qui hoc poſteriùs, quod latiùs patet, negant, conſequens eſt, vt illud prius quoque negent. Sed loca eſſe religioſa, ac ſanctificata, vt ſatis fortaſſis hactenus demonſtratum eſt iis præſertim, qui ſcripturas ſanctas, & earum virtutem ignorare nolunt: ſic illa multiplex cerimonia ritus conſecrationis, vt omittam veterum patrum, ac Pontificum auctoritatem, tametſi, vt diuinus Dionyſius de aliis ſimilibus ſymbolis eccleſiaſticis à S. Apoſtolis traditis dicere ſolet, nihil diuinius haberet præter id, quod ſymbolicè & in ænigmate ſcripturis ſanctis familiari docet, tamen eſſet omni reuerentia ac veneratione, & cultura digna. Recitabo ergo ex multis pauca ab Iuone Carnotenſi graui auctore peritè & ſcienter in libro de ſacramentis dedicationis explicata. Differẽs igitur de duodecim circum luminibus cum totidem nominibus Apoſtolorũ, quæ ad dedicationem myſticè adhibentur, iſti ſunt inquit, qui vt alios ardere charitate docerent, & verbo ſplendere, prius linguas accepere igneas, vt inſinuaretur, & amore feruere, & verbo lucere. dum ergo in circuitu domus dedicandæ duodecim fulgent nomina, demonſtratur quod in ea prædicanda ſit lucens & ardens apoſtolica doctrina. & paulo poſt quærit, quare ter ſuper liminare percutitur, & pax huic domui dicitur, & quę ſequuntur, accenſis, inquit, candelis mos eſt, Pontificem ad oſtium accedere baſilicæ clero & populo ſubſequente & percutere liminare cum virga, & cãtare antiphonam, Tollite portas, &c. & hæc quidem, inquit, nequaquam, vt pueris aut puerіliter intelligentibus videtur, quaſi ludus accipienda ſunt: ſed ſubtiliter diſcutiendum. quare ita à veteribus inſtituta ſunt. hæc nanque & alia per doctrinam Apoſtolorum, eorumque diſcipulorum ad nos credimus deuoluta. ſcimus

Iuo Carnoten. de cerimoniis conſecrationis eccleſiæ.

Theoria ſpiritualis eorũ quæ ad conſecrationem eccleſiæ adhibentur.

mus autem ſacros Pontifices Domini noſtri Ieſu Chriſti geſtare perſonam, ſicut eis ipſe dixit. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: itemque qui vos audit, me audit, &c. Et Beatus Paulus, Pro Chriſto, inquit, legatione fungimur. Virga autem Sacerdotis poteſtas intelligitur ſacerdotalis, quam eis contulit, cùm Apoſtolos ad prædicationem mittens, nihil aliud eis ferre permiſit niſi virgam tantum, ſicut euangelium dicit. quia virga Sancti ſacerdotes & ſolantur humiles, & terrent ſuperbos, ac feriunt pœnitētes. eadem virga eſt recurua, quæ ſolicitudinem & pietatem præfigurat compaſſionis. ne enim aliqua ouium aberret, habena præcepti, & charitate vtuntur affectionis, imitantes eum, qui per prophetam olim clamabat, conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras: & per euangelium ſalubriter ac piè dicēs, Venite ad me omnes, qui laboratis &c. quam poteſtatem à patre filius accepit, cum cœleſtium ac terreſtrium & infernorum dominatum promeruit. & paulò poſt, Eandem ergo poteſtatem Saluator ſuis largitur præſulibus, cùm Petro, & in eo eccleſiæ principibus poteſtatem ſuam largitur dicendo, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: Et quodcunque ligaueris, &c. Cui ergo portæ inferi non præualebunt, & ei ligandi atque ſoluendi in cœlo, & in terra ſimul priuilegium traditur, conſtat nimirum, quia is cœlo & terræ & inferno principetur. cùm ergo Pontifex virga ſua ſuper liminare futuræ eccleſiæ ter percutit, oſtendit, quod ſibi & cœli & terræ & inferni poteſtas cedit. Deinde quærit rurſus, quid ſignificet, quod alphabetum ſcribitur in pauimento domus conſecrandæ. his inquit, ritè completis, incipit Pontifex à ſiniſtro angulo ab Oriente ſcribere per pauimentum alphabetum vſque in dextrum angulum Occidentis: atque iterum ſimiliter à dextro angulo Orientis, vſque ad ſiniſtrum Occidentis. quæ res puerilis, inquit, ludus videretur, niſi à magnis & ſpiritualibus, vtpote Apoſtolicis viris inſtitutus eſſe crederetur. atque ideo tantò magis ſacratiùs, quid in tali facto ſit reconditum, requirendum eſt, quantò minus non intelligentibus vile videri poteſt. & paulò pòſt Alphabeti ergo ordinem ſub certæ ſignifi-

2. Cor. 5.

Hier. 3.

Matt. 11.

De ſtudio maiore adhibendo ad intelligendū

ea, quæ non intellecta vilia videntur.

Heb.5.

cationis myſterio deſcribit. quid autem per Alphabetum niſi initia, & rudimenta doctrinæ ſacræ intelligi conuenit? Vnde & Paulus Hebræis exprobrans dicit, etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſus indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa ſermonum Dei.ſcribit ergo Pontifex alphabeti ordinem,cum fidei docet ſimplicitatem,& dicit cum Paulo Apoſtolo,lac vobis potum dedi: ſicut enim paruulorũ eruditioni congruit primum litterarum elementa cognoſcere,deinde ad ſyllabas,poſteà ad verba,paulatim ad ſentẽtiarum cognitionem progredi,ſic quidam gradus ſunt intellectus in familia ſanctæ Eccleſiæ: quorũ primus eſt eorum,qui ſimpliciter viuentes, non tamen ad robur doctrinæ proficientes, quaſi primis elementis contenti ſunt.Sed quomodo eadem elementa ſcribi debeant,attendamus:ac primum ſciendum, quod anguli Baſilicæ 4.deſignant plagas mundi, ad quas peruenit doctrina eccleſiaſtica, quæ per litteras ſignificatur in terra deſcriptas, quod autem alphabetum ibidẽ deſcribitur, prædicatio euangelij ſimplex & pura inſinuatur:in alphabeto enim nihil duplicitatis,nihil falſitatis incurrit, quia euangelica puritas nihil fucatum, nihil appetit falſum,ſed ſimpliciveritate ſubnixà externam prorſus renuit falſitatem. quod autem ab angulo orientali,ſicut dictum eſt, quia in tali ſchemate crux figuratur, vt doctrinæ Euangelicæ mors Chriſti ſemper inſeratur in crucis enim effigie litteræ figurantur, cum ſimplicibus quibuſque mors Chriſti ſimpliciter innuitur. Vnde Paulus quibuſdam talibus ait,nihil aliud iudicaui me ſcire inter vos niſi Chriſtum crucifixum. Hactenus Iuo auctor ſui ſæculi in eccleſiaſtica diſciplina peritiſſimus. Huiuſmodi ſunt, id eſt ſpiritualia & plena doctrinæ myſticæ ſalutaris, & euãgelicæ cætera omnia,quæ in conſecratiõne templorum,ſicut eccleſię catholicæ traditum eſt,fiunt.quæ ſi Magdeb. centuriatores more ſuo negare pergant, quia nõ ſint in ſanctis ſcripturis,quamuis ſint Apoſtolica, ſiquidem multa Apoſtoli ſine ſcripto per ſermonem ſolum tradiderũt, vt Apoſt,Paulus de ſe in Epiſt.ad Theſſ.2.teſtatur, at eſſe eccleſias Chriſtianorum domos Deo cõſecratas & ſan-

ctificatas, negare iam non poſſunt, quin ſcripturas ſanctas ſimul negent. quod ſatis hactenus, vt opinor, demonſtratum eſt. Quod vero in eccleſiis neque Miſſas celebrare, imò nec aliud quid ſacri miniſterij ſine auctoritate & permiſſu Epiſcopi proprii presbyteris aut diaconis liceat, quia hoc quoque centuriatores notarunt, fortaſſe quia hoc eis contra libertatem Chriſtianam fieri videatur, cuius ſe defenſores profitētur alioqui ſub ſpecie libertatis velamen habentes malitiæ, ne quid diſſimulaſſe videamur, ſciant id canone Apoſtolorum 3 . ſancitum eſſe imò à Paulo Apoſtolo per epiſtolam præcipi, cum præcipit, vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis, inquit, id eſt, in eccleſia: de iis enim loquebatur, quæ in eccleſia fiebant. quæ verò honeſti ratio, aut ordinis eſſe poſſit, ſi ſacrarum rerum adminiſtratio non ex epiſcopo, qui eccleſiæ præeſt, pendeat. ratio, & natura ipſa homines ſani capitis ſatis docere poteſt. idcirco Synodus Gangrenſis paulò pòſt Nicenam habita, quaſi interpretans, quid eſſet honeſtè, & ſecundum ordinem omnia in eccleſia fieri, ſic extremum canonem concluſit, & omnia (vt ſummatim dicamus) quæ à ſanctis ſcripturis, & ſanctis Apoſtolis tradita ſunt, fieri in eccleſia optamus. Quare cùm hoc canon Apoſtolorum iubeat, vt nihil presbyter, aut diaconus præter ſententiam ac voluntatem Epiſcopi faciat, ipſe enim (innuit) eſt, cui populus Domini commiſſus eſt, & à quo repoſcenda eſt ratio animarum, conſequens eſt, vt ſi quid contra hanc traditionem Apoſtolicam fiat, contra honeſtatem, & ordinem in eccleſia fiat, ac proinde contra ſcripturam Pauli ſit. nunc ad reliqua pergamus.

Nihil in eccleſia presbyteris aut diaconis ſine auctoritate epiſc. licere non ſolum apoſtolica traditione canone ſancita, ſed ſcriptura Pauli docet.

De impoſitione libri aperti Euangeliorũ ſuper caput eius, qui ordinatur Epiſc. quam Magd. accuſant, qui auctores Apoſtolici meminerunt: & quid in ænigmate ſignificet auctore Dionyſio. & quomodo ipſa ſignificatio, ac Theoria ſatis declaret Apoſtolicæ traditionis eſſe hunc ritum: & quomodo naturæ & ſcripturæ repugnet, qui eũ negat. & quomodo Luterani ſint contentioſi, dũ conſuetudines eccleſiæ negant. & quid hoc verbum contentioſi ſignificet ex Philonis obſeruatione. item quãdo Apoſtoli ordinati ſunt

Epiſcopi, & quid in eorum ordinatione fuerit loco libri euangeliorum aperti ſuper caput eorum impoſiti.

Cap. 21.

NOtarunt deinceps Magdeb. in his epiſt. veterum & Apoſtolicorum Pōtificum ad earum auctoritatem negandam, quod præcipiat S. Anacletus, vt in ordinatione Epiſcopi Euangelia ſuper caput eius imponant.]

At verò tametſi ſolus Anacletus hoc præcepiſſet, tamen dignus erat, cui vel ſoli crederent, fuiſſe illo sæculo hunc ordinandi ritum, quem negant: nunc autem cum Clemens libro 8. cap. 4. item diuinus Dionyſius in eccleſiaſtica hierarchia cap. 5 duo antiquiſſimi & Apoſtolici auctores hunc ritum ordinandi atteſtentur, quis iam ſanæ mentis verbum, quod in ore trium Apoſtolicorum teſtium ſtat, propter Magdeburgenſium ſine vlla ratione, aut veterum patrum auctoritate, loquentium temeritatem, & intemperiem neget? Sed videamus, quæ ſit ratio imponendi Euangelia ſuper caput Epiſcopi, cum ordinatur, vt vel ex ipſa ratione intelligi poſſit, quam ſit à ratione & pietate alienum, hunc ſanctiſſimum ritum contemnere vel negare. habet Epiſcopus, inquit Dionyſius, ſacratiſſima eloquia Dei ſuper caput impoſita. etenim quia poteſtas ac ſciētia perficiendi omnem rationem ſacrorum ſanctis Epiſcopis, munere Dei omnium ſacramentorum præſidis tribuitur, merito ſuper eorū capita eloquia à Deo tradita imponuntur, quibus comprehenſa ſunt, & vnde pateſiunt omnis theologia, & diuina operatio miraculorum, apparitionis diuinitatis, ſermones Chriſti, operationes ſacramentorum: &, vt vno verbo dicam, omnia opera & verba diuina noſtræ hierarchiæ à Deo donata: complexus eſt ſummatim omnem materiam Euangeliorum. Deinde, vt totam rationem impoſitionis Euangeliorū ſuper caput epiſcopi abſolueret, ſubiunxit, quippe cum Epiſcopus ad ſimilitudinem Dei, cuius imaginē gerit, omnem quidem poteſtatem hierarchicam integre participaturus, omnium verò ſermonum & ſacrarum operationum ſcientiam non ſolùm ipſe inſtar luminis per-

Quàm temerarium ſit credere Magdeburgenſibus ſine vlla veterum auctoritate loquentibus contra teſtimoniū trium teſtiū Apoſtolic.

Quæ ſit ratio imponendi euāgelia ſuper caput Epiſc., cum ordinatur, ex Dionyſio.

cepturus, ſed cùm aliis excellenter, vt Epiſcopo conuenit, communicaturus ſit. Quæ poterat eſſe diuinior ratio huiuſmodi impoſitionis Euangeliorum ſuper caput Epiſcopi, cùm ordinatur? aut quis, cùm eam contempletur, non ſtatim diuinam eſſe intelligat, & Apoſtolorum traditione dignam? quo enim alio ſigno, niſi hoc ita aptè, & appoſitè atque diuinè ſignificari poterat, quod is, qui tunc ordinatur, accipiat integrè poteſtatem hierarchiæ, id eſt, Epiſcopi, qui eſt in ſummo & principe gradu ſacerdotij: ſicut omnium ſenſuum poteſtas in capite, velut in arce locata eſt: quódque omnium, quæ in Euangeliis continentur, ſacramentorum ac ſacrorum verborum ſcientiam cum aliis communicaturus ſit, vt caput cum reliquo corpore omnium ſenſuum vſum communicat, vt cuique parti conuenit: denique quod ad Epiſcopum in primis pertineat anagogicos ſenſus explicare, qui in ſacramentorum, & aliarum rerum ſignis ſacris latent, qui nos ad cœleſtia illa, ac diuina referunt, quæ ſunt inſtar capitis ſupra cætera omnia, imò vt hic Apoſtolum imitemur, an ipſa natura capitis non docet, quod ad docendum ſymbolicè, quæ eſt ſcripturæ ſanctæ, & Chriſti atque diſcipulorum eius frequens conſuetudo, ea quæ diuinus Dionyſius deſcripſit, nihil accõmodatiùs eſſe poterat, quã Euangeliorum ſuper caput Epiſcopi impoſitio? cur igitur naturæ repugnatis, & rationi docendi, quæ ſic naturam & ſcripturam ſecuta eſt? imò, quòd magis mirandum eſt, cur omnium eccleſiarum conſuetudini repugnatis, cuius tanta eſt auctoritas, vt vel propter eam ſolam omni contentioni cedendum eſſe Apoſtolus doceat, & præcipiat. niſi quis ita tardus ſit, vt quod dixit Apoſtolus, Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia Dei, de eo tantum dixiſſe putet, quod ipſa etiam natura docente & adſtipulante præcipiebat, nè mulier in eccleſia non velato capite oraret: quaſi nulla eiuſmodi alia cõtentio vnquam in eccleſia futura eſſet. quod ſi futura erat, cur non valeat, & valere voluerit Apoſtolus, quod hic voluit, ſi de ſimilibus, vt natura & ratio poſtulat ſimiliter iudicãdum ſit? hæc igitur eſt & fuit ſemper om-

Quod naturæ & ſcripturæ repugnẽt, qui impoſitionem libri Euangeliorum ſuper caput Epiſc. cum ordinatur, negant.

Quanta ſit auctoritas conſuetudinis omniũ eccleſiarum ſecundũ Apoſt. 1.Cor.11.

Quod Apoſt. de conſuetudine omnium eccle. in vna re dixit, idem in ceteris ſimilibus valere voluit.

Deut. 5. 21.

Quid ſit contentioſum eſſe, ex Philone.

nium eccleſiarum Orientis, & Occidentis conſuetudo ordinare Epiſcopos cum impoſitione Euangeliorum ſuper caput: cui conſuetudini non ſolùm non obediũt Luterani, ſed, quod longè grauiùs eſt, accuſant, & inſectantur eam vt contentioſi huius enim vim verbi explicauit Philon Alexandrinus in libro de ebrietate, cùm ait Peiorem eſſe non obediente contẽtioſum: ſicut ſcriptum eſt, inquit in lege ſi filij non obedient, & contendent Sic ille legit ſecundum 70. contendere enim ait Philon, non ſolum eſſe non obedire, ſed contraria facere: vt qui non honorat parentes, eſt, inquit, ἀπειθὴς, id eſt, non obediens: qui dedecore etiam eos afficit, eſt φιλόνεικος id eſt contentioſus. item qui non defendit patriam propter ignauiam non obedit: qui etiam prodit, contentioſus Huiuſmodi ergo ſunt Magdeburgenſes, qui non contenti non obedire Epiſcopis noſtris Catholicis, neque habere Epiſcopos catholicè ordinatos, etiam ordinationes ipſas Epiſcoporum à Chriſto inſtitutas ab Apoſtolis Sanctis traditas, omnium eccleſiarum orientis & occidentis conſuetudine iam inde à principio celebratas, & à grauiſſimis & antiquiſſimis auctoribus litteris proditas tanto odio proſequuntur, tam rabioſè inſectantur, vt non vereantur ea ſcripta negare, in quibus eas legunt. Quod enim in Epiſ 2. Anacleti fecerunt, idem quoque fortaſſe facturi ſunt in Dionyſio & in libris Clem. Rom. de Apoſtolicis conſtitutionibus. Sed quid mirum eſt, ſi conſuetudines eccleſiarum Catholicarum negant. cùm magis mirum eſſet, ſi non negarent? quod ſatis intelligi poteſt ex iis, quæ Tertullia. in libro de velandis virginibus ſcripſit. Non poſſumus, inquit, reſpuere conſuetudinem, quam damnare non poſſumus, vt pote non extraneam: quia non extraneorum, cum quibus ſcilicet communicamus ius pacis. & nomen fraternitatis. vna nobis & illis fides, vnus Deus. ſemel dixerim, vna eccleſia ſumus: ita noſtrum eſt, quodcunque noſtrorum eſt. cùm igitur Luterani & Magdeb eorum magiſtri nobiſcum ius pacis non communicent, nec vna illorum, & noſtra ſit fides, nec vna eccleſia, conſequens erat, vt ordinationes etiam noſtrorum Epiſcoporum negarent, imò, ſemel

Quod ſecundũ vim verbi contentioſi à Philone notatã Mag. ſint propriè cõtentioſi.

Cur non ſit mirum, quod Luterani conſuetudines eccle. catholic. negant.

Tertul. de cõſuetudinibus eccle.

Quod conſilio dei factũ ſit, vt infinita contra diſciplinam Luteranorũ Magdeburgenſes in libris veterum notarint, quæ quia aliter elu-

dixerim, negent omnia ſcripta, in quibus noſtra legunt: & ea tantum retineant, in quibus legunt ſua, id eſt, habeant tantum libros Martini Luteri. Centurias verò Magdeburgenſium ne legant Luterani, quia in eis, quod Dei conſilio factum eſt, infinita legent noſtra, quæ illi in magnis & vetuſtiſſimis auctoribus ad confuſionem ſuam repererunt: quæ quia aliter eludere nõ poterãt, cùm ſe põdere auctoritatis magnorũ auctorũ premi ſentirent, aut næuos eſſe dixerũt, aut ſcripta veterũ negarunt. hoc enim perfugiũ ſibi ſuaſore Diabolo reliquerunt. Sed quo magis adhuc redarguãtur, & impoſitionẽ Euangel. ſuper caput Epiſc. Apoſtolicã eſſe vel inuiti credant, & confiteantur, ediſſerant nobis, ſi poſſunt, quid illæ linguæ igneæ ſignificarunt, quæ ſupra ſingulorum Apoſtolorum capita in die Penteco ſtes apparuerunt? cùm Apoſtoli, vt beatus Hieronymus in dialogo orthodoxi & Luciferiani teſtatur, ordinati ſunt Epiſcopi, & ante eum Dionyſius Areopagita vt alios nunc omittam, quid inquam aliud ſignificarunt, quàm id ipſum, quod iidem Apoſtoli, vt ſupra explicaui, per impoſitionem libri aperti Euangeliorum ſuper caput Epiſcopi ſignificari voluerunt? libri enim clauſi ſunt linguæ tacentes: & linguæ loquentes ſunt libri aperti. fuerunt itaque linguæ illæ vice Euangeliorum, quæ aperta imponuntur ſuper caput Epiſcopi, qui ea prædicaturus eſt, vt ait Sanctus Anacletus: hoc enim ſignificat apertio libri, quam Clemens lib. 8. tradit. Vnde Ammonius Alexandrinus in Comm. act. apoſtol. quia Apoſtoli, inquit, ἐχειροτονοῦντο τῆς οἰκουμένης διδάσκαλοι, id eſt, quia ordinabantur magiſtri orbis Apoſtoli huiuſmodi verò ordinatio non fit niſi in capite, idcirco meritò ſuper caput linguas receperunt: & hac etiam de cauſa chariſma linguarum ante alia chariſmata eis donatum eſt. hactenus Ammonius. quod autem ſpecie ignis apparuerunt linguæ, ſignificabat in ænigmate Euangelium, ad quod annunciandum Dominus in terram venerat, & quod erant Apoſtoli prędicaturi, operari inſtar ignis, qui materiam præparatam in ignẽ ſui ſimilem mutat. ita vt qui fuerint gratia Spiritus S. præparati, non auditores tantum,

dere non poterat, aut næuos eſſe dixerũt: aut ab illis ſcripta negarunt.

Acto. 2.

Quod illæ linguæ igneæ ſuper capita Apoſt. cũ ordinati ſunt Epiſc. fuerunt vice Euãgeliorum quæ imponuntur aperta ſuper caput Epiſc. cum ordinatur.

Conſtitutio Apoſtol. de apertione libri Euãgeliorum ſuper caput Epiſ.

ſed factores verbi ſint, taléſque exiſtant, quales docet eſſe Euangelium, quod eſt ſimiles Euangelio fieri. de hoc igne Euangelico aiebat Dominus, ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? ſed hactenus de impoſitione Euangeliorum ſuper caput Epiſcopi, cùm ordinatur, quam Magdeb. vt nouam explodunt, à ſerpente deluſi: qui vt Chriſtum odit, & inſectatur, ſic quoque ordinationem Epiſcopi, qui Chriſti imaginem gerit, & perſonam eius repræſentat, vna cum impoſitione Euangelij, quod prædicaturus eſt, odit, & cum oleo chriſmatis, quo caput eius vngitur, quod eſt Spiritus S. ſymbolum. Sed iam finem huic libro ſecundo imponamus, vt pauliſper reſpirantes tertium aggrediamur.

Franciſci Turriani Societatis IESV,

Aduerſus Magdeburgenſes Centuriatores pro Epiſtolis decretalibus Pontificum Apoſtolicorum,

LIBER TERTIVS.

POSTQVAM ea, quæ hactenus in epiſtolas à Magdeburgēſibus obiecta ſunt, quantum ſatis eſſe viſum eſt, ſuperiore libro refellimus, pergendū nobis eſt Reuerendiſſime Staniſlae Hoſi, ad reliqua hoc tertio libro refellenda, ex quibus illa erunt prima, quæ iſti opponunt decreto de appellationibus ad Pontificem Romanum, quod in his epiſtolis, quas negant, frequens eſt. & ex omnibus, quæ in iis ipſis epiſtolis oderunt, caput eis infeſtiſſimū, & valde inuidioſum. Vt enim Chriſtus lapis electus, & petra in Sion poſita, Iudæis eſt petra ſcandali, ſic vicarius Chriſti, ſucceſſor beati Petri, & eccleſiæ petra, nouis hæreticis petra quoque ſcandali eſt. & ſicut Iudæi, quos τερατοσκόπους vocauit Zacharias, id eſt, ſpectatores portentorum, quia non credunt Chriſtum veniſſe, *Zach. c. 3.* ſigna adhuc, vt olim, petūt, (velle enim videre Sapphiros Eſaiæ in fundamento terreſtris Hieruſalem, & Iaſpides in propugnaculis, item ædificari eam à quibus *Eſ. c. 45.* deſtructa eſt, tum reges gentium miniſtrare illi, dilata-

re locum, & ad dextrã, atque læuam penetrare, & dominari gentibus, & cætera eiuſmodi, quæ in Hieruſalem cœleſti Eccleſia catholica impleta ſunt, hæc inquã velle videre in monte tractabili Sion, quid aliud eſt quàm ſignum petere?) Sic noui Hæretici, quia ſe totos in fontem, vnde hæreſes, & ſchiſmata orta ſunt, immerſerunt, qui non ſolum iudicio Eccleſiæ ſubiici nolunt, quod eſt alioqui omnium hęreticorum commune, & vnde ſuo proprio iudicio, ſicut apoſtolus ait, cõdemnati ſunt, ſed neque credere volunt eſſe vnum in Eccleſia, qui, vt ait Cyprianus, ad tempus iudex vice Chriſti ſit, idcirco ſignum quoque petunt. quid enim aliud eſt, quam ſignum petere, quia non credunt, quod Chriſtus ore ſuo tamen apertè beato Petro dixit, cum ſuper eum Eccleſiam ſuam ædificauit, velle, vt oſtẽdamus eis Pontificem Romanum beati Petri ſucceſſorẽ præfuiſſe ſemper in omnibus locis, ac regionibus: & præeſſe modo? Sic enim ait Lutherus auctor, & dux Germanici ſchiſmatis in aſſertione 25. Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, nõ eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes mundi eccleſias ab ipſo Chriſto in beato Petro inſtitutus. deinde ſubiungit, hunc articulum faciliimè probo per experientiam, nunquam fuit ſuper omnes eccleſias totius mundi Romanus Pontifex: ſed nec adhuc eſt, nec vmquam in futurũ erit, vt ſpero: nec enim ſuper eccleſias Græciæ, Indiæ, Perſidis, Aegypti, Africæ vnquam fuit, nec adhuc eſt. Hæc ille, quod nihil aliud eſſe videtur, quàm ſignum petere: viſus enim eſt mihi dicere, vis, credam eſſe Pontificem vniuerſalem? fac videam fuiſſe antea, & eſſe nunc ei omnes eccleſias ſubiectas. Verum vt Iudæis licet nũquam credant, ſemper tamen ex lege, ex prophetis, ex ipſo exitu rerum, atque experientia Chriſtum veniſſe, & hunc eſſe demonſtramus, & ſigna, quæ petunt, oſtendimus, & ſi iuxta prophetiam Eſaiæ videntes non perſpiciunt, & aure audientes non intelligũt, ſi noui hæreticis, licet in cœca, & obſtinata dementia permaneant, vt de aliis ſimilibus beatus Cyprianus ait, nos tamen ex verbo Dei, ex magnis conciliis, ex ſanctorum, & antiquorum patrum grauiſſimis teſtimoniis eſſe eccleſiam ſuper bea-

tum Petrum auctoritate Chriſti Dei noſtri fundatam, & ſucceſſorem eius Pontificem Romanum caput eccleſiæ ſemper fuiſſe probamus. Fecerunt iam hoc permulti, ſcriptis de ea re libris doctiſſimis, ad quod iſti nihil hactenus reſpondeat cõſcientia conuicti: & melius eſſe iudicantes ſilere, quàm nihil reſpondere. Signum verè, quod Lutherus iſtorum propheta, & dux petit, quod ille experientiam vocat, ipſe profecto oculis ſuis vidiſſet, ſi quæ ſit, & dicatur Eccleſia, intellexiſſet: eſt enim eccleſia vt beatus Cyprianus ad Corneliũ pontificem ſcripſit) plebs Epiſcopo ſuo adunata, vnde Pontifex Romanus ſemper fuit, vt nunc quoque eſt, ſuper omnes mundi eccleſias, quæcunque cum cathedra Romana adunatæ & cohærẽtes ſunt. aut oſtendãt hæretici aliquam in cuncto orbe ab vnitate eccleſiæ vniuerſalis quæ ab vno eius capite ducitur, non diuulſam, ſuper quã non fuerit aut non ſit nunc pont. Romanus. alij enim Epiſcopi ſingularũ eccleſiarũ non ſic ſunt Epiſcopi ſuper alias eccleſias, quæ cum eorũ eccleſiis, tanquam pars cum parte in eodẽ corpore cohærent: ſed illa tãtum quiſque eorũ iuxta canonẽ Apoſt. 34 agit. quæ ad ſuã eccleſiam, & ad loca eccleſiæ ſuæ ſubiecta pertinent. Lutherus verò cum dicit, Nec enim fuit pontifex Romanus ſuper eccleſias Græciæ, Indiæ, Perſidis, Aegypti, Africæ, nec adhuc eſt, plebes non cum eo Epiſcopo cohærentes, vnde incipit eccleſiæ catholicæ vnitas, eccleſias eſſe putabat, & dicebat: ſuper quas non magis poteſt eſſe Pontifex Romanus, quandiu ſic ſunt, quàm poteſt eſſe caput humani corporis ſuper membra à corpore abſciſſa. an poteſt dicere caput pedi à corpore abſciſſo meus pes? aut dicet manus auulſa capiti in ſuo corpore hærenti, meum caput? vnde qui dixit, Erit vnũ ouile, & vnus paſtor, prius dixit, Alias oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili. & illas oportet me adducere: vt diſcamus ſcilicet oportere paſtorẽ ſolicitũ eſſe, & dare operam, vt oues ad gregem ſuũ, non prius adductas adducat: aut à grege abductas, vel ſponte egreſſas reducat. & niſi prius adductæ ſint, vel reductæ, eſſe illas quidem oues diſperſas, ac ſine paſtore, & non ποίμνιον, id eſt, grægem: eſt enim

ποίμνιον τοῦ ποιμένος id eſt grex paſtoris, & paſtor gregis. idcirco, poſtquam dixit, & illas opportet me adducere, ſubiunxit, & erit vnus grex ſiue vnum ouile, & vnus paſtor. grex ergo fidelium vniuerſus ad vnum paſtorem relatus vna eccleſia eſt, ſuper quam eſt Epiſcopus Rom. vt paſtor ſuper gregem ſuper eas verò plebes, quæ ſegregatæ ſunt ab Eccleſiæ vnitate, quæ eccleſiæ non ſunt, neque dici poſſunt, non magis Epiſcopus eſt, quàm paſtor eſt aliquis ſuper oues alienas, & alienorum. Quare repugnantia eſt in eo, quod ait Lutherus, nunquã fuiſſe ſuper omnes eccleſias mundi pontificem Romanum: quaſi paſtor vnus poſſit eſſe non vnius gregis paſtor contra ſententiam Domini, qui dixit, erit vnus grex, & vnus paſtor: aut vnus grex poſſit eſſe non vnius paſtoris. Illud verò, Nec vnquam in futurum erit, quomodo probat prophetia Lutherus? vt ſpero, inquit, quis vnquam Propheta prophetiam ſuam, non auctoritate Dei, ſed argumento ſpei ſuæ probauit? non enim dixit, nec in futurum erit, vt dicit Dominus: ſed, vt ſpero. nõ potuit manifeſtius declarare, quo ſpiritu prophetaret hoc, nempe ſpiritu odij, & inuidiæ. Quia enim oderat eccleſiam Rom. & eius Epiſcopum vniuerſalem, idcirco tanquam vnus ex diuinis, & Pythonibus, qui, ſicut ait propheta Eſaias, in incantationibus ſtrident dentibus ſuis, prophetauit propheta Germanicus Luteranorum, nunquam futurum eſſe, vt eſſet Pontifex Romanus ſuper omnes eccleſias.

Reſponſio ad id, quod obiicitur contra decretum de appellationibus ad ſedem Apoſtolicam, quemadmodum illi ſæculo Põtificum Apoſtolicorum, & veritati, quod Magd. negant, congrueret: & quomodo de falſitate redarguatur, quod iidem finxerunt, refutatum eſſe Primatum Pont. Rom. in Synodo Carthaginenſi. Quomodo intelligendum ſit, quod eſt in Synodo Carth. ne Epiſcopus primæ ſedis appelletur vniuerſalis, & quare Africani decretum de appellationibus recipere nolebant quamuis primatum concederent. Caput I.

SEd tempus eſt iam, vt inſtitutum proſequentes, ad ea, quæ in decretum de appellationibus obiiciunt, reſpondeamus. recitemúſque illud prius ex epiſtola ſecunda Sixti pontificis, quod ex eo magis intelligi poſſit, quemadmodum illi tempori & veritati congrueret, quod Magdeburg. negant, quod quidem in cauſa fuiſſe ſuſpicor, cur aſtuti iſti, cum diligenter & nominatim meminiſſent, in quorum Pōtificum epiſtolis eſſet decretum de ſumma poteſtate Pontificis, ad quam decretum de appellationibus ſpectat, vt Anacleti, Alexandri, Pii, Aniceti, Victoris, Sixtum tamen, qui Alexandrum ſecutus eſt, & Piū anteceſſit, prætererunt. Ergo is epiſt. 2. ſi quis veſtrum, inquit, pulſatus fuerit aliqua aduerſitate, licenter hanc ſanctam & Apoſtolicam appellet ſedem, vt ad eā, quaſi ad caput ſuffugium habeat, ne innocens damnetur: aut eccleſia ſua detrimentum patiatur. ſi autem ei neceſſe fuerit, eamq́ue appellare minimè auſus fuerit, & vocatus tamen à ſancta ſede fuerit, non renuat venire: ſed cōfeſtim, vt ei nunciatum fuerit, venire feſtinet & cauſas, pro quibus vocatus eſt, prudenter diſponat, atque ſi neceſſe aliquid corrigere fuerit, cum iis quos hic primos inuenerit, corrigat. hactenus ſanctus Sixtus. Hic verò Magdeburgenſes, qui eccleſiam Rom. inſectantur, & eam caput eccleſiarum eſſe negant, vt eis dignū erat, decretum de appellatione ad ſedem Rom. inter illa decreta referunt, quæ inquiunt, neque tempori, neque veritati congruant. Sed vos ipſi iudicate Luterani, an ſatis probent, quod ſibi, & vobis veſtri centuriatores ſomniant: interrogate eos, quare non congruat tempori & veritati? quia, inquiunt, propter perſecutiones perpetuas eius temporis, ſtudia, & laborem docendi, paupertatem, ſummumq́ue contemptum nō licuit, neque vacauit eis lites in curia Rom. coram Papa mouere, & tractare: quod circa quadringenteſimum Domini annum, aut etiam ſerius factitari cœptum eſt.] concedamus igitur iſtis in tanta paupertate & cōtemptu, & inter tot perſecutiones, & in tanto ſtudio doctrinæ non fuiſſe tunc in curia Rom. coram Papa ho-

Aſtutia Magd. in diſſimulando Syxtum inter cæteros Pont. quos nominatim notarunt propter decretū de appellationibus.

De cauſis à Magd. allatis cur decretum de appel. in epiſtolis apoſtolicorum Pont. nō congrueret tempori, neque veritati.

minibus illius ſæculi lites, quæ poſtea conſecutis ſæculis eſſe cœperunt ſiquidem vt Varro lib. 6. de lingua latina ſcribit, quibus res erat in controuerſia, ea vocabatur lis, ideo inquit. in actionibus, videmus dici, quam rem, ſiue litem dicere oportet. Omittamus ergo nunc eiuſmodi actiones & lites de re, & ponamus nõ fuiſſe tunc: tametſi fuiſſe quidem, ſi quis velit contendere, negari certa ratione nõ poteſt cum ſciamus Dominum ordinaſſe. ſicut Apoſt. ait, iis, qui euangeliũ annunciant, de euangelio viuere, quia, inquit, qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altari participant. ex qua conſtitutione Domini profectum eſt, vt cum ſtatus temporum permittere cœpit, cœperint fideles dedicare Deo in vſum, & ſtipendium miniſtrorum Dei, quæ ad vitam degendam neceſſaria eſſent, vt domos, & interdũ prædia, quæ poſtea culpa hominum materiam litibus præbuerunt. Vnde Pius Apoſtolicus Pontifex epiſt. 2. ad Italicos tempore Antonini Pij, perlatum eſt, inquit, ad ſedem Apoſtolicam quod ſint inter vos contentiones & æmulationes: & prædia diuinis vſibus tradita quidam humanis applicant vſibus, & Domino Deo, cui tradita ſunt, ea ſubtrahunt, vt ſuis vſibus inſeruiãt. quapropter ab omnibus illius vſurpationis contumelia depellenda eſt. & quæ ſequuntur. quis enim tã alienus à ratione ſit, qui neget, quin huiuſmodi lites in illud ſæculum incidere potuerint? ſed, vt dixi, ponamus, non fuiſſe tunc huiuſmodi lites, ſiue res: Quæſo iſtos, an non erant tunc alia pericula in falſis fratribus? an non congruebat tempori, & veritati, vt aliquis, ſicut Sixtus Põtifex ait, pulſari poſſet aliqua aduerſitate? periculúmque eſſet, ne quis innocens damnaretur, aut eccleſia detrimentum pateretur, niſi hoc remedium appellandi, quod ratio iuſtitiæ naturalis dictabat, prouiſum fuiſſet? non puto, tam amẽtes eſſe iſtos, vt hoc negent euenire potuiſſe: aut illud credant, non potuiſſe accidere, quod S. Euariſtus epiſt. 2. ſcribit, Audiuimus quoſdam à vobis infamatos & dilaceratos Epiſcopos: & alios in ciuitatibus, ipſis viuẽtibus, conſtitutos. Vnde ſubiungit, Ideo hoc vobis ſcribimus, vt ſciatis hoc

1. Cor. 19.

Quod inſania ſit, exiſtimare, non potuiſſe illis temporibus accidere cauſas appellandi ad Pont.

non licere: ſed proprios reuocari, & integerrimè reſtitui debere. quomodo igitur, ſi hæc euenire poterant, non congruebat tempori & veritati, ac iuſtitiæ naturali hoc de appellando decretum? Sed fortaſſe dicat aliquis acutior, quàm Magdeburg. eo tempore non permiſſuros fuiſſe Romanos gentiles, qui vbique dominatum tenebant, venire fideles ad Romani Pontificis tribunal: ac proinde non eſſe credibile, factum eſſe ab iis Pontificibus hoc decretum de appellatione. ſed ſi qui hoc dicant, redarguent eos litteræ Adriani Imperatoris ad Minucium Fundanum, quo tempore decretum hoc de appellatione Sixtus Pont. fecit, quas litteras Iuſtinus martyr in apologia ſecunda produxit, quibus iubebat Imperator, ne Chriſtiani innocenter perturbarentur; neue calũniatoribus occaſio nocendi prę beretur. idem cauit eius filius Antoninus: item Marcus Aurel. Antoninus, quorum etiam litteras idem Iuſtinus pro defenſione Chriſtianorum produxit. Cõgruebat igitur tempori hoc decretum. Quomodo verò veritati cõgruat magis adhuc intelligi poteſt ex ratione, quam Iginus Pontifex Apoſtolicus poſt beatum Petrum 10. in epiſt. decretali prima, ad omnes fideles explicat, cur peregrina iudicia Apoſt. ſecutus prohibeat. ſic.n. ait, Nec nõ & peregrina, negotia ac iudicia prohibemus, quia indignum eſt vt ab externis iudicentur, quia prouinciales, & à ſe electos debent habere iudices. deinde ſubiunxit, quid eum ad hoc ſtatuẽdum impuliſſet, nos quidem, inquit, ex omni parte carpendo occaſiones abſcindimus, nos ſupernæ memores diſciplinæ, quibuſcunque cadentibus dexteram porrigimus, & à ruinæ præcipitio, quos poſſumus, releuamus: & defenſionis adminiculum totis viribus præbere cupimus. Si hæc ratio iuſtitiæ ac charitatis Iginum Pontificem tam paucis annis poſt Sixtum primum interiectis, id eſt, 20. ad faciendum decretum de iudiciis peregrinis declinandis mouit, quod multi alij Pontifices cõſecuti renouarunt, & primus in eccleſia Corinthiorum Apoſtolus ſanxit, idque, ne quis innocens damnaretur, cur non item congruat tempori & veritati, vt Anacletus, & alij illius ſæculi Pontifices ſimul ratione

Quid ab aliis accuſatoribus fortaſsis obici poſsit cõtra decretum de appella illis temporibus.

Iuſtinus de literis Adriani imperatoris, & aliorum imperatorum, pro chriſtianis.

1. Cor. c. 6.

iuſtitiæ ac charitatis adducti, decretum de appellando ſedem apoſtolicam facerent: quod multi quoque Põtifices poſtea renouarunt, ac confirmarunt: & primum Apoſtoli ſanxerunt, idque, ne quis item innocens dãnaretur. Rurſus decretum de appellationibus, quod hi Pontifices Apoſtolorum auctoritatem ſecuti fecerunt, viſum eſt Magdeburgenſibus, non congruere tempori, neque veritati, quia inquiunt, de primatu Romanæ eccleſiæ ante Nicenũ conc. & multis annis poſtea nulla fuit quæſtio. ita eſt, vt iſti dicunt, nullam fuiſſe de primatu quæſtionẽm ante Concilium Nicenum, neque multis annis poſtea. imò nunquam de hoc in ſynodis quod ſciam, diſceptatum fuit ante concilium Florentinum, in quo hæc tunc primum quæſtio poſita eſt: & de ea menſibus 15. vt memoriæ proditum eſt diligentiſſimè diſputatum: & tandem definitum, Pontificem Romanum in vniuerſum orbem tenere primatum, eſſeque ſucceſſorem beati Petri, & quæ ſequuntur in decreto, ne totum recitem. Huic definitioni ſumma concordia Græci, & Armenij aſſenſi ſunt. At nunquam ante Cõcilium Nicenum quæſtionẽ de primatu fuiſſe, imò neque multis annis poſtea vſque ad Concilium, vt modo dixi, Florentinum, hoc inquam, magis Magdeburgenſes redarguit, & cõdemnat, qui id adhuc negent, de quo nullam fuiſſe tot ſæculis quæſtionẽ, ſpõte ſua confitentur, & de quo, tunc cum primum quæſtio fuit, à tam multis & tam doctis patribus in œcumenico concilio, cedentibus veritati, qui contradicebãt, hãc definitionem vno omnium conſenſu factam fuiſſe, negare non poſſent. Iam verò, ſi quia tempore pontificũ Apoſtolicorum de primatu pontificis nulla fuit quæſtio, idcirco iudicio Magdeburgenſium Centuriatorũ non cadit in eos hoc de appellationibus decretũ, neq; cum eorum ætate cõgruit, ergo nullum decretũ aliud pari ratione, niſi de quo prius quæſtio fuerit, fieri poteſt, quo nihil magis abſonum, aut ſi fieri poteſt decretum aliquando, de quo non prius quæſtio fuerit, potuit igitur & hoc decretum ab illis pontificibus ante Concilium Nicenum fieri. An quæſtio erat de pontificatu Aaron, cùm fecit Dominus decretum, dicens per Moyſem

Quare viſum ſit Magd. non congruere tempori, neque veritati decretum de appell.

Moyſem in Deut. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinẽ, cauſam, & cauſam, lepram, & non lepram, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicẽ, qui fuerit illo tempore. nulla hic quæſtio de primatu Aaron antegreſſa cauſam huic decreto dedit, ſed ipſa vtilitas rei, & neceſſitas aliorum quæſtiones difficiliores iudicandi. Similiter S. Anacletus, non quia quæſtio vlla de primatu eſſet, ſed quia opus erat ſcire, quid in aliorum quæſtionibus, & cauſis, ac iudiciis maioribus fieri deberet, decretum Apoſtolicum in epiſtola ſua nobis præſcripſit, & tradidit: inquiens. Quod ſi difficiliores ortæ fuerint quæſtiones, aut Epiſcoporum, vel maiorum iudicia aut maiores cauſæ fuerint, ad ſedem Apoſtolicam, ſi appellatum fuerit, referãtur: ſuper quã Chriſtus vniuerſam conſtruxit eccleſiam, dicente ipſo ad beatum principem apoſtolorum Petrum, Tu es Pe- »
trus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, »
& quæ ſequũtur, Addũt deinde Magd. Et ſicut in ſexta »
Synodo Carthaginenſi Primatus Papæ eſt refutatus ita »
hoc ſæculo pij doctores tales epiſtolas non tuliſſent.] »
Sicut qui ex inſidiis, & occultè alios aggredi ſolent, quibus neque vires, neq; cauſæ æquitas ad apertè aggrediendũ animos, & fiduciam addũt, ſic qui ſuo proprio iudicio condemnati, veritatem oppugnant, cum ea, quæ omnibus manifeſta ſunt, deprauare non poſſunt, alia quærunt, quæ non omnibus pateãt: vnde nodos ſuos ad irretiendũ ſimplices, & imperitos nectũt. Hinc Magd. quia nullum ex antiquis auctoribus, aut Catholicis Epiſcopis reperire potuerunt, qui Primatũ Pontificis Romani negaret, hoc quod in Sexta Synodo Carthaginenſi legebant ex canone Niceno de appellando Pontificem Romanum, quem canonem patres Synodi in Carthaginenſis requirebant, nec tamen in exemplaribus, quæ ipſi habebant, canonum Niceni conſilij legi affirmabant, ad refutandum Primatum pertinere interpretati ſunt. intelligebant enim Magd. & quidem bene, ne ſemper acumen in eis, vt ſolet, deſideretur, cõnexa eſſe iſta, & copulata inter ſe, refutari

Pontificis Romani Primatum, & ius appellandi eum, cum neceſſitas poſtulat. ad hoc enim vſus vetus appellandi, vt Vlpianus iuris conſultus ait, neceſſarius eſt, vt vel iniquitatem iudicantium, vel imperitiam corrigat. Vnde quia horum neutrum patribus illis in iudiciis ſuis metuendum eſſe videbatur. non magis ſe Primatui Pontificis derogare exiſtimabant, quod crederent, decretum eſſe in Niceno concilio, nō eſſe eum appellandum. quam Imperatori derogabatur, quod à præfectis prætorio non liceret appellare. Credidit enim princeps (ait Aurelius Iuriſconſultus) eos, qui ob ſingularem induſtriam explorata eorum fide, & grauitate ad huius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos pro ſapientia & luce dignitatis ſuæ, quam ipſe foret iudicaturus. Hoc ipſum patres illi exiſtimabāt, ſynodo Nicenæ viſum eſſe. Sic enim ad Cœleſtinum Pontificem ſcripſerunt, decreta Nicena ſiue inferioris grad' clericos, ſiue ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. prudentiſſimè enim & iuſtiſſimè viderūt, quæcunque negotia in ſuis locis, vbi orta ſunt, finienda: nec vnicuique prouinciæ gratiam ſancti ſpiritus defuturā, qua æquitas à Chriſti ſacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur. Neque verò, quia patres illi ſextum canonem Nicenū (in eo enim commiſſi ſunt ſiue inferioris gradus clerici, ſiue Epiſcopi ipſi ſuis Metropolitanis) ſic intelligendum eſſe putabant, quaſi eo decretum eſſet, ne Pontificem Romanum Epiſcopi appellare vnquam poſſent, continuò Primatum Romani Pontificis tollebant: nō magis quam principis ſumma poteſtas tollebatur, quia, vt paulò ante dicebam, decretum erat, ne à præfectis prætorio principem appellare liceret. Sed de canone ſexto ſynodi Nicenæ, quomodo neceſſariò collatis pluribus decretis, interpretādus ſit, paulò poſt explicabo. docendum eſt nunc, non refutaſſe patres illos primatum, quod Magd. finxerunt, vt eos ſui ſimiles facerent: ſed potius confeſſos fuiſſe. Quod quidem vel ex vno Epiſcopo Auguſtino, qui Synodo interfuit, & canonem Nicenum de appellationibus cum aliis Epiſcopis requirebat, intelligere, ſi vultis, Magd. poteſtis.

Qui vſus prouocationis ad maiorem iudicem.

Sic enim eſt in epiſt.162.ad Glorium,Eleuſium,Felicẽ, & Grammaticum: Erat etiam transmarinis vicina regionibus,& fama celeberrima nobilis Carthago,vnde non mediocris vtique auctoritatis habebat Epiſcopũ, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem Epiſcoporum, cum te videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus,& cæteris terris,vnde Euangelium ad ipſam Africam venit,per communiatorias litteras eſſe coniunctum. Si confitetur is, qui Synodo Carthaginenſi & quidẽ nomine totius Numiciæ legatus interfuit, ſemper in Eccleſia Romana Apoſtolicæ cathedræ principatum viguiſſe,quomodo in Synodo Carthaginẽſi refutatus eſt primatus? Rurſus contra duas Epiſtolas Pelagianorũ ad Bonifacium lib.1 cap.1.Cum verò(inquit)non deſinant fremere ad dominici gregis caulas,atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oues, adigimur Epiſcopatus officio,quamuis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis, facio quod poſſum pro mei particula muneris, & quæ ſequuntur. an hoc fuit refutare primatum Papæ Romani in Synodo Carthaginenſi? confiteri illo ipſo tempore Bonifacium, quo Pontifice habita eſt Synodus, præeminere in celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis? Si erat Epiſcopus Romanus in celſiore faſtigio,quam Epiſcopus Carthaginenſis, cui Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus ſubiectus erat,non enim primates alij in celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis erãt cõparati cũ Carthaginenſi Epiſcopo, qui ad illorũ ſpeculã paſtoralem non pertinebat: erat igitur Carthaginẽſis ſubiect⁹ Epiſcopo Romano,alioqui quomodo erat in celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis cũ Carthaginenſi Epiſcopo comparatus? Deinde cũ dicit,facio,quod poſſum pro mei partiticula muneris,cõfeſſus Epiſcopũ Romanũ in celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis ſedere, cum alioqui ambo eſſent Epiſcopi,an nõ ſatis apertè ſignificat, habere quidẽ illum totam & vniuerſalem curam muneris paſtoralis, ſe verò partem? Rurſus idẽ Aug.cum 50.Epiſcopis Cõcilij Mileuitani epiſt.42.ſic ad Innocentiũ Pontificẽ.Ro. ſcripſit,quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuę munere

Teſtimonium Aug. in ſynodo Carth. 6. de primatu Pont. Ro.

Demonſtratio euidens, quod in ſynodo Carth. non fuit refutatus, ſed conceſſus primatus pont. Rom.

in ſede Apoſtolica collocauit, talémque noſtris temporibus præſtitit. & paulò poſt, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris: & quæ ſequuntur. An nō ſatis apertè hoc loco Auguſtinus cum reliquis illis Epiſcopis primatum pontifici Rom. tribuit, cum præcipuæ gratiæ munere in Apoſtolica ſede collocatum dicit? Quæ enim iſta præcipua gratia, niſi chariſma Epiſcopatus, quo præeſt vniuerſali eccleſiæ? quod ſatis idem Aug ſtatim explicat, cum petit ab eo, vt diligentiam paſtoralem periculis membrorum Chriſti in eccleſiis Africanis adhibere velit Confitetur ergo pater Aug. cum reliquis 60. illis Epiſcopis oues Pōtificis Romani eſſe, quæ in eccleſiis ſuis erant: ad eiuſque curā, quam requirebant, pertinere. Ac rurſus adhuc idem Aug cum Epiſcopis ſynodi Carthaginēſis ad eundem Innocentium de actis aduerſus Pelagium, & Cœleſtiū epiſt. 90. ſic ſcripſit, Hoc itaque geſtum Domine frater ſanctæ Charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas. Teſtatur quoq; Proſper Aquitanicus illorum temporū æqualis in Annalibus ſuis, miſſa fuiſſe geſta illa ad Zoſimum Pont. Rom. Quibus inquit, probatis hæreſis Pelagiana damnata eſt Item Poſſidonius illius ætatis auctor in vita beati Aug Poterant, inquit, (de Donatiſtis loquitur) ſuſpectum eū habētes, ſcilicet Auguſtinum, recuſare congreſſum: tamen omnipotentis Dei præſtitit auxilium, vt poſtea in Cæſarienſi conſtitutus ciuitate venerabilis memorię Auguſtinus, quo eū venire cum aliis Epiſcopis, Apoſtolicæ litteræ compulerunt, ob terminandas ſcilicet alias eccleſiæ neceſſitates An non agnoſcebat, primum, & ceu caput Auguſtinus cum reliquis illis Epiſcopis eum, cuius litteris teſte Poſſidonio ad terminandas eccleſiæ neceſſitates ire compellebantur? Ergo ſi primatū Synodus Carthaginenſis nunquam negauit, neq; refutauit, vt vel teſtimonio grauiſſimo Auguſtini, qui ſynodo interfuit, imò ipſius etiam ſynodi & ſynodi Mileuitanæ probatum eſt, qua fronte quod in eadē ſynodo decretū eſt, ſeu potius renouatū, & ex tertia ſynodo Carthaginēſi

c.26.repetitum, vt Epiſcopus primæ ſedis non appelletur princeps ſacerdotũ, aut ſummus ſacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantũ primæ ſedis Epiſcopus. hoc ad Epiſcopum Romanæ ſedis referre audetis: & quod magis ridiculũ eſt, nõ aduertiſtis, vos vobis contradicere. Cum enim Epiſcopũ Romanũ Epiſcopum primę ſedis eſſe & vocari conceditis, Primatum ei, licet inuiti & neſcientes, ſimul conceditis. Quomodo enim prima inter reliquas alias ſedes eſſe poterat, niſi primatũ inter eas haberet? cum enim Romana nõ ſit prima ſedes in his, aut illis prouinciis, vt eſt Carthaginenſis prima in prouinciis Africæ, Alexandrina prima in prouinciis Aegypti, Lybiæ & Pentapolis, Antiochena item prima in ſuis relinquitur, vt ſit prima ſedes in omnibus prouinciis Eccleſiæ catholicæ, aut nuſquam eſt prima. habet igitur poteſtatem in Epiſcopos omnium prouinciarum, vt habet more eius Alexandrina ſedes poteſtatem in ſuarum prouinciarũ Epiſcopos, Antiochena item in ſuarum: & Carthaginẽſis in Epiſcopos Africæ. Aut dicant centuriatores, ſi ſciunt, aut vſquã legerunt, in quarum prouinciarũ Epiſcopos habeat priuatè poteſtatem prima ſedes Epiſcopi Romani quam ipſi cõfitentur appellatam in Synodo Carthaginenſi primam ſedem. Aut ſi dicere non poſſunt, ſupereſt, vt vel confiteantur eſſe quidem eam primam ſedẽ, ſed inter nullas alias. quo nihil poteſt eſſe magis delirum: aut primam eſſe inter reliquas omnes. ſic iſti ſapientes, iuxta verbum Dei, in aſtutia ſua comprehenſi ſunt. Deinde, quo magis lectores artificio Centuriatorum fallerentur, addiderunt canoni, quod nuſquam ſcriptum in ſynodo Africana repererunt Vniuerſalis autem nec etiã Romanus Pontifex appelletur. Hoc enim quod legerunt apud Gratianum diſt. 99. non eſt ex canone concilij Africani, ſed ex Gratiani rubrica, in caput proximè ſequens Epiſtolæ Pelagij Pontificis, qui iuſſit, vt nullus appellaretur Patriarcha vniuerſalis. vt Gregorius quoque in epiſtola ad Eulogium Patriarcham conſtantinopolitanum noluit appellari Papa vniuerſalis: quod quidem quemadmodum intelligi debeat ſatis ipſe interpretatur, cum ait in eadem epiſtola. Meus namque

Sibi ipſis repugnãt Magd. referentes ad põt. Rom. illud decretum Synodi Carth. ne epiſcopus primæ ſedis vocetur vniuerſalis.

Magd. in aſtutia ſua comprehenſi.

Apud Gratianum illud vniuerſalis autem nec etiã Rom. pont. appelletur, nõ ad canonem tanquam pars eius ſed ad epiſt. Pelagii, quæ ſequitur, referendũ eſt tanquam rubrica Gratia.

honor eſt vniuerſalis eccleſiæ: meus honor eſt fratrũ meorum ſolidus vigor. Etenim, quia Ioannem Patriarcham conſtantinopolitanum Gregorius Pontifex reprehenderat, quod ſe vniuerſalem appellaſſet, cum nõ eſſet, volebátque forma, & exemplum modeſtiæ aliis fieri, ne ipſe voluit appellari vniuerſalis: & ſi enim ſuum erat. ſic ſe appellare, voluit tamen à ſuo abſtinere, ne alius alienum vſurparet, itaque non negauit ſe principem ſacerdotum, aut ſummum ſacerdotũ, qui ſatis apertè dicit ſe Epiſcopum vniuerſalis Eccleſiæ ac proinde omnibus Epiſcopis & Patriarchis præeſſe: hoc enim ſignificat quod ait, Meus honor eſt vniuerſalis eccleſiæ. ſcilicet, quia Eccleſia vniuerſalis erat Eccleſia eius: ſicut enim honor Epiſcopi eſt Eccleſiæ ſuæ, cui præeſt, vt Conſtantinopolitani honor, Eccleſiæ eſt Conſtantinopolitanæ, ſic Papæ Romani honor eſt Eccleſiæ vniuerſalis: quia, vt Conſtantinopolitanus Cõſtantinopolitanæ Eccleſiæ præeſt, ſic Romanus vniuerſali. Redeamus ergo ad canonem concilij Africani, quem Gratiani rubrica Magdeburgenſes per fraudem augere voluerunt, & ſuo artificio acceſſionem concilio attribuere, doceamuſque de quo Epiſcopo primæ ſedis intelligendus ſit. de Epiſcopo enim Romano nõ poteſt, vt paulò ante demonſtratum eſt: ſancitus eſt ille canon de primatibus Africæ, id eſt, de Epiſcopis primarum ſedium. Quia olim, vt Leo nonus in epiſtola ad Petrum & Ioannem Africanos Epiſcopos contra Epiſcopum Grumitanum ſcripſit, in ſingulis prouinciis Africæ inſtituebantur primates, non ſecundũ potentiam (inquit) alicuius ciuitatis, ſed ſecundum tempus ſuæ ordinationis, Metropolitani enim vocabantur in Africa primates, qui erant Epiſcopi primarum ſedium, quibus tamen præerat Epiſcopus Carthaginenſis, primus, vt idem Leo ait, Archiepiſcopus, & maximus totius Africæ Metropolitanus propter Carthaginem totius Africæ Metropolim, qui ſolus accipiebat pallium ab Apoſtolica ſede, vnde & Epiſcopos conſecrandi (inquit) principale & antiquum ius retinet, ſicut ex verbis Aurelij in concilio Carth. 3. cap. 39. intelligi poteſt, idcirco igitur de primatibus Africæ ſic cautum

Quomodo Gregorius in ea epiſ. in qua non vult appellari vniuerſalis, ſe tamẽ vniuerſalis eccleſiæ epiſcopũ manifeſte ſignificat.

Quo addiderunt. Magd. Canoni Synodi Carth. quod nuſquam in eo repererunt.

Explicatio, de quo in ſynodo Carth. intelligendum ſit, vt epiſcopus primæ ſedis non vocetur vniuerſalis. De primatibus Africæ, & de Carthaginenſi epiſcopo ex epiſ. Leonis 9.

eſt,quo admonerentur,ſe intra ſuum modum,ac menſuram continere, ne ſe aliquando in dignitatem Carthaginenſis Eccleſiæ efferrent,vt Grumitanus ille Epiſcopus tempore Leonis 9.tẽtauit: de quo ſic in ea ipſa epiſtola, idem Leo ſcripſit, neque quicunque ille ſit Grumitanus Epiſcopus,aliquam licentiam conſecrãdi Epiſcopos, vel deponendi, ſeu prouinciale concilium conuocandi habet ſine conſenſu Carthaginenſis Epiſcopi,cuiuſlibet dignitatis,aut poteſtatis ſit,qui cætera, præterquam quæ ad propriam Eccleſiam pertinent,ſicut & alij Africani Epiſcopi, conſilio Carthaginenſis Archiepiſcopi aget. Cur igitur dicent, ſi primatum Pont.Rom.Africani non negabant,ius appellandi non vltro concedebant? in promptu eſt ratio, quia,vt ante dixi, cauſas Epiſcoporum in ſuis prouinciis iudicari, primatui Pontificis Romani repugnare non putabant: præſertim cum commoditatem producendi teſtes in ſuis locis,& difficultatem producẽdi in iudicio tranſmarino viderẽt. Et quod eos magis in eam tunc adducebat ſententiã,quod credebant,hoc, quod ſentiebant, in cõcilio Niceno decretum fuiſſe, ſiquidẽ in illo ipſo canone 6.Synodus Nicena Epiſcopos ſuis Metropolitanis commiſiſſet:quod quidẽ vt verum erat, ita illud, quod in canone ſequitur, vel non conſiderabant, vel non intelligebant,quam vim haberet,Quia ſic eſt Romani Epiſcopo conſuetudo: habet enim hanc, vt quia epiſcopus Romanus omnibus ſucceſſoribus Apoſtolorum præeſſe à principio conſueuit, Domino hanc cõſuetudinem inſtituente,idcirco primates, ac Metropolitani reliquis Epiſcopis,quiſque ſecundũ menſurã, id eſt,per prouincias, quas quiſque tenet, præeſſe debeat,quis hic,ſi paulò attentius conſideret, primatum Epiſcopi Romani non videat?ſiquidẽ illi primates ſucceſſores ſunt Apoſtolorũ,quibus Petrus præerat, Epiſcopus verò Romanus ſucceſſor Petri eſt,qui,quia erat maior reliquis omnibus, Apoſtolis, & Epiſcopus Romanus, qui auctoritate domini in cathedra eius ſucceſſit, neceſſe eſt, ſit maior reliquis omnibus primatibus, & in omnes habeat poteſtatẽ: ac proinde neceſſe eſt, vt ad eũ confugere poſſint,cum opus fuerit,omnes

Quæ cauſa fuerit, cur Africani cum primatum non negarent, decretum tamẽ appell. non concederent.

ſucceſſores Apoſtolorum, qui ſunt Epiſcopi, ſicut Apoſtoli ad Petrum in difficultatibus, tanquam ad Petram Eccleſiæ, confugiebant, vt libro ſuperiore exemplo Pauli, & Barnabæ, & illius Synodi Hieroſolymitanæ docuimus. ſed de canone ſexto Synodi Nicenę copioſius, & luculentius poſtea, vt antea promiſi, diſſeram: ſi ptius ad quædam alia, quæ Magd. in ſummam Pontificis auctoritatem, & apoſtolicum ius ad eum prouocandi obiecerunt, reſponderimus.

Reſponſio ad id quod Magd. in V. Centuria obiecerunt de Zoſimo Pontifice, quod non citaſſet conſuetudinem de ſumma poteſtate Pontificis & quomodo redarguantur de falſitate. Rurſus quemadmodum patres Africani Primatum Pontificis Romani agnoſcerent, & de decreto de appellationibus in conc. Carthag. 3. recepto, & de canone 92. concilii Africani, quem Magd. obiiciunt, & quomodo canon conc. Carth. 3. conuincat, non eſſe illum accipiendum, vt à Magd. contra decretum de appellationibus accipitur. Quid interſit inter Lutheranos non recipientes decretum de appel. & patres conc. 6. Carthag. Item de actis Synodi Nicenæ diligenter perſcriptis: & de iudicialibus decretis ad ea pertinẽtibus: & quomodo inde ſumpti ſunt canones Niceni à Iulio Pontifice relati, & duo illi canones Sardicenſis concilii in concilio Carthag. ex Niceno recitati. Caput 2

" VIdeamus ergo deinceps, quod in V. Centuria Magdeburg. obſeruatione dignum eſſe iudicarunt, vtrum ne magis eorum ignorantiam quàm ſolertiam prodit: ſic enim ſcripſerunt. Obſeruent autem, vt hoc obiter obſeruemus, pij lectores, hunc Papam (Zoſimum dicunt) non prætexuiſſe ius diuinum, ſcripturam, aut Chriſti ordinationem, qui ſedem Romanam omnibus eccleſiis imperare voluerit, neque citaſſe conſuetudinẽ quod iam vltra trecentos annos ea eccleſia aliis omnibus per orbẽ terrarũ Chriſtianis eccleſiis imperaſſet: quod ſanè facere non neglexiſſet, ſi ea pro ſe argumenta quicquã facere intellexiſſet, ac probare ſe poſſe

putaſſet: ſed tantum ius humanum, id eſt, decreta Nicena, eáque ipſa per ſcelus, & impietatem falſata.]

Hactenus Magdeburgenſes. Non aduerterunt hic Magdeb. aut fortaſſe diſſimularunt, quod Fauſtinus legatus Zoſimi Pontificis in eodem conc. 6. Carthag c. 2. dixerat, priuſquam ex commonitorio recitaretur decretum Sardicenſe ex ipſis actis Synodi Nicenæ ſumptum. Sic enim ait, iniuncta nobis ſunt à ſede Apoſtolica aliqua per ſcripturam: aliqua etiam in mandatis: hoc eſt de Nicenis Canonibus, vt conſeruentur, & conſtituta eorum, & conſuetudo. Deinde ſubiungit interpretans, quod dixerat, quia aliqua ordine, & canone tenētur: aliqua conſuetudine firmata ſunt. Hęc legatus Zoſimi. Quis hic dubitet, hoc, quod legatus Fauſtinus dixit, iniunctum ſibi à ſede Apoſtolica, in qua Zoſimus tunc præſidebat, vt de canonibus Nicenis non ſolùm ea, quæ canone conſtituta, ſed quæ conſuetudine firmata eſſent, ſeruarentur, quin propter canonem ſextum dixerit, ad eúmque retulerit: ſiquidem in eo ſancitum eſt, vt priſcę conſuetudines de poteſtate Primatum Alexandrini, & Antiocheni in epiſcopos ſuarum prouinciarum vigeant: quia hæc, inquit, eſt epiſcopi Romani conſuetudo, in quo canone, quia nihil noui tunc cōſtitutum eſt de poteſtate Primatum, aut Metropolitanorum in epiſcopos ſuarum diœceſeon, neque de poteſtate epiſcopi Romani in omnes epiſcopos, idcircò nō dixit Synodus, ſtatuimus, aut viſum eſt, ſed, vigeant priſcæ conſuetudines, & quæ ſequuntur, quia hæc eſt cōſuetudo epiſcopi Romani. Sic enim beatus Athanaſius in epiſtola de Synodis Arimini, & Seleuciæ probat, nihil nouum in ſymbolo patres illos Synodi Nic. ſtatuiſſe, ſed quod à ſanctis Apoſtolis traditum erat: non enim dixiſſe, viſum eſt: ſed, ſic credit eccleſia: in decreto autem de Paſcha addidiſſe, viſum eſt: quia ſcilicet ſtatuerunt, vt qui erant in Oriente, ſic in poſterum Paſcha celebrarent, vt Romani, & Alexandrini, & cæteri omnes cuncti orbis ſemper antea celebrauerant. Pertinere autem hanc priſcam conſuetudinem epiſcopi Romani, quàm hic canon ſextus dicit, ad ſummam poteſtatē epiſcopi Romani in omnes Primates, & Metropolita-

nos,ac reliquos epiſcopos,ex qua forma à domino inſtituta,& à S. Apoſtolis tradita factum ſit,vt alij Primates,& Metropolitani poteſtatem in epiſcopos ſibi ſubiectos habeant,proximo capite copioſè, & vt ſpero,exactè docebo. Zoſimus ergo per legatum ſuum conſuetudinem,non dico, trecentorum annorum, quos vos, Magdeburgẽſes paulò ante deſiderabatis,ſed quadringentorum,& amplius, & in ea conſuetudine ſimul etiam ius diuinum,& ſcripturam, & ordinationẽ Chriſti citauit,quæ vos à Zozimo requirebatis, neque conſuetudini iſti, quam in Nicenis canonibus Fauſtinus legatus nomine Zozimi Pontificis Romani ſeruandam eſſe propoſuit,patres illius Synodi Carth. oppoſuerũt, quicquam prorſus ſatis ſilentio ſuo, quod propoſitum erat comprobantes. Deinde,ad rationes, quas Africani patres in epiſt. ad Cœleſtinum adferebant, cur ipſis videretur, non eſſe in concilio Niceno ſancitus canon de appellationibus ad ſedem Romanam: imò potius apertè commiſſi eſſent Epiſcopi ſuis Metropolitanis, vos de veſtra officina pro defenſione patrum Africanorum illud inſuper addidiſtis. videbatur etiam eis abſurdiſſimum, vnum homuncionem omnibus Chriſti eccleſiis per orbem terrarum ſparſis,imperare,eaſque regere velle: cum ea res plurimorum Epiſcoporum vires, & curam propemodum exuperaret.]

Quod Zozimus diuinum, & conſuetudinem & ſcripturam, ſicut Magd. deſiderabant, citauerit.

Hæc vos. Si hoc abſurdiſſimum videbatur: quomodo ad Bonifacium ſcribunt his verbis, quæ vos callidè diſſimulaſtis? Vt Romam liceat Epiſcopis prouocare, & clericorum cauſæ, apud ſuarum prouinciarum epiſcopos finiantur, iam priore anno etiam litteris noſtris ad eundem venerabilis memoriæ Zozimum datis, inſinuari curauimus,vt ea ſeruare,ſine vlla iniuria ſineremus, vſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilij Niceni. Deinde ſubiungunt, & nunc à tua poſcimus ſanctitate, vt quemadmodum apud Nicæam à patribus acta,vel inſtituta ſunt,ſic ea à nobis facias cuſtodiri, & ibi apud vos iſta,quæ in commonitorio attulerunt, facias exerceri deinde recitant, quæ erant in commonitorio,id eſt, Si epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint cõgregati epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo

Quid de ſuo addiderint Mag. & quid diſſimularunt.

deiecerint eum, & appellaſſe videatur, & confugere ad beatiſſ. eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit audiri, & iuſtum putauerit, vt renouetur examẽ, ſcribere iis Epiſc. dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit epiſcopũ Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet: & ſi decreuerit, mittendos eſſe, qui præſentes cum epiſcopis iudicẽt habentes auctoritatem eius, à quo deſtinati ſunt, erit in arbitrio eius: Si verò crediderit, ſufficere epiſcopos, vt negotio terminum imponant, erit in ſuo arbitrio. Dubitabant patres Africani, an eſſet in cõcilio Niceno canon in commonitorio recitatus: quod ſi eſſet, petebant à Pontifice, faceret eum cuſtodiri, vt in Africa, ſic etiam Romæ: id eſt, vt ſi is, qui Romam appellaſſet, moueret Pontificem, vt iterum audiretur, mitteret Pont. à latere presbyterum in Africam, qui cauſam ibi cognoſceret, & reliqua, quæ in canone commonitorij continebantur, ne aliquando eueniret, vt flagitioſus aliquis in Africa damnatus, poſteà per fraudem, & ſurreptionem Romæ abſolueretur, vt in Apiario illo eueniſſe querebãtur, qui diſſenſioni illi occaſionem præbuerat. An igitur qui hoc petebant, non ſatis apertè agnoſcebant, & confitebantur primatũ Pontificis? ad quem enim pertinet facere, vt cuſtodiatur lex, niſi ad eũ, qui legi præeſt? an non clarè iudicabant, non eſſe abſurdum, quod in prouinciis ſuis, & Romæ cuſtodiri poſcebant? imò hoc ipſum rurſus in eadem epiſtola clariùs adhuc confitentur, cum ſic aiunt, hæc vtique, vſque ad aduentũ veriſſimorũ exemplariũ Nicenæ Synodi inſerta geſtis ſunt: deinde ſubiungunt, Quæ ſi ibi, quemadmodũ in ipſo, quod apud nos fratres ex Apoſtolica ſede directi, commonitorio allegauerunt, continerentur, eóque ordine, vel apud vos cuſtodirentur, nullo modo nos talia vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Iã hic non ſolum non eſſe abſurdum, ſed commodiſſimum confitentur, quod in commonitorio recitatũ eſt, ſi tamẽ Romæ etiam ſeruaretur: hoc enim erat, quod, vt dixi,

Apertè agnoſcebant, & confitebantur primatũ patres Africani.

querebãtur. Quod verò interpretamini, viſum eſſe abſurdum, vnum homuncionem omnes eccleſias per orbem terrarum ſparſas regere velle, cũ ea res plurimorum epiſcoporum vires, & curas propemodum ſuperaret, ita loquimini, quaſi omnes mundi eccleſias per ſe Pontifex regeret, quod eſſet quidem abſurdum, & incommodum, imò quod fieri non poſſet, ac non potius per epiſcopos Metropolitanos, ſiue Archiepiſcopos, & Patriarchas: vt per omnes tandem ad vnum cura omnium mirabili ſubordinatione confluat, quo nihil potuit eſſe, neque magis decorum, nec ad cõcordiam aptius. Quod autem homuncionem vocatis Pontificem, ſanè ſic contumelioſe in eum loqui non didiciſtis ex illis Africanis patribus, etiam illa ſua tunc contentione acerba armatis, ſed à magiſtro veſtro. Homuncio erat Petrus: ſed qui illi homuncioni oues ſuas ad regẽdum commiſit, ita vt quæ ad eius regimen non pertinerent, non eſſent oues Chriſti, qui inquam, oues ſuas Petro commiſit, idem commiſit Pontifici Romano ſucceſſori Petri, oues ſuas: qui non tam dolet, quod à vobis homuncio appelletur propter eum, qui propter nos vocatus eſt vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, quàm quod vos noluiſtis in ouili eius permanere: nec aliud magis deſiderat, quàm vt ad gregem Chriſti redeatis, ne ſitis in prædam & deuorationem lupis infernalibus. Iam de Africanis patribus, quoniam ſimiles videri vultis, dum eos nobis obiicitis contra canonem de appellationibus Nicenum, quem negatis, ſiue vt iudices, ſiue vt teſtes, vel potius tanquam iudices, & teſtes veſtro more, videamus pauliſper, quantum inter vos, & illos diſtet. Scripſerant epiſcopi Africani in concilio Mauritaniæ, cui Stephanus Archiepiſcopus præerat congregati ad Damaſum Pontificem de quibuſdam vicinis epiſcopis, qui non conſulto epiſcopo Romano, quoſdam ex fratribus damnauerant. Petebant igitur epiſcopi Synodi illius à Damaſo Pontifice, vt eos defenderet: ſibi enim videri non licere facere, quod illi epiſcopi vicini feciſſent. Reſpondet Damaſus laudans eorum curam, ac ſolicitudinem de fratribus, ac multa deſcribens, quæ ad

Quid Africani de primatu ſenſerint, & quid ex cõcilio Mauritaniæ ad Damaſum ſcripſerint.

iudicia cauſarum eccleſiaſticarum pertinebant, tametſi illi, quibus reſpondet, non ignorare viderentur. Sic enim ait Damaſus, ideo omnia, quæ innotuiſtis, non licere mandarem: niſi vos tam pleniter inſtructos eſſe ſcirem, quod cuncta ſuper quibus conſuluiſtis, illicita eſſe non dubitetis. Diſcutere namque epiſcopos & ſummas eccleſiaſticorum negotiorum cauſas Metropolitano vnà cum ſuis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis deſit, & omnes in ſingulorum concordent negotiis, licet: ſed definire eorum, atque eccleſiaſticorum ſummas querelas cauſſarum, vel damnare epiſcopos abſq; huius ſanctæ ſedis auctoritate minimè licet. deinde ſubiungit: quam omnes appellare ſi neceſſe fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Vt noſtis Synodum ſine eius auctoritate fieri, non eſt catholicum, & quæ ſequũtur in prolixa epiſtola, & eruditiſſima. Deinde poſt multa, vt intelligamus, de qua re illi epiſcopi Africani in Synodo congregati, ſcripſerint, monentes quoque (inquit) inſtruere debetis memoratos vicinos veſtros, vt à talibus ſe ſubtrahant, & quæ illicitè contra fratres ſuos egerunt cito corrigant, & quos nobis inconſultis, læſerunt, nobis inconſultis, plena ſatisfactione ſanent, & cito eos ſibi reconcilient, ſi noluerint Apoſtolicæ ſedis ſuſcipere cenſuram. nam ſi quid fortè in eis, aut cõtra eos emerſerat, noſtrum fuerat expectandum examen, vt noſtra aut condemnarentur auctoritate, aut fulcirentur auxilio, vt ſemper fuit huic ſedi conceſſum priuilegium. Omitto reliqua. Siue igitur hi ipſi tunc epiſcopi, ſiue, vt eſt vita hominum breuis, eorum ſucceſſores in concilio Carthaginenſi III. poſt 20 propè annos canones multos condiderunt, ex quibus decimus eſt eiuſdem ſententiæ cum capitulo 22. in reſcripto Iulij ad Orientales, Hoc etiam placuit, vt à quibuſcunque iudicibus eccleſiaſticis ad alios iudices eccleſiaſticos, vbi eſt maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obſit, quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi conuinci nõ potuerint vel inimico animo iudicaſſe, vel cupiditate, & gratia deprauati. Cùm dicunt, à quibuſcunque iudicibus eccleſiaſticis, profecto neque primates Africæ, id eſt, primarum ſedium epiſcopos exceperunt, nec Ar-

Decretũ de appel. ad Pon. Roma. in concilio Cartha. 3 receptum, & approbatum.

chiepiſcopum Carthaginenſem maximum totius Africæ Metropolitanum, nec eorum concilia, quin ab omnibus prouocari poſſet ad alios eccleſiaſticos iudices, vbi maior auctoritas eſſet, vt ad Romanos Pontifices. an ſi id prohibere voluiſſent, non id apertè dixiſſent, ne quis in poſterum, aut ignorare vnquam, aut cauillari poſſet? ſed recitemus canonem Synodi Africanæ 92. quem hoſtes epiſcopi Romani obiicere ſolẽt, & quem canon ille ex concil. Carth. 3. coarguit. Item placuit, vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de iudiciis epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini epiſcopi eos audiant: & inter eos quicquid eſt, faciant adhibiti ab eis ex conſenſu ſuorum epiſcoporum. Quod ſi & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent niſi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarum ſuarum: ad tranſmarina qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem recipiatur. Quid ſimile in tertio illo concilio Carthaginẽſi ſancitum eſt? aut quid obſtabat, quo minùs ita ſancirent, ſi ita viſum fuiſſet? ne vlla non obediendi per obſcuritatem canonis occaſio in Africanis eccleſiis præberetur. Tametſi illud hic obſeruandũ eſt, nullo canone patres illos Africanos epiſcopis appellationes interdixiſſe, vt presbyteris, Diaconis, & minoribus clericis interdixerunt: quod epiſcoporum cauſæ, vt ſunt maiores ita magis ad Põtificem Romanũ pertinebãt: illud enim, quod in extrema parte canonis proximè recitati græcè eſt, ὡς περὶ τῶν ἐπισκόπων πολλάκις ὥρισται, id eſt, ſicut de epiſcopis ſæpe decretum eſt, non poteſt vlla ratione ſic intelligi, ne quis erret, quaſi hoc dicat canon, decretum eſſe ſæpe, vt epiſcopi non appellent tranſmarinos iudices, ſed primates, vt de presbyteris, & diaconis decretum eſt, ſiquidem primates non ſunt iudices appellationis epiſcoporum ſed primi iudices, vt conſtat ex concilio Cartha. 3. cap. 7. Quiſquis epiſcoporum accuſatur, ad primates prouinciæ cauſam deferat accuſator. hoc ergo ſignificat, ſicut de epiſcopis ſæpe decretum eſt, ſcilicet, vt ſi de eorũ iudiciis queſti fuerint clerici fiat, quod ſtatutum eſt canone illo 92. Ac rurſus canone 63. appellationes non à quibuſcunq;

Cauta obſcuratio in canon. 92. & canone 63. Synodi Carth. 6

ſed ab arbitris interdixerũt, legem ſæculi à ratione naturali dictatam ſecuti: arbitri enim ſententia (inquit Vlpianus) ſiue æqua, ſiue iniqua ſit, ſtare oportet, ſibíque quiſque imputare, quod eum elegerit. vnde doctiſſ. Plato in 6. libro de legibus hoc iudicium κυριώτατον δικαστήριον appellauit, quod nos interpretari poſſumus, iudicium potiſſimum. Redeo ad 3. Concilium Carthaginenſe. An non ſatis conuenit, quod hoc canone patres Africani illius 3 Concilij de appellationibus ſanxerunt cum eo, quod Damaſus Pontifex ad Synodum in Mauritania congregatam, ſcripſit, cum ait, Quam omnes (ſedem Apoſtolicam dicit) appellare ſi neceſſe fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Sicut ergo, cum dixit Damaſus, omnes, neminem excepit, quin prouocare poſſet, ſi neceſſe eſſet: ſic tertia illa Synodus, cum dixit, à quibuſcunque iudicibus eccleſiaſticis prouocatum fuerit, neminem excepit, à quo non prouocari poſſet. Africani igitur patres in illa quidem Synodo tertio canonem de appellationibus tenuerunt, & confirmarunt: at, vos Lutherani ex quo eſſe cœpiſtis, de ortu loquor veſtræ hæreſis, nunquam tenuiſtis. In ſexta verò Carthaginenſi etſi non receperunt, donec eis in concilio Niceno oſtenderetur: nunquam tamen primatum Pontificis negauerunt. Vt vel ex vno Auguſtino epiſcopo Hipponenſi, qui interfuit, & legatus Numidiæ fuit, intelligi poteſt, vt ſupra docuimus, nec à fide Romanæ eccleſiæ vnquam illi receſſerunt: imò quoſcunque de hæreſi eccleſia Romana damnauit, & ipſi damnauerunt: at vos ſtatim à principio obedientiam Pontificis Romaní abiecistis, primatum eius negaſtis, & fidem eccleſiæ catholicæ reliquiſtis. Illi Nicenum canonem de appellationibus oſtendi ſibi poſtulabant, parati recipere, ſi oſtenderetur, promittentes interim ſeruaturos ſe omnia ſine iniuria Pontificis: imò in extrema parte epiſtolæ ad Cœleſtinũ Pont. damnationem Apiarij, vnde illa procella orta eſt, factam eſſe confitentur ſalua epiſcopi Romani moderatione, an non eſt hoc confiteri ius, & auctoritatem Põtificem appellandi? Canones verò ex Sardicenſi Concilio in commonitorio recitatos, qui erant alioqui ex

Quãta ſit Magdeburg. & Africanorum diſtantia ac differẽtia quorum ſimiles videri volunt in negatione decret. de appel.

Canones Nicenos ex ſardicẽſi ſynodo recita-

tos, nunquam Africani abſurdos, aut falſatos dixerunt, vt Magdeb. finxerunt.

actis Synodi Nicenæ ſumpti, nō ſolùm, nec abſurdos, neque falſos eſſe, vnquam dixerunt, vt vos finxiſtis: ſed potius, vt paulo antè ex ipſa eorum epiſtola oſtendi, probabant, & commendabant, modo Romæ ſeruarentur: in quo tacitè, ac diſſimulanter de Pontifice querebantur: at vos abſurdiſſimos dicitis, & falſatos, qui dicitis, iuxta prophetam, bonum, malum: malum, bonū: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, quos manet propheticum væ. Præterea quod illi tunc patres errarunt, poſteà ſucceſſores eorum Bonifacio 2. Pontifice correxerūt, cum eſt inter Africanam, & Romanam eccleſiam facta pacis reconciliatio, vt perſpici poteſt ex epiſtola eiuſdem Bonifacij ad Eulalium Patriarcham Alexandrinum, in qua multa diuinè præfatus de diſtinctione ordinum eccleſiaſticorum, & de mira connexione concordiæ ex diuerſitate, ac diſtinctione graduum, ſubiungit, Quia igitur vnumquodque ſalubriter tunc completur officium, cum fuerit vnus, ad quem poſſit recurri, præpoſitus, vota noſtra charitatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit ſolicitudinis, gaudiorū fructus reddatur extorris. Et ideo Carthaginenſem eccleſiam ad Communionem noſtram rediſſe tradentibus ſignificamus alloquiis, & mandatorum, quæ legatis noſtris dedimus ſeriem in omnibus fuiſſe completam. & paulò pòſt, Aurelius enim præfatæ Carthaginenſis eccleſiæ olim epiſcopus, cum collegis ſuis inſtigante Diabolo ſuperbire temporibus prædeceſſorum noſtrorum Bonifacij, atque Cœleſtini contra Romanam eccleſiam cœpit. Sed videns ſe modo peccatis Aurelii Eulalius à Romanæ eccleſiæ communione ſegregatum, humilians recognouit ſe, pacem & communionem Romanæ eccleſiæ petens, & ſubſcribendo vna cū collegis ſuis damnauit auctoritate apoſtolica omnes ſcripturas, quæ aduerſus Romanæ eccleſiæ priuilegia factæ quoquo ingenio fuerunt. Horum ergo vos pœnitentiam imitari oportebat, non illorum ſuperbiam, ſed maluiſtis æmulari in malignantibus, & zelare facientes iniquitatem. Det vobis Dominus locum pœnitentiæ, vt dedit illi Eulalio. Poſtremò patres illi Africani, quamuis in Synodo Sardicenſi, quæ extabat, legerent,

quæ

quæ in commonitorio illo, ex Nicena Synodo profe-rebantur, quæ fuerant poſteà in Sardicẽſi repetita, quia tamen nondum putabant eam Synodum ab œcumeni-ca Synodo confirmatam, non mouebat illos: tametſi e-rat quidem recepta, & approbata in 2. Synodo Conſt. canone 5. vbi occidentalis Synodus vocatur, vt in Sy-nodo quoque Florentina act 6. affirmatum eſt. At vos poſtquam Synodus Sardicenſis, non ſolum in illa Cõ-ſtantinopolitana, ſed in alijs etiam magnis & œcume-nicis Synodis, quæ poſteà conſecutæ ſunt, confirmata eſt, quid iam vtcumque excuſare poteſtis? eſto, non ex-tent acta illa Synodi Nicenæ, ex quibus decreta illa Sar dicenſis Concilij in Carthaginenſi ſumpta, & repetita fuerant, fuiſſe enim ſcripta acta, & quidem accuratè, te-ſtatur magnus Athanaſius in epiſtola de Synodis Ari-mini, & Seleuciæ: Photius quoque Conſtant. ſcribit in bibliotheca ſua, id eſt, in volumine de libris à ſe lectis, legiſſe ſe acta Synodi Nicenæ tribus voluminibus, à Gelaſio quodam ſcripta. Item beatus Iſidorus Hiſpal. archiepiſcopus in prologo ſuæ collectionis Canonũ, & Epiſtolarum audiſſe ait ex duobus de conſortio fra-trum ſuorum, (epiſcopos dicit) qui ex Oriente venerãt, qui affirmabant vidiſſe in Oriente ingens volumen a-ctorum Synodi Nicenæ in quibus aiebant iudicia que-rimoniarũ, & definitiones, ac conſtitutiones contineri, vbi autem iudicia, & actiones cauſarum tractantur, ne-ceſſe eſt ſæpe vt producantur regulæ eccleſiaſticæ, & vt ſententiæ iudiciales inter actiones ipſas ſanciantur, vt in actis concilij Chalcedonenſis, quæ illi ex Oriente patres, de quibus paulò antè Iſidorus meminit, dice-bant ad exemplum actorũ Nicenæ Synodi ſcripta eſſe, vt cernere licet in act. 12. vbi cauſa Baſſiani, & Stephani Epiſcoporum eccleſiæ Epheſiorũ acta eſt: & quia con-tra regulas ibi productas facti fuerant epiſcopi, ſecun-dum canones ibi recitatos priuati ſunt. Item in actione 7. controuerſia Maximi Antiochiæ Epiſcopi, & Iuuena lis Hieroſolymorum de paroeciis compoſita eſt, ita vt Antiochenus haberet in diœceſi ſua duas Phœnicias, & Arabiam: & Hieroſolymitanus tres Palæſtinas. Sic etiã in 5. conc. inſtituta eſt actio, & acta cauſa contra Pe-

Synodus Sardicenſis approbata in Synodo Cõſt. can. 5. vbi occidentalis vocatur.

De actis Nicenæ Synodi accuratè ſcriptis: & qui ſint auctores, & quod iudicia & actiones cauſarum, & eccleſiaſticæ deciſiones ad eas pertinentes in eis continerentur.

Quod canones illi Niceni, ex quibus ſententias illas iudiciales in reſcripto ad orientales Iulius ſumpſit, ad acta Synodi pertinebant, & in eis ferebantur.

trum Apamearum epiſcopum. ad iſta ergo acta Synodi Nicenæ illi Niceni canones pertinent, ex quibus actis ſentẽtias illas tam multas, & varias iudiciales, quas Iulius Pontifex in reſcripto ad Orientales produxit, ſumptas eſſe non obſcurè idem Iulius ſignificaſſe mihi videtur, cùm finem faciens, plura, inquit, de his ideo hic non inſerimus, ne vacuare, vilem ve prædictam facere Synodum videremur: aut faſtidium legentibus, audiẽtibúſque prolixa faceret epiſtola: cum Synodum dixit, profectò acta Synodi intellexit, non enim Synodus in canonibus conſiſtit, alioqui Synodi nullæ eſſent, quæ nullos canones fecerunt. neque rurſus ſi totos, ſiue 70. ſiue 80. canones, quos Nicena Synodus compoſuit, Iulius repetiſſet, continuò totam Synodum vacuaſſet, cũ canones ſeorſum ferri ſoleant, & ab ipſa Synodo, id eſt, ab actis ſeparari: loquitur igitur Iulius de legibus, ſiue canonibus eccleſiaſticis, quas nunc vocant deciſiones, quæ erant per acta ipſa, & actiones cauſarum, tanquam ſanguis per venas corporis fuſus: non enim deciſiones iudiciales aptius collocari poterant, quàm inter cauſas ipſas, & cauſarum actiones, quæ in actis continebantur: confirmat etiam hoc illud Nicolai primi diſt. 19. c. Si Romanorum, Præſertim inquit, cum Synodalia geſta, inter quæ ipſi canones ſtatuti ſunt, in codice canonum non habeantur. libenter hæc notaui, quod aliquando, cùm hæc nõ diſtinguebam, neque conſiderabam, fateor, non poteram intelligere, quomodo ex illis canonibus 80. qui in 70. poſteà redacti ſunt, tam multę ſententiæ (ſic enim Iulius vocat) iudiciales eſſent non enim probabile mihi videbatur, tam multos canones de iudiciis, & actionibus cauſarum, & tam paucos de cæteris rebus ſancitos eſſe. Eſto ergo, vt iterum dicam, non extent acta iſta Nicenæ Synodi, in quibus vt par eſt credere, canones illi duo iudiciales Synodi Sardicẽſis 7. & 17 continebantur, quos Zozimus. Pont in commonitorio legatis ſuis ad Synodum Carthaginenſem dedit, & ex Concilio Niceno eſſe affirmauit at extat ipſa illa Sardicenſis Synodus ex 200. epiſcopis 30 prouinciarum, quæ vt aliæ Synodi alios canones Nicenos continent, vt Antiochena, Laodicenſis, & aliæ, ita hæc

Sardicenſis canones illos, qui in Synodo Carthaginenſi ex commonitorio illo recitati ſunt, continet. Sed iam ſextum canonem aggrediamur.

De ſexto Canone Conc. Niceni, & quemadmodum in eo ſumma poteſtas Pontificis neceſſario contineatur, & Apoſtolicum ius eccleſiaſticæ prouocationis ad eum: & quomodo ex 34. canone Apoſtolorũ, & ex epiſtola 3. Sancti Anacleti is canon ortum duxerit, & de interpretatione euidenti eiuſdem Canonis Sexti, & quid verbum πρεσβεῖον in eodẽ Can. Sexto ſignificet contra patronum Molinei. Item reſponſio ad id quod in 4. Centuria obiiciunt Magd. diſſentire inter ſe qui auctoritatem primatus Pontifi, ad conſuetudinem referunt: & qui ad Chriſtum. & quæ iſta conſuetudo ſit intelligẽda in epiſtolis Pontificum. De epiſtola Iulii cum Athanaſio, cum hiſtoria, & teſtimonio Theodoreti, & Socratis, & Synodo Sardicenſi collata. De eo, quod Mag. Sextum canonem falſatum eſſe obiecerũt, & quare, & vbi eum, vt nunc habet, iidem receperunt, & de praua interpretatione canoni 6. & 9. Niceni in hiſtoria Rufini. Quid ſignificet parilis mos in eodem Sexto Canone.

Caput 3.

Poſtquam ſatis oſtenſum eſt, patres illos concilij Carthag. Primatum Põtificis Romani, nunquam refutaſſe, ſed potius ſemper illũ Pontifici tribuiſſe: age diſſeramus iam accuratiùs de illo ipſo canone ſexto concilij Niceni, qui eſt de conſuetudine priſca poteſtatis ipſorum Primatũ in ſubiectos Epiſcopos, quia hæc, inquit, eſt epiſcopi Romani cõſuetudo. interpretemurque illum, non ſolùm veterum pontificum, & aliorum ſanctorum patrum, ſed etiam magnorum cõciliorum teſtimoniis, ac decretis in interpretationẽ eius collatis: Interpretemur, inquam, pluribus de cauſis, quam exactiſſimè poſſumus: tum quia in hoc canone non bene conſiderato patres illi Carthaginenſes ſic clericos, & epiſcopos Metropolitis ſuis commiſſos eſſe exiſtimabãt, vt non eſſet ad epiſcopum Romanum prouocatio;

tum etiam, quia in eo ipſo canone eſt illa priſca conſuetudo, quam Magdeburgenſes in 5. Centuria, vt antea dixi, obiiciunt, non fuiſſe à Zoſimo Papa citatam, ſed tantum inquiunt, ius humanum, id eſt, decreta Nicena: deinde, quia quidam patronus Molinei Lutheranus ſcriptor auſus eſt dicere, circumſcriptā eſſe in hoc canone certis finibus Romani Pontificis iuriſdictionē, in quo mendacio, mirum, quam inſanè exultet ac triumphet: poſtremo, quod potiſſimum eſt, quia hic canon grauiſſimus teſtis eſt ſummæ poteſtatis epiſcopi Romani, & legitimæ ad eum, cum neceſſe eſt, prouocationis. Vigeant ergo, inquit canon, priſcæ conſuetudines quæ in Aegypto, Libya, ac Pentapoli ſunt: vt epiſcopus Alex. horum omnium habeat poteſtatem, quia ita conſuetum eſt epiſcopo Romæ. Sequitur deinde, ſimiliter autem in Antiochia, & aliis prouinciis ſeruanda ſunt priuilegia eccleſiis, &c. non dixit, ſicut hoc conſuetum eſt epiſcopo Romæ, ſed dixit, quia hoc conſuetum eſt epiſcopo Romæ habere. ſ. poteſtatem in epiſcopos ſuos, Quare ſi poteſtas, quam epiſcopus Romanus in epiſcopos habere conſueuit, cauſa eſt, cur primates Alexandrinus, & Antiochenus in epiſcopos ſuarum prouinciarum ἐκ τοῦ ἀρχαίου poteſtatem habere conſueuerint, igitur poteſtas epiſcopi Romani in epiſcopos maior eſt, quàm primatum Alexandrini, & Antiocheni, propter quod enim, vnumquodque eſt, & illud magis eſt, vt ratione naturali magiſtra, princeps philoſophorum didicit, & idem in priore libro poſteriorum ἀναλυτικῶν docuit: vt quod cauſa eſt, inquit, cur hoc amemus magis illud amamus. Similiter dicendum eſt, propter quod vnumquodque poteſt, & illud magis poteſt. Quare ſi primates, archiepiſcopi, aut Metropolitani, quod à principio in epiſcopos ſuarum prouinciarum poſſe conſueuerunt, propter id, quod epiſcopus Romanus in epiſcopos ſibi ſubiectos poſſe conſueuerit, poſſunt, ex quo rurſus neceſſario ſequitur, vt poteſtas epiſcopi Rom. maior ſit igitur ad epiſcopum Rom. vt pote maiorem hoc ipſo canone ſexto teſte, omnibus, cùm neceſſe eſt, datur prouocatio. Vnde autem, & qua ratione factum ſit, vt epiſcopi Rom. poteſtas in epiſcopos

Quomodo poteſtas Pont. ſit cauſa poteſtatis aliorum primatum, & quare.

ſit maior, & ex ea tanquam ex cauſa, ac fonte poteſtas Primatum, & Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum in ſuos epiſcopos deriuetur, optimè, & grauiſſimè, ac magna auctoritate Pont. Anacletus in epiſtola 3. interpretatus eſt quem Synodus Nicena in hoc ſexto canone eſt ſecuta. ſic enim ait, Inde namque & beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt, vt epiſcopi ſingularum ſcirent gentium, quis inter eos primus eſſet: quatenus ad eum potior eorum ſolicitudo pertineret. Nam & inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio, & licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino eſt conceſſum, & ipſi inter ſe idipſum voluerunt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, qui & eandem formam ſuis ſucceſſoribus, & reliquis epiſcopis tenendam tradiderũt Hactenus Anacletus. Cuius epiſtolæ temerè à Magdeburgenſibus reiiciuntur, cùm eorum propheta, ac magiſter Martinus Lutherus ſecundæ eiuſdem Anacleti epiſtolę teſtimonio, & auctoritate contra nos in reſolutione de auctoritate Pontificis abutatur Quia igitur beatus Petrus reliquis omnibus Apoſtolis, ita domino ſecundũ euangelium ſuum ſtatuente, præfuit, omnéſque eum principem habuerunt, quamuis omnes Apoſtoli eſſent, idcirco Sancti Apoſtoli iuſſu domini ſtatuerunt, vt ſimili forma, ac more archiepiſcopi, & Patriarchæ reliquis per prouincias ſuas præeſſent epiſcopis, quamuis omnes eſſent epiſcopi: omnéſque epiſcopi ſingularum nationum ſuum primum haberent, hæc forma 34. Canone Apoſtolorum ſancita eſt, quem hoc loco epiſtolę ſuæ tertiæ. S. Anacletus citauit: & ad quem illæ priſcæ conſuetudines pertinent, quas in ſexto hoc canone Nicena Synodus dicit de diſcretione (vt verbo Anacleti vtar) epiſcopi Alexãdrini, & reliquorum epiſcoporum per prouincias: item Antiocheni, & epiſcoporum, qui ei ſubiecti ſunt. Secundum enim hunc Apoſtolorum canonem iam à priſcis temporibus epiſcopi Aegypti, Libyæ, & Pentapolis primum ſuum agnoſcebant epiſcopum Alexandriæ: & epiſcopi prouinciarum Orientis primum ſuum, epiſcopum Antiochiæ. Quod ſi hoc, vt Sanctus Anacletus interpretatus eſt, Sancti Apoſtoli ſtatuerunt propter formam, quam ipſi inter ſe habe-

Quod temere Magd. epiſt. Anacl. negãt, quibus Martinus Luther. contra nos vti volebat.

bant,qui videlicet beatum Petrum primum,& caput agnoſcebant,ad eumque tanquam ad caput omnia maiora referebant, vt illi in Moſaica hierarchia ad Moyſem,conſequens neceſſario eſt,vt ſucceſſores Apoſtolorum tum Metropolitani,tum Patriarchæ, qui ſunt maiores Metropolitanis,ſucceſſorem beati Petri, id eſt, epiſcopum Romanum primum,& caput agnoſcere debeant:ac proinde ad epiſcopum Romanum, ceu ad caput,omnes maiores cauſas referre, ac etiam ius eũ appellandi omnibus permittere. Hic ergo eſt, interprete S.Anacleto,priſcus mos epiſcopi Romani, quẽ ſextus canon Synodi Nicenæ dicit,ſcilicet à ſanctis Apoſtolis auctoritate domini inſtitutus,& ex more,quẽ ipſi inter ſe habebãt,expreſſus,vt videlicet epiſcopus Romanus, caput omnium Primatum,ſiue Patriarcharũ ſit, vt Petrus erat omnium Apoſtolorum:ex quo more Apoſtolico epiſcopi Romani Petri principis Apoſtolorum ſucceſſoris,ita ſanctis Apoſtolis inſtituẽtibus, tanquam ex fonte manat,vt ſextus hic canon Synodi Nicenæ teſtatur,vt alij Patriarchæ, ſiue primates aliorum epiſc. per prouincias ſibi ſubiectas capita ſint: quia videlicet epiſ. Roman.caput eſt ipſorum Metropolit ac Patriarcharũ, ac proinde omniũ epiſc. qui ſub illorũ poteſtate ſunt: ita ſit,vt vnus demum omnium primus ſit,& omnium caput.vt fuit Petrus.hanc enim formam,quam inter ſe S.Apoſt tenebant,vt S. Anaclet. ait, ſuis ſucceſſoribus, & reliquis epiſcopis,vt iam explicatum eſt, reliquerũt. Illud autem hic admonebo,quomodo accipiẽdum ſit, quod in lib.1.de Dogmaticis Characteribus verbi Dei hunc ipſum canonem ſextum Nicenæ Synodi interpretans ſcripſi:ne quis exiſtimet diuerſam ſententiam eſſe, non enim cõtinuò ſecum diſcordat, qui quod alio loco paulò obſcuriùs dicit,alio dicit explanatiùs.Videbar enim tribuiſſe illic Põtifici Rom.quaſi inſtituiſſet,quod B Petrus,cui ſucceſſit, cùm reliquis Apoſtolis inſtituit. Quare cum dixi interpretans morem iſtum Pontificis Romani,quem canon Niceni concilij dicit,quia epiſc. Rom.iam olim à principio ſolitus eſt concedere epiſc. Alexandrino iuriſdictionem Aegyptiam, Libycam, & Pentapolitanam,& rurſus paulò pòſt Quam.ſ. iuriſdi-

ctionem epiſc. Alexand. iam olim ab epiſc. Rom. accepit ſic intelligo, accepiſſe. ſ. ab epiſc. Romano per auctoritatem, & inſtitutionem B. Petri, qui in ſucceſſore ſuo Romano præſidet. Petrus enim & cum eo reliqui Apoſtoli iuſſu domini ſtatuerũt, vt Primates, & Metropolitani poteſtatem iuriſdictionis in epiſc. ſuorum prouinciarum haberent. Sic hunc canonem magnus Athanaſius intellexit, cum in epiſt. 2. ad Felicem Pon. auctoritate huius canonis conc. Niceni probat ſe Patriarchã Alexandrinũ, & reliquos epiſc. Aegyptios à Pont. Rom. qui ipſis præerat, contra Arianos defendi debere. Nos enim inquit, ad quos tua maximè ſpectat cura, id eſt, omnes epiſcopi, præcipuè tuum mereri debemus iudicium, & non ab aliis deuorari. Deinde ſubiungit, nam vt omnes Metropolitani, vel reliqui epiſcopi ſua odia, aut vindictas in reliquos epiſcopos exercere non valeant, ideo nominatim in Nicena Synodo expreſſi ſunt Primates, qui reliquos epiſcopos audire, & iudicare debeant: ne vlla fraus in iudicio epiſcoporum poſſit irruere. hoc autem in canone ſexto cautum eſt. Deinde ſubiungit, Vos ergo, qui in ſumma ſpecula gratia Dei eſtis poſitis, attendere eos, & opprimere oportet, qui in fratres ſeditiones, & ſcandala excitant. Hæc igitur eſt ratio Athanaſij ex ſexto canone Niceni concilij concluſa, ſi illud in Nicena ſynodo ſecundum priſcam conſuetudinem, id eſt, Apoſtolicam traditionem cautum eſt, vt Primates reliquorum epiſcoporum cauſas audire, & iudicare debeant, id autem factum eſt, propter conſuetudinem epiſcopi Romani diuina ſcilicet traditione inſtitutam, (hoc enim teſtata eſt Synodus inquiens. Quia hic eſt mos epiſcopi Romæ) ergo ipſi in primis ac magis conuenit epiſcoporum cauſas cognoſcere, propter quem aliis conuenit. Eandem ſententiam, & interpretationem canonis ſecutus Igmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, valde grauis, & vetus auctor in tractatione ſua quorundam capitum eccleſiaſticorum capite quinquageſimo ſeptimo Niceni quoque, inquit, canones Romani Pont. priuilegium ratum eſſe voluerunt, cum ad exemplum eius etiam omnium priuilegia prouinciarum iudicarent obſeruanda. Hoc

Interpretatio canonis 6. Nic. conc. ex epiſtola Athanaſii ad Felicem.

Interpretatio canonis 6. conc. Nic. ex Ignamo Rhemenſi.

ergo canone ſummam Pont. Rom. auctoritatem in omnes eccleſias, & omnes eccleſiaſticas leges, ac iudicia à Nicena ſynodo confirmatam eſſe ſenſit grauiſſimus, & nationis Germanicæ auctor. Vnde ſubiungit, nequaquam ergo aliud Romanus Pontifex contra canones agit, ſi quando illos pro conſideratione temporum nunc intendit: nunc remittit: cum & ipſi canones tale priuilegium ei indubitanter competere conceſſerint. Sic etiam hunc canonem intellexit Nicolaus primus Pont. eruditiſſimus, ac ſanctitate clarus in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, ita enim ait, Nicenæ Synodi non aliud præcepta teſtantur: adeo vt non aliquid auſa ſit conſtituere, cùm videret, nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri. Omnia denique hic nouerat domini ſermone conceſſa. Si omnia, ergo nihil defuit, quod illi non ceſſerit. deinde ſubiungit, Denique ſi inſtituta Nicenæ Synodi diligenter inſpiciantur, inuenitur profecto, quia Romanæ eccleſiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: ſed potius ex eius forma, quod Alexandrinæ eccleſiæ tribueret, ſumpſit exemplum Hactenus Nicolaus. Quæ verò iſta forma ſit, quam Pontifex Nicolaus dicit, magis adhuc intelligi poteſt ex epiſtola 3. Anacleti, quam Synodus Nicena ſecuta eſt, & vnde Nicolaus primus verbum formæ, & ſententiam, atque interpretationem canonis ſumpſit. Sic enim ait, Inde nanque & beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt, & quæ ſequuntur. Item Leo magnus, cuius auctoritas quanta ſit, Synodus Chalcedonenſis ſexcentorum, & amplius epiſcoporum teſtis eſt, ſic hunc canonem intellexit: ſiquidem quia Patriarcha Antiochenus auctoritate epiſcopi Rom. & non alterius, ordinandus erat, Anatolium Conſtantinopolitanum in epiſtola ad Marcianum Auguſtum reprehendit, quod eum ordinaſſet. id autem factum eſſe dicit contra priuilegia eccleſiarum ſanctorum patrum canonibus inſtituta, & Nicenæ Synodi decretis fixa, & contra antiquitatis exempla. Hæc autem omnia canone 6. in quem, cum, hæc ſcribebat, intuebatur, comprehenſa ſunt. iubet enim is canon ſeruari eccleſiarum priuilegia, & priſcas conſuetudines, quæ Leo Pontifex antiquitatis exempla

Interpretatio can. ſexti ſynodi Nic. ex epiſtola Nicolai.

Quod ſynodus Nic. ſecuta ſit in canone ſexto conc Nic. epiſt. 3. Anacleti.

vocat,ex quibus eſt conſuetudo priſca eccleſiæ Romanæ,ad quam ceu ad caput & fontem,aut cauſam priſcas aliarum eccleſiarum conſuetudines referri, & ab ea pendere apertè ipſa Synodus teſtata eſt,cùm ait,Vigeant priſcæ conſuetudines, vt epiſcopus Alexandrinus,& quæ ſequuntur. & ſubiungit cauſam, & originem,quia hæc. inquit, eſt conſuetudo epiſcopi Romani:quod ſatis ſupra explicatum eſt,ne eadem ſæpius repetamus. Cum igitur Leo Pontifex ad reprehendẽdum Anatolium ſententiam huius ſexti canonis obiicit,Synodum Nicenam priſcæ huius conſuetudinis Epiſcopi Romani teſtem obiicit. Quod ſi exempla experientiæ in ſumma poteſtate Pont. Rom. Lutherani petũt,ſicut eorum propheta Martinus, vt in prooemio libri huius dixi,petebat: huic priſcæ conſuetudini epiſcopi Romani in ſexto canone Synodi Nicenæ teſtatę, omnes archiepiſcopi Theſſalonicenſes ante ſchiſma eccleſiæ Græcorum locupletiſſimum teſtimoniũ ſemper dederunt. ij enim vt legati perpetui Pontificis Romani locum eius ſemper tenuerunt : cuius auctoritate priuilegia eccleſiarum ſalua conſeruabant : & ordinationes epiſcoporũ ritè celebrandas, ac electiones Metropolitanorum firmabant : vt ex epiſtola Leonis 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem c. 6. perſpici poteſt, Nomine autem Metropolitani Patriarchæ, quoque comprehenſi ſunt, vt in canone ſexto Synodi Nicenæ factum eſt. Accedit teſtis huius conſuetudinis epiſcopi Romani in firmandis electionibus, & ordinationibus Patriarcharum ipſa etiam Synodus Chalcedonenſis: in cuius actione 10. ordinatio Maximi Patriarchæ Antiocheni, Domino anteceſſore eius eiecto auctoritate Leonis epiſcopi Romani firmata eſt : & ob eã cauſam ab aliis recepta,& approbata. Sed quia hic canõ ſextus Synodi Nicenæ πρεσβεῖα eccleſiarum ſecũdum priſcas conſuetudines ſalua eſſe vult,& eiuſdem canonis ſententiam Synodus Conſtantinopolitana, & Epheſina poſtea eodem verbo πρεσβεῖον renouarunt, libet explicare vim huius verbi,quod ſciam, alios in explicanda notione eius laboraſſe: alios nugatos etiã eſſe: ex quibus eſt patronus Molinei,à verbo igitur πρεσβεύω πρεσ-

2.Cor.5. βεία dicitur, quo verbo vſus eſt Apoſtolus, cùm ait, pro Chriſto ergo legatione fungimur. Hoc.n. eſt Epiſcopi munus Sed quia non licet epiſcopo, vbique legatione fungi, vt Paulo licebat, niſi tantum in diœceſi ſibi aſſignata, vtitur Synodus verbo πρισβεῖον quod non iam ſolam legationem ſignificat, ſed diœceſim, in qua legatio pro Chriſto obeunda eſt. Sicut διδασκαλία doctrinam ſignificat διδασκάλιον verò ſcholam, vbi docetur, ſiue ludũ litterariũ. Quare nugatur, qui dicit, ſolũ dignitatẽ & non poteſtatẽ ſignificare hoc verbum in canone ſexto Nic. conci. cum legatio, ſine poteſtate explicari non poſſit. Conſuetudo igitur priſca, quã Synodus Nicena dicit, quæ πρισβεῖα ſiue, vt patres latini vocant, priuilegia epiſcopis dedit, diœceſes, inquã, cuique ſuam, in qua quiſque epiſcopus priuilegio legationis ſuæ in ea pro Chriſto fungendæ vteretur, dignitatem ſimul & poteſtatem dedit. Eccleſiæ itaque Romanæ, ſiue epiſcopi Romani, qui ei præeſt, πρισβεῖον eſt vna cuncti orbis Chriſtiani diœceſis, vbi legatione ſua pro Chriſto fungitur. vt in eo impleatur, quod dominus, qui mentiri non poteſt, in euangelio ſuo dixit, Et erit vnus grex, ſiue vnũ ouile, & vnus paſtor, (ſic enim intellexit beatus Cyprianus in libro de vnitate eccleſiæ) & alij epiſcopi eiuſmodi πρισβεῖα habeant, id eſt, diœceſes ſuas ad obediendum ſuam pro Chriſto legationem. Niſi enim eſſet vnum omniũ diœceſeon ceu corporis vnius caput, vel non eſſent ſingula capita ſingularum diœceſeon, quæ partes ſunt illius vnius diœceſeos inter ſe vni capiti cohærentes: vel eſſet corpus multorum capitum, ſiue vlla concordia & decore, & mõſtri potius ſimile quam corporis. Idcirco Synodus Nicena vt in hoc canone ſexto, de quo agitur, cauſam redderet, cur conſuetudo illa iam tunc priſca inſtituta eſſet, vt epiſcopus Alexandrinus in ſubiectas ſibi prouincias, & earum epiſcopos poteſtatem haberet: item Antiochenus poteſtatem haberet in ſuas: itidem alij in ſuas parœcias. quia, inquit, hæc eſt conſuetudo epiſcopi Romani. formam enim quam beatus Petrus, & reliqui Apoſtoli habebant, ſucceſſoribus Metropolitis, & reliquis epiſcopis, tanquam ex ſuo fonte deriuan-

tes reliquerunt. Congruit, cum his, quod S. Anicetus, ſiue Anicius martyr, & Pontifex in epiſtola ad epiſcopos Galliæ ſcripſit, inquiens, Si autem propter nimiam longinquitatē, aut temporis incōmoditatem, vel itineris aſperitatem graue ad hanc ſedem eius cauſam deferre fuerit (loquitur autem de Metropolitano incorrigibili) tunc ad eius Primatem cauſa deferatur: & penes ipſum huius ſanctæ ſedis auctoritate iudicetur. Hactenus Anicetus, quod ſi auctoritate ſedis Apoſtolicæ iudicant Patriarchæ, ſiue Primates, cum Nicena Synodus ſanxit, vt ſecundū priſcam conſuetudinē Alexādrinus epiſcopus, qui eſt Primas, ſiue Patriarcha poteſtatē haberet Aegypti, Libyæ, & Pentapolis, quia is eſſet mos epiſcopo Romano, profectò morē epiſcopi Romani Synodus vocauit formam auctoritatis, quam epiſcopus Romanus in reliquos mundi epiſcopos à domino accepit, quāuis omnes eſſent epiſcopi, vtpote ſucceſſor beati Petri, qui reliquis omnibus Apoſtolis præfuit, quāuis omnes eſſent Apoſtoli. Itē S. Melchiades intuens in hunc ſextū canonem Synodi Nice. & de appellando Pontificem loquens, ipſum quoque verbū conſuetudinis inde mutuatus eſt. Sic enim ait in epiſtola prima, ſi verò ſe viderit quiſque veſtrum prægrauari, hanc ſedem appellet: huc recurrat, vt ſemper inſtituta fuit conſuetudo. Ergo propter formam huius cōſuetudinis à Sanctis Apoſtolis inſtitutę, & traditæ, atq; à magna Synodo Nicena receptæ, & confirmatæ, quia epiſcopus Roman. reliquis epiſcopis omnium eccleſiarū præeſt, ita vt reliqui eum appellare, cum neceſſe fuerit, poſſint, propter hanc, inquam, formam Nicena Synodus ſanxit, & confirmauit priſcam, & Apoſtolicam conſuetudinem, vt epiſcopus Alexandrinus epiſcopis Aegypti, Libyæ, & Pentapolis præeſſet: atque hi illum, cum opus eſſet, appellarent, ſalua ſemper, vt neceſſe eſt, Romanæ ſedis auctoritate, vtpote ſumma. Hanc conſuetudinem ad Romanam ſedem confugiendi cum non intelligant Magdeburgen. nec ſciant, vnde ea exiſtat, neque quod genus conſuetudinis ſit, obiiciunt in Centuria 4. cap. 7. de epiſtolis decretalibus Pontificum, diſſentire inter ſe epiſcopos

Quod epiſtolam quoque Aniceti ſecuta eſt Synodus Nicena in Canone 6.

Quomodo Melchiades imitatus & ſecutus ſit canonem ſextū Syn. Nic.

" Romanos de Primatu: quia alij, inquiunt, affirmant ex
" conſuetudine fieri. vt omnes cauſæ ad Romanam ſe-
" dem perferantur, vt Melchiades in epiſ. ad epiſcopos
" Hiſpaniæ, & Damaſus in epiſ. ad Proſperum: alij verò à Chriſto. Hæc iſti. Qui, ſi ita vt ſe de verbo Dei iactāt, in ſtudio eius profeciſſent, ex Paulo Apoſtolo diſcere potuiſſent, poſſe conſuetudinē in natura, & in ſcriptura niti. Poſtquam enim dixit in epiſtola ad Corinthios priore, Nec ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier autem ſi comam nutriat, gloria eſt illi? quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt: ſubiungit, Si quis autem videtur cōtentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem nō habemus, nec Eccleſia Dei. Quæro ergo à vobis Magd. quā conſuetudinem hoc loco Apoſtolus dicat? an conſuetudinem ex humana ortam inſtitutione? an potius conſuetudinem natura, & ratione conſiſtentem, & eccleſiæ à Sanctis Apoſtolis commendatam, ac traditā? profectò negare hoc non poteſtis, ſi quid ſanè mentis habetis. Huiuſmodi igitur conſuetudo priſca conueniēter naturæ, & rationi à Chriſto inſtituta, & verbo eius ſancita, atque à Sanctis Apoſtolis tradita eſt, qua omnia eccleſiæ catholicæ membra vni capiti ſubiecta ſunt ne ſit ſchiſma. Hanc conſuetudinem Melchiades, & Damaſus dixerunt: quod vos Magd. non intellexiſtis. Sed intelligite nunc, & iudicate, an diſſentiant, vt dixiſtis, de primatu, qui à Chriſto eum, & qui à conſuetudine à Chriſto inſtituta ducunt. Hanc ipſam conſuetudinē ante mille propè ducentos annos longinquam vocauit beatus Cyrillus in epiſtola ad Cœleſtinum, Pont. de qua ſuperiore libro memini. Ex qua igitur origine, niſi Apoſtolicæ traditionis orta fuit, ſi iam tunc priſca erat, & omnium eccleſiarum? Huic etiā conſuetudini teſtimonium, & quidem grauiſſimum Synodus Epheſina in ſuis ad eundem Cœleſtinum litteris dedit: de quibus, ibidem quoque memoraui. Præterea hunc canonē ſextum Synodi Nicenæ, de quo tam multa ſcribimus, quia hanc conſuetudinem priſcam à Sanctis Apoſtolis traditam confirmauit, & in quo vis decreti de appellationibus continetur, Iulius quoque Ponti-

Quæ cōſuetudo ſit, ad quā Primatus Pont. refertur in epiſtolis Pontificum.

Quid Iulius Pont. ſcripſerit de poteſtate ſumma Pont. intuens quoque in canonem Apoſt. & canonē Syn. Nic. & epiſtolam Anacleti, atque Aniceti.

ſex eodem modo intellexit. intuens enim in eum, & in canonem Apoſtolorum 34. & in epiſtolam Anacleti 3. & in epiſtolam Aniceti ad epiſcopos Galliæ, ſic in epiſtola ſua prima ſcripſit, Quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædã diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret: de qua forma quædam epiſcoporum orta eſt diſtinctio, & magna ordinatione prouiſum eſt, ne omnia ſibi omnes vendicarent: ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorũ inter fratres haberetur prima ſententia: & rurſus quidã in maioribus vrbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam beati Petri ſedem vniuerſalis eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo capite diſſideret. Secundum hanc priſcam legem eccleſiaſticam à ſanctis Apoſtolis auctoritate domini promulgatam, & canone magnæ Synodi Nicenæ confirmatam, qua omnium Epiſcoporum poteſtas, & iudicia ad vnum tandem caput referuntur, idem Iulius Pontifex cauſam Athanaſij ad ſe reuocauit vt Theodoretus etiam grauis auctor his verbis libr. 2. hiſtoriæ eccleſiaſticæ c. 4. teſtatur, Iulius igitur eccleſiaſticam ſecutus legem, & ipſos Romæ adeſſe iuſſit (epiſcopos dicit Athanaſij aduerſarios) & diem dixit Athanaſio: qui ſimul vt citatus fuit, cupidè accurrit. Eant nunc Magd. & negẽt hanc epiſtolam Iulij eſſe, cuius Theodoretus meminit, & quidem verbum ex verbo transferens. Secundum eandem legem alij quoque Põtifices Romani alios epiſcopos iniquis iudiciis oppreſſos ad Romanum tribunal confugientes audierunt, & iudicarunt, Innocentius Chryſoſtomum: Leo Theodoretum: Nicolaus tertium Ignatium: Martinus Maximũ: vt alios nunc omittam. Rurſus idem Iulius reſcribens epiſcopis Orientalibus, qui Athanaſium, & alios epiſcopos iniquè damnauerant, quos poſtea idem Iulius liberauit, intuens in hunc ipſum Canonem ſextum ſynodi, tãquam omnium inquit, curam gerentes propter ſedis propriæ dignitatem, ſuſcepimus eos in communionem: ſinguliſque cum ſuis rebus auctoritate huius ſedis proprias reddidimus eccleſias: quoniã huic ſanctę

Quod Theodoretus epiſtolæ Iulii meminit, & legis eccleſiaſticæ, quã ſecutus eſt Iulius in appellatione Athanaſii admittenda.

ſedi propter prauorum hominum inſidias ipſo domino inſtituente, & ſanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus per ſingula concilia roborantibus, hoc ſemper licuit, licebitque domino auxiliãte in perpetuum. Vnde qui ſcit ſe aliis eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat, aliquem ſibi eſſe prælatum: ſed obtemperantiam, quam ab aliis requirit, gratis & ipſe dependat. Quapropter increpando, vobis ſcribo, quia nõ rectè tractaſtis viros inculpatos, & à nobis minimè examinatos, ex ſuis eccleſiis communione priuatos pellentes, & eccleſiaſticæ diſciplinæ iniuriã irrogantes, conſtitutumq; Niceni concilij minimè ſeruãtes. Hactenus Iulius. Meminit etiam huius epiſtolæ Iulij increpatoriæ Socrates lib.2.c.15. quam vocat παῤῥησιαστικὰ γράμματα quas litteras ſcripſiſſe dixit Iulium eccleſiæ Romanæ prærogatiua fretum. Cum igitur Iulius Pontifex Orientales illos increpauerit, quod cũ ipſi eſſent alioqui aliis præpoſiti, nollent tamen alium eſſe ſibi prælatum (damnauerant.n. epiſcopos non permiſſa eis poteſtate appellandi maiorem, id eſt, pontificem Romanũ) & quod in ea re Canonem Concilij Niceni non ſeruaſſent, ſatis planum eſt, Canonem ſextum Concilij Niceni ſignificaſſe: ſi quidem in eo cõtinetur Primatus epiſcopi Romani, qui reliquis omnibus prælatus eſt: & poteſtas, quam habẽt alij epiſcopi in eos epiſcopos, quibus præpoſiti ſunt, vt de Alexandrino, & Antiocheno nominatim ſancitum eſt. Ita vt qui ſciunt ſe aliis eſſe præpoſitos, ſicut hic Iulius ſcripſit, non moleſtè ferant, aliquẽ, id eſt, Pontificem ſibi eſſe prælatum. Vnde Paſchaſinus epiſcopus Legatus, ac Vicarius ſedis Apoſtolicæ cùm vellet in Chalcedonenſi Concilio auctoritate, ac teſtimonio magnæ Synodi Nicenæ Primatũ Põtificis Romani probare, in cuius iniuriam voluerant quidã Canone per fraudem clàm compoſito, quædam priuilegia Conſtantinopolitano tribuere Patriarchæ, Canonem ſextum Nicenæ Synodi in actione 14. produxit, & recitauit ad contradicendum, ſic inquiens, trecẽtorum decem & octo patrũ Canon 6. quod eccleſia Romana ſemper habuit Primatũ: admonuit Paſchaſinus vice procemij, quid hoc canone contineretur, deinde

ſubiungit canonem. Antiqua conſuetudo vigeat per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, vt epiſcopus Alexãdrinæ horum omnium habeat poteſtatem quoniã, & Romano epiſcopo hæc eſt conſuetudo, & quæ ſequuntur. huic canoni, & canonis ſententiæ patres Synodi Chalcedonenſis minimè contradixiſſe, non ſolum ex ipſa actione 14. perſpici poteſt, ſed Liberatus quoque archidiaconus Carthaginenſis in Breuiario cauſæ Neſtorianorũ c.13. teſtatur: ſic enim ait, Legati contradictio à iudicibus cõcilij, & epiſcopis omnibus ſuſcepta eſt. Sed, vt ad epiſtolam Iulij Pontificis reuertamur, quia Magd. more ſuo, vel eã negabunt, vel auctoritatem eius, nos vtrumq; & veram eſſe, ac magnæ auctoritatis, aduerſus iſtos grauiſſimo teſtimonio probamus 250. epiſcoporum Synodi Sardicenſis Catholicorũ qui ex 30. & amplius prouinciis conuenerunt hi enim epiſtolã ad omnes epiſcopos miſerũt, quã Theodoretus lib. 2. hiſtoriæ eccleſiaſticæ recitat, in qua de illa ipſa epiſtola Iulij & meminerunt, & ſentẽtias eius poſuerũt, vt cùm aiunt, Et ſi maximè ipſorum calumniæ proditæ, iudicatęque ſunt, cũ quia citati ab amico, & collega noſtro Iulio non apparuerunt: tum de iis, quæ ipſe Iulius ſcripſit: profectò enim veniſſent, ſi non obſtitiſſet metus ſcelerũ perpetratorum Iulius verò de illis ipſis ſic ſcripſerat, Neque ſuſpicione caret, qui aliũ calumniis derogat, falſa dixiſſe, cum ipſe ad iudicium, vt probet, quæ intulit, euocat⁹ venire diſtulerit. Et paulò poſt eadem Synodus, ſed, vt diximus, citati non adfuerunt, hoc etiam ipſo facto producentes calumnias ſuas. Iulius verò ſcripſerat de eiſdem in eandem ſententiam, ſanè manifeſtum eſt, ſuum eos cõfiteri crimẽ, qui toties euocati, venire diſtulerũt. Sequitur in Synodo Sardicenſi. Qui enim ſe, quæ dixere de aliis, probaturos eſſe confidunt, ne in faciem quidem illos accuſare metuunt. Iulius verò ſic illis ipſis in eadẽ ſcripſerat epiſtola, qui citati à Pontifice venire noluerunt, Nam ſi de veſtris dictis confideretis, etiam in faciem probare non diſtuliſſetis Contulimus epiſtolam Synodi Sardicenſis cum epiſtola Iulij, ne eam poſthàc Magdeb. aut reliqui Lutherani negare audeãt. Quare

Veritatis & auctoritatis epiſtolæ Iulii teſtimonio eſſe ducentos quinquaginta epiſcopos Syn. Sard.

ſi nec epiſtolam vlla tergiuerſatione, nec auctoritatem eius negare iam poſſunt, quam tot epiſcopi Catholici, at tot prouinciarũ in eccleſia Synodica ad omnes omnium eccleſiarum epiſcopos citarunt, & ſecuti ſunt, eiſdem interdum verbis, & ſententiis vtentes, quid ſuper eſt, niſi, vt quæ in ea ipſa epiſtola Iulij continẽtur, quæ tot patres probarunt, & amplexi ſunt, & ipſi Lutherani, & Magd. licet inuiti conſcientia tamen cogẽte, probare cogantur, de Primatu dico Pontificis Romani, & de iure appellandi eum in maioribus cauſis, ne probi ab improbis damnentur, quæ & in ipſa Iulij epiſtola, & in actis ipſis Synodi Sardicẽſis comprehẽſa ſunt? Redeo ad ſextum canonẽ, in quo nec ipſi Magd. diſſimulare potuerunt, quin ſumma epiſcopi Romani poteſtas, & ius ad eũ prouocandi contineretur: idcirco enim cum alioqui negare eum nullo modo poſſent, falſatum tamen eſſe dixerunt. Sic enim in Centuria 4. cap. 7. de epiſtolis Decretalibus Pontificũ ſcripſerunt, oſtenſuros ſe prolixè in Centuria quinta in Synodo Carthaginenſi falſaſſe Romanos epiſcopos canonem ſextum Synodi Nicenæ ad obtinendum priuilegium, vt omnes cauſæ eccleſiaſticæ ad ſedem Romanam deferrentur: & ſine ſentẽtia eius nihil geri poſſet. Verum de hoc, quod promiſerant, ſiue promiſſi obliti, ſiue cõſcij, non teneri promiſſis, qui promittunt, quod præſtare non poſſunt, ne verbum quidem in 5. Centuria in Synodo Cartha. de canone tantum Sardicenſis cõcilij meminerunt, quem non Nicenum, ſed ſuppoſititium eſſe contendunt. Imò canonem ſextum, quem promiſerant, oſtenſuros ſe falſatum eſſe, cum cæteris canonibus Synodi Nicenæ, qui in publicis exemplaribus tunc ferebantur, vt nunc feruntur, recitarunt, his paucis vice argumenti, ac procœmij expoſitis, dum hæc, inquiunt, geruntur, exemplar canonum Nicenorum per Trilonem, & Thearistum Conſtantinopolitanum è Græco latinè redditum, & Synodo Carthaginẽſi miſſum huiuſmodi in tomis conciliorum annotatur. Deinde ſubiiciunt capitula 20. ex quibus ſextum eſt, Antiquiores cõſuetudines obtineant, quæ apud Aegyptũ ſunt: & quæ ſequuntur. Sequitur deinde, quia & vrbis

Quomodo ſextũ canonem falſatum eſſe Mag. obiecerunt, quia intelligebãt cõtineri in eo ſummam auctoritatem Pont. & ius prouocationis ad eum.

Romæ epiſcopo ſimilis mos eſt. Ergo etiam Magdeburg. auctoritate duorum interpretum Trilonis, & Thearisti, ac etiam totius Synodi Carthaginenſis. quæ canones recitatos amplexa eſt, canoni ſexto teſtimonium tribuunt, quem tamen in Centuria 4. falſatū eſſe dixerant. imò vt omnem ſcrupulum eiiciant, reuoluāt, ſi placet, omnia exemplaria Græcorum manu ſcripta, quæ nunquam Romam aduecta, nec inter Latinos peregrinata ſint, & conſulant ea, vtrum aliter habeant, quàm in Latinis legitur. Quod ſi canon ſextus concilij Nicen. falſatus vnquam fuiſſet, qui potius obieciſſent, quàm ipſi Græci Romanæ eccleſiæ æmuli, & obtrectatores? quod tamen nunquam hactenus fecerūt imò verò canō ille ſextus, qui in Rufini hiſtoria cū reliquis in epitome eſt deſcriptus, falſatus eſt, vel potius falſa interpretatione deprauatus, Sic enim ait libro priore. cap 6. & vt apud Alexandriā & in vrbe Roma vetuſta cōſuetudo ſeruetur: vt & ille Aegypti, & hic ſub vrbicarum eccleſiarum ſolicitudinem gerat. quæ lectio in nullo hactenus exemplari, ſiue Græco, ſiue Latino, inuenta eſt. quæ ſi aliquando inuenta eſſet, qui eā potius citaſſent, ac Romanis epiſcopis obieciſſent, quā Græci, cum de principatu in œcumenico concilio cum Latinis Florentiæ contendebant? Itaque Rufinus non ſic hunc canonem inuenit: ſed ſic interpretatus eſt, id eſt, non bene. vt illud item in canone 9. eiuſdem Synodi Nicen malè eſt interpretatus, quod ait de clericis Catharis in ordine ſuo recipiendis. ſed ordinatione data, ſic enim interpretatus eſt χειροθετουμένους, cùm potius interpretari debuiſſet, facta manus impoſitione. Non enim iterum ordinantur clerici iſti, qui in ordine ſuo recipiuntur, ſed ſolum accipiunt abſolutionē, quæ fit per manus impoſitionē. Ex iis etiam quæ iam de ſexto canone Synodi Nic. explicata ſunt, & oſtenſa, conſtat plane, falſum eſſe, quod Molineus 9. q 2. ca. Epiſcopi, margini libri appoſuit, non eſſe ſcilicet exceptum Pōtificem Roman. ſed potius comprehenſum, cum Synodus Conſt. cap. 2. iubet, vt epiſcopus vnius prouinciæ nihil in prouincia alterius agere poſſit. Imò verò exceptus eſt ibi. Siquidem ipſa eadē Synodus Conſt. ſextū

Falſa interpretatio 6. & 9. cano. conc. Nic.

d

canonem Synodi Nicę.de poteſtate Primatum in ſubiectas prouincias ibidem renouauit, Quia, inquit, hæc eſt conſuetudo epiſcopi Romani, ergo ex cõſuetudine epiſc. Ro. tanquã ex cauſa teſtimonio etiã Synodi Cõſtantinopolitanæ exiſtit conſuetudo poteſtatis aliorũ Primatum in prouincias ſuas, vt iam explicatum eſt. Illud præterea tametſi minutum fortaſſe videatur, tamen ne quid prætereamus, quod prodeſſe poſſit, & opportunum ſit, aduertendum eſt, verbo Parilis: quo vtitur vetus interpres ſexti canonis Niceni, cum ait, Quoniam quidem epiſcopo Romano parilis mos eſt: non exæquari reliquos Primates Pontifici Romano, vt hæretici putant. nõ enim verbum Parilis, parem hoc loco ſignificat, ſed ſimilem. imò & ſummus Orator Arati Phænomena latinè interpretans, ſic eſt vſus verbo, cũ ait, conſimili ſpecie ſtellas, parilique colore. Hæc verò ſimilitudo cõſuetudinis epiſcopi Roma. cum aliis Primatibus, ſiue Patriarchis in eo conſiſtit, vt ſicut epiſcopus Rom. conſueuit habere poteſtatem in epiſcopos ſuos, quamuis omnes ſint epiſcopi, vt beatus Petrus omnibus Apoſtolis præerat, quamuis omnes eſſent Apoſtoli: ſic Primates in epiſcopos ſuarum prouinciarum poteſtatem habere conſueuerunt, quamuis omnes ſint epiſcopi. Verùm hæc poteſtas epiſcopo Romano conſueta cauſa eſt poteſtatis illorum, vt hic canon teſtatur, idcirco etſi ſimilis ſit, non tamen æqualis, ſed maior eſt. Hactenus de ſexto canone.

De Canone ix. Conc. Chalced. quomodo ſextum canonem Conc. Nic. confirmet pro primatu Pontif. & decreto de appellationibus ad eum, item de interpretatione canonis ix. conc. Chalced facta à Theodoro Balſamone, & de altera facta à Zonara, quomodo de falſitate, & repugnãtia redarguantur, quomodo conſtitutio Leonis Imperatoris de non appellando intelligẽda ſit. Item exempla priſca appellationis ad Pontific. ex Cypriani epiſtolis, ex hiſtoria Gregorii. Turonen. ex Socrate, ex epiſtolis Theodoreti, ex hiſtoria Amiani Marcell. ex Tertulliano, ex epiſtola Orientalium, ex Baſilio. Cap. 4.

ET ſi de iure appellationis ad epiſc. Ro. in omnibus cauſis eccleſiaſticis, cũ neceſſe eſt, ſatis iam ex ipſo canone ſexto Synodi Nicen. vt hactenus oſtẽſum eſt, conſtet, pergamus tamẽ alia adhuc appellationis teſtimonia grauiſſima, & illuſtria exempla producere: & in primis caput 9. concilij Chalcedonenſis, quo ſexcẽti patres decretum de appellationibus in Nicena Synodo prius confirmatum, ac renouatum poſtea in Synodo Sardicenſi, magna au ctoritate roborarunt, ſed recitemus caput. Si clericus, inquit aduerſus ſuum, vel alium epiſcopum habeat cauſam, apud audientiam Synodi prouinciæ conqueratur. Si verò contra ipſius prouinciæ Metropolitanũ epiſcopum epiſcopus, ſiue clericus habeat controuerſiam, pergant ad diœceſeos Primatem, vel ad Conſtãtinopolitanæ regiæ ciuitatis ſedem, vt eorum ibi negotium terminetur.]

Quia quædam priuilegia, vt paulò ante dixi, Græci eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in concilio Chalcedonenſi per dolum ex compoſito vſurpare tentauerãt, & honorem Primatus poſt Romanũ Pontificẽ ei tribuere, quod eſſet noua Roma, vt ex actione extrema perſpici poteſt, & Liberatus quoque eccleſiæ Carthaginẽſis Archidiaconus in Breuiario cauſæ Neſtorianorum c.13 teſtatur, idcirco canonem 9. Patres ſanxerunt, in quo iubent, vt epiſcopus, ſiue clericus Conſtantinopolitanæ diœceſeos, ſi lis ei cum Metropolitano fuerit, eligat, vtrum malit cauſæ ſuæ iudicem, principem ne diœceſeos, id eſt, Põtificem Romanum, an Patriarchã Conſtantinopolitanum. Hanc verò eſſe canonis huius ſententiam ratio ipſa ita cõuincit, vt nemo dicere poſſit, obſcurè Patres, aut ambiguè locutos eſſe. Etenim ſi canon nominatim de epiſcopo, ſiue clerico Conſtãtinopolitanæ diœceſeos cauet, cõſtat principẽ diœceſeos, ad cuius tribunal & iudiciũ Synodus Chal. eum mittit, qui cũ Metrop. prouinciæ diœceſeos Conſtannopolitanæ cõtendit, nõ poſſe Patriarchã Alexandriũ, neq; Antiochenũ intelligi, quia Diœceſis Cõſtantinopolitana nõ eſt illis patriarchis ſubiecta; nec vllum

Quomodo Synodus Chalc. canonẽ Synodi Nic. 6. ſuo canone 9. confirmauit ſine vlla obſcuritate, & ambiguitate.

ex iis, qui in Africa Primates ſunt, & dicuntur, id eſt, epiſcopi primarum ſedium, propter eandem cauſam. Relinquitur ergo, vt neceſſariò intelligatur alius princeps diœceſeos, cui ſubiectus ſit Metropolitanus prouinciæ Conſtãtinopolitanæ diœceſeos, vt idẽ quoque ſubiectus eſt Patriarchæ Conſtantinopolitano: is autẽ non eſt, neque eſſe poteſt alius, quam princeps diœceſeos vniuerſalis, qui eſt epiſcopus Romanus cuncti orbis, velut vniꝰ diœceſeos, princeps & rector. Etſi enim vnuſquiſque Patriarcha eſt princeps ſuæ diœceſeos, vt Alexandrinus Alexandrinæ, Antiochenus Antiochenæ, & Conſtantinopolitanus Conſtantinopolitanæ: non tamen eſt princeps diœceſeos abſolutæ, vt eſt Romanus Pontifex, quæ eſt cauſa, cur in 6. canone Niceno nulli fines Pontifici Romano circumſcripti legantur, vt aliis Patriarchis. Ne verò præpoſtere dictũ eſſe putemus, quod ei, qui cum Metropolitano prouinciæ Conſtantinopolitanæ diœceſis litigat, adire iubet Synodus ad principem diœceſeos, id eſt, Papam Romanum, vel ad ſedem Conſtant. cum potius videatur dicendum fuiſſe, vt adiret ſedem Conſtãtinopolitanam, vel, ſi ita mallet, adiret Pontificem Romanum, vt ſemper ad maiorem, ſicut ratio poſtulat, velut per gradus aſcenderetur: ne quis (inquam) præpoſteram collocationẽ putet, cum tenorem cogitemus, quem Magnus Nicolaus in epiſtola ad Michaelem hunc canonẽ interpretans, & veluti huius collocationis, atque ordinis rationem explicans, cogitauit. Sic enim ait, poſtquam canonem recitauit: In quo inquit, hic tenor obſeruandus eſt, vt ſi videlicet clericus, aut epiſcopus aduerſus Metropolitanum habet querelam, & tanta vrgetur neceſſitate, vel ſi hoc graue non ferat, vbicunque ſit poſitus, Primatem diœceſeos petat. Quod ſi iuxta Conſtãtinopolitanam vrbem quiſquam eorum cõſtitutus, & ſolius præſidis eius iudicio velit eſſe contẽtus, petat eandem regiã. Cum.n. dixiſſet, petat Primatem diœceſeos, pręceptũ poſuit eadẽ Sancta Synodus, regulámq; conſtituit, cum verò diſiunctiua coniunctione addidiſſet, aut ſedem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ, liquet profectò quia hoc ſecundum permiſſionem indulſit.

Quod in canone Chalc. conci. nihil ſit præpoſterum, & ſi primo aſpectu videatur eſſe.

Explicatio canonu Chalce. conc. ex Nico*lao* I.

Deinde ſubiungit. Ergo ſaltē nunc non videtis, ad maiora ſemper eſſe properandū, quouſque gradatim peruenitur ad eam ſedē, cuius cauſa, aut à ſe negociorum meritis exigentibus, in melius commutatus: aut ſolius Dei ſine quæſtione reſeruatur arbitrio? Hæc Nico. explicatus eſt tenor illius canonis de adeundo Pontifice Romano tanquam ſummo, aut ſede Conſtantinopolitana. huic tenori cauſam præbuiſſe videtur illa Græcorum importuna inſolentia, & ambitio, qui in Pontificem Romanum ſe efferre volebant. idcirco præcipit Synodus, vt cui lis eſt cum Metropolitano, ſi ei moleſtum non eſt, adeat ſtatim ad Pontificem Romanū, vt ſummum Principem diœceſeos vniuerſalis: aut certè, ſi malit contentus eſſe iudicio ſui Patriarchæ Conſtantinopolitani, adeat eum prius, à quo rurſus poſſit, ſi velit, Pontificem Romanum appellare: quod ſatis ex eo intelligitur, quod prius dixit, ob eam quam diximus cauſam, eat ad Principem diœceſeos, id eſt, ad Pontificem, & poſtea, vel ad ſedem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ. hæc verò cauſa ambitionis quia nondū nata erat, nō eſt hic ordo, ac tenor ſeruat⁹ in epiſtola prima Victoris Pont. ſic. n. ait, in inſtitutis legitur Apoſtolicis: Si quis putauerit ſe à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham, ſiue Primatem diœceſeos, aut penes vniuerſalis Apoſtolicæ eccleſiæ iudicetur ſedem. eundem ordinem, ac tenorem ac eiſdem verbis Iulius Pōtifex repetiuit in capitulo quarto ex Nicenis de appellatione capitulis, quæ idem Iulius, in epiſtola contra Orientales pro Athanaſio poſuit. ſic enim ait: ſi quis putauerit, ſe à proprio Metropolitano grauari, apud Primatē diœceſeos, aut penes vniuerſalis eccleſiæ Papam iudicetur. Primatem diœceſeos vocauit hic quēcunque Patriarcham, qui eſt ſuæ diœceſeos princeps, quod ex eo intelligitur, quod ſubiungit, aut penes vniuerſalis eccleſiæ Papam. id eſt, Pontificem Romanum, qui cum ſit Papa vniuerſalis eccleſiæ, conſequēs neceſſario eſt, vt ille diœceſeos. quem prius dicit, non ſit princeps vniuerſalis diœceſeos, ſed priuatæ, ſicut rurſus in canone Chalcedonenſi ex eo, quod ſubiungit, vel ad ſedem Conſtantinopolitan. ſequitur ne-

Quare non ſit ſeruatus idem ordo, ſiue collocatio verborum in canone Chalced. conc. & in canone Niceno in ep. Iulii c 4.

ceſſario, vt princeps ille diœceſeos, quem prius dixerat, non priuatæ, diœceſeos princeps, cui non eſt ſubiectus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſed princeps vniuerſalis diœceſeos intelligatur. Hæc notare volui propter eos, qui ſubtiliter, & ſcrupuloſe ſingula excutiunt. Si quem verò mouet, quod ſingulari numero Synodus Chalcedonenſis dixit, diœceſeos, & non diœceſeon. ſciendum eſt, inquit idem Nicolaus primus, tantundem valere, quod diœceſeos dixit, ac ſi diœceſeon dixiſſet. plenæ, inquit, ſunt ſacræ ſcripturæ tali forma locutionis, vt illud: fons aſcendebat è terra, miles, locuſta, rana pro fontibus, militibus, locuſtis, ranis, &c. Sed videamus Græcos interpretes canonum, dum adhuc aliena priuilegia ſuo Patriarchæ Cōſtantinop. vindicare volunt, quemadmodum interpretati ſint principem diœceſeos, quem canon Chalcedon. concilij dicit, vt ex eorum abſurda, & abſona interpretatione magis adhuc reuincantur, qui contradicunt. Interpretabor latinè. Eſt, inquit Theodorus Balſamo, princeps diœceſeon, vt mihi videtur, non quidem Metropolitanus ſingularis prouinciæ, ſed Metropolitanus totius diœceſeos: diœceſis verò eſt, quæ multas prouincias in ſe habet: hoc autem priuilegium non viget hodie. Etſi enim aliqui Metropolitani dicantur principes, non tamen habent alios Metropolitanos in ſuis diœceſibus, ſub ſua poteſtate. quare vidētur fuiſſe illis temporibus alij principes diœceſeon: aut eſſe quidem hos nunc, ſed non habere priuilegia, quæ à canonibus illis tributa ſunt. Hactenus Theodorus, qui quoniam videbat in hoc canone duos iudices Metropolitano Conſtantinopolitanæ diœceſeos maiores in diœce ſi Conſtantinop. declarari, vnum quem principē diœceſeos vocat, alterum Patriarcham Conſtantinopolitanum, ne illum, id eſt, principem diœceſeos Romanum Pontificem interpretaretur, Patriarchā enim Alexandrinum, aut Antiochenum interpretari nō poterat, quia illis non eſt Conſtantinopolitana diœceſis ſubiecta, coactus eſt fingere, fuiſſe illis temporibus, quibus Synodus Chalced. habita eſt, neſcio quos principes diœceſeon, qui præeſſent pluribus prouinciis,

Quomodo dictus ſit Pont. Roma. in Synodo chalc. princeps diœceſeos.

De interpretatione abſurda, & repugnante Græcorū Theodori Balſam. & Zonaræ in Canonem concil. Chalced.

Commentum Theodori Bal.

qui Metropolitanos, qui ſingulis prouinciis præerant, ſub poteſtate ſua infra Patriarcham haberét, qui iam, aut non ſint, aut eorum priuilegia non extent. Quis non videt, commentum eſſe hoc, ad quod cõpulſi ſunt iſti, ne veritatem confiterentur? ne inquam, confiterentur principẽ diœceſeos, quæ vna eſt totius orbis Chriſtiani, eſſe epiſcopum Romanum ſucceſſorẽ beati Petri, cui Deus oues ſuas, nõ has, aut illas, ſed quæcunq; ſunt cõmiſit? Interrogate, vos Magdeburgẽſes Theodorum iſtum, quomodo hoc, quod ait probet? aut in quibus canonibus, aut Synodis, aut hiſtoriis hoc reperiatur, quod ſomniat? aut, ſi vos illi opem ferre poteſtis, accurrite, producite teſtem, ſi quem habetis, quem ille reperire non potuerit. Sed videamus quid Zonaras, alter interpres Græcorum canonum dicat, interpretemur etiam latinè. Alij, inquit, exarchos, id eſt, principes diœceſeon aiunt eſſe Patriarchas: alij Metropolitanos, ſed melius eſt dicere, vocari Metropolitanos exarchos, id eſt, principes prouinciarum, iuxta canonem 6. Synodi Sardicenſis: vt ſit huius canonis ſententia, qui iudicia diſtribuit: quod cum epiſcopus epiſcopum, aut clericus epiſcopum ad iudicium vocat, tunc iudex eſt Metropolitanus, quem vocat exarchum, id eſt, principem diœceſeos. cum verò epiſcopus cum Metropolitano litigat, tunc iudicium ad Patriarcham Cõſtantinopolitanum pertinet, qui quidem non eſt iudex omnium Metropolitanorum, ſed eorum, qui ſunt ei ſubiecti, non enim eſt iudex eorum, qui ſunt Metropolitani Syriæ, Palæſtinæ, Photices, Aegypti, nec hos ad iudicium ſuum trahet. Metropolitani enim Syriæ ſubiecti ſunt Antiocheno foro, Metropolitani Palæſtinæ Hieroſolymitano: Aegypti Metropolitani ſubiecti Alexandrino, à quibus ordinantur. Dicebãtur alij præterea exarchi, id eſt, principes, vt epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, Epheſinus, Theſſalonicenſis, & Corinthiorum, quibus ob hanc cauſam aiũt conceſſum eſſe priuilegiũ, vt ferant plures cruces in eccleſiis ſuis. Hactenus Zonaras. Nec hic expoſuit, quis eſſet, præter Patriarcham Conſtantinopolitanum, ille alter exarchus, ſiue princeps diœceſeos iudex Metropolitani,

cum quo epiſcopus, vel clericus litem habet. nõ enim poteſt eſſe exarchus, ſiue princeps prouinciæ, hoc eſt, Metropolitanus, quia Metropolitanus non eſt ſubiectus Metropolitano: neque poteſt eſſe, vt ante dixi, Patriarcha Antiochiæ, aut Alexandriæ, neque exarchus Cæſareæ Cappadociæ, aut Epheſi, aut Theſſalonicenſ. vel Corinthiorum, qui etiam dicuntur exarchi, id eſt, principes, quiſque ſuæ diœceſeos. Reſtat igitur, vt neceſſario intelligendus ſit Pontifex Romanus. quod quidem ne iſti confiterentur, maluerunt abſurda, & repugnantia dicere. de quibus dici poteſt illud ex Euangelio Marci, quod male interpretantes canonem concilij Chalcedonenſis, contra prouocationem ad Pontificem Romanum à Synodo Chalcedonenſi ſancitam falſum teſtimonium dixerunt: & teſtimonia eorum non ſunt conuenientia. Sed quid reſpondendum eſt ad auctoritatem illius conſtitutionis Leonis imperatoris, quam nuper D. Ant. Aug. Herdenſis Epiſcopus cum multis aliis plurium Imperatorum, è Græco in Latinum nuper conuertit, & ſcholiis eruditis illuſtrauit, quam ſanctionem ad Iulianum præfectum Imperator miſit, in qua hunc ordinem iudiciorum ſanxit, ſecundum ſacros canones: vt prius accuſatio fiat apud epiſcopum eius ciuitatis, in qua eſt reus, tum is, ſi ſuſpectus eſt, apud Metropolitanum: ſin verò iudicium Metropolitani non placuerit ei, vocet reum ad Synodum, cui interſit Metropolitanus cum tribus epiſcopis antiquioris ordinationis. deinde ſubiungit, Si verò ſe lædi exiſtimauerit, prouocet ad illius prouinciæ beatiſſimum Patriarcham, atque iis, quæ ipſe iudicauerit, omnino pareat, perinde ac ſi eum ab initio iudicem elegiſſet nam contra horum (inquit) antiſtitum ſententias non eſſe locum appellationi à maioribus noſtris conſtitutum eſt, quid inquam ad hanc conſtitutionem reſpondendũ eſt? ne fortè cum in eam Magdeburgenſes inciderint, aliquid auctoritatis cõtra veritatẽ ſe repetiſſe putent, vnde magis in errore ſuo hęreant, & alios in eundem errorem magis trahant. reſpondemus ſatis excepiſſe auctoritatem Pontificis, cũ Imperator, in principio conſtitutionis dixit, ſe ordinẽ

Theodorus Balſamon, & Zonaras contra appellatio. ad Pont. falſum teſtimonium dixerunt, & teſtimonia eorũ non ſunt conuenientia.

iudiciorum deſcribere κατὰ τοὺς ἱεροὺς θεσμοὺς, id eſt, ſecundum ſacra ſtatuta, quibus quidem decretum de appellationibus confirmatum eſſe ſatis ſupra demonſtratum eſt: & adhuc demonſtrabitur. Rurſus cùm ait imperator. Sic à maioribus ſuis conſtitutum eſſe, illos ſanè dicit, de quibus in primis gloriari poterat, quos hiſtoriæ teſtantur, ſummum honorem ſemper Pontifici Romano detuliſſe vt omnium eccleſiarum principi, Conſtantinum dico, Conſtantem, Valentinianũ, Theodoſium, Arcadium, Honorium, Iuſtinianum, & tales alios, non autem Zenonem, & Anaſtaſium Eutychianiſtas & alios ſimiles: ſub illis religioſis imperatoribus epiſcopi Orientales vt antea dixi, Pontificem Ro. appellarunt, Athanaſius Iulium, Ioannes Chryſ. Innocentiũ, Theodoretus Cyri Leonem: vt poſtea Ignatius tertius Nicolaum primum, & S. Maximus Martinum. Quod ſiquis adhuc priſca tempora requirat, & exempla prouocationis ad Pontificem Romanum ex ſumma antiquitate repetita deſideret, legat epiſtolam 4. beati Cypriani lib. I. ex qua intelliget, Baſilidem, & Martialem Hiſpaniæ epiſcopos propter crimen idololatriæ ex eccleſia eiectos, ad Stephanum Pontificem iure appellationis, vt videbatur, confugiſſe: non quidẽ quod potentia, & opibus externis, quæ erant exiguæ, & tenues, neque gratia imperatorum Valeriani, & Galieni hoſtium nominis Chriſtiani Pontifex valeret, ne hic, vt ſolent Magdeburgenſes cauillentur. Nihil verò refert, quod eſſent iſti epiſcopi de idololatria notati & iuſte eiecti, imò eo magis quod volumus, efficitur, quod cauſæ ſuç diffiſi, iure appellationis. tanquam extremo perfugio vtcunque vti voluerunt: ſi forte poſſent hac via in opinionem catholicorum, apud ſummum iudicẽ, & Chriſti Vicarium tam longè diſſitum per fallaciam irrepere, quod quidẽ euenit. Sic igitur ait Cyprianus. Neque reſcindere ordinationem iure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam Romam pergens Stephanum collegam noſtrum longè poſitum, & geſtæ rei, atque veritatis ignarum fefellit. vt exambiret, reponi ſe iniuſtè in epiſcopatũ, de quo fuerat iuſtè de-

Exempla priſca prouocationis ad Pont.

Teſtimonium Cypriani multiplex pro decreto appellationis.

poſitus,& quæ ſequuntur. Satis declarat Cyprianus verbis ipſis, quibus vtitur, ad ius appellationis epiſcopos illos confugiſſe, ſiquidem reſcindere quod alius iudex fecerit, & reponere, quem alius depoſuerit, vtrumque horum non niſi iudici maiori conuenit: eſtque hæc appellationis ratio, vt ſicut Vlpianus Iuriſconſultus lege 1. de appella. ait, iniquitatem iudicantium, vel imperitiam corrigat: licet nonnunquam (inquit) bene latas ſententias in peius reformet: nec enim vtique melius pronunciat, qui nouiſſimus ſententiam laturus eſt. ſicut hic per ſurreptionem, quam vocant, contigit. Eodem pertinet, quod in eodem libro proxima ſuperiore epiſtola ad Cornelium Pontificem Romanum Feliciſſimus, & alij cum eo pſeudoepiſcopi ab hæreticis facti, & à beato Cypriano de ſententia concilij plurimorum epiſcoporum damnati, quaſi freti iure prouocandi ad principalem cathedram, vt idem Cyprianus in eadem epiſtola Romanam vocat, ad Cornelium confugerunt iudicium epiſcoporum Africæ declinantes. Aliud præterea exemplum appellationis vetuſtum id eſt, annis, fere poſt Chriſtum natum quadringẽtis æditũ, & memoriæ noſtræ, ante annos nongentos à Gregorio Turonenſi proditum eſt lib. 10. de rebus Francorum. c. 30. de Brictio epiſcopo, cui crimẽ (inquit) adulterij eſt impactum à ciuibus Turonicis, expulſóq; eo, Iuſtinianus epiſcopus eſt ordinatus: Brictius verò ſe ad Papam vrbis dirigit: Iuſtinianus autem poſt eum profectus, apud Vercellenſem ciuitatem obiit. Turonici iterum malignantes Armentium ſtatuerunt. Brictius verò 7. annis apud Papam degens idoneus [illegible]tus à crimine, ad vrbem ſuam redire iuſſus eſt. & libro 2. cap. 1. idem Gregorius, quo magis Brictium appellaſſe Pontificem ex ipſo actore hortatu Turonenſium reum proſecuto intelligamus, hæc ſcribit dixiſſe Turonenſes ei, quem loco Brictij epiſcopum ſuffecerant. Vade poſt eum, & exerce negotium tuum quia ſi eum proſecutus non fueris ad noſtrum contemptum, humiliaberis. At Brictius epiſcopus Romam, inquit, veniens, cuncta, quæ pertulerat, papæ refert. Et paulò pòſt, ſeptimo, inquit, anno regreſſus à Roma cùm auctoritate Papæ illius Turo-

Teſtimonium Gregorii Turonen. pro decreto appell.

nos redire diſpoſuit. Extat præterea epiſtola Orientalium ad Symmachum Pont. Roma. quem illi ante annos amplius mille aduerſus Acatium Patriarcham Alexandrinum Eutychis Sectatorem à Pontifice Rom. anathema factum obteſtantur. &appellant, vt accurrat. Acatius enim eos, qui communionem eius vitabant, in exilium mittebat: & varijs modis vexabat. An hæc opis imploratio non ſatis probabat eſſe omnibus læſis prouocationem ad Pont. Romanum? Rurſus, qui cum Eutychianis licet inuiti communionem habebant, ne eccleſias derelictas, lupis prodere cogerentur, idque apud Pont. excuſabant, vt à ſe hac ratione communionem anathematis deprecarentur, nónne hoc ipſo iudicem eum primum agnoſcebant? imò totum etiam orbem ſubiectum ei eſſe confitebantur: ſic enim ſcripſerunt. Non ignoras oues Chriſti per totum habitabilem mundum creditas tibi paſcere, qui cum beatiſſimo, ac doctiſſimo Paulo clamas nobis ſubiectis tibi, nõ enim dominamur vobis in fide, ſed cooperamur in gaudio. Præterea huic priſcæ, & ab apoſtolis traditæ conſuetudini Romanum Pontificem in maioribus cauſis ac iudiciis appellandi Euſeb. quoque Emeſenus teſtimonium præbet, teſte Socrate lib. 2. cap. 11. ſic enim ait, Euſebius verò cum ea quæ volebat, perfeciſſet, legationem ad Iulium Romanum epiſcopum miſit obſecrans, vt ipſe iudex in cauſa Athanaſij eſſet, & ad ſe litem hanc aduocaret. dicant nobis Magdeb. ſi ſciunt, quo iure, & auctoritate, hoc Euſebius Emeſenus ab epiſcopo Romano petebat, niſi iure, & auctoritate conſuetudinis à Sanctis Apoſtolis inſtitutæ, ac traditæ: Rurſus idem Socrates eodem lib. cap. 15 Iulio igitur Rom cauſas quiſque ſuas exponunt, ex iſtis autẽ erant Paulus Conſtantinopolit. patriarcha, & Athanaſius Alexandrinus ex eccleſiis ſuis ab Arianis eiecti. ſubiungit deinde Socrates, Ille autẽ (Iulium dicit) propter prærogatiuum ius eccleſiæ Rom. (hoc enim ſignificat προνόμιον) litteris liberè ſcriptis eos muniuit, & ad Orientem miſit, vt locum cuique ſuum reſtitueret, & eos, qui epiſc. petulanter è ſedibus ſuis eiecerant, increparet. Si ad ius prærogatiuũ eccleſiæ Romanæ pertinebat auctore Socrate,

Teſtimonium epiſt. Orientaliũ pro decreto de appell.

2. Cor. c. 1.

Teſtimonium Socratis pro decreto de appellationib.

vt epiſcopos Orientis iniquè pulſos Iulius reuocaret, ergo ad eum pertinebat iudicium appellationis, & poteſtas iniquitatem iudicantium corrigendi, qui eſt vſus neceſſarius appellandi, vt Vlpianus ait. iam quod dixit hoc loco Socrates, ὠχύρωσε, id eſt, muniuit, ad illud planè retulit, quod Dominus Petro mãdauit ςηρίζειν, id eſt, firmare fratres, iniquè enim motos, in gradu ſuo reponere, quoddam firmare eſt. Extat præterea aliud exemplum grauiſſimum Pontificem Romanum appellandi in epiſtola Theodor. epiſc. Cyri eruditiſſimi ad Leonẽ primum. recitemus Græcè ad maiorem auctoritatem,

Teſtionium Theodoreti pro decreto de appella.

εἰ παῦλος τῆς ἀληθείας ὁ κῆρυξ ἡ τοῦ παναγίου πνεύματος σάλπιγξ πρὸς τὸν μέγαν ἔδραμε πέτρον ὥστε τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ' αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς καὶ σμικροὶ πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ὑμῶν τρέχομεν θρόνον, ὥστε παρ' ὑμῶν λαβεῖν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἕλκεσι θεραπείαν. διὰ πάντα γὰρ ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει. πολλοῖς γὰρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι. τὰς μὲν γὰρ ἄλλας πόλεις ἢ μέγεθος ἢ κάλλος ἢ πλῆθος τῶν οἰκητόρων κοσμεῖ, ἐνίας δὲ τούτων ἐστερημένας πνευματικά τινα λαμπρύνει χαρίσματα, τῇ δὲ ὑμετέρᾳ φορὰν ἔδωκεν ἀγαθῶν ὁ τῶν ἀγαθῶν χορηγός. ἡ γὰρ αὕτη πασῶν μεγίστη καὶ λαμπροτάτη καὶ τῆς οἰκουμένης προκαθημένη καὶ τῷ πλήθει τῶν οἰκητόρων κυμαίνουσα. πρὸς δὲ τούτοις καὶ τὴν νῦν κρατοῦσαν ἡγεμονίαν ἐβλάστησεν, καὶ τῆς οἰκείας προσηγορίας τοῖς ἀρχομένοις μεταδέδωκεν. κοσμεῖ δὲ αὐτὴν διαφερόντως ἡ πίστις, καὶ μάρτυς ἀξιόχρεως ὁ θεῖος ἀπόστολος βοῶν. ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν ἐπαγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. repetam hic interpretationem ex libro meo 3. de dogmaticis characteribus. Si Paulus, inquit, prædicator veritatis, & ſpiritus ſancti buccina ad Petrum accurrit, vt iis, qui Antiochiæ de viuendo ſecundum legem Moiſis diſceptabant, quæſtionem expeditam, ac ſolutam ab eo ferret, multò magis nos, qui puſilli ſumus, ad ſolium apoſtolicum accurremus, vt à vobis medicinam vlceribus noſtris feramus: ſi quidem vobis conuenit, in omnibus rebus primas tenere, veſtra enim ſedes multis prærogatiuis ornata eſt. nam cæteras ciuitates, vel amplitudo, vel pulchritudo, vel ciuium frequentia decorat: aliquæ verò, quæ his carent, ex quibuſdam gratiis ſpiritualibus ſplendorem &

dignitatem habent: veſtræ verò ciuitati vberrimam copiam bonorum ipſe dator bonorum largitus eſt, eſt enim ipſa omnium ampliſſima, ſplendidiſſima, & orbi præſidet: prætereà ipſa principatum Imperatoriũ profudit, ac nomen ſuum, id eſt Romanum, cum iis, qui in ditione eius ſunt, communicauit: fides verò præcipuè eam ornat. teſtis eſt Paulus, qui clariſſima voce ait, Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mũdo, & ne totam epiſtolam latinè vertam, ad extremum ferè ſic ait, ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον, καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα ἐπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαι μου τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην. Ego verò (inquit) ſuffragium ſedis apoſtolicæ expecto, & ſupplex oro, atque obſecro ſanctitatem veſtram, vt ea me tribunal veſtrum rectum, ac iuſtum appellantem defendat, & protegat, iubeátque, vt ad vos accurrã, & doctrinam meam veſtigiis apoſtolicis inſiſtentem oſtendam. iam hic verbo etiam proprio appellandi, vſus eſt Theodoretus, & eodem, quo Lucas in Actis, cũ Paulus dixit Feſto, Cæſarem appello: & Feſtus inquit, Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis, vtrobique enim eſt verbum ἐπικαλεῖν, quod propriè ſignificat appellare. deinde orare Pontificem, vt reo iubeat ad ſe accurrere, id eſt, iudicium ſuum adire, quid aliud eſt quàm orare, vt ratum habeat, quod eũ appellauerit? quid hic cauillari, aut quomodo hoc teſtimonium Magdeburgenſes eludere poterũt? an dicturi iam ſunt, quod illius temporis epiſcopi eccleſiarum Orientis, ante mille centum & amplius annos, non tuliſſent tales epiſtolas Pontificum, in quibus decretum de appellando Pontificem fertur? Sed videamus quid ad extremum epiſtolæ dicat, τὴν γὰρ ὑμετέραν προσμένω ψῆφον, κἂν κελεύσητε τοῖς καταψηφισαμένοις ἐμμεῖναι ἐμμενῶ, καὶ οὐδενὶ ἀνθρώπων ἐνοχλήσω λοιπόν. ἀλλὰ μένω τὸ ἀκλινὲς τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν κριτήριον. Veſtram enim, inquit, ſententiam expecto: quod ſi ſententiæ eorum, qui condemnarunt, acquieſcere iuſſeritis, acquieſcam, nulli deinceps futurus moleſtus: quin potius expectabo incorruptum Dei, & Saluatoris noſtri tribunal ſummum in terris iudicem epiſcopum Roma

Theodoretus verbo proprio appellandi vſus ἐπικαλεῖν, cum de prouocatione ad Pont. Rom. ſcribit.

num planè confitetur eruditiſſimus auctor, & in ſcripturis ſanctis, valde exercitus, & in earum interpretatione magna cum laude, & non mediocri omnium noſtrum vtilitate verſatus. Hæc illius ſæculi, in eccleſiis Orientis, de ſumma auctoritate epiſcopi Romani, & de conſuetudine à ſanctis Apoſtolis inſtituta eum appellandi in maioribus cauſis, vt de epiſcoporum damnatione, de integritate fidei, & ſana doctrina, ac veritate dogmatum. Ac rurſus idem Theodo. ad Renatum presbyterum ex collegio fratrum, quos nunc Cardinales vocāt ſic de eadem cauſa ſcripſit. *ἐγύμνωσαν μὲν ἱερωσύνης. ἐξελαύνουσι δὲ πόλεων, οὐδὲ τὸ γῆρας αἰδεσθέντες, οὐδὲ τὴν πολιὰν ἐν εὐσεβείᾳ τραφεῖσαν, διὰ τοῦτο τὴν ὑμετέραν ἁγιοσύνην παρακαλῶ πεῖσαι τὸν ἁγιώτατον καὶ ὁσιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῇ ἀποστολικῇ χρήσασθαι ἐξουσίᾳ, καὶ εἰς τὸ ὑμέτερον ἀναδραμεῖν κελεῦσαι συνέδριον. ἔχει γὰρ ὁ πανάγιος θρόνος ἐκεῖνος τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν τὴν ἡγεμονίαν διὰ πολλὰ καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅτι αἱρετικῆς μεμένηκε δυσωδίας ἀμύητος, καὶ οὐδεὶς τἀναντία φρονῶν εἰς ἐκεῖνον ἐκάθισεν, ἀλλὰ τὴν ἀποστολικὴν χάριν ἀκήρατον διεφύλαξεν, τὰ γὰρ παρ' ὑμῶν κριθησόμενα στέρξομεν ὁποῖα ἂν ᾖ τῇ ὑμετέρᾳ δικαιοκρισίᾳ θαρροῦντες. καὶ ἀξιοῦμεν ἀπὸ τῶν ἐγγράφων κριθῆναι, πλείους γὰρ ἢ τριάκοντα συνέγραψα βίβλους* nudarunt me (inquit) ſacerdotio, eiiciuntque ex ciuitatibus, nec ſenectutem reueriti, neque caniciem in religione pietatis nutritam quamobrem deprecor te, vt Sanctiſſimo Archiepiſcopo (Leonem dicit) ſuadeas, vt apoſtolica auctoritate vtatur: iubeatque ad veſtrum concilium adire: tenet enim ſancta iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti orbis eccleſiarum cum propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers permāſit: nec vllus vnquam, qui contrariū ſentiret, in ea ſedit: quin potius apoſtolicam gratiam puram cuſtodiuit (illam gratiam dicit inuiolatæ fidei, pro qua Dominus rogauit cum dixit Beato Petro, ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.) Quare (inquit) quæ ab iſto veſtro Tribunali proficiſcentur, qualiacunque erunt, iudicij veſtri integritate confiſi amplectemur: oramuſque vt ex iis quæ hactenus ſcripſimus, iudicemur, ſcripſi enim libros amplius 30. Quis iſta legat, quæ grauiſſimus, & tātæ antiquitatis auctor

de poteſtate epiſcopi Romani ſcripſit, vt erat omnium eccleſiarum illius temporis per Orientem ſenſus, qui non intelligat, niſi planè ſit ſine intellectu, quam ſint Magdeb. ac reliqui Lutherani obdurati fallacia peccati, vt de quibuſdam Apoſt. ait, & quã ſint cœci, propter cor malum diſcedendi ab eccleſia, & extra eam permanendi, ac iis facti ſimiles, de quibus idem apoſt. ſcriptũ eſſe dicit dedit eis ſpiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vſque in hodiernum diem, ſpiritum enim compunctionis vocauit hoc loco ſcriptura τὴν περὶ τὸ χατανύξιν vt beatus Cyrillus notauit, vt ſit huiuſmodi ſpiritus compunctionis, cum quis id tantum, quod falſum eſt, attendit, & eo intendit oculos, vbi non vident lucem, hoc enim faciũt magiſtri Lutheranorum duces cœcorum, vt amplius in errore ſuo proficiant: ſemper enim quærunt, quomodo quæ clariſſima ſunt, ridiculis cauillationibus eludant, vt illud, quod in Irenæi latina interpretatione legunt in 3. lib. cùm ait, ad hanc enim eccleſiam (Rom. dicit) propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnẽ conuenire eccleſiam, pro quo Theodoretus dixit ἡγεμονίαν quo verbo præſidem eccleſiarum cuncti orbis epiſcopum Rom. apertè confeſſus eſt, ſicut Dionyſ. Areop. hierarchiæ Moſaicæ ἡγεμόνα, id eſt, præſidẽ vocat Moiſen, & ſcriptura ſancta ἡγεμόνας vocat præſides, vt iam ridiculũ ſit & fatuum ἡγεμονίαν ſine poteſtate Pontifici tribuere, vt nuper patronus Molinæi ἐξουσίαν quoque ſolã dignitatem ſignificare aiebat, vt Pontiſici derogaret. Sed producamus adhuc alios teſtes, & quidem fidei noſtræ inimicos, quo magis eis credendum ſit. Sic enim ſcribit Amianus Marcellinus Ethnicus lib. 15. de Athanaſij damnatione ab Arrianis ad voluntatem Cõſtantij Imperatoris facta. Hunc (Athanaſium dicit) per ſubſcriptionem abiicere ſede ſacerdotali paria ſentiens cæteris, iubente principe, Liberius monitus perſeueranter renitebatur, neque viſum hominem, nec auditum damnare nefas vltimum ſæpe exclamans, apertè ſcilicet recalcitrans imperatoris arbitrio, id enim ille Athanaſio ſemper infeſtus, licet ſciret impletum, tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis epiſcopi, firmari

Hebr. 3.

Teſtimonium Amiani Marcellini pro decreto de appellatio.

deſiderio nitebatur ardenti. Ediſſerant nobis Magdeb. quæ iſta tanta auctoritas epiſcopi Romani erat tunc, ſine qua caſſa, & infirma erat epiſcopi damnatio, licet in Synodo epiſcoporum facta, quæ, inquam, auctoritas niſi ſumma, & prima in qua cæterorũ epiſc. auctoritas, tanquã in petra eccleſiæ à Chriſto poſita penderet, & niteretur? ergo Arianus Imperator, & Liberij epiſcopi Romani inimicus damnationem Athanaſij, quã vehementer cupiebat, licet à multis epiſcopis factam, ſine auctoritate tamen Pontificis irritam eſſe iudicauit, & vnus Martinus Lutherus plebeius, & Monachus apoſtata non ſe potuiſſe à Leone X. eccleſiarum cuncti orbis præſide de hæreſi damnari, miſeris germanis perſuaſerit? Si Imperator Conſtantius cum epiſcopis ſuis Arianis non credebat poſſe Athanaſium poſt damnationem appellare epiſcopum Romanum, & abſolui, & irrita, atque infecta fieri, quæ facta in eum eſſent, quorſum Liberium ad aſſentiendum, & firmandum damnationis ſententiam cogere volebat? Deinde quod Amianus Epiſcopos Romanos, æternos vrbis epiſcopos vocauit, videtur mihi non propter extructiones parietinas, & cementinas dixiſſe, quas ſciebat vir prudens temporis tandem vetuſtate conſumi, ſed quia à Chriſtianis audierat, (ſiue crederet, ſiue non, nihil refert) portas inferni aduerſus eccleſiam Romanam, non poſſe præualere, vt iam auctor gentilis ab euangelio Chriſti alienus, plus in hac parte de euangelio didicerit, & plus eccleſiæ Romanæ detulerit, quàm Magdeb. & Lutherani deferant. Eſt aliud præterea teſtimonium pro decreto appellandi pontificẽ, quod Praxeas, licet hæreticus, auctore Tertul. dedit: ſic enim de eo ſcribit, Nam iſte primus in Aſia hoc genus peruerſitatis intulit Romanæ humo, & alias inquietus, & de iactatione martyrij inflatus ob ſolũ, & ſimplex, & breue carceris tędiũ, quando, etſi corpus ſuum tradidiſſet exurendum, nihil profeciſſet dilectionem Dei non habens, cuius chariſmata quoque expugnauit. nam idem tunc epiſcopum Romanum agnoſcentem iam prophetias Montani, Priſcæ, & Maximillæ, & ex ea cognitione pacẽ eccleſiis Aſiæ, & Phrygiæ inferẽtẽ falſa de ipſis prophetis, & eccleſiis eorum

Plus auctor gẽtilis de poteſtate epiſc. Roma. ex euangelio, licet ei non crederet, didicit, quã Luth.

rum aſſeuerando,& præceſſorum eius auctoritates defendendo coegit,& litterás pacis reuocare iam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum cõceſſare. Hactenus Tertull. irrepſerat principio credulitas in mentem Pontificis ex falſa relatione, quaſi veræ eſſent illorum prophetiæ,donec narrante Praxea rem ipſam, per chariſma diſcretionis ſpirituum cognouit Põtifex, non eſſe iſtorum prophetias ex iis, de quibus apoſt.dixit prophetias nolite ſpernere, ex quo factum eſt, vt Pontifex,qui ad eccleſias Aſiæ, & Phrygiæ litteras pacis prius miſerat,poſteà reuocaret: erant enim & dicebantur litteræ pacis,quibus epiſcopus Rom. approbabat eccleſiarum,ad quas eas mittebat, fidem, communionem, ac ſocietatem. exemplum huiuſmodi litterarum eſt epiſtola 40. Leonis, ad Anatolium Conſtantinopo. Gaudemus (inquit) in domino,& in dono gratiæ ipſius gloriamur, quia ſicut dilectionis tuæ litteris, & fratrum noſtrorũ,quos Conſtantinopolim miſeramus, relatione cognouimus, ſequacem te euangelicæ eruditionis oſtendis, vt per ſacerdotis probabilem fidẽ meritò præſumamus, quod tota eccleſia eidem credita, neque rugam cuiuſquam ſit erroris habitura,neq; maculam:& paulò pòſt,ſocietatem dilectionis tuæ amplectimur:& in fine, Caſterium preſbyterum, Patricium, & Aſclepiadem Diaconos,qui ad nos tua ſcripta detulere,cùm epiſtolis noſtris emiſimus indicantes nos, vt ſupra diximus, de Conſtantinopolitanæ eccleſiæ pace gaudere:cui hanc curã ſemper impendimus, vt eã nulla velimus hæreticorum fraude violari. hic rurſus ediſſerant nobis Magd. quas auctoritates præceſſorum epiſc. Rom. iſte Praxeas alioqui hęreticus defendebat, vt Pontificẽ ad reuocandas litteras pacis in Aſiam miſſas impelleret? aut cur non ad Patriarcham Antiochiæ eccleſiarum Orientis Primatem non eſt profectus Praxeas,vel ad epiſcopos Aſianos, quos canon Synodi Conſtantinopolitanæ ſecundus, quæ ad Aſiaticas diœceſes pertinent, gubernare ſecundum canonem Nicenum iuſſit? quam aliam cauſam interpretari poſſunt, præterquam primatum epiſcopi Romani,qui eccleſiis cuncti orbis præſidebat? ita vt quamuis hoc cæteri epiſcopi,

Teſtimonium Praxeæ hæretici pro decreto de appell.

Quæ ſint litteræ pacis, ſiue pacificæ.

quiſque per diœceſim ſuam curare deberent, per eos tamen ad vnam beati Petri ſedem vniuerſalis eccleſiæ cura confluerer,& nihil vſquam à ſuo capite diſſideret. Quod ſi ante mille trecentos annos, tantæ fuerant in eccleſiis Aſiæ,& Phrygiæ auctoritates anteceſſorum epiſcopi Romani, vt ex hoc loco Tertulliani intelligere licet,vt epiſcopus Romanus, qui tunc erat pacem illis daret,aut adimeret,id eſt,communionem concederet, aut interdiceret,fidem earum probando,vel improban do,ergo ſimul erat,vel teſtimonio Praxeæ, & Tertulliani ea auctoritas,vt ad eũ quoque pertineret,vt ſi qui epiſc.aliter per diœceſes ſuas iudicarent,eorum iniquitatem,aut imperitiã epiſcopus Rom corrigeret qui eſt, vt ſæpe diximus,vſus appellãdi neceſſarius: altera enim auctoritas ab altera ſeiungi non poterat, quia nec altera,ſine altera expediri Quod verò Tertullianus dixit hic,Praxeam iſtum hæreſim Romę intuliſſe ſecundum errorem ſuũ dixit,fuit enim Montani ſectator, qui noua chariſmata amentium prophetarum in eccleſias introducere voluit, quem eruditiſſimè Sanctus Epiphanius confutauit. Sed quia longum eſt,imò propè infini tum,velle omnia huius loci propria perſequi, vt teſtimonia & exempla prouocationis ad Pontificẽ magnus Baſilius tandem finiat, repetã ex epiſtolis eius ea, quæ in lib.3.de dogmaticis characteribus verbi dei, cum de ſumma poteſtate Pontificis ſcriberem,attuli. Vt enim cum Apoſtolo dicam, eadem ſcribere mihi quidẽ non eſt pigrum:iis autem qui decretum de appellationibus negant,neceſſarium. Scribens ergo ad Athanaſium,viſum eſt,inquit,conſentaneum, ſcribere ad epiſcopum Roman.vt vidat res noſtras, & iudicij ſui decretum interponat,vt quia difficile eſt, aliquos inde de concilij ſententia mitti,ipſe auctoritatem rei tribuat delectis viris,qui laborem,quidem itineris perferre poſſint: lenitate verò,ac facilitate morum, tũ etiam commoda, & prudenti oratione eos,qui à via recta deflexerunt, monere:quíque acta concilij Ariminenſis ſecum ferant ad ea reſcindendum quæ violentè illic acta ſunt. Si vt veteres iuriſconſulti tradunt, ad hunc vſum prouocatio eſt neceſſaria,vt iniquitatem iudicantium,vel imperitiã

Philip. 3.

corrigat, qui eccleſias Orientis viſitandi, habendi in eis Synodos, decreta faciendi, & hæreticorum violentè ibi acta reſcindendi auctoritatem epiſcopo Romano tribuit, an non ſimul ab aliis epiſcopis, & eccleſiis ad epiſcopum Romanum, & eccleſiam eius prouocationem eſſe confitetur: illud autem obſeruãdum eſt, in eiuſmodi litteris, quas dicit, ad epiſcopum Roman. ſcribendis, ſecutum fuiſſe canonem 7. conci. Sardicenſis, qui eſt de prouocatione ad epiſcopum Romanum, & de presbyteris ab eo mittendis cum auctoritate Pont. ad renouãdum iudiciũ, ſi videatur, & hoc ab eo impetretur. Rurſus idem Baſilius in epiſtola ad Occidentales, ſic ad Pontificem Roman ſcribit, obſecramus itaque vos, ſi dominus permiſerit vt tutè ad nos venire liceat, ne pigeat nos viſitare: aut ſi hoc beneficium in aliud tempus reſeruat, qui vitam noſtram ſapiẽter moderatur, ſcribite, quæ ratio conſolandi eos, qui malis premuntur, & ea corrigendi, quæ quaſſata ſunt, à vobis ſcribi poſtulat. multiplex enim quaſſatio eccleſiæ facta eſt, quę nos vehementer affligit. Nec auxiliũ aliunde expectamus, niſi dominus opera veſtra, qui fideliter ei ſeruitis, curationem nobis adhibuerit. Sic verò viſitare, & quaſſata curare bonis paſtoribus tribuit propheta Ezech. Quid igitur aliud eſt, auxilium curandi quaſſationem eccleſiæ ab hæreticis, tanquam à lupis illatam, ab epiſcopo Romano, velut à primo, & vniuerſali paſtore petere, niſi ad eum prouocare: Ac paulò pòſt petit idẽ Baſilius à Pontifice, vt Euſtachiũ, Apollinarium, & Paulinũ hæreticos declaret, vt deinceps ab omnibus catholicis vitentur. Et quia Liberius Pont. cùm collegis ſuis Euſtachium anteà abſoluerat, & reſtitui iuſſerat, qui poſteà mutatus, ad vomitũ reuerſus erat, petiit nomine catholicorum à Felice Liberij ſucceſſore, vt ſcriberet rurſus ad eccleſias Orientis, quibus de cauſis, anteà receptus fuiſſet: & quemadmodum mutatus poſteà, gratiam, quã conſecutus eſſet, amiſiſſet. Et quid hoc aliud erat, quam ab iis, qui Euſtachium, tanquam à Liberio cùm collegio fratrum ritè prius abſolutum, & in communionem receptum, inique poſt amiſſam gratiam defendendum iudicabant, ad epiſcopum Romanum Liberij ſuc-

ceſſorem prouocare, vt iniquitatem, & imperitiam inique iudicantiū corrigeret, hic enim eſt, vetus vſus appellandi. Rurſus idē Baſilius in epiſt. ad Tranſmarinos, (ſic enim vocat nunc Occidentales, id eſt, epiſcopum Romanum, cum collegis ſuis) eorum opem implorās, poſtquam ſtatum rerum eccleſiaſticarum expoſuit, cū, inquit, ſic res noſtræ habeant, conſentaneum erat pro veſtra in nos charitate, viros aliquos probatos ad nos mitti, qui nos ægrotantes viſitarent: & litteras ad nos crebro dari tum ad voluntates noſtras confirmandas, tum ad corrigendum errata. nec enim negamus multis nos lapſibus obnoxios eſſe, vt qui homines ſimus. Deinde ſubiūgit, ſed quia hactenus fratres, quæ nobis debebatis, omiſſa ſunt, ſiue quia non aduertiſtis, quod vos decebat: ſiue quia nos viſitatione veſtra indignos iudicaſtis, aliorum in nos criminationibus anticipati, ecce, inquit, nos principium ſcribendi facimus, & criminationes nobis illatas confitemur parati à vobis examinari, modo velint ij ipſi, qui nos contumeliis vexant, in conſpectum veſtrum venire. Si vobis præſentibus conuicti erimus, erratum noſtrum agnoſcemus: & vos poſt examinationem veniā à deo feretis, & accuſatores noſtri remunerabuntur. quod ſi nos ante examinationem condemnaueritis, nobis quidem nulla fuerit facta iniuria præter iacturam noſtræ vobiſcum amicitię, ac ſocietatis, quæ apud me maximæ æſtimationis eſt: ac idē ipſum damnum vos facietis nobis amiſſis, & euāgelio repugnare videbimini, cum ait, Nunquid lex iudicat *Ioan. 7.* hominem, niſi audiat, & cognoſcat, quid faciat? hactenus Baſilius. Cùm ergo queritur Baſilius, quod falſis eius accuſationibus Pont. Rom. credidiſſet, poſtulátque, vt maiore cura cauſam recognoſcat, ac præſentibus accuſatoribus reum examinet, an non confitetur palam, eſſe quidem ab aliis prouocationem ad Ponfificem, ab eo autem ad alium non eſſe? etenim ſi eſſet, quod per anticipationem falſæ opinionis ex calumniis accuſatorum conceptæ factum à Pontifice queritur, non à Pontifice ſed ab alio corrigi poſtulaſſet, qui eſt, vt ſæpe dixi vſus appellandi vetus, & à ratione dictatus, & à iuriſconſultis traditus. An Martinus Lutherus

aliquid ſimile fecit, cum ſe à Leone X. damnatum eſſe querebatur, petiit ne ab eo, vt audiretur? promiſit, agnoſcere errata ſua, ſi coram conuictus eſſet? minimè. cur ita? niſi quia non agnoſcebat Pontificem primum iudicem: vnde maluit, vt hæreticus, iudicio ſuo condemnari, quam iudicio eccleſiæ Romanæ ſtare. Cum ergo ius Apoſtolicum Pontificem Romanum, vt primum, ac ſummum in terris eccleſiaſticum iudicem appellandi ratione æquitatis naturalis dictante ideo inſtitutum ſit, vt, ſicut ait beatus Anacletus, qui iniuſtè opprimuntur, iuſtè fulciantur, neceſſe erat, vt qui beato Petro iubebat, & in eo ſucceſſoribus eius, vt fratres ſuos, qui epiſcopi in primis accipiendi ſunt, firmaret, ac fulciret, omnibus eum appellandi faceret poteſtatem. Etenim ſi natura ſagax, & prouida, vt Philoſophi tradunt, non deficit in neceſſariis, multo magis auctor naturæ, ſi beato Petro & ſucceſſoribus eius firmandi, ac fulciendi poteſtatem dedit, in iis, quæ ad eam poteſtatem vtẽdam neceſſaria erant, debuit non deeſſe. alioqui quomodo, quod dominus iuſſerat, id eſt, firmare fratres, epiſcopus Romanus beati Petri ſucceſſor exequi potuiſſet? quomodo inquam, niſi ius ad eum confugiendi cum neceſſe eſſet, omnibus fratribus dediſſet? Sicut enim vt Iabolenus iuriſconſultus ait, cui data eſt iuriſdictio, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt: ſic etiam ratio poſtulat, vt cui data eſt poteſtas firmandi alios, quos opus ſit erigi, & ſuſtentari, huic conceſſa ſit iuriſdictio: & aliis poteſtas appellandi eum, id eſt, ad eum confugiendi. quia neque poteſtas ſic firmandi, ſine iuriſdictione expediri poteſt, nec explicari: nec iſta iuriſdictio ad firmandum, & erigendum, ſine poteſtate eum appellandi, id eſt, ad eum confugiendi. Quomodo igitur decretum appellationis ad ſedem Rom. nec illi tempori Pontificum Apoſtolicorum, vt iſti dicunt, neque veritati congruebat? quod quidem non ſolùm ex ratione naturali ortum ducit, ſed neceſſitate connexi ex euangelio profectum eſſe facilè concludere poteſt, qui ea, quæ ſuperiore libro de eccleſia ſuper Petrum fundata ſcripſimus, conferre ſciat. Denique priſcorum tempo-

rum eſſe, id eſt, Apoſtolicæ inſtitutionis decretum hoc, ſatis hoc tertio libro grauiſſimis teſtimoniis, & exemplis magnorum conciliorum Niceni, & Chalcedonẽſis, ac veterum auctorum oſtenſum eſt. Ne verò hos ius appellationis ad ſedem Rom. aut ambitioſum, & ſuperbum, aut violentum, aut imperiorum eſſe hæretici calumnientur, conſiderent quanta moderatione, & æquitate temperatum ſit. Repetam enim iterum, quæ Pontifex Anicetus de eo ſcripſit. Si autem, inquit, propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatẽ, vel itineris aſperitatem, graue ad hanc ſedem eius cauſam deferre fuerit, tunc ad eius Primatem cauſa deferatur: & penes ipſum huius ſanctæ ſedis auctoritate iudicetur. Deſinant igitur Magd. blaſphemare quod ignorant, cum falſo tradunt, decretum de appellationibus in epiſtola Sixti non congruere tempori, neque veritati, per quos via veritas, ſicut ait ſcriptura blaſphematur, qui in auaritia fictis verbis de miſeris Lutheranis, quos decipiunt, negotiãtur, quibus iudicium iam olim non ceſſat: & perditio eorum nõ dormitat. Qui dum nolunt eſſe in eccleſia vnum ducem vniuerſi gregis Chriſti, nolunt eſſe in ea optimum ſtatum monarchiæ, quam docuit Moyſem dei ſermo: Philoſophos ratio: pecudes ipſa natura. Quantò ergo ſimpliciores, & meliores eis ſunt, vt in alios iſtorum ſimiles beatus Cyprianus ſcripſit, brutæ pecudes, & muta animalia? & cruenti licet, ac furentes inter gladios, atque inter arma prędones? Præpoſitus illic agnoſcitur, & timetur, quem non ſentẽtia diuina conſtituit, ſed in quem factio perdita, & nocens caterua conſentit. Hæc ille ad Puppianum. Hactenus reſponſum ſit ad ea, quæ ex Synodo Carthagi. in decretum de appellationibus, quod in epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum frequens eſt, & in Primatum Pontificis à Magd. obiecta ſunt. quæ quantum ſatis viſum eſt, refellimus: & noſtra confirmauimus. non enim fuit nobis propoſitum omnia hic de poteſtate Pontificis, imò neque multa ſcribere, ne quis plura hic requirat. Scripſerũt multi multos de ea re libros, ac nos etiam iam pridem libros tres nõ magnos, quos ex verbo dei, quod iſti ſemper iactant, & inclamant,

2. Pet. cap. 2.

contexui: & alia quædam in libro tertio de Dogmaticis characteribus verbi Dei, præter illa, quæ in libro etiam ſuperiori Magdeburgenſibus eodem pertinentia reſponſa ſunt. Reſpõdeamus deinceps ad alia crimina.

Reſponſio de pulſis, ante iudicium reſtituendis: Quomodo decretum Euariſti illi ſæculo, & veritati conueniret ſecundum æquitatem naturalem, & eccleſiæ catholicæ decentiã, & ſecundum legem priſcorum Imperatorum, quam eccleſia à principio approbauit, & recepit: & quid de legibus ſæculi iuſtis ab eccleſia recipiendis Sixtus Pont. ſcripſerit. Item de epiſtola canonica Cyrilli ad Dominum Archiepiſcopum de reſtituendo pulſo. Cap. 5.

OBiiciunt præterea de epiſcopo pulſo, ante iudicium reſtituendo in epiſtola 2. Euariſti, quod hoc etiam non cõgruat tempori, neque veritati. Credo viſum eſſe Magdeburgenſibus non congruere tempori Euariſti 6. poſt beatum Petrum Pontificis hoc decretum, quod multis poſt eum temporibus factum ſit ab aliis Pontificibus idem decretum à Caio, Fabiano, Ioanne, Euſebio, Pelagio, Stephano, & aliis, ne omnes enumerem: quos quidem non neceſſe fuit de Euariſto meminiſſe. conſueuerunt enim non ſolùm Pontifices, ſed etiam Synodi decreta facere, de quibus rebus iam antè facta eſſent: quod nihil aliud eſt, quàm illa ipſa decreta renouare, ac confirmare. neque tamen de illis prioribus mentionem facere. ſic licet notare aliquos canones in Nicen. Synodo, Antiochena, Laodicenſi, Ancyrana, Chalcedonen. Carthaginenſ. vt cæteras taceam, de iis rebus æditos, de quibus extant Apoſtolorum canones, qui tamen in illis ipſis Synodis, non citantur. Tẽpori ergo Euariſti non congruere decretum hoc De epiſcopis pulſis, ante iudicium reſtituẽdis, nunquam Magdeburgenſ. dixiſſent, niſi familiare ei eſſet ad pauca reſpicientibus, facilè pronuntiare, vt in quoſdam alios ſimiles Princeps Philoſophorum dixit. Eſt enim in libro quarto digeſtorum decretum

Magd. ſimiles illis philoſophis qui ad pauca reſpicientes facile enunciant.

Decretum De reſtitutione ante iudiciũ vnde natum, & quã vetus eius ſanctio.

Antonini De reſtitutione ante iudicium, quod naturalis æquitatis ratio docuit. Si quis ſpoliatus, ante iudicium non reſtitutus, indicta cauſa damnatus eſſe videatur, quo nihil poteſt eſſe iniquiùs. Marcellus igitur iuriſconſultus, diuus, inquit, Antoninus Marcio Aſſito prætori de ſuccurrendo ei, qui abſens rem amiſerat, in hanc ſententiam reſcripſit: Etſi nihil facilè mutandum eſt ex ſolennibus, tamen vbi æquitas euidens poſcit, ſubueniendum eſt. itaque ſi citatus non reſpondit, & ob hoc more ſolito pronunciatum eſt, confeſtim autem pro tribunali te ſedẽtem adiit, exiſtimari poteſt, nõ ſua culpa, ſed parum exaudita voce præconis defuiſſe. Subiungit autem Marcellus iuriſconſultus: nec intra has ſolummodo ſpecies conſiſtet huius generis auxilium. etenim & deceptis ſine culpa ſua, maximè ſi fraus ab aduerſario interuenerit, ſuccurri oportebit, quamuis etiam de dolo malo actio competere ſoleat: & boni prætoris ſit potius reſtituere litem, vt ratio, & æquitas poſtulabit, quàm actionem famoſam conſtituere, ad quam tunc demum deſcendendum eſt, cum remedio locus eſſe non poteſt. Igitur ſi hæc humana lex De pulſo, ante iudicium reſtituendo ex ratione æquitatis naturalis profecta eſt, & tam iuſta, & antiqua eſt, vt eam in reſcriptis Anto. Imperatoris, & in notationibus Marcelli iuriſconſulti legamus, quis diceret, non congruiſſe temporibus Euariſti, id eſt, temporibus Domitiani & Neruæ Traiani? quis inquam, præterquam Mag. odio eccleſiæ noſtræ & ſanctorum Pontificum cæcos ac furentes. quod ſi concedant tandẽ, vt coguntur, congruiſſe temporibus priſcorum Imperatorum hanc legem ex æquitate naturali profectam, & contra multas iniurias, & fraudes ac violentias, quæ fieri poterant, patronam, cur non concedant, vt Sanctiſſi. Pont. Euariſtus hoc ius æquitatis legibus ſæculi iam olim ſancitum ad vtilitatem eccleſiæ, & innocentiæ defenſionem per epiſtolam ſuam approbauerit, & ſanxerit? præſertim cum iſti ipſi Magdeburgen. licet parum memores ſint, in prima Cent. cap. 7. in iudicio de canonibus apoſt. ſic ſcripſerint, Verùm hoc ſæculo apoſtoli, & alij legibus politicis magiſtratibus vſi ſunt, illud ſcienteſ

Quòd omnino neceſſe ſit confiteri congruiſſe tempori Euariſti decretum de pulſo ante iudicium reſtituẽdo.

euangelium non abolere politica iuſta,& honeſta hęc iſti. Vnde Calixtus primus temporibus Antonini Caracallæ in epiſt.2.Nos verò,inquit,ſequẽtes patres noſtros & eorum veſtigiis inhærentes infamia eos notamus, & infames eſſe cenſemus, qui infamiæ maculis ſunt aſperſi.nec accuſationes,inquit, eorũ,quos leges ſæculi reiiciunt, ſuſcipere debemus. deinde ſubiungit, Quis enim dubitat leges humanas rationi, & honeſtati non repugnantes eſſe amplectendas? præſertim vbi vel publicæ conſulunt vtilitati,vel eccleſiasticæ dignitatis auctoritatem defendunt, ac pro adminiculo tuentur, &c. Præterea beatus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus,cuius auctoritas quanta ſit,Epheſina Synodus teſtis eſt, quam ſit iniquum eiicere epiſcopum ex eccleſia indicta cauſa.ac rurſus quàm æquum ſit,reſtituere eum prius,deinde in iudicio ſiſti,& audiri,& quã ſit hoc canonicum, & eccleſiaſticum, docuit in epiſt. quam ad Dominum Archiepiſcopum de quodã epiſcopo pulſo,ante iudiciũ reſtituendo ſcripſit: quæ propter auctoritatem,& vtilitatem relata eſt à patribus eccleſiæ orientalis inter canones & appellata canonica. ergo poſtquam eum pluribus verbis arguit, Melius, inquit, æquiuſque erat eius cauſam audire. & paulò poſt, Cogitans ergo,inquit, quid canonibus ſancitum ſit, quid eccleſiam deceat & quid clericos ipſos, qui ſacrorum adminiſtrationi præſunt,ſiſte quæſo lachrimas ſenis, qui, ſi voluerit cum accuſatoribus litigare, litiget, vt eſt in more. te cognitore & iudice, tuiſque epiſcopis: niſi aliquos propter ſuſpicionem reiiciat. & paulò poſt,Bona autem ei ablata duplici,inquit,nomine & cauſa reſtituere oportet: tum quia nihil prorſus huiuſmodi committendum erat: tum quia vbiq; terrarum cũctis epiſcopis etiam ſanctiſſimis acerbiſſimũ eſſe ſolet rationem ab ipſis de ſumptibus factis repoſcere.hactenusCyrillus.Quod ſi pulſum reſtituere ante iudicium, quod à Domino Archiepiſcopo Cyrillus Patriarcha poſtulat,hoc eccleſiam,& eos, qui eccleſiis præſunt, decere dicit, præterquam quod canonibus quoque ſancitum eſt, cur igitur dicunt Magdeburgẽſes non congruiſſe hoc decretum tempori Euariſti,

Quid Cyrillus Alex. ſcripſerit de reſtituẽdo pulſo ante indicium.

neque veritati? An non congruebat Euariſto, vt ſciret, quid eccleſiam, & eos, qui eccleſiis præſunt, deceret? & quid lex naturæ inſita præſcriberet? Denique eſſe hoc decretum ab Euariſto Apoſtolico Pontifice profectũ teſtatus eſt Iſidorus ante annos prope nongentos in prologo ſuæ collectionis epiſtolarum Pontificalium, ac canonum, quæ extat, & cuius meminit Igmarus Archiepiſc. Rhemenſis ante annos ſeptingentos. Poſtquã ergo citauit Iſidorus epiſtolam magni Leonis ad Synodum Chalcedonenſem de reſtituendis pulſis ante iudicium ſubiungit idem Iſidorus, eadem & antiqui, & apoſtolici, qui fuerunt ante Synodum Nicenã ſanxerunt. & rurſus eadem, inquit, ſanxit Synodus, quæ habita eſt Laraſſa ſub Valeriano principe. Somniant ergo Magd. cum dicunt, circa tempora Caroli Magni fictam eſſe hanc epiſtolam propter hoc decretũ, quaſi illis temporibus non cõgrueret. Deinde ſi temporibus Nicenæ Synodi congruebat, vt hoc ipſum ſanciret, vt intelligi poteſt ex ſententiis illis canonicis ex actis Nicenæ Synodi collectis, quas Iulius Pontif. epiſtolæ ſuæ ad Orientales inſeruit. quod Damaſus quoque in epiſtol. tertia ad concilia Africæ teſtatur, cum ait. De eiectis verò, & ſuis rebus ſpoliatis nihil vobis verius ſignificare queo, quam ſancti patres definierunt (Nicenos enim patres dicit) & noſtri prædeceſſores apoſtolica auctoritate roborarunt: ſi inquam, congruebat tẽporibus Niceni concilij, quod ratio æquitatis naturalis docuit, non poſſe inermes, vt idem Damaſus ibidem ait, cum armatis ritè pugnare, quomodo non potuit idem congruere temporibus Euariſti? eandem rationẽ æquitatis naturalis produxerunt tum alij Pont. tum Nicolaus primus Damaſum, & Damaſi verba imitatus, cum ſcribens de quibuſdam pulſis, ante iudicium reſtituẽdis ad epiſcopos, & archiepiſcopos, qui in Sueſſonica vrbe conuenerãt, prioribus, inquit, redditi gradibus, & ordinibus, & quodammodo ſuis omnibus reueſtiri, aduerſus impetentem integras vires habeant. deinde ſubiungit, non enim inermis cum armato conflictum inire poteſt: bene autem habet, quod epiſtolas Nicolai, qui in 9. ſæculum incidit, non negant Magd.

Iſidorus de antiquitate decreti de reſtituendis pulſis ante iudicium.

Decretum de reſtituẽdis pulſis ante iudiciũ in Nice. conci. ex Iulio, & Damaſo, confirmãte Nicolao 1. cuius epiſtolas nõ negãt Magdeb.

id quod à 6. ſæculo poſt natalem domini facere cœperunt in aliorum Pontificum epiſtolis, quarum teſtimoniis, cum eis videtur, libenter abutuntur. ex quo fit, vt ſimul Damaſi, & patrum Synodi Nicenæ teſtimonium de pulſis, ante iudicium reſtituendis in epiſtola Nicolai neſcientes confiteantur.

Defenſio decreti Euariſti de ſacris vaſis non tangẽdis niſi à ſacratis, & quomodo congruat tempori. Item de aqua & ſale benedicto, & de aſpergendo populo. Quid hæc ſignificent & operentur, & de myſterio aquæ ſuper terram effuſæ in libro 1. Reg. tum de iis, quæ Lutherani hodie ſecundum Apoſtolicas traditiones faciunt, quamuis eas negent. Item quomodo benedictio aquæ & ſalis ſit in ſcriptura Pauli fundata, & de interpretatione illius loci Pauli ad Tim. de ſanctificatione creaturæ per verbum, & orationem, ex proprietate verborum, ſecundum ſcripturas deprompta. & quomodo ſcripturis, & ſibi ipſis repugnare neceſſe ſit eos, qui virtutem ſpiritualem in ſanctificatione aquæ & ſalis negant. Item teſtimonia, & exempla virtutis aquæ benedictæ ex hiſtoria Euſebii, & ſancti Epiphanii. Caput 9.

DEcretum quoque Euariſti de ſacris vaſis non tangendis niſi à ſacratis aiunt ſimiliter, non congruere tempori, neque veritati, ſed qua ratione non congrueret, nihil plus attulerũt hic, quam in ſuperioribus. ſatis demonſtratum eſſe putant, ſi ipſi dicant. Interrogemur ergo nos, quare non congruit tempori, neque veritati: an tempori non congruit, quia tempore Euariſti non erant vaſa ſacra? ecquis ita deliret, vt hoc aut dicendum, aut credendum eſſe putet? dicant potius, nõ fuiſſe tunc ſacra vlla, quæ ſi erant, ſimul conſequens eſt, vt eſſent vaſa ad ſacra facienda: quod ſi erant eiuſmodi vaſa, an non congruit veritati, vt ſacra vaſa eſſent? vt dicant potius, nihil diſtare inter ſacra & profana: vt non magis opus ſit ſacris vaſis ad ſacra in templis facienda, quam ad conuiuia in luſtris agitanda: non magis ad eccleſiæ miniſterium, quam ad culinæ

Abſurdum cõmentũ Magd. non congruiſſe tempori Euariſti, prohibere laicũ ſacra vaſa tangere.

cas mentes, & blaſphemas linguas. An putant iſti Babylonium ſine Deo in hoc mundo, vt Apoſtolus ait, plus honoris vaſis templi, cuius ſanctuariũ iuxta prophetiam Danielis diſſipaturus erat populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem, & finem perſeueratura deſolatio plus, inquã, honoris debuiſſe, quam Euariſtus ſanctiſſimus Pont. deberi intelligeret vaſis domus Dei: cuius gloria nouiſſimæ, iuxta prophetiam Aggæi, maior quam primæ? an putatis Magd. quod qui non pepercit Balthaſari, neque ſupplicium ei differre voluit, quia exemplo paterni ſupplicij nihil profeciſſet, imò ea ipſa nocte, qua ipſe & mille optimates in vaſis ſacris biberunt, eum occidi & Babylonẽ capi voluit, vobis fortaſſe parcet, qui peiores illo eſtis? ille enim ſaltem territus eſt articulis illis manus ſcribentis, qui ei in pariete apparuerunt: & Danielem honore affecit, & præfecit regno: ſiue ne à præſentibus condemnaretur, vt quidã vetus interpres ait, ſiue quod liberationem per eum conſequi ſperaret. at vos Magd. neque ſupplicium Balthaſaris terret, neque mouet, quin vaſa ſacra communia eſſe dicatis, & putetis: imò, quod grauius adhuc eſt, eos, qui ferunt vaſa domini, vt prophanos habeatis Sed proſequamur reliqua huius generis & loci: inter ea enim, quæ tempori & veritati negant congruere, ponunt quoque decretũ Alexãdri epiſt 1. de aqua & ſale benedicto, & aſpergẽdo populo, vt ſanctificetur. Sed recitemus Alexandri verba, Aquam, inquit, ſale conſperſam populi benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur: quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. nam ſi cinis, inquit, vitulæ aſperſus ſanguine, populum ſanctificabat, atque mũdabat, multo magis aqua ſale aſperſa diuiniſque precibus ſacrata, populum ſanctificat, atque mundat: & ſi ſale aſperſo per Heliſeum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis diuinis precibus ſacratus ſterilitatem rerum aufert humanarũ, & coinquinatos ſanctificat, atque mundat, & expurgat: & cætera bona multiplicat: & inſidias diaboli auertit, & à phantaſmatis verſutiis homines defendit? nam ſi tactu

Magd. plus honoris putãt debuiſſe vaſis ſacris regem Babylonis idololatram, quam Euariſtum ſanctiſ. Pont.

Magd. peiores Balthaſare rege Babylonis. Dan. c. 5.

Decretũ Alex. de aqua cum ſale benedicto.

fimbriæ veſtimenti Saluatoris ſaluatos infirmos eſſe non dubitamus, quanto magis virtute ſacrorum eius verborum diuinitus ſacrantur elementa, quibus ſanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas? Addamus & nos ad hæc exempla ſcripturæ ſanctæ à Pontifice commemorata, quod in lib. Regum 1. ſcriptũ eſt de aqua effuſa in terram in honorem Dei, ſic enim ait, dixit autem Samuel, congregate vniuerſum Iſrael in Maſphat, vt orem pro vobis Dominum: & conuenerunt in Maſphat, hauſeruntque aquã & effuderunt in conſpectu Domini ſuper terram. Sic enim eſt apud 70 deinde ſubiungit, & ieiunauerunt in illa die, & quę ſequuntur. Percontemur hic Magdeburgenſes, & cæteros Lutheranorum Magiſtros, an putatis temere hoc factum eſſe, ac ſine vlla myſterij ſignificatione, aut ſuperſtitioſe? abſit, vt ita quiſquam veſtrum deſipiat, cum clarè dicat Apoſtolus, omnia in figura contigiſſe illis. interpretetur ergo nobis hoc myſticum ænigma aquæ illius coram Domino effuſæ, vt alios nunc omittam, Cyrillus Alexandrinus: ſic enim in homilia 18. & 30. quas nobis reliquit inſcriptas ἑορταστικὰς, ſcripſit, vidiſſe Samuelem in ſpiritu verbum, quod eſt fons vitæ, fieri hominẽ, & voluiſſe, honorare typo illo ac figura Deũ, qui futurus erat homo: terra enim inquit, ſuper quam effundebatur aqua, ſymbolum erat carnis, quã aſſumpſit: & aqua ſymbolum vitæ. ſic quoque inquit, iuſſit Deus Moyſi, ſumere aquam ex fluuio, qui erat ſymbolum filij ex patre tanquam fluuio, ſiue fonte naſcentis, & effundere ſuper terram, quæ erat ſymbolum carnis, & illa aqua ſic effuſa ſuper terram, fiebat ſanguis, qui mortem ſignificabat, ante. n. quàm Deus homo fieret, mori non potuit. Similiter inquit, Samuel ſtatim poſt aquam illam effuſam ſuper terram, immolauit agnũ, qui fuit typus ac figura Chriſti immolati. Hactenus Cyrill. quod ſi Samuel vt Deum typo, & imagine honoraret, effudit aquam ſuper terram coram Domino, id eſt, in honorem Dei, & tanquam genus oblationis Deo acceptæ, hoc enim ſignificat, ſecundum Idioma ſcripturæ ſanctæ illud, coram Domino, ſiue in conſpectu Domini, & ſi illa effuſio aquæ ſuper terram iuſſa

1. Reg. c. 7.

Quid ſignificaret myſterium aquæ coram domino effuſæ à Samuele.

Cyrillus in homeliis paſchalibus.

Exod. 7.

Comparatio aquæ illius effuſæ in honorem Dei à Samuele & aquæ benedictæ nobis in honorem Dei aſperſæ.

fieri à Samuele ſecundum ſpiritum in nomine Dei, qui futurus erat homo, & moriturus, quæ erat quædã typica ſanctificatio aquæ illius, tantum valuit cum ieiunio illo adiuncto, vt victoriam de hoſtibus, Deo de cœlo tonãte, perterrefactis impetraret, vt hiſtoria Regum narrat, cur non multo etiam plus valeat ad perterrefaciendos, & fugandos dæmones aquæ per verbũ Dei iam incarnati, & pro nobis mortui, & iuxta Prophetam, tanquam aqua effuſi ſanctificatio, & ad honorem ipſius aſperſio, tãquam genus oblationis? quid, inquam, obſtat, quo minus aqua. quæ myſteriis Dei ſeruit, ad fugandos dæmones, morboſque pellendos effectum diuinæ gratię per inuocationem eius ſumere poſſit? quod ſi poteſt, cur quod vbique Chriſtiani credunt. & Chriſtianæ operantur, vos negatis? & ſi nihil ſine ſcriptura ad cultum Dei faciendum eſt, vt traditis, vbi legiſtis in ſcriptura canendum eſſe à populo in eccleſia, præcinente concionatore? non hoc dico, quod iſtam conſuetudinem à primis veſtris magiſtris piè vobis, & accommodate ad ingenium gentis Germanicæ diebus præſertim ſolennioribus relictam damnẽ, ſed quod neque vos traditionem aquæ benedictæ cũ benedictione ſalis aſperſi, quam à ſanctis Apoſtolis accepimus, damnare debeatis, ſed potius recipere, vt maiores veſtri receperunt, vt crucem quoque in frontibus facere multi non Brentiani recepiſtis, quod nulla vos ſcriptura docuit: & cibos etiam benedicere, antequam guſtetis. nec n. hoc facitis, ne hic more veſtro cauillari incipiatis, quia hoc in euãgelio à Chriſto factũ legitis: aliud n. eſt imitari, quod Chriſtus fecit: aliud facere, quia præceptum eſt etenim ſi ad imitationẽ, & exemplum Chriſti cibos benedicitis, & non ex præcepto traditionis apoſtolicæ, ſicut nos. qui conſtitutionẽ de benedicẽdis cibis, antequam guſtemus ab Apoſtolis traditam habemus, & ſequimur, quæ eſt in lib. 5. Clem. Rom. in extrema parte. cur non ſatis ieiunium 40. dierum, quibus Dominus ieiunauit? nec. n. illud ieiunium ad legem Moyſis pertinebat, quæ nõ præcipiebat tale ieiuniũ, ſicut præcipit lex euangelicæ & apoſtolicæ traditionis? cur itẽ miniſtri veſtri ad exemplum euangelij

Pſal. 21.

Negant Magd. quod vbique omnes Chriſtiani credunt, & operantur. Quas traditiones ſine ſcripto Lutherani quoque teneant.

Conſtitutio Apoſtolica de benedictione ciborum, antequã guſtentur.

non imponũt manus ſuper ægros, vt nos facimus? cur non vngunt eos oleo, vt eſt in euãgelio Marci, ſicut in eccleſiis catholicorum à miniſtris noui teſtamenti fit: quod ſi vos ideo cibos benedicitis quia ſcriptum ſit à Paulo, nihil reiiciendũ eſſe, quod cũ gratiarũ actione percipitur,ſanctificari.n,creaturã per verbum Dei,orationẽ,rectè hæc, & nos creaturã aquæ & ſalis benedicimus propter hãc ipſam ſcripturã Pauli,vt iam cõſtitutio ab Apoſtolis tradita de benedictione aquę ad depellẽdas ægritudines,& fugãdos dęmones,quæ à Cle. Rom.in lib 8.de cõſt. apoſt.ſcripta eſt, non ſit per ſermonẽ tantũ tradita ſine ſcriptura. ſed recitemus cõſtitutionẽ,& cõferamus eã cum ſcriptura Pauli, ſic.n.ait in perſona Matthæi Apoſt. benedicat epiſcopus aquã aut oleũ: Sin verò nõ aderit epiſcopus, benedicat preſbyter præſente diacono:dicat autẽ in hunc modũ,Domine Sabaoth,Deus virtutũ,creator aquarũ,& amator hominũ,qui dediſti aquam ab bibendũ,& oleũ ad exhilarandũ faciem in exultationẽ lætitiæ, ipſe etiã nunc ſanctifica hanc aquam & oleũ ex nomine eius,qui obtulit,vel quæ obtulit, & tribue ei vim ſanãdi, & depellendi morbũ,fugãdi dæmones,& expellẽdi omnes inſidias per Chriſtũ ſpem noſtrã,cum quo tibi gloria,honor,& cultus,ac ſancto ſpiritui in ſæcula,amen. Si nõ mouet vos tanta auctoritas,at moueat ſaltẽ tanta antiquitas:ſed conferamus hanc orationẽ cum loco Pauli ad Timoth.Paulus ait,ſanctificatur enim per uerbum Dei,& orationem: oratio verò hæc ait, ſanctifica hanc aquã:deinde explicat vim ſanctificationis, ſubiungẽs, Tribue aquæ vim ſanandi, & depellendi ægritudines, fugandi dæmones:hæc eſt imploratio auxilij aduerſus ea, quæ nocent, quam implorationẽ auxilij ſignificat ἔντευξις, vt Theodoretus in comment.epiſt. prioris ad Timotheum capite ſecundo notauit. quo verbo vſus eſt idem Paulus in eadem epiſt.c.4. cum ait ſanctificatur enim διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως, id eſt, per verbum Dei,& orationẽ,vt interpres vetus vertit: ſic etiã accepit hoc verbũ magnus Athanaſius in prologo explanationis Pſalmorũ ad Marcellinum, cum eos pſalmos notat,in quibus eſt ἐντυχία,n.imploratio auxilij,hoc.n.

1.Tim.c.4.

Coguntur Lutherani,qui cibos benedicunt ex traditione, concedere benedictionẽ aquæ item ex traditione.

Conſtitutio apoſtolica de benedictione aquæ,& de virtute eius.

Collatio benedictionis aquæ & ſalis ab apoſtolis traditæ,cũ loco Pauli de benedictione ciborum.

Quid ſignificet in loco Pauli de ſanctificatione ciborũ ἔντευξις ex Athanaſio, & Theodo.

verbo vtitur, pro quo Paulus vſus eſt verbo ἔντευξις. quare cum vos Magdeburgenſes, & cæteri Lutheranorum magiſtri negatis accipere creaturas per implorationem auxilij, quæ fit in verbo Dei, virtutem quádam ſpiritualem ad auxiliandum nobis contra ea, quæ nocere poſſunt, hanc Pauli ſcripturam negatis nõ intelligentes eam, neque virtutem eius. hæc eſt enim vis ſanctificationis facere, vt quod ſignificatur, fiat in timorẽ aduerſariis poteſtatibus. Sicut ait Eſaias, Dominum virtuũ ipſum ſanctificate: id eſt, facite vt ſit vobis timori. vnde ſubiungit, interpretans, quod dixerat, ipſe erit timor tuus, & ſi in ipſo confiſus fueris, ipſe erit tibi in ſanctificationẽ: ſic enim eſt apud 70. id eſt, ipſe mũdabit te, & faciet ſanctum. itaque cũ creatura per verbum Dei, & orationem ſanctificatur, & fit in timorẽ aduerſariis poteſtatibus, Deus in ea ſanctificatur, & in ea fit in timorem. & cum in huiuſmodi ſanctificatione creaturæ per verbum Dei, & orationem facta nos cõfidimus contra ea, quæ nocere poſſint, non in creatura nuda, ſed in virtute verbi Dei omnipotẽtis cõfidimus, & ipſe nos in eo confidentes mundat, & ſanctificat in creatura ſua. vnde in oratione ſanctificationis aquæ, quam paulò ſupra ex libro octauo. Clemen. de apoſt. conſtitut. recitaui, tribue (inquit) ei virtutem ſanandi, & fugãdi dæmones per Chriſtum ſpem noſtram. Sic igitur nos ſcripturam Pauli de ſanctificatione creaturæ per verbum Dei, & orationem ſecundum traditionis Apoſtolicæ conſuetudinem, quæ in omnibus eccleſiis catholicorum viget, interpretamur, & ſecundum vim verborum, quibus Paulus accommodate ad ſenſum materiæ ſubiectæ vſus eſt. Vos verò Magdeburgenſes, & cæteri Magiſtri Lutheranorum, quomodo ſcripturas poteſtis intelligere, qui neque cum catholicis traditionibus conferre eas vultis: neque eas κατὰ λέξιν, id eſt, ſecundum verba interpretari didiciſtis: ſicut ſancti Apoſtoli præcipiunt, vt ex 2. libro de conſt. apoſto. capite 5. intelligere poteſtis: vt in hoc loco Pauli, in quo neque quid verbum ſanctificandi, neque quid ἔντευξις ſignificet ſcire curatis. cum tamẽ, vt notauit Adrianus ſiue Andronicus, vt Photius in bibliotheca ſua vocat, vetus,

Qui negant accipere creaturas per implorationem auxilii dei virtutem ad auxiliandũ nobis in nomine eius, ſcripturam negant.

Quæ ſit vis ſanctificationis creaturæ.

Eſa. 8.

Quare Magd. & cæteri magiſtri Luthe. non poßint intelligere ſcripturas.

Conſtitutio apoſtolica de interpretatione ſcripturæ.

vetus auctor in Iſagoge ſcripturarum, quam ſcripſit, ſingula verba ſcripturæ ſigna quædam ſint itineris & curſus, quæ ſunt (inquit) ingredientibus viam intelligendi oſtendenda, vt ſine errore, ac tuto ad deſtinatū perueniant. qui enim verba negligunt, volare (inquit) cupiunt, & non per viam ingredi: admonet deinde idē Adrianus, oportere diſcernere in ſcripturis idiomata, figuras, & tropos, & interpretari κατὰ λέξιν accommodate ad ſenſus rei ſubiectæ, quod mihi ex conſtitutionibus Apoſtolorum ſumpſiſſe videtur. huius legis interpretandi κατὰ λέξιν multa eſt, apud magiſtros Lutheranorum ignoratio & neglectio, quæ eos in plurimos errores inducit. deinde iubet etiam apoſtolica conſtitutio in eodem libro 2. cap. 5. accuratè interpretari ſcripturas, euangelium, vt legi, ac Prophetis, conſonet: legem & prophetas, vt euangelio. Quare ſi potuit Propheta Eliſæus tempore legis impetrare ſali in aquam iniecto virtutem ſanandi ſterilitatem, & inſalubritatem aquæ Hiericunthinæ in virtute Dei, qui nondum factus erat victima, & reconciliatio noſtra, & ſal fœderis noui teſtamenti: & potuit item Samuel facere, ſicut paulò ante dixi, vt indicto ieiunio & aqua effuſa ſuper terram in honorem Dei, qui nondum erat factus homo, & pro nobis, tanquam aqua iuxta prophetiam Dauid effuſus, Deo de cœlo tonante, hoſtes perterrefacti darent ſe in fugam, quomodo poterit quis ſcripturam Pauli de ſanctificatione creaturæ per verbum Dei & orationem ita interpretari, vt conſonet Prophetis, ſi idem neget creaturam aquæ per verbum Dei, & orationem ſanctificatam, valere aduerſus poteſtates aduerſarias, & alia mala? quomodo, inquam cōſonabit nouum teſtamentum veteri, ſi prophetica, ac typica ſanctificatio creaturæ efficere poteſt, quod non poteſt euangelica & apoſtolica ſanctificatio creaturæ in virtute Christi pro nobis crucifixi facta? Sed vrgebo adhuc hunc locum Pauli, neque prius vos dimittam, quàm percontando magis adhuc reuincam. Quæro à vobis Magdeburgen. vtrum putetis accipere creaturam aquæ, aut panis per ſanctificationem, quæ ſecundum Pauli ſcripturam fit per verbum Dei, & orationē,

Andronicus, ſiue Adrianus in Iſagoge ſcripturarum de ratione interpretandi ſcripturas.

Interpretandi ſcripturas κατὰ λέξιν ingens, apud Lutheranos magiſtros ignoratio & neglectio.

Secūdum Mag. non conſonat nouum teſtamētum veteri in ſpiritu valebatque plus typica ſanctificatio creaturæ in vetere lege, quàm valeat vera in noua.

Compelluntur Mag. ad concedēdum, aliquid in ipſa creatura quæ ſanctificatur effici per verbum Dei, & orationem.

aliquam virtutem ſpiritualem, an non? Si nullam accepit, ſed potius ſola & nuda natura aquæ, aut panis, aut ſalis remanet poſt ſanctificationē, quid illa apud Paulum, verbum Dei, & oratio efficiunt? Si nihil, fruſtra ergo adhibentur. Si fortè dicitis adhiberi tantum in gratiarum actionem, dici hoc non poteſt, ſi verborum vis, & ratio ad interpretationem ſcripturæ neceſſario ſecundum regulas patrum adhibenda eſt: aliud enim eſt gratiarum actio, aliud petitio. non dixit Apoſtolus ſanctificari creaturam διὰ λόγου θεοῦ καὶ εὐχαριστίας id eſt per verbum Dei & gratiarum actionē, ſed μετὰ εὐχαριστίας διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως id eſt, ſanctificari cum gratiarum actione per verbum Dei, & orationem petentem. ſ. auxiliū iuxta vim verbi græci ἐντεύξεως, vt in ſanctificatione aquæ, quam ſupra ex lib. 8. Clem. recitaui, illa eſt gratiarum actio, Domine Sabaoth Deus virtutum, creator aquarum, & amator hominum, qui dediſti aquam ad bibendum, & abluendum: commemoratio enim beneficij quædam gratiarum actio eſt, illa eſt ἔντευξις, id eſt, oratio implorans. Tribue ei virtutem ſanandi, & fugandi dæmones: illud verò eſt verbū Dei, Per Chriſtum ſpem noſtram. quod ſi non fruſtra adhibentur ad ſanctificationem creaturæ verbū Dei, & iſta ἔντευξις, neque ad ſolam gratiarum actionem, vt docui, conſequēs neceſſario eſt, vt aliquid in ipſa creatura ad vtilitatem noſtram efficiant. quod ſi ſaltem hoc ſolum negatis, tantam ſcilicet virtutem tribui aquæ ſanctificatæ, vt ægritudines ſanet, & dæmones expellat & non nobis, tanquam domeſticis teſtibus, vt dicere ſoletis, nec experimentis noſtris fidem adhibetis, qui quotidie in eccleſiis noſtris cernimus in energumenis tremere, & cruciari dæmones, cum aqua ſanctificata aſperguntur, adhibete ſaltem fidem antiquis & veris hiſtoriis: Legite, quæ Euſebius non à nobis ſubornatus, nec heri, aut nudius tertius, ſed ante mille trecentos annos de Marcello Apameorū epiſcopo & de aqua ſanctificata lib. 5. hiſtoriæ eccl. c. 21. ſcripſit, cum prætor quidam Chriſtianus auctoritate edicti Conſtantini Magni, & iuſſu Marcelli epiſcopi templum Iouis muniti ſſima ſubſtructione ædificatum vellet ſubuertere,

Quod ſit verbū Dei, quæ oratio, & quæ gratiarum actio, in ſanctificatione aquæ apoſtolica.

Virtutem ſpiritualem in creatura aquæ ſanctificatæ quotidie experimur in noſtris emergumenis.

Narratio Euſebii de virtute aquæ benedictæ.

circumfoſſis (inquit) columnis, & ſubiectis lignis immiſit flammam: ſed hanc dæmon prohibebat, & reſiſtebat ignis efficaciæ. cum igitur multiplicem incendij conatum inutilem experirentur, faciunt ea de re certiorem paſtorem, qui ſtatim ad templum Dei currens iubet afferri aquam in vaſculo, qua ſuppoſita ſacro altari ipſe in faciem humi proſtratus benigno ſupplicabat Domino, ne vlterius progredi dæmonis tyrannidē pateretur, ſed infirmitatem illius detegere, & ſuam potentiam demonſtrare vellet, ne qua hinc maioris detrimenti occaſio infidelibus exiſteret. hæc & alia huiuſmodi precatus, figura crucis aquæ indita, Equitium quendam diaconum fido, ac feruente ſpiritu munitum aquam ſumere iubet & velociter currere, ac flammæ aſpergere, quo facto, impatiens tactus aquæ dæmō aufugit, & ignis contraria ſibi aqua quaſi oleo excitatus ad ligna ſtatim adhæſit, & momēto temporis abſumpſit tunc columnæ. ſublatis fulcimentis, cum ipſæ collapſę ſunt, tum ſecum aliarum 12. ruinam traxere: templique pars, quæ cum columnis fuerat coniuncta, vna corruit pondere conuulſa. fragor autem totam vrbem peruagatus (erat enim ingens) cunctos ad rei ſpectaculū conuocauit, ac cōperta fuga aduerſarij dæmonis, ad laudē omnipotentis Dei linguæ eorū incitauerunt. hactenus Euſeb. videtis ne Magdeburgenſes quemadmodū creatura aquę à ſacerdote per verbū Dei & orationem, qua implorauit auxilium aduerſus dæmonē, ſanctificata, virtutē ſpiritualem ac diuinam, & aduerſariis poteſtatibus horribilem acceperit? an vos difficiliores eritis ad credendum, quam Apamæi illi, quos narrat Euſebius illo miraculo commotos Deum laudaſſe? aut dicturi eſtis, magum fuiſſe Marcellum illum ſanctum virum? & per virtutem crucis, id eſt, per verbū Dei pro nobis crucifixi magicam armaſſe aduerſus dæmones? non credo, ita impij eritis, vt hoc dicatis ac ſi hoc exemplo contenti non eſtis, legite aliud ſimile apud Epiphanium libro 1. contra hæreſes tomo 2. in hæreſi Ebionitarum, quod ex eodem ipſo, cui acci dit, narrat ſe audiſſe. erat autē is Ioſephus quidā ex Iudæo Chriſtianus, valde opulētus, & imperatoris valde

Narratio S. Epiphanii de virtute aqua bened. &c.

pij amicus, cum igitur Ioſephus vellet in Tiberiade tē-plum ædificare, eſſetque opus calce, & alia materia, caminos (inquit) extra vrbem multos facere iuſſit, ſeptem credo numero, quos fornaces vocant. at verò callidi, & qui omnia audēt Iudæi, à præſtigiis apud ipſos fieri ſolitis non abſtinuerunt. incantationibus enim quibuſdam, ac curioſa ſedulitate ignem ligare, & diſperdere aggreſſi ſunt: Sed non perfectè potuerunt. Ceſſabat itaque ignis, & non operabatur: ſed extra propriam, vt ita dicam naturam conſtitutus erat. vbi autem ij, qui combuſtibilem materiam igni addere iuſſi erant, ligna videlicet, ſiue ſarmenta, nihil effeciſſent, Ioſepho rem ſignificauerunt. Commotus igitur vir & zelo erga Deum correptus, extra ciuitatem cucurrit, & vbi aquam in vaſe afferri iuſſiſſet, accepto vaſe aquę coram omnibus, (multitudo enim Iudæorum confluxerat ad ſpectandum, euētum viuendi cupida, & quid Ioſephus facturus eſſet) magna voce crucis ſignū proprio ſuo digito vaſi impoſuit, & inuocato nomine Ieſu ſic dixit, in nomine Ieſu Nazaræi, quem crucifixerūt patres mei, & his omnibus circunſtantibus, fiat virtus, in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis, ac magicæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendum domum domini: & ſic accepit aquam in manum, & aqua ſingulos fornaces reſperſit: & diſſoluta ſunt incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit. turbæ verò præſentes clamantes, vnus Deus, qui auxiliatur Chriſtianis, receſſerunt. hactenus ſancti Epiphanij narratio. ſic ſanctificata eſt aqua illa per verbū Dei, cum dixit in nomine Ieſu, & διὰ ἐντεύξεως id eſt per orationem auxilium implorantem, cum dixit, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis, ac magicæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potētiæ ignis. Hic quoque repetam, quod frequenter, cum de cæremoniis eccleſiaſticis diſſero, à diuino Dionyſio in iis, quæ de Symbolicis baptiſmi cerimoniis tradit, mutuari ſoleo. & ſi nihil in his ſymbolicis elementis aquæ, atque ſalis diuinius eſſet, præterquam doceri nos in ænigmate per naturam aquæ, quę ad abluēdas ſordes valet, & per naturam ſalis, qui ſua-

Theoria vtiliſſima aquæ, & ſalis benedicti.

uitatem & ſalubritatem cibis affert, & à corruptione ſeruat, doceri, inquam, vt habeamus vitam à ſordibus peccatorum mundam, & doctrinam ſanam, ac ſermonem ſale conditum, qui det gratiam audiẽtibus, id eſt, qui ſit bonus ad ædificationem fidei, & vt caueamus ab ea, quæ eſt in mundo concupiſcentiæ corruptione, ſatis hoc nobis eſſe deberet ad colendam hanc ſalis & aquæ benedictæ cerimoniã. nunc verò accedit, quod ſpiritus ſancti gratia per hæc ſalis & aquæ ſanctificata elementa diuinitus illa operatur in credentibus, quæ Pontifex Alexander ait operari: iis autem, qui nõ credunt, vt Magdeburgẽſibus, fiunt in ſcandalũ & offenſionem, in quos cõpetit quod ait beatus Petrus, qui offendunt verbo, neque credunt, in quo & poſiti ſunt. *1. Pet. c. 2.* Huius ergo eccleſiaſtici ritus de aqua & ſale benedicto ad aſpergendũ populũ, per omnes eccleſias Orientis, & Occidentis antiquiſſimã conſuetudinem ab ipſis vſque Apoſtolorũ tẽporibus ad nos deriuatam, atque profectam, & Pontificis ſanctiſs. ac vetuſtiſſimi auctoritate confirmatã idcirco Magdeburgenſes improbãt, & explodunt, quia noſtræ eccleſiæ eſt à qua diſceſſerunt, alioqui dicerẽt cum Tertulliano in libro de virginibus velandis, vt ſupra iterum dixi, non poſſumus reſpuere conſuetudinẽ, quam damnare nõ poſſumus, vtpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus ſcilicet communicamus ius pacis, & nomẽ fraternitatis: vna nobis, & illis fides, & vnus Deus. ſemel dixerim, vna eccleſia ſumus: ita noſtrum eſt quodcunque noſtrorum eſt. Subiungit deinde, cæterum diuidis corpus, tam hic quàm in omnibus variè inſtitutis, & dubiis & incertis: ſed, vt fieri ſolet, adhiberi debuit examinatio, quæ magis ex duabus tam diuerſis conſuetudinibus diſciplinæ Dei conueniret. hoc faciunt Lutherani: ipſi enim diuidũt corpus, qui ſe à nobis ſegregauerunt: qui examinare nolunt, quinam eccleſiaſtici ritus, & conſuetudines magis euangelicæ, & apoſtolicæ doctrinæ, & ſcripturis ſanctis conueniant: Verum quas nos iam olim ab ipſis vſque Apoſtolorum tẽporibus in omnibus eccleſiis plenas doctrina, cum ſcripturis ſanctis congruente, & plenas ſpiritus S. opera-

Tertullianus de conſuetudinib. eccleſiaſticis.

Hoc ipſum faciunt, quod Tertullianus de ſimilib. ſcripſit.

tione habemus, & ſolenni vſu celebramus? An nullas habere præter eas, quas heri & nudius tertius, id eſt, à quadraginta annis a Martino Luthero pſeudopropheta ſuo acceperunt? atque ha c hactenus, de aquæ & ſalis ſanctificatione. Hoc vnum poſtremo dicam, niſi aqua precibus ſanctificata, & cum ſale benedicto aſperſa diabolo eſſet inimica, nunquam Lutheranis perſuaſiſſet, vt eam repudiarent, & maledicerent.

Defenſio decreti d: non ſeruandis chirographis vi extortis, & quomodo tempori, & veritati congrueret, & quomodo auctore Deo, & Apoſtolis factum ſit, vt teſtatur idẽ Pontifex, & de canone Apoſtolorum 74. in quonis, & ſententia huius decreti continetur, & quid de confeſſionibus vi extortis Cyrillus, & Athanaſius cenſuerint: & quid interſit inter confeſſionem extortam, cum eſt ſemiplena probatio criminis, & cum non eſt. Cap. 7.

VEnio ad decretum de non ſeruandis Chirographis vi extortis, qualia (inquiunt) paſſim extant in epiſtol. Anacleti, Alexandri, Iginij, Eleutherij.]

Ego verò non reperi, niſi in epiſtola prima Alexandri: niſi me fugit, vt fieri ſolet, vel celeriter legentem, vel minus attente: ſed nihil refert. faciamus eſſe in pluribus, quod à pluribus potuit ſanctiſſime ſcribi, & iuberi quod eo magis Magdeburgenſes conſiderare debebant, quo in pluribus legebant. Verum non hoc iſti curant, vt rectè intelligant: ſed vt audacter reprehendant. hoc igitur decretum poſtremò notarunt inter ea, quæ dicunt nõ congruere tempori, neque veritati. Sed, quia nec hic explicarunt, qua ratione non congrueret tempori, neque veritati decretũ hoc, non facile diuinare poſſum, quæ iſtis acutis hominibus occaſio fuerit, cur ita eis viſum ſit: cum decretum hoc à ratione quoque naturalis æquitatis dictatũ eſſe conſtet. vt vel ex Ariano iuriſconſulto gentili intelligi poteſt, qui ratione naturali duce. ff. de actionib. & oblig. l. 46 ait, vbi de obligando quæritur, Propenſiores eſſe debere nos, ſi habeamus occaſionem, ad ne-

Cur decretum de non ſeruandis chirographis vi extortis tempori & lex pont. non congrueret, nihil Magd. attulerunt, nec explicarunt.

gandum: vbi de liberando, ex diuerſo, vt faciliores ſimus ad liberationem quare non video, cur hæc ratio non congrueret æquiſſimo & ſanctiſſimo Pontifici Alexandro: præſertim cum eo tempore, quominus tuta erat innocentia, & maiore licentia iniquitas in Chriſtianos dominabatur, eo magis congrueret illi tempori, & veritati, vt ſanctiſſ. Pontifex Alexander Chriſtianis aduerſus metum & fraudem, ac vim hoc decreto caueret. neſcio vtrum Magdeburg. cum male hoc decretum intelligerent, ſuſpicati ſunt, approbari fortaſſis à Pontifice Alexandro, ſi quis per metum, aut fraudem, aut vim crimen falſum contineatur. at nõ ita eſt: aliud eſt enim approbare. aliud veniam dare. aliud eſt peccatum defendere, aliud infirmitatem ac neceſſitaté peccantis excuſare. ſi huiuſmodi, inquit, perſonis quędam ſcripturæ quoquomodo per metum, aut fraudé, aut vim extortæ fuerint, vel vt ſe liberare poſſent, quocunque ab eis conſcriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium, aut nocumẽtum peruenire cenſemus: nec vllam eis infamiam, aut calumniam, aut à ſuis ſequeſtrationem bonis, vnquã auctore Deo, & ſanctis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ſuſtinere permittimus. Sed nunc tandem videor mihi, niſi fallor intelligere, cur iſtis negare hoc decretum in mentem venit: imò cur totam epiſtolam: ſcilicet quia non credunt, nec intelligunt, quomodo auctore Deo, & ſanctis Apoſtolis factum ſit, vt Pontifex teſtatur. quod ſi decretum nõ eſt Dei. nec Apoſtolorũ, conſequens eſt, vt nec epiſtola ſit Alexandri: quæ eſt iſtorum concluſio inſcitiæ plena. etenim ſi ratio naturalis æquitatis ad Deum relatæ, quæ eſt diuinæ rationis participatio per gratiam eius facta, hoc in homine Chriſtiano, & ſecundum legẽ Dei viuente poſtulat: atque ita faciendum eſſe ſancti Apoſtoli & eorũ ſucceſſores docuerunt ac tradiderunt, vt videlicet à quo aliqua cõfeſſio per metum, aut fraudem, aut vim extorta fuerit, non ad calumniam eius, nec ad infamiam, nec ad amiſſionem bonorum, vtcunque valeat, ne, ſi non ita fiat, euenire poſſit aliquando, vt magis Deus videatur requirere, ne os ſit mendax, quam mẽs & voluntas

In decreto Alex. de chirographis vi extortis non ſeruandis non eſt approbatio confeſſionis falſi criminis.

Quomodo auctore Deo, & ſanctis Apoſtolis factum fuerit hoc decretũ, ſicut Pont. Alex. ait, quod Mag. nõ intellexerunt.

ſit pura, quod eſt ab omni æquitate alienum: ſi, inquã, hoc ita poſtulat ratio æquitatis inſitæ, & à Deo nobiſcum communicatæ, quomodo non congruebat tempori Alexandri, & veritati ipſi, vt ſic decerneret, & eiuſmodi decretum auctore Deo, & ſanctis Apoſtolis, ac eorum ſucceſſoribus ſe facere veriſſimè diceret? ſi inquam vt ita fieret, ipſe ἔμφυτος λόγος quem habemus, qui, vt ita ait beatus Iacobus, ſaluare poteſt animas noſtras, hoc Alexandrum Pontificem docebat, quomodo non congruebat tempori, neque veritati? ô, cœcos homines, & ſine intellectu non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmãt. Sæpe enim mihi vſurpandum eſt, quod Apoſt. de ſimilibus ad correctionem iſtorum ſcripſit. quis docuit Cyrillum Alexãdrinum, ante mille ducentos annos, & amplius ius huius æquitatis? aut quo auctore niſi Deo, & ſanctis Apoſtolis ſcripſit in epiſtola ſua ad Dominum, cuius paulò ante memini, de epiſcopo illo, qui per metum, & vim coactus fuerat deſerere epiſcopatum? Abdicationis, inquit, tabulas, non ſe conſilio, ac voluntate ſua, ſed vi & terrore, ac minis dediſſe affirmat: ergo ad nullum præiudicium, vt Alexander Pont. ait, prouenire illi cẽſet: deinde ſubiungit, quas tametſi ſponte dediſſet, tamen alienum ab eccleſiaſticis regulis eſt, eos, qui eccleſias adminiſtrant, abdicare ſe poteſtate. nam ſi digni ſunt qui adminiſtrent, in munere ſuo perſeuerent: ſin autem indigni, ne deponant ipſi, ſed potius damnati exuantur. Sunt enim huiuſmodi, ſiue recuſationes, ſiue abdicationes contra omnẽ ordinem eccleſię grauique accuſatione dignæ. Hactenus Cyrillus, ſi alienum eſt ab eccleſiaſticis regulis abdicare ſe ſponte, quanto magis alienũ erit, abdicare ſe per vim, id eſt, chirographo quopiam vi extorto? præterea ſi Apoſtolus præcepit, vt omnia ſecundum ordinem, & honeſtè in eccleſia fierent, & hoc, vt ita fiat, ad honeſtatem, & ordinem eccleſiæ pertinet, conſequens profectò eſt, vt Deo auctore & ſanctis Apoſtolis id Pontifex Alex. ſtatuerit, quod iſti aiunt, neque tempori eius, neque veritati cõgruere. Deinde iuſſit Apoſtolus Timotheo & in eo omnibus Epiſcopis, vt ea de quibus pręceperat quę ad

Iac. c. 1.

Quid Cyrillus ſcripſerit pertinet ad decretũ Alex. de chirographis per vim extortis.

iudicandum pertinebant, cuſtodiret ſine præiudicio: id eſt vt nihil temerè & inconſideratè, ac ſine præmeditatione conſilij faceret. hoc enim ſignificat πρόκριμα, vt beatus Cyrillus in interpretationibus quorundam verborum Pauli notauit, quod verbum Latinus interpres præiudicium interpretatus eſt: vt dictum ſit cuſtodire, ſine præiudicio, quaſi diceretur, ſine inconſideratione: at verò ex cõfeſſione per metum, aut fraudem, aut vim extorta, de mente, atque voluntate hominis iudicare, an non eſt iudicare, cum præiudicio, id eſt, cum inconſideratione, ac proinde contra præceptum Apoſtoli ex æquitate naturali profectum? eſt igitur hoc decretum auctore Deo & ſanctis Apoſtolis ab Alexandro Pontifice factum. quod quidem & tẽpori eius in quo tanta fraus, & violentia erat, & veritati iuſtitiæ naturalis homini inſitæ, & à Deo communicatæ congruebat. imò, vt lib. 1. de canonibus apoſtolorum dixi, cum hic apoſtolos auctores Pontifex Alexander citet, & ſecundum eorum ſententiam, & auctoritatem dicat ſe hoc decretum de chirographis ab epiſcopis per vim extortis facere, & nos canonem habeamus inter apoſtolicos, quo vis & ſententia huius decreti continetur, ſatis contentioſus fuerit, qui neget ad eum canonem retuliſſe Alexandrũ, quod dixit, cenſere ſe ſic auctore Deo, & apoſtolis. Eſt igitur canon apoſt. 74. qui iubet, vt epiſcopus de aliquo crimine à fide dignis accuſatus, neceſſario vocetur ab epiſcopis, & ſi venerit (inquit) & confeſſus fuerit, ipſo conuicto pœna decernatur. Cùm ait canon, ſi cõfeſſus fuerit, ipſo conuicto, ſatis declarat, confeſſionem per metum, fraudem aut per vim non eſſe confeſſionem, ſi deſit ἔλεγχος, id eſt probatio conuincens. Qui verò ſpõte ſua, id eſt, ſine metu, fraude, aut violentia confitetur, hic à ſe ipſo conuincitur: Confeſſio enim ſcilicet, quæ conuincit reum, non compulſa, ſed ſpontanea fieri debet, vt ait Alexander Pont. qui hunc planè canonem apoſtolorum ſecutus, & interpretatus eſt. itaque quod additum eſt in canone, ἐλεγχθέντος αὐτοῦ. id eſt, ipſo cõuicto, pœna decernatur, ſatis declarat, ad decernendam pœnam canonicam infamiæ, aut alterius generis non debere valere metum, aut fraudem, aut vim, ſi deſit cri-

Quomodo decretum de chirographis vi extortis ſit ſecundum præceptum Apoſtoli.

Quod tempori Alexandri, & veritati conueniret hoc decretum.

Quid cõcilia epiſc. in Græcia, Hiſpania, & Gallia iudicarint, pertinẽs ad decretum de chirographis vi extortis ex epiſt. Athanaſius ad Rufinianum.

minis probatio. Ad hæc ſcribit magnus Athanaſius in epiſtola ad Ruffiuianum, decreuiſſe concilia epiſcoporum in Græciæ, Hiſpania & Gallia, atque aliis prouinciis, vt iis, qui per vim tracti lapſi eſſent, ignoſceretur, & locus inter clericos reſtitueretur nactis præſertim rationabilem cauſam defenſionis, & qui conſilio quodã inquit, certáque ratione feciſſe viderentur ſiquidem aſſeueranter affirmarẽt, ſe non eſſe factos infideles ſed ne impij aliqui eccleſiis præficerentur, qui eas deuaſtarẽt, potius duxiſſe cedere violentiæ, ac pondus ferre, quam vt populi vaſtarentur. Hactenus Athanaſius. quod ſi ſic concilia illa ſecundũ rationẽ æquitatis naturalis iudicarunt, confeſſiones per vim extortas non valere ad amiſſionem gradus eccleſiaſt. ſed potius irritas eſſe debere, quomodo non congruebat tempori, neque veritati auctoribus Magdeburg. vt Alex. Pon. ſanctiſſ. in eandem æquitatem iudicij, & in ordinem eccleſiæ intuens, ſimiliter chirographa vi extorta non eſſe ſeruanda ad infamiam, & ſequeſtrationem bonorũ decerneret? in quo quidem decreto non eſt, vt ante dixi, approbatio confeſſionis falſi criminis, ſed venia confitẽtis, ſicut dixit magnus Athanaſius decreuiſſe concilia illa, vt per vim ad lapſum tractis ignoſceretur: non autem ignoſcitur, niſi vbi culpa ponitur fuiſſe. illud autem obſeruandum eſt, vt de hoc obiter admoneam, longè aliam rationem eſſe de eo, à quo confeſſio per metum, aut fraudem, aut vim extorquetur: & de eo, à quo non ſic per vim extorquetur: ſed cum eſt ſemiplena probatio, vt nunc iuriſconſulti noſtri loquuntur. tunc enim cum iure tormentum ad eliciendam confeſſionem adhiberi poſſit, ad infamiam & ſupplicium pertinere poteſt. non loquitur Alexander de huiuſmodi cõfeſſionibus vi extortis. Satis hactenus de chirographis vi extortis, quæ Magdeburgenſes, contra epiſtolas Apoſtolicorum Põtificum obiecerũt. pergamus deinceps ad alium locum argumentorum contra eaſdem epiſtolas: in quoſdam enim locos, tanquam in quoſdam peſtiferos fontes cõtulerunt, quæcunque ad obiiciendum in epiſtolas ſanctiſſimas Pontificum Apoſtolicorum vndecunque colligere, & commiſci potuerunt.

De quibus confeſſionibus vi extortis intelligendũ ſit decretum Alex. & de quibus non.

De forma eccleſiaſticæ politiæ, quem Magdeburgen. negant quomodo in epiſtolis Pauli, & actis Apoſtolorum, & in libro ſecundo Clementis de conſtitut. Apoſtol. & in epiſtol. Dionyſii ad Demophilum contineatur. Item de alia forma generali eccleſiaſticæ politiæ in epiſt. 2. & 3 eiuſdem Anacleti quæ ad illam generaliorem in epiſtola prima pertinet, quomodo ex Apoſtolica traditione profecta ſit teſtimonio magnæ Synodi Nicenæ, & de canone eiuſdem Synodi 6. item de canone 44. ex Arabico Codice tranſlato, & de ratione conſtituendi iudicia eccleſiaſtica, ſecũdum deſcriptionem priſcam ciuitatum in prouincias à Gẽtilibus factam, & de Primis flaminibus, & Archiflaminibus, quos Clemens in epiſtola ſua ad Iacobum dicit, qui ſint & cur ſic nominauerit. Reſponſio ad id, quod Molinęus obiiciet ex cap. Conſtantinus diſt 96. & quid Conſtantinus Pontifici Roman. in Patriarchas contulerit. De tomo, quem Anacletus dixit ſed ſcripſiſſe de primatu. Quomodo Mag. nõ intelligentes quæ legerũt neque de quo primatu Põtifex loqueretur, de primatu Petri dici putauerunt, & quomodo nihil ad primatum Pontificis referat, vtrum extet, an non extet ille tomus de primatu ciuitatum Metropolitanarum.

Caput 8.

ALia ergo, inquiunt, ſunt multa & infinita contra veritatẽ, quæ verò illa infinita ſint, declarant, cum ſubiungũt, quod Anacletus prima, ſecunda, & tertia epiſtola generalem politiæ eccleſiaſticæ formam deſcribit, qualis non fuit tunc. Sed quomodo probant nõ fuiſſe? an teſtem aliquem, grauẽ & veterem producũt? minimè: imò neque recentem poſſunt. Si enim potuiſſent, non diſſimulaſſent. quæ igitur tanta iſtorum impudẽtia, & tam ſuperba arrogantia, vt ſibi tantum fingentibus quæ volunt, credi poſtulent? aut quæ ſtultitia, & leuitas eorum, qui ſine teſte, ſine ratione, ſine auctoritate, ſine coniectura credunt? probemus ergo nos ex ſcriptura ſancta fuiſſe tunc eiuſmodi formam eccleſiaſticæ politiæ, quam Anacletus Pontifex deſcribit. Quis enim dubitet, niſi qui epiſtolas Pauli neget,

1. Tim. 5.
1. Tim. 3.
Quod forma eccleſiaſt. politiæ, quam Magd. negant, in ſcriptura Pauli oſtendatur.

quin eſſet tempore Anacleti, vt erant tempore Pauli, epiſcopi, Preſbyteri, diaconi, & catechizantes? an non dicit Apoſtolus in epiſtola ad Timoth. aduerſus preſbyterum noli recipere accuſationem, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus? erat igitur Timotheus Epheſi epiſcopus maior presbyteris. iudex enim maior eſt iis, quos iudicat, alioqui auctoritatem in eos non haberet. Et rurſus in eadē epiſt. poſtquàm de epiſcopis præcepit, quo nomine presbyteros, quoque complexus eſt, an non poſuit diaconos infra presbyteros? cùm de eis ſeparatim præcipiens, & quia erant in gradu inferiore, quaſi eos conſolans, atque ad ſuperiorem gradum promerendū hortans, qui enim, inquit, bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quę eſt in Chriſto Ieſu. bonum gradum dixit acquirere ſibi bene miniſtrando diaconos, quia ex bonis diaconis presbyteri, & epiſcopi fiant. Sic etiam intellexit Theophylactus: explanans enim hunc locum, τοιοῦτοι, inquit, οἱ ἐν ἐκκλησίαις λάμποντες ἀπὸ διακόνων ἐν πρεσβυτερικῷ βαθμῷ καὶ ἐπισκοπικῷ, id eſt, tales, inquit, qui ex diaconis ad presbyterorum, & epiſcoporum gradum euecti, in eo ſplendent. & de iis, qui catechizabant in ecclesia, an non ſcribit apoſtol. cùm ait, qui catechizatur, communicet ei, qui ſe catechizat? Ex his ergo formam eccleſiaſticæ politiæ conſtare dicit Anacletus Paulum, & Clementem anteceſſorem ſuum ſecutus: ex quibus epiſcopum cum proreta aptiſſimè comparat, quod is à prora nauim rectam teneat, actiones ſuas dirigens ad leges, & nutum Chriſti nauarchi noſtri, velut in puppi ſedens clauum tenet. presbyteros comparat cum nautis, quod hi, vt Clemen. in epiſtol. ad Iacobum fratrem Domini præcipit, quæ cuique opus ſunt, tanquā nautæ accuratè inſtruant: diaconos cum iis, qui per foros nauis diſcurrunt, vt cuncta explorent, quos Clemens Tícharchos vocat: Sic enim ſcripſit οἱ τοίχαρχοι διακόνοις παρεικάσθωσαν, quod interpres vetus, ſic interpretatus eſt, diaconi diſpenſatorum locum teneant: figura aptiſſimæ comparationis, vel non percepta, vel neglecta. Quemadmodum verò ſimiles Ticharchis eſſe debeāt, explanat idem Clemen. diaconi, inquit, eccleſiæ ſint e-

Galat. 6.
De forma generaliore politiæ eccleſiæ. ex epiſ. presbyteris, diaconis, catechizātibus.

piſcopi oculi, qui prudenter circunſpiciant, & ſingulorum, qui in eccleſia ſunt, actus curioſè inueſtigent, quis videatur peccato proximus, vt epiſcopi admonitione anticipatus fortaſſe peccatum non conſumet: eos, qui non conueniunt in eccleſia, reuocet ad audiendum verbum Dei, vt acerbitates, quæ aſſiduè ex rerum humanarum, & ex prauis colloquiis in animos ſolent incurrere, verbo veritatis deleri poſſint, etenim ſi diu inculti remanſerint, materia ignis fient: vt inquirant prætereà, an aliqui ægrotent, & populo, ſi neſciat, nuncient, vt viſitentur: præbeant etiam, quę opus fuerint conſcio epiſcopo, quod tametſi clàm eo faciant, non peccabunt. hæc, atque alia huiuſmodi curant diaconi. Deinde eos, qui catechizant, cum eis comparat, qui curant in naui, vt ſoluatur pro vectura. Sic enim qui catechizant, de mercede, vt idem Clemens pręcipit, admonere debent: Dominus enim dixit de miniſtris eccleſiæ, dignus eſt enim operarius mercede ſua. ſatis cum hoc conuenit, quod Apoſt. in epiſtola ad Galat. ſcripſit, quod Paulo antè memini, qui catechizatur, communicet ei, qui ſe catechizat. Poſtremo cum vectoribus, id eſt cum iis, qui in naui vehuntur, comparat reliquam multitudinem laicorum: quos oportet, vt in epiſtola Clementis præcipitur, tanquam vectores ſuo quemque loco ſedere, ne non ſeruato ordine, nauim aut quatiant, aut deprimant. Quæſo Magd. & omnes qui eos legunt, & audiunt, quid in hac eccleſiaſticæ politiæ forma, & deſcriptione legunt, quod non in epiſtolis Pauli, & actis Apoſtolorum legant? quid hic videt præter epiſcopos, presbyteros, diaconos, catechizantes, & laicos, in quibus illi purgandis, illuminandis, ac perficiendis ad cœleſtis hierarchiæ imitationem verſantur? etenim, quia, vt ait diuinus Dionyſius; eccleſiaſtici ordines, & ſacri gradus diuinarum operationum imagines ſunt, quæ ordinatas illuminationes decori, & non perturbati ordinis operationum Dei in ſe ipſis demonſtrant, idcirco in primos, medios, & poſtremos ordines, atque actus hierarchicis diſtinctionibus diſtributi ſunt, demonſtrantes, vt dixi, in ſe ipſis illam diuinarum operationũ omni perturbatione carentem ordinem: hactenus

Galat. 6.

Quod in forma deſcriptionis eccleſiaſt. politiæ apud Anacletũ, nihil ſit, quod non oſtendatur in epiſt. Pauli, & actis apoſt.

Dionyſi. vt iam qui hanc eccleſiaſticæ politiæ formam in actis Apoſtolorum, & in epiſtolis Pauli obſeruatam, & ab Anacleto apoſtolico Pontifice deſcriptam, eo tẽpore fuiſſe negant, conſequens ſit, vt ſimul dicant, vel hæc Apoſtolos à Chriſto non accepiſſe: vel quæ acceperunt, non tradidiſſe: id eſt eos non ordinaſſe eccleſiam: nec eccleſiaſticos gradus ad imaginem, & ſimilitudinem ordinis diuinarum operationum diſtinxiſſe: meliúſque cum iis, qui ſub vetere teſtamento fuerunt, actum eſſe: quibus ſtatim à principio Moſaicæ politiæ forma hierarchica diuinitùs inſtituta eſt ex Pontificibus, Sacerdotibus, Leuitis, aliíſque infrà Leuitas. Videte quo ſe præcipitant Magdeburgẽſes. neſcientes ne dicam, an ſcientes, & volentes. quod eſt & iniuſius, & ſuſpectius? ſed quia Magdeburgenſes hanc eccleſiaſticæ politiæ formam, propter quam epiſtolam Anacleti negant, non produxerunt ex epiſtola Clem vnde ſanctus Anacletus eam ſumpſit, ſcilicet quia de illa epiſtola, tanquam extincta vt ad mortuum ſcripta actum eſſe putabant, producamus nos rurſus eam ipſam formam ex libris eiuſdem Clemen. de conſtitutionibus Apoſtolorum, ſiue de doctrina Apoſtolorum, ſic enim in quibuſdam antiquis exemplaribus, vt hoc obiter obſeruetur, feruntur inſcripti: quæ inſcriptio ſumpta eſt ex principio primi libri cum in perſona Apoſtolorum Clemens, audite, inquit, doctrinam ſacram. & libro ſexto, capite decimoquarto ſcripſimus, inquit, vobis hanc catholicam doctrinam ſic quoque hos libros appellauit magnus Athanaſius in epiſtola ἑορταστικῇ de libris canonicis. poſt quos libros canonicos, hos cum aliis ſancitos à patribus, vt legerentur, numerat; appellauit dico, διδαχὴν καλουμένην τῶν ἀποστόλων, id eſt, doctrinam, quæ vocatur Apoſtolorum. quæ viij. libris à Clemen. alias περὶ διατάξεων ἀποστολικῶν inſcriptis diuino artificio, ac ſapientia conſcripta eſt. quorum librorum quanta fuerit, apud veteres patres auctoritas, & quam frequens eorum vſus, & imitatio ac lectio, vt ſupra iterum admonui ex meo in eoſdem libros Græcè æditos Græco prologo perſpici poteſt: & perſpicietur magis, cùm ſcholia in eos, & ipſorum librorum in-

Secundũ Mag. negantes hanc formam eccleſ. politiæ melius actum eſt cũ iis qui in vetere teſtamẽto fuerũt, qui hierarchiã Moſaicam habuere, quã cum iis, qui ſunt in nouo.

De forma eccle. politiæ ex libris Clementis de conſt. apoſt.

Athanaſius de lib. Clemen. de doct. apoſtol.

De auctoritate lib. Clemen. de conſt. apoſt.

terpretationem cum latino prologo prolixiore, ſi Dominus voluerit, ædemus, igitur, vt ad rem redeamus, libro ſecundo, capitulo 67. epiſcopum ait, ſimilem eſſe Gubernatori nauis: presbyteros nautis: diaconos ticharchis: cuſtodes ianuarum eccleſiæ ſimiles iis, qui in naui exigunt vecturæ pretium, qui etiam cathechizabant, & de mercede, qua dignus eſt operarius, admonebant, reliquam verò multitudinem iis ſimilem, qui in naui vehuntur. Sed de forma generali eccleſiaſticæ politiæ, quæ in prima epiſt. Anacleti deſcripta eſt, & ex Clemente, vt dixi ſumpta, ſi quis plura deſiderauerit, ex libris noſtris, quos de hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiæ compoſuimus, petat. reſpondeamus deinceps de ea item forma generali eccleſiaſticæ politiæ, quam in ſecunda, & tertia epiſtola eiuſdem Anacleti ad illam generaliorem in prima epiſtola pertinentem, iidem Magdeburgenſes notarunt, & nobis obiecerunt dicentes non fuiſſe illo tempore. & ſi enim ex iis, quæ de Patriarchis, & Metropolitanis diximus, cum de appellationibus ad ſedem Roma. Apoſtolorũ auctoritate ſancitis ageremus, ſatis reſponſum eſſe videri poterat, tamen ne quid proprio loco prætermiſiſſe, aut diſſimulaſſe videamur, rurſus adhuc, & quidem paulo diſtinctius reſpondendum eſt. forma igitur generalis eccleſiaſticæ politiæ in 2. & 3. epiſt. Anacleti ex primatibus, ſiue Patriarchis, & ex Metropolitanis, qui aliquando Archiepiſcopi nominantur, & ex epiſcopis cõſtat, quæ ipſa ad formam generaliorem eccleſiaſticæ politiæ in prima epiſto. eiuſdem Anacleti, vt dixi, pertinet: ſiquidem amplius quam duo ordines ſacerdotũ, vt idem S. Anacletus ait, nec à Deo collati ſint, nec à ſanctis Apoſtolis traditi. hanc ergo formam eccleſiaſticæ politiæ fuiſſe tempore Anacleti Magdeburgen. negant: ſed quia non ſunt conati probare, quod fruſtra quidem conati eſſent, probemus nos contra, imo demonſtremus fuiſſe, ac primum ex can. Nicenæ Synodi: quæ, vt ſpero & confido, apud æquos iudices, pluſ quam Magdeburgenſium centuriatorum auctoritas, valebit. Vigeant, inquit canon, priſcæ conſuetudines, quæ in Aegypto, & Libya, ac Pentapoli ſunt, vt epiſc.

De altera forma generali eccle. politiæ in 2. & 3. epiſt. Anacleti Magd. notatæ ex Patriarchis Metropolit. & epiſcopis.

De forma eccle. politiæ ex patriarchis, Metrop. epiſc. in can. Synodi Nicenæ.

Alexandriæ horum omnium habeat poteſtatem, quia ita conſueuit epiſcopus Romanus: ſequitur, Similiter autem in Antiochia,&in aliis prouinciis ſeruanda ſunt priuilegia eccleſiis. illud autem, inquit, in vniuerſum patet, Si quis non aſſentiente Metropolitano epiſcopus fiat, tunc magna Synodus decreuit non debere eſſe epiſcopum. hactenus canon. Si ducentis circiter annis poſt Anacletum magna Synodus Nicen. conſuetudinē, qua epiſcopus Alexandriæ epiſcopis Aegyptiis, Libycis, ac Pentapolitanis præerat, item Antiochenus epiſcopis Antiochenſium prouinciarum, iam priſcam vocat, vtpote à principio apoſtolicæ prædicationis traditam, (hoc enim declarat hic verbum græcum ἀρχαῖον, vt intelligi poteſt ex canone 9. Antiochenæ Synodi, quę renouans canonem Apoſtolorum 34. ſecundum canonem, inquit, patrum ἀρχαῖον) quis ſanæ mentis neget præter Magdeburgenſes, quibus omnia negare ſerpēs perſuaſit, quis inquam, neget, fuiſſe tempore Anacleti eam formam eccleſiaſticæ politiæ, quæ ex Patriarchis, ſiue primatibus,& Metropolitanis, ſiue archiepiſcopis, & epiſcopis conſtat? qui ſi voces proprias requirunt, habent in hoc canone nomen epiſcopi, & nomen Metropolitani: qui in Canone Apoſtolorum 34. primus dicitur epiſcoporum, ſcilicet vnius nationis, id eſt, vnius prouinciæ: cum enim primus poſitus eſt in capite non prouinciæ, ſed prouinciarum, quibus præeſt, vbi antea prima iudiciaria poteſtas ſæculi collocata erat, Patriarcham ſiue Primatem dici placuit: ſi verò non eſt in capite prouinciarum, ſed in Metropoli illi capiti prouinciarum olim ſubiecta, placuit dici Metropolitanum, vel Archiepiſcopum, & Patriarchæ ſubiectum eſſe: ſi in reliquis ciuitatibus non paruis dicitur epiſcopus, quod eſt alioqui & Primatum, ſiue Patriarcharū, & Metropolitanorum commune: quia ſit vnus ordo epiſcoporum, licet non vnus omnium honoris, & digni tatis gradus: nec vna omnium adminiſtratio eccleſiæ, nomen verò Patriarchæ, & rurſus Metropolitani, quæ iſti centuriatores portenta verborum blaſphemè vocant, habent etiam in alio loco eiuſdem Synodi in canone 44. quem nobis iampridem filius Tramezini Veneti

Quod priſca cōſuetudo ſecundū vim verbi in canone Niceno ad tempora apoſt. pertineat iuxta canonem apoſt. ab Antiochena Synodo citatū.

Magd. portenta verborū vocant quibus Synodus Nicena, ſecundū priſcam conſuetudinem apoſtolicæ traditionis vſa eſt.

neti bibliopolæ, apud Senatum Venetum, cùm viueret, interpres linguarum, latinè vertit ex Arabico libro vetuſtiſſimo Marcelli ſecundi Pont. in quo erant omnes Niceni canones exceptis 29. quos libri vetuſtas conſumpſerat, & deleuerat. quem ille canonem ſtatim, vt interpretatus eſt, pro ſua in eccleſiam Romanam pietate huc miſit: reliquorum interpretationem immatura eius mors nobis præripuit. hunc ego canonem ab illo Latinè tranſlatum in libris meis de dogmaticis characteribus verbi Dei recitaui. Reperit poſteà pater Baptiſta Romanus ſocietatis Ieſu Alexandriæ eoſdem canones Nicenos integros Arabicè quoque ſcriptos, quos ex libro Patriarchæ Alexandrini idem pater Baptiſta deſcripſit, & huc attulit Romam, ſed propter difficultatē, quæ maior eſt, vt ille ait, linguæ Arabicæ, qua Alexandrini loquuntur, quam Punicæ, qua Africani, quamquam aliquot annis, apud homines illius linguæ verſatus eſſet, non prius potuit fideliter transferre, quàm tantos in ea lingua progreſſus faceret, quantos iam fecit. imò vt fidelius transferret, vſus etiam eſt opera Domini Georgij Archiepiſcopi Damaſceni natione Maronitæ, qui adhuc Romæ eſt, & tandem opera Ioannis Senani Alexandrini, qui eam linguam, vt in ea natus, probè intelligebat. deſcribam ergo hic canonem, vt ab iſtis tranſlatus eſt Latinè ſimpliciùs quidem, quam ab illo Veneto interprete, quem dixi. tametſi variæ iſtorum interpretationes ſententia inter ſe parum diſtent. deſcribam, inquam, totum canonem, quod in eo non ſolum patriarchæ nomen, quod Magdeburgen. portentum vocant, ſed ratio quoque nominis, & modus poteſtatis eius contineatur: item nomen Metropolitani, ac auctoritatis eius forma, tum etiam epiſcopi Romani principatus. Patriarcha ergo, inquit, curam habeat eorum, quæ archiepiſcopi, & epiſcopi in prouinciis ſuis faciunt, vt ſi quid reperiat, quod non conueniat, mutet: & vt meliùs ſibi videatur, conſtituat. Siquidem ipſe eſt omnium pater, & illi ſunt eius filij. Archiepiſcopus verò eſt inter epiſcopos, vt maior natu frater, qui fratrum ſuorum curam habet, cui illi obedire debent, vt qui eos gubernet. Verùm patriarcha eſt loco patris

De canonibus Nicenis ex duobus lib. antiſsimis Arabicis.

De forma poteſtatis Patriarchæ, & Metropolitani, & de principatu Pōti. Romani ex Niceno canone.

Negant Magd. fuiſſe alios can. præter 20. vulgatos, ſed redarguuntur ab ipſis Africanis, quos nobis opponunt.

qui tanquam filiis præeſt omnibus, qui ſunt ſub poteſtate eius: ſicut qui ſedem Romæ tenet, ſuperior eſt. & princeps omnium patriarcharum, ſiquidem ipſe eſt primus, vt Petrus cui datus eſt principatus in omnes principes Chriſtianos, & eorum populos, quia eſt Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper populos eius & ſuper omnes eccleſias Chriſtianorum. & quicunque contradixerit huic canoni, ſancta Synodus eum excommunicat. Hactenus canon. Sed dicent Magdeburg. vnde fidem facimus, eſſe iſtos veros canones Nicenos, quorum tāta olim raritas, & tanta reperiendi eos difficultas? ſed antequam iſtis reſpondeam, neceſſe eſt, vt hoc prius conſtet, fuiſſe alios canones præter 20. quos nunc Græcè, & Latinè habemus, quod quia Magdeburg quoque negant in 4. Centuria cap. 9 de Synodis, aliis nunc auctoribus prætermiſſis, patres tantum Africanos, quos nobis iidem Magdeburgen contra decretum de appellationibus opponunt, nos rurſus illis producemus, qui etſi non haberent alios canones præter 20. illos, quos ſtudioſè requirebant. Sic enim in epiſtola ad Bonifaciū ſcripſerunt, tamen quia hic in nullo codice Græco ea potuimus inuenire, ex Orientalibus eccleſiis, vbi perhibentur eadem decreta poſſe etiam authentica reperiri magis, nobis deſideramus afferri. pro qua re tuam quoque venerationem obſecramus, vt ſcribere etiam ipſe digneris ad illarum partiū ſacerdotes, hoc eſt eccleſiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Conſt. & aliis, ſi etiam tuę placuerit ſanctitati, vt inde ad nos iidem canones apud Niceam ciuitatem à patribus conſtituti veniant, te potiſſimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus eccleſiis in domini adiutorio conferente. Ecce non dubitarunt Africani patres eſſe alios præter 20. Nicenos canones, tametſi tunc canonem Nicenum de appellationibus non reciperent. par igitur eſt, nec hoc Magdeburgen. dubitare. Rurſus neque dubitarunt reperiri illos poſſe in Oriente, quia nec eis veriſimile videbatur, potuiſſe Arianos, omnia exemplaria reperire, & incendere: & hoc quoque par eſt Magdeburg credere. Reſpondeamus nunc quærentibus, quid illud ſit, quod fidem facit, eſſe hos Arabicè in Alexandrina eccleſia

repertos veros Nicenæ Synodi canones. quid inquam, niſi ratio manifeſtiſſima, quæ neque redargui, neque conuinci poteſt? Quis enim, aut quorſum in lingua barbara & ea quidem, quæ, vt ab hominibus illius nationis audiui, vix, & à paucis in illa lingua natis intelligitur, quique eccleſiæ Romanæ, nec amici ſunt, neque ſubiecti eſſe volunt, canones Nicenos, in quibus tanta Pontifici Romano auctoritas tribuitur, quanta debetur, vel finxiſſet, vel corrupiſſet? quis tam expers communis ſenſus eſt, qui neget, quò minus lingua aliqua trita eſt, & paucioribus hominibus, nota ac ad diſcendum difficilior, eò magis, quod rectè in ea à principio ſcriptum eſt, incorruptum diutiſſimè ſeruari? Iam verò quis dubitet, quin Nicenos canones, qui ex illis Græcis exemplaribus à principio deſcripti fuiſſent, Patriarcha Alexandrinus, qui Nicenæ Synodo interfuit, ſecum ad eccleſiam ſuam attuliſſet, quos poſteà, ſiue ille, ſiue alius ſucceſſor, nequis eos ignoraret, in Arabicam linguam, rectè transferendos curaſſet. Non eſſe enim iſtos, qui reperti ſunt, vllo modo deprauatos, ſed integros, quales Alexander epiſcopus ad eccleſiam ſuam tulit, nos hoc certius ſcire non poſſumus, quam ſi eos cum ſanctorum patrum, atque aliarum Synodorum decretis, & canonibus penitus conuenire videamus, vt quidem videmus, quicunque eos mediocri diligentia, & ſtudio contulimus, in quorum numero canonum non ſolum illi ſunt, quos adhuc Græcè habemus, ſed alij etiam qui à ſanctis patribus citantur. Quare vt ad canonem ſextum concilij Niceni reuertar, quis iam negare poteſt fuiſſe eo tempore multos epiſ. in Aegypto, Libya, & Pentapoli: & plures Metropolitas ſic dictos à ciuitatibus, quibus præerant, quæ erant Metropoles, qui maiores epiſcopis illis eſſent? ſiquidem ſine auctoritate Metropolitæ ordinari epiſcopus non poſſit. quibus ſi iam olim à priſcis temporibus ante Nicenũ concilium ab ipſis, inquam, temporibus Apoſtolorũ, (quæ enim alia priſca tempora, ſecundum rationem verbi ἀρχαῖα intelligi debeant?) Alexandrinus epiſcopus præerat, vt quidẽ præfuit. S. Marcus, & ſucceſſor eius Abi-

Ratio fidem faciens, eſſe veros canones Nicenos Arabicè repertos.

lius, & reliqui deinceps, fuit igitur tempore Anacleti hæc eccleſiaſticæ politiæ forma conſtans ex epiſcopis, & Metropolitis, ſiue archiepiſcopis, quibus ſubiecti eſſent epiſcopi, & ex epiſcopis primatibus, quos canon 44. proximè recitatus Patriarchas vocat. quibus eſſent ſubiecti Metropolitæ imò Dionyſius quoque Areopagita; quem propter ſummam, ac diuinam eius auctoritatem Dionyſius Alexādrinus ſcholiis illuſtrauit, vt auctor eſt Anaſtaſius Antiochenus in eo libro eruditiſſimo quem de variis locis, & quæſtionibus ſcripturæ ſanctæ nobis ante mille annos reliquit. quem ὁδηγὸν vocauit, in quo ſæpe eum citat, vt citarunt quoque ante annos octingentos Ioannes Damaſcenus, & Sophronius Hieroſolymitanus in epiſtola confeſſionis ſuæ ad Honorium Pōtificem tempore Heraclij Imperatoris, quæ epiſtola propter ſingularem doctrinam, & grauem auctoritatem recitata eſt in 6. Synodo vniuerſali actione 11. denique cuius libros eſſe eos, qui feruntur, ante annos octingentos grauiſſimè defendit. S. Maximus, qui in eum quoque ſcholia ſcripſit, defendit etiam Theodorus quidam preſbyter, quem ſe legiſſe teſtatur Photius Conſtantinopolitanus in eo opere, quod de libris à ſe lectis, quod bibliothecam appellauit, compoſuit. Hic, inquam, Dionyſius Pauli apoſtoli diſcipulus, cuius libros Apoſtolicis traditionibus plenos cum Lutherani ferre non poſſent, inſtigante diabolo, negauerunt, formam eccleſiaſticæ politię deſignatio quadam breui diuerſorum ordinum, & graduum diuinè notauit: Tu ergo, inquit in epiſtola ad Demophilum, decerne cupiditati & iræ quæ decēt: tibi diaconi: diaconis preſbyteri: presbyteris epiſcopi: epiſcopis Apoſtoli, & Apoſtolorum ſucceſſores quem locum idem ſanctus Maximus hoc ſcholio notatum reliquit: Pulcher (inquit) ordo eccleſiaſticus monachos, qualis erat Demophilus, diaconi: diaconos presbyteri: presbyteros epiſcopi: epiſcopos apoſtoli, & ſucceſſores apoſtolorum increpāt. hæc ille. Succeſſores ergo apoſtolorum, qui ſint maiores, quam epiſcopi, qui ipſi quoque ſunt in ſuo gradu apoſtolorū ſucceſſores, intelligere oportet tum patriarchas, quod ſcholio etiam ſuo idem Maximus notauit, & admonu-

Dionyſius Alexand. Anaſtaſ. De Dionyſii Areop. antiquitate & auctoritate.

Damaſcenus. Sophronius.

S. Maximus. Theodorus preſbyter. Photius.

it: (patriarchæ enim per prouincias mittunt archiepiſcopos, ſicut apoſtoli mittebant) tum archiepiſcopos, qui ipſi per prouincias mittuntur, vt epiſcopi per vrbes obſeruauit etiam hoc ante nos Rupertus Abbas eruditiſſ. auctor, & magnus theologus libro primo de diuinis officiis. c. 27. vt iam primi ſucceſſores apoſtolorū ſint, quos iam olim vocant patriarchas: ſecundi archiepiſ. tertij epiſcopi, id eſt, ſuccedunt apoſtolis archiepiſcopi quidem infra patriarchas: epiſcopi verò infra archiepiſcopos. Qui igitur negant fuiſſe alios maiores epiſcopis tempore Clementis Patriarchas ſcilicet ſiue Primates, & archiepiſcopos, interpretentur nobis, ſi poſſunt, & ſciunt, quoſnam magnus Dionyſius ſucceſſores Apoſtolorum vocet, qui tanquam maiores præſcribant epiſcopis, & eos, ſi oporteat, increpent. vt igitur magnus Dionyſius Pauli apoſtoli diſcipulus ſucceſſores apoſtolorum maiores ab epiſcopis, minoribus eorum ſucceſſoribus diſtinxit, ſi quoque Anacletus Pōtifex Apoſtolicus in epiſt. 3. diſtinxit, cum loquens de apoſtolis, qui & eandem (inquit) formam ſuis ſucceſſoribus, & reliquis epiſcopis tenendam tradiderunt. Sic enim in vetuſtiſſimo exemplo Vaticanæ bibliothecæ ſcriptum eſt melius, quam in vulgatis, vt Gratianus etiam legit diſtinct. 22. c. Sacroſancta. Præterea ſi ad decus eccleſiæ pertinebat, vt ex epiſt. Pauli ad Cor. priore intelligi poteſt, non eſſe in ea iudices, qui, cum neceſſe eſſet, de ſæcularibus cauſis iudicarent, ne in iudicio apud infideles contendendum eſſet, an non ad eccleſiæ quoque decorum, & vtilitatem fratrum pertinuiſſet, ſi, vt bene ac ſapienter in ſæculo ſecundum leges ſæculi conſtituta erant iudicia, ſic quoque in eccleſia eſſent? Vnde Clem. lib. 2. de Conſtitutionibus Apoſtolorum cap. 51. laudans iuſtitiam, quam natura duce colebant, itaque iſti, inquit, quamuis Gentiles ſint, qui neque Deum nouerunt, neque ſciunt, vindicari à Deo eos, qui innocenter condemnati ſunt, tamen cauent hoc committere vos verò, qui ſcitis, quis Deus noſter ſit, & qualia eius iudicia, quomodo poteſtis per violentiam. & impetum pronunciare, cum illud illico pateat Deo? quod quidem ſi iuſtum ſit, iuſtè & nunc, & in futuro

Quoſnam ſucceſſores apoſt. Dionyſius ab epiſc. neceſſario diſtinxerit, ſicut Anacl. epiſt. 3. diſtinxit.

1. Cor. c. 6. Ad decorū & vtilitatē eccle. pertinebat, vt ſicut ſapienter conſtituta erant in ſæculo iudicia, ſic quoque eſſent in eccle.

remunerandi ſitis: Sin verò iniuſtum, rurſus parem mercedem reportaturi? Hactenus Clemens itaque erant apud Gentiles in primis ciuitatibus, quæ erant capita prouinciarum, ſecundum deſcriptionem ciuitatum in prouincias ab antiquis factam, vt à L. Sylla in omnib. Aſiæ ciuitatibus proportione facta eſt, de qua Cic in Oratione pro Flacco meminit, & quidem ſacta in 44. regiones, vt Caſſiod in conſulibus notauit, cuiuſmodi deſcriptio ab alijs, atque alijs facta quoque eſt, vt Strabo in lib 17. teſtatur in illis, inquam primis ciuitatibus erant primi iudices legis, quos Clemens vocat primos flamines, & primos legis doctores. Ad hos autem, vt Anacletus ſcribit, qui per reliquas ciuitates commorabantur. quando eis neceſſe erat, qui ad aulam Imperatoris, vel regum confugere non poterant, vel quibus permiſſum non erat, confugiebant pro oppreſſionibus, vel iniuſtitijs ſuis: ipſoſque appellabant quoties opus erat, ſicut in lege eorum præceptum erat. hos ergo idem Pont. Anacletus Primates legis ſæculi, ac primam iudiciariam poteſtatem vocat. erant deinde in reliquis ciuitatibus Metropolitanis alij iudices, quos idẽ Clemens vocat Archiflamines, infra illos primos: erant poſtremò infra hos in aliis minoribus ciuitatibus alij adhuc minores iudices, qui comites dicebantur. Nihil verò intereſt. vt hoc loco quibuſdam curioſioribus reſpondeamus, quod in hiſtoriis Gentilium, & Romanarum antiquitatum, & in iis auctoribus antiquis, qui de eorum magiſtratibus ſcripſerunt, neque iſtos primos Flamines, nec Archiflamines legamus. Eſt enim à ratione alienum, non vim propoſiti, ſed verba attendere, vt rectè diuinus Dionyſius in diuinis nominibus c. 4. admonuit. Quare hoc potius ab iſtis ſtudioſè inquirendum erat quomodo ſic Clemens vocaſſet? vtrum propriè, an tranſlatè, an καταχρηστικῶς? vt cum ſcriptura vocat locuſtas populum fortem, & gentem: ſi tranſlatè, quæ ratio tranſlationis? quæ, inquam, ſimilitudo Flaminum, & præfectorum, tranſlationi verbi locum fecerit? ſed hæc explicatio, quia non eſt hic locus proprius, reiicienda eſt in extremum caput libri quinti, vbi ſigillatim de epiſtolis Clementis diſſeremus. nunc ſatis eſt

Cur Clemens primos flamines, & Archiflamines dicit, qui alibi non leguntur.

Ioel. 2.

Clementis propoſitum intelligere. Primos ergo iudices legis. ſiue primam iudiciariam poteſtatem, vt Sanctus Anacletus vocat, dicere voluit Clemens, cum primos doctores legis, & primos flamines dixit: ſimiliter alios iudices infra illos, eoſdémque aliis maiores dicere placuit cum Archiflamines dixit, ex quibus, nec illos vocare libuit primos ſacerdotes, vel primos pontifices: nec hos principes ſacerdotum, vt quidem minores Pōtifices, antequam nomen Pontificis, impoſitum eis eſſet, vocabantur: cauſa verò hæc eſt, quod nihil ſacri haberent: quin potius eos tanquam execrabiles verbo ethnicorum proprio notauit, ſicut idem Clemens lib. ſecundo de Conſt. Apoſtol. cap. vigeſimooctauo, quos Gentiles vocabant ſacerdotes, quinque dæmonibus ſacra faciebant, non ἱερέας, quaſi ſacros, ſed tanquam non ſacros ἀνιερέας vocat, id eſt, non ſacerdotes, verbo à ſe facto, quod proximè accedit ad μιαροὺς, quaſi execrabiles dicat. tantum abeſt, vt ſint ſacri. Hæc qui non aduertunt, curioſè adhuc, quærunt, vt mihi etiam aliquando contigit, vnde Clemens acceperit primos flamines, & Archiflamines, quos nuſquam alias ipſi legunt. tametſi de ſacerdotibus, qui fuiſſe videntur poteſtates, eſt apud Strabonem, is enim lib. 17. inter eos, qui Romanorum Imperio per regiones parebant, numerat reges: deinde ciuitates partim à principio liberas, partim in amicitiam receptas, partim honoris gratia libertate donatas: tum alios, qui poteſtatem, vt mihi videtur, gerebant, quos vocat Dynaſtas, Phylarchos, ſacerdotes Sed redeamus, vnde digreſſi ſumus. Si igitur S. Apoſtoli hanc & prouinciarum & iudiciorum diſtinctionem prudenter & vtiliter factam eſſe intelligebant, & quod potiſſimum erat, aſſuetos eſſe homines eo ordine ab iniuriis faciliùs, commodiúſque defendi, an non poſcebat ratio apoſtolicæ gubernationis, & prudentiæ prouidere, vt eccleſiaſtica iudicia ſecundum eam diſtinctionem & formam ac deſcriptionem vtiliter, & honeſtè, ſecundum ordinem in eccleſia exercerentur? an dicemus maiore prudentia, & æquitate gentiles ſine Deo in hoc mundo, iudicia ſua conſtituere debuiſſe, quam Apoſtolos ſanctos in ſpiritu

Magd. maiore prudentia & æquitate volunt conſtituta eſſe iudicia à gentilib quam ab ſpiritu S. per S. apoſto. Luc. 16.

Magd. prudentiorem faciunt ſocerum Moyſis in conſilio, quod illi dedit de conſtituendis iudicibus, quam ſpiritum ſanctum in docẽdo apoſt. de eadem re.
Exod. 18.

S. eruditos & inſtitutos, quia ſcriptum ſit, filios huius ſæculi prudentiores eſſe filiis lucis in generatione ſua? id eſt ad degendam vitam corporis, ſic enim magnus Baſilius interpretatur. an rurſus dicemus, prudẽtiorem fuiſſe Socerum Moiſis, vt ei conſuleret, conſtituere ſicut ait ſcriptura, ex viris de omni plebe ſapientibus, & Deum timentibus Chiliarchos, centuriones, quinquagenarios & decanos, & quos 70. interpretes vocant γραμματοεισαγωγεῖς, id eſt qui litteras inferrent: qui, inquit, iudicẽt populum omni tempore, quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo iudicent, prudentiorem dico, quam ſpiritum ſapientiæ Dei, qui Apoſtolos ſanctos docere conſtituere in eccleſia primates, tanquam Chiliarchos: Metropolitas ſiue Archiepiſcopos, tanquam centuriones: epiſcopos, vt quinquagenarios: decanos, vt preſbyteros: & diaconos, tanquam tabellarios? quæ igitur iſtorum tanta impudentia, & tam cœca temeritas, ac tam profligata conſcientia, audere eam formam eccleſiaſticæ politiæ improbare, & negare, quam ratio naturæ inſita probat? cui auctoritas maximarum Synodorum, & veterum patrum ſanctiſſimorum adſtipulatur? quam vniuerſa eccleſia per totum Orientem & Occidentem ſemper tenuit? quam neceſſitas, & vtilitas cauſarum eccleſiaſticarum poſtulat? quam eccleſiaſticus ordo requirit? quã iudicialis norma veterum tribunalium commendat? quam Moſaicæ politiæ à Deo inſtitutæ typus figurat? cui apoſtolica ſcriptura, & apoſtolicus canon conſonat? Denique quam Nicena Synodus ad priſcam eccleſiæ conſuetudinem ex apoſtolica traditione, vt neceſſe eſt profectam grauiſſima auctoritate refert? Hactenus ergo de eccleſiaſticæ politiæ generali forma, quæ à temporibus Apoſtolorum ita illis per ſpiritum ſanctum inſtituentibus, ex patriarchis, Metropolitanis, vel Archiepiſcopis & epiſcopis conſtat. Non eſt autem alienum ab hoc loco, obſeruare quæ Leo 9. Sapientiſſ. Pont. ante quingentos annos ſcripſit ad Africanos epiſcopos Petrum, & Ioannem, qui contra Grumitanum epiſcopum dignitatem eccleſiæ Carthaginenſis defenderant. Itaque quia de Archiepiſcopis, inquit, & Me-

De forma Moſaicæ Politiæ figura euãgelicæ.
Qui in eccleſia noſtra ſint Chiliarchi, centuriones, quinquagenarii, decani tabellarii.
Quæ & quãta oppugnent, & negent, qui formam eccle. politiæ oppugnãt, & negant.
Quid inter Metropolitanos, & archiepiſcopos interſit ex epiſt. Leonis 9.

tropolitanis ſententiam noſtram requiritis, venerabilium anteceſſorum noſtrorum dicta demonſtrant, id eſt, Clementis, Anacleti, Aniceti: & paulò poſt, nam ſicut omnis mundana poteſtas his gradibus dignitatũ à ſe inuicem diſtat, id eſt, vt primus ſit Auguſtus, vel Imperator, deinde Cæſares, deinde Reges, Duces, & Comites, atque Tribuni: ita & eccleſiaſtica poteſtas ordinata, à Sanctis Patribus inuenitur: dicente beato Clemente in illis ciuitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erãt, Primates, vel Patriarchæ poſiti ſunt, qui reliquorum iudicia & maiora negotia iuſte definirent: qui etiã non vni Prouinciæ, ſed pluribus præeſſent. deinde vbi Archiflamines erant paganorum, Archiepiſcopi inſtituti ſunt Chriſtianorum, qui ſingulis prouinciis præeſſent: vbi verò Metropolis erat, quę interpretatur mater ciuitas, Metropolitani erant: quippe de tribus, aut quatuor ciuitatibus intra aliquam prouinciam maiori, & matri aliarum ciuitatum præſidebant: iſti aliquando Metropolitani tantum nominantur: aliquãdo verò Archiepiſcopi, ſi in ipſa prouincia maiores non fuerint aliqui. Vbi autem minores ciuitates habuerunt ſolummodo flamines, vel comites, epiſcopi ſunt inſtituti. porrò tribuni plebis non abſurdè intelliguntur preſbyteri, ſiue reliqui inferioris ordinis clerici. his omnibus diuino & humano priuilegio prælatus eſt Pontifex Roman. Satis igitur iam ex his, quæ hactenus de forma eccleſiaſticæ politiæ dicta ſunt, liquet, falſum eſſe, quod Molineus ait de ſedibus patriarchalibus, nunquam fuiſſe inuentum, niſi poſt Conſtantinũ. vnde falſam eſſe epiſtolam Anacleti, cum Magdeburgenſis quoque auſus eſt dicere: quos, vel ſola Synodus Nicena apertè de commento conuincit. ne autem ſiue iſti, qui epiſtolam Anacleti negant, caput Conſtantinus, diſt. 96. quaſi cum epiſto. Anacleti pugnans, aliquando obiiciant, ſiue quis alius epiſtolam fortaſſe veram quidem eſſe exiſtimet, ſed quid iſtis reſpondẽdum ſit ſcire cupiat, aliquid de hac re dicendum eſt. dicet enim. aliquis, ſi Pont. Romanus diuina auctoritate princeps aliorum Patriarcharũ eſt, vt S. Anacletus in epiſt. ſua 3.

tradit, idque Magnus Conſtantinus poſtquam de poteſtate, & principatu beati Petri à Sancto Syluestro Pont. edoctus fuit, non ignorabat quomodo principatum inter reliquos patriarchas Pontifici tribuit? epiſtola igitur Anacleti tertia falſa eſt, ſi hoc de principatu Pontificis inter Patriarchas Conſtantinum Magnũ ſanxiſſe verum eſt, imò verò vtrunque conuenit. Anacletus enim de principatu, quem à Deo beatus Petrus, accepit, loquitur, quem etiam Conſtantinus Magnus ex beato Syluestro didicit, & confeſſus eſt, & hanc formam principatus à Deo cõceſſi ſequens, ipſe quoque voluit concedere, quod ad ſe pertinebat, id eſt, ſecundum terrenam poteſtatem imperatoriam, quam gerebat, voluit, inquam Pontifici concedere, vt ipſe ſupra reliquos patriarchas eſſet. Denique ſatis Imperator ipſe declarauit, quem principatum in Pontifice Romano à Deo datum confiteretur: & quis item principatus à ſe concederetur, cum ait, vt ſicut in terris Vicarius filij Dei eſſe videtur conſtitutus, etiam & Põtifices, qui ipſius principis apoſtolorum gerunt vices, principatus poteſtatem amplius, quam terrena imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere videtur, conceſſam à nobis, noſtroque imperio obtineant: & clarius adhuc ſubiungit: & ſicut noſtra eſt terrena imperialis potentia, eius ſacroſanctam Romanam eccleſiam decreuimus venerãter honorare: & amplius quã noſtrum Imperium, & terrenum thronum, ſedem ſacratiſſimam beati Petri glorioſè exaltari, tribuentes ei poteſtatem, & gloriæ dignitatem, atque vigorem & honorificentiam Imperialem, atque decernentes ſancimus, vt principatum teneat tam ſuper 4 ſedes præcipuas Antiochenum, Alexand. Conſtan. & Hieroſolym. quam etiam ſupra omnes in vniuerſo orbe terrarum. Eccleſias ergo cum dixit, ſicut noſtra eſt terrena imperialis poteſtas, ſacroſanctam Romanam eccleſiam decreuimus honorare, ſatis docuit, non ſe hanc poteſtatẽ Pontifici in patriarchas, & in omnes mundi eccleſias concedere, qui paulò ſupra confeſſus erat, eſſe Pontifices ſucceſſores beati Petri, quem filius Dei vicarium ſuum in terris cõſtituiſſet, ac proinde poteſtatẽ eorum

in patriarchas, & in omnes eccleſias diuinam, & cœleſtem eſſe, non terrenam, ſicut erat poteſtas imperatoria: velle tamen ſe, quoad poſſet terrena ſua imperatoria poteſtas, ſic honorare ſedem beati Petri, quam ſucceſſores eius Pontifices Romani tenēt, vt poteſtatem, quam habent, in qua filius Dei beatum Petrum Vicarium ſuum conſtituit, teneant, ac poſſideāt. præſidium itaque, & patrocinium, ac tutelam religioſiſſimus Imperator promittit, & ſancit. quod ſatis verbis, quibus vſus eſt, ſi quis aduertat, declarauit, tribuentes (inquit) ei poteſtatem, & gloriæ dignitatem, atque vigorem, & honorificentiam Imperialem: poteſtatem dicit ſe tribuere, non ſpiritualem quam ſciebat habere eum in omnes Chriſtianos mundi à Chriſto datam, ſed imperialem, non vt Imperator eſſet, ſed vt poteſtate Imperatoris vteretur ad tuendam ſedis ſuæ dignitatem, & honorem, vt ius ſuum vigeret. deinde ſubiungit, atque decernentes, vt principatum teneat, tam ſuper 4. ſedes Patriarchales, Antioch. Alexand. Conſtantin. Hieroſolymitan. quam etiam ſupra omnes mundi eccleſias, nō dixit, vt accipiat, ſed vt teneat: in quo præſidium, vt dixi, ac patrocinium promittit. alioqui ius & poteſtatem in patriarchas non magis dedit, quam dedit in omnes mundi eccleſias, quas Chriſtus ſolus dedit. Denique hoc ſancit, & tribuere ſe dicit Imperator Pontifici Romano, quod ab Imperatoribus in eorū coronatione à Pontificibus petitur, quodque ipſi promittunt, & ſtipulantur. ſic n. ei dicitur, accipe gladium deſuper beati Petri apoſtoli corpore ſumptum per manus noſtras, licet indignas vice tamen & auctoritate Dei omnipotentis & beatorū apoſt. conſecratum Imperialiter tibi cōceſſum noſtręque benedictionis officio in defenſionem ſanctæ matris eccleſiæ diuinitus ordinatum ad vindictā malefactorū, laudē verò bonorum: & memor eſto eius, de quo pſalmiſta prophetauit dicens, accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè, vt in hoc per eundē vim æquitatis exerceas: molem iniquitatis potētiſſimè deſtruas: & ſanctā Dei eccleſiā, eiuſq; fideles propugnes, atq; protegas: neq; minus ſub fide falſos, quam Chriſtiani nominis hoſtes extenues, atq;

Quam poteſtatē Conſtantinus Imperator Pontifici Romano in reliquos Patriarchas dederit.

diſpergas:viduas atque pupillos clementer adiuues,atque defendas:deſolata reſtauras: reſtaurata conſerues: vlciſcaris iniuſta. & in alia oratione precatur his verbis tribue ei omnipotens Deus,vt ſit fortiſſ. protector, & conſolator eccleſiarum, atque cœnobiorum ſanctorum.in his igitur,quæ ab Imperatore,cum coronatur ex formula conceptis verbis poſtulari ſolent, ius eorum, quæ tunc magnus Conſt. ſanxit, & conceſſit, continetur. quod totum ad patrocinium eccleſiæ ſuſceptum pertinet, quod quidem eccleſia cum opus eſt, iure ſuo & poſcere,& requirere debet vt ex epiſt.beati Aug.23 q.3.C.Maximianus,perſpici poteſt.laudat,n. Maximinianum epiſcopum Vagieſem,quod auxilium contra hoſtes eccleſiæ ab Imperatore Chriſtiano petiſſet,quod ſi prætermiſiſſet,non fuiſſet (inquit) laudā-
« da patientia. ſed negligentia meri ò culpanda. Aliud
« præterea in epiſtolam Anacleti 3. obiiciunt, fingit, in-
« quiunt, Anacletus ſcripſiſſe tomum de primatu, ſed
« eius ſcripti nuſquam, inquiunt, fit mentio.]

Commentum Magd. craſſum & malitioſum.

Quis non demiretur. & obſtupeſcat tantam iſtorum vel in legendo negligentiam, vel in intelligendo tarditatem,vel in deprauando malitiam? Anacletus dicit ſe deſcripſiſſe in quodam tomo primas ſedes. tum eas. ſ.quæ olim ſecundum leges ſæculi primæ fuiſſent, vtpote in capite prouinciarum poſitæ: tum quæ primæ, id eſt, Metropoles in vna quaque prouincia: Magde. verò dixerunt,fingere Anacletum ſcripſiſſe tomum de primatu nihil enim amplius addiderunt,malitioſe ſcilicet,vt ſuſpicor,vt qui legerent.ſtatim de primatu Petri intelligerent, vt eſt iam in vſu & loquendi & intelligendi: Vt rurſus ſi falſum eſſet & fictum, vt iſti volunt, quod Anacletus tomum de primatu ſcripſiſſet, continuò ſequeretur, eccleſiam Romanam nō eſſe caput cæterarum. hæc eſt calliditas ſerpentis. Sed videamus,quid Anacletus dicat: Sed illæ vrbes, quæ præfatis priſcis temporibus primatum tenuere: deinde paucis interiectis ſubiungit: aliæ autem primæ ciuitates, quas vobis conſcriptas in quodam tomo mittimus, & quæ ſequuntur: & paulo infra poſt deſcriptas tres ſedes Patriarcharum, idem quod paulo ſupra repetens,

reliquas verò, inquit vt prædiximus, in quodã tomo prolixitatem vitantes epiſtolæ, vobis conſcriptas direximus. de primatu ergo, id eſt, de primatu Pontificis, non dicit ſe ſcripſiſſe, neque ſcripſit quia nec opus quidem erat tunc, cum ſatis ex euangelio pateret, & nondum nati eſſent hæretici, qui negarent: tomum verò, id eſt, catalogum de primatu ciuitatum, quæ nã eſſent primæ & Metropoles, ſcripſiſſe eum, quid mirum, ſi alij quod ſciamus, nõ meminerũt? an neceſſe eſt, quicquid eſt ab aliquo ſcriptum, id vt alij meminerint? vt ſi non meminerint, continuo fictum ſit? ſed quæſo vos Magd. per æquitatem, ſi ideo non creditis, ſcripſiſſe Anacletum tomum, de primatu, quia eius, vt dicitis, ſcripti nuſquam mentio fiat, & ob hanc cauſam ſuſpecta, & inuiſa eſt vobis epiſt. Anacleti, cur contra ſimili ratione non creditis, & probatis, ideo veras eſſe Anacleti, & aliorum Pontificum epiſtolas, quia earum ſit frequens apud alios ſcriptores mentio Vt iam veſtro argumento aut veras ſimul & falſas eſſe dicatis: aut ne vobiſcum pugnetis, veras tantum contra mendacium veſtrum, aut falſas tantum contra veritatem. cur enim apud Magd. plus valeat ad credendum fictam eſſe epiſtolam Anacleti, quod vnius particulæ eius, imò vnius verbi, nuſquam fiat mentio quam ad credendum, veram eſſe, quod totius epiſtolæ frequenter apud alios mentio fiat? ſed in his tempus conſumere vt quod ſentio, dicam, vereor, ne otio abutẽtis eſſe videatur. illud tantum addam ſimili argumento negare Anabaptiſtas hiſtoriam in euangelio Ioannis de infirmo ad Probaticam piſcinam iacente, & motum aquæ expectante, quo Magdeburgenſes totum Anacleti. quia inquiunt Anabaptiſtæ, nec in vetere teſtamento, nec in Ioſephi libris de antiquitate rerum Iudaicarum, de Probatica piſcina mentio fiat. Quibus erudite nuper Sixtus Senẽſis libro ſeptimo ſuę bibliothecæ reſpondit. Pergamus reſpondere ad alia crimina.

Eodem argumento totum Anacleti Magdeb. negant, quo Anabaptiſtæ hiſtoriam de infirmo ad Probaticam piſcinã in euang. Ioannis.

Reſponſio ad id, quod obiicitur in epiſt. Euariſti de epiſcopis pulſis, & de litteris præfectorum adiunctis ad litteras Pontificis, & quomodo non præfectorum, ſed propheta-

rum legendum ſit ex fide veterum exemplariorum, & ex ratione. *Caput 9.*

" PRæterea etiam contra epiſtolam Eua-
" riſti aliquid obiiciendum eſſe putaue-
" runt, ſic enim aiunt, Vero etiam abſi-
" millimum eſt, quod Euariſtus epiſtola
" ſecunda finxit, Aegyptios ſuos epiſ-
" copos pepuliſſe. Nā eo loco res Chri-
" ſtianorum erant, vt nuſquam tutò verſarentur ob im-
" manem crudelitatem perſecutorum.]

Quid hoc leuius? imò quò res Chriſtianorum magis afflictæ eſſent, eò facilius erat malis Chriſtianis eiicere epiſcopos ſuos. nec enim hoc perſecutores Chriſtianorum irritaſſet, ſed placaſſet potius, & eorum gratiam conciliaſſet, cum ij in primis odioſi, & infeſti eſſent gētilibus, qui euangelium prædicabāt, quod erat munus epiſcoporum. Sequitur in Centuriis: ſimile eſt illud,
" quod vult, ſuas litteras per omnes eccleſias Africanas
" legi: & dicit, iis præfectorum litteras adiunctas eſſe.
" quod (inquiunt) haud verum eſt, nam nec id factum
" eſſe probari poteſt: neque præfectis, qui ſub Traiano
" atrociſſimè perſequebantur eccleſiam, cum epiſcopis
vllarenus conueniebat.]

Hactenus accuſatio coniecturalis Magdeburgenſium. Si in quæſtione facti coniecturis vtēdum eſt, vbi teſtes deſunt, age coniecturas cum coniectura conferamus, poſtea rem ipſam dicemus. Nō adiunxiſſe Euariſtum litteris ſuis litteras præfectorū, inde vos Magd. coniecturam ducitis, quod præfectis, qui ſub Traiano atrociſſimè perſequebantur eccleſiam, nullo modo cum epiſcopis Chriſtianis conueniebat, nos cōtra potuiſſe adiungere, inde coniecturam ducimus, quod præfecti iſti, quos Euariſtus dicit, tales eſſe potuerunt, quales illi, quos Tertullianus in libro contra Scapulā commemorat, humani, & in Chriſtianos beneuoli, vt Veſpronius Candidus, vt Aſper, vt Pudens, quorū humanitatem, & in Chriſtianos beneuolentiam Scapulæ inhumano & fero exprobrat Tertullia. accedunt ad hanc coniecturam Plinius ſecundus, Tertullianus, &

Euſebius teſtes, remiſiſſe poſtea Traianum perſecutionem Chriſtianorum, id quod edictum eius ab illis teſtibus recitatum teſtatur. Quid igitur mirum, ſi Euariſtus in præfectos quoſdam humanos, ac beneuolos, præſertim perſecutione iam relaxata, incidit, à quibus litteras ſibi ex Africa tūc temporis afferri curauit, quibus permitteretur epiſcopis Africanis eos laicos, qui decretum Pontificis de nuptiis, quæ non decenter fierent, prohibendis, non ſeruarent, grauiore aliquo ſupplicio præterquam anathemate punire: non enim poterant tunc Chriſtiani in Imperio Gentilium, ſiue auctoritate poteſtatis ſæculi id facere. Quid, inquā, mirū ſi fuiſſet, ſi huiuſmodi litteras præfectorum litteris ſuis Pont. alligaſſet, & in Africam ad epiſcopos miſiſſet? Adde, quod hodie vt audio apud Turcas, inter quos Chriſtiani habitant, aliquid ſimile fit. Sæpe enim Patriarchæ, & epiſcopi à præſidibus prouinciarum, quos Baxas vocāt, litteras impetrāt, vt liceat epiſcopis aliqua grauiore pœna afficere, vt dānare ad triremes eos, qui in religione noſtra peccarunt. Accedit huc, quod multi ex præfectis, & aliis magiſtratibus veniebāt tunc ad fidem licet magiſtratus, & alios gradus dignitatis amitterent, vt ex Cypriani ad Succeſſum epiſcopum epiſtola 9. libri 5. & Origenis contra Celſum libro 3. imò ex ipſa Plinij epiſtola ad Traianū perſpici poteſt. Quare non mirū fuiſſet, ſi opera eorū Chriſtianorum, qui aliquando magiſtratus gentilium geſſiſſent, litteras à præfectis gētilium, ſiue propter propinquitatem, ſiue propter amicitiā, ſiue propter accepta beneficia, ſiue propter aliam neceſſitudinem eorū inter ſe, litteras ab eis Pontifex Euariſtus impetraſſet. Sed licet omnes iſtæ hactenus coniecturæ ſint, quæ ita rem eſſe non conuincant, tamen, quia plures ſunt, ac probabiliores, & ad defendendū pertinent, quæ æquior pars eſt, cur vna coniectura ſola atrocitatis Traiani, vt iſti dicunt, quæ non ad vniuerſum tempus Traiani, ſed ad partē pertinet, plus ad accuſandū epiſtolā Euariſti ſanctiſſimi Pōtificis mouere debeat, quam tot noſtræ ad defendendum? Sed hactenus ex coniecturis ad coniecturā reſponſum ſit. Proferamus iam veritatem, cui iſtæ omnes

Euſeb. libro 3. hiſt. cap. 33.
Tert. in Apolog. c. 12.

coniecturæ cedāt.in exemplari vetuſtiſſimo Vaticanæ bibliothecæ, & in altero æquè vetuſto bibliothecæ Florentinæ S.Marci,quæ cuiuis paulò curioſiori,videre cum volet, Romæ & Florentiæ licebit, non præfectorum, ſed prophetarum ſcriptum eſt. Quod ipſum Magdeburgenſes ſi in exemplaribus noſtris, quæ in publico feruntur,legiſſent,fortaſſe magis, quo minus hoc intelligerent,reprehendiſſent. Quid enim hoc dicerent ad decretum Euariſti?quorſum litteras prophetarum litteris Pontificis decretalibus alligari? quæ nā iſtæ litteræ prophetarum quæ ſimul cum litteris Pontificis per omnes eccleſias Africanas legendæ erant,vt quod de nuptiis decretum erat,ſeruaretur, qui nō ſeruaret, iuſtè puniretur? imò hoc de litteris prophetarū, quod prius ſcriptum erat, ab eo mutatum puto in litteras præfectorum,qui nō intellexit, quas litteras prophetarum Pont.diceret. itaque totum hoc fabuloſum iſtis viſum fuiſſet. Vnde multò audacius,ac confidentius totam epiſtolam Euariſti reieciſſent. Cùm tamen nihil potuerit,nec opportunius, nec accommodatius à Pontifice fieri,aut ſcribi:neque quod magis neceſſariū eſſet,ſi quas prophetarum litteras dicat, ſemel intelligatur. An non neceſſe erat, vt litteræ decretales Pontificis, quas ad Africanos epiſcopos Pontifex mittebat, & per omnes eccleſias Africanas legi volebat, ab omnibus intelligerentur? Quis hoc neget? Sic enim Pontifex ſcripſit,Hæc cuncta recitāda per omnes eccleſias Africanas ſcripta dirigite: vt de iis, quæ iniquè laudātur,ſi quid tale probari poterit, iudicium fiat: & inhibita coerceantur:& præterita mala,& illicita coniugia, ſi doceantur admiſſa, digna ſeueritate corripiantur.ad laicos ergo litteræ iſtæ decretales Pōtificis pertinebāt, qui cùm non latinè, ſed punicè intelligerent, neceſſe fuit,vt Pontifex litteras prophetarum, id eſt,interpretū adiungeret.habebat enim apud ſe Pontifex(quis enim hoc dubitet?) linguarum interpretes, & quidem probatæ fidei, quorum opera quotidie opus erat,cum tam ingens eccleſiarum Africanarum iam tunc multitudo eſſet. Vocari autem interpretes linguarum,ſiue ſermonum prophetas, nemo eſt, qui ignoret, qui vel duas

Lectio vera in epiſtola Euariſti ex vetuſtiſſimis exemplaribus.

Pauli

Pauli ad Corin.epiſt.legerit, & Hieremiam.cap.23.qui prophetias linguę dixit,quem locum imitatus eſt apoſtolus. Præterea eſſe ſic intelligendum,id eſt,de litteris huiuſmodi prophetarum hoc eſt interpretum, & non præfectorum, ex ipſa epiſtola, ſi quis paulò attentius conſideret,elici poteſt. Etenim ſi litteræ præfectorum fuiſſent.quid opus erat,vt eas epiſcopi Africani ad omnes eccleſias mitterent,vt in omnibus eccleſiis legerētur? Si per litteras iſtas præfectorum poteſtas epiſcopis dabatur, vt eos, qui decretum de nuptiis non ſeruarent,poſſent, ſi vellent, ſupplicio aliquo grauiore afficere, quod ad poteſtatem gladij pertinuiſſet quam fideles inter gentiles exercere auctoritate ſua non poterant, an non ſatis erat, aut non tutius, & cautius, eas ipſas litteras apud epiſcopos ſeruari, quàm cum litteris Pontificis ad omnes eccleſias mitti? & eas publice recitari? Atqui non hoc fit, neque fieri opus eſt, cum epiſcopi, aut patriarchæ inter Turcas eiuſmodi litteras,vt paulò ante docebam,ab illis præſidibus prouinciarum,quos Baxas Turci appellant, impetrant.reſtat igitur, vt ſicut in vetuſto exemplo legimus, ſic legendum ſit,quod & ratio ipſa ſatis per ſe cōfirmat, & neceſſitas, ac conſuetudo, quæ ex apoſtolica traditione manauit. ſemper enim in eccleſia fuerunt interpretationes linguarum ſiue ſermonum. Cæterum ſi benedixeris(inquit) ſpiritu, qui ſupplet locum Idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas,neſcit. Nam tu quidem bene gratias agis,ſed alter non ædificatur. Quid prodeſſe poterant Euariſti litteræ decretales de nuptiis prohibendis, ſi,vt non decebat,fierent,ſi quid litteræ dicerent, neſciebāt? Quid iſto ſuo decreto Pontifex Euariſtus apud Pœnos profeciſſet,ſi lingua eis locutus fuiſſet? neque fuiſſet ſimul qui prophetaret? Miſit igitur Pontifex litteras,quę lingua loquebantur, & cum eis ſimul litteras, quæ prophetarent. Quas idcirco litteras prophetarum vocauit,ideſt,interpretum. Sed dicet fortaſſis aliquis ex limatulis iſtis,cur non potius dixit Pontifex interpretationem litterarū, quam litteras prophetarum? ecquid intereſt, ſic, an ſecus dicere, ſi vtrumque idem valet?

1.Cor.14.

h

1. Cor. 12. 14. Qui enim dixit interpretationes ſermonum, & rurſus vnus interpretetur, idem dixit, prophetæ duo, aut tres dicant. at ſecundum iſtum dicere debuiſſet interpretationes à duobus, aut tribus fiant. Sed nihil intereſt. Qui enim interpretatur, dicit, & quod interpretatur, ipſius efficitur non, vt auctoris, ſed vt interpretis. Quis enim cum audit, dici ſermonem interpretis, nō ſtatim intelligit dici interpretationem ſermonis? Sic cum Pōtifex Euariſtus litteras prophetarum, id eſt, interpretum ſuis adiunxiſſe dicit, nihil aliud intelligimus, neq; intelligere cum ratione poſſumus, quam ſermonem interpretum, id eſt, interpretationem litterarum ab interpretibus factam, quam litteris ſuis alligauit.

Reſponſio ad id, quod contra epiſtolam Victoris obiicitur, & quomodo, & quamobrem, non ad Theophilum Cæſareæ Paleſtinæ ſcripſerit victor, & cuius Alexādriæ eſſet epiſcopus in Theophilus, ad quem ſcripſit, & quomodo ex hac ignoratione profectus ſit error Magdeburgēſium, & quomodo ex ipſo Euſebio Cæſarienſi, & ex ipſa epiſtola Victoris demonſtratur, neque ſcripſiſſe, neque ſcribere debuiſſe ad Theophilum Cæſareæ: & quare Magdeburgēſes ſtuduerunt, vt hæc epiſtola Victoris ficta eſſe videretur. item quomodo ex iis, quæ Polycrates ad Victorem ſcripſit, videatur agnouiſſe eum caput eccleſiæ, & quomodo hoc ipſum ex Irenæo clarius adhuc demonſtretur.

Caput 10.

NOtarunt præterea Magdeburgenſes ad negandum epiſtolam Victoris decimi quinti poſt Petrum Pontificis, quod Theophilum vocet epiſcopum Alexandrinum, cum Cæſareæ, inquiunt, & non Alexandrinus fuerit. Sed eſto fuerit, quidem Theophilus Cæſareæ Paleſtinæ epiſcopus, quis hoc negat? at rurſus quid obſtat, quo minus eſſet eodem tempore alter Theophilus Alexandriæ epiſcopus? præſertim cum hoc Victor Ponti. dicat, & idem poſt eum Damaſus affirmet. nos ergo fuiſſe probamus, quia hi duo grauiſſimi Pontifices, & antiqui teſtantur: Magdeburg. verò non fuiſſe probant, quia

Theophilus, inquiunt, fuit epiſcopus Cæſareæ. quod perinde eſt, ac ſi dicerent, Theophilus fuit epiſcopus Cæſareæ, ergo hic Theophilus non fuit tunc epiſcopus Alexandriæ. rectè hoc: at illud rurſus non rectè concludunt, ergo non fuit alius Theophilus epiſcopus Alexandriæ. Vnde enim hoc probant, non fuiſſe alium Theophilum Alexandriæ epiſcopum? quod quidem neceſſe erat probare. ac de Alexandria Africæ probare quidem poterant cui Libya, Aegyptus, & Pentapolis ſubiectæ erant: quia eo tempore, id eſt, Victoris Pontificis, epiſcopus Alexandriæ huius erat: Demetrius Iuliani Patriarchæ ſucceſſor, vt auctor eſt Euſebius Cæſarienſis, at non de hac Alexandria loquitur. Victor Pontifex in epiſtola ſua, quam iſti negant, ſed de Alexandria Aſiæ, ſiue illa, quæ Alexandria Aſia dicitur, quæ eſt in lib. 6. Ptolemæi c. 17. tabula 9. Aſiæ: ſiue illa, quæ Alexandria Oxiana, quæ eſt in lib. 6. c. 12. tabula 7. Aſiæ. loqui verò Victorem Pontificem non de Alexãdria Africæ, quæ ad Meridiem eſt, ſed de Alexandria Aſiæ, quæ eſt ad Orientem, quis dubitare poteſt? ſi attẽtè, & cõſideratè legat, quæ Euſebius Cæſarienſis lib. 5. hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcribit, ortam eſſe eo tẽpore quæſtionem illam de Paſcha, ex eo, quod cunctæ per Aſiã eccleſiæ luna 14. Paſcha celebrarent: cum reliquis eccleſiis per vniuerſum orbem conſuetudo non eſſet ſic celebrandi: ex quo fit vt neceſſarium ſit, ſcripſiſſe Pontificem Victorem ſuper celebratione Paſchæ ad epiſcopum Alexandriæ, quæ in Aſia eſt, qui Theophilus vocaretur, & non ad Theophilum Cæſareæ epiſcopum: quia Aſiani erant, qui iuxta parabolam Domini medico indigebant, vt qui malè haberent, non autẽ Palæſtini qui Romanis in celebratione Paſchatis conſentiebant. Vnde Victor Pont. ad Theophilum Alexandriæ in Aſia epiſcopum ſic ſcribit, celebritatem ſancti Paſchæ die dominica prædeceſſores noſtri iam ſtatuerunt: & nos illud vobis eadẽ die celebrari ſolemniter mãdamus, quia non decet, vt membra à capite diſcrepent, neque contraria gerant: & quæ ſequuntur. hæc inquam Aſianis, & Alexandrinis Aſiæ, conueniebant, qui à Romanis diſcrepabant, non autem Cæſariẽſibus,

Magd. in epiſt. Victo. nec intellexerunt de quo Theophilo Alexandrino loqueretur, neque de qua Alexandria.

Quomodo quæ Victor ſcripſit ad Theophilum epiſcopum Alexandriæ Aſiaticæ, non potuerint congruere Cæſarienſibus, quorum erat epiſcopus alter Theophilus.

& Palæſtinis, qui non diſcrepabãt, nec enim opus erat mandare illis, vt facerent, quod iam cum reliquis eccleſiis, vt Euſebius teſtatur, ex apoſtolica traditione, exceptis Aſianis, faciebant. Sed vt ante dixi, Magd. dũ ad pauca reſpiciunt, facilè enunciant. nec enim quia Euſebius meminit Theophili Cæſareæ, & non meminit per idem tempus alterius Theophili Alexand. in Aſia, idcirco neque fuiſſe putabimus: quaſi neceſſe ſit, omnium meminiſſe Euſebium, qui neque de epiſtola Victoris meminit. Confirmat adhuc magis, quod dictum eſt, ipſa Synodus Nicena, quę in decreto de Paſcha eos ſolos, qui in Oriente erant, quos Euſebius Cæſarienſis Aſianos vocat, à reliquis omnibus cuncti orbis, qui eodem die quo Romani, & Alexandrini Africæ ſcilicet, quæ eſt ad meridiem, Paſcha agebãt, prius diſcrepaſſe ait, qui tamen in Nicena Synodo cum cæteris omnibus, vt decretum fuit, concordarunt: & eis ſubſcripſerunt. recitabimus decretum libro 5. cum vniformẽ obſeruationem paſchalem, quam Magd. cõdemnant, defendemus. Sed vnde tanta iſta Magdeburgenſiũ moroſitas? quid ita anxiè, quærunt, vnde epiſtolam Victoris calumnientur, & tanquam falſam reiiciant? nempè, quia ſcribat in ea, cauſas epiſcoporum non licere præter ſententiam Romani Pontificis decidi, idque ita cõſtitutum eſſe à tempore Apoſtolorum, liquere. aut igitur negandi erant Apoſtoli à Magdeburgenſibus, aut epiſtola Victoris. perſuaſit verò eis ſerpẽs, probabilius eſſe & popularius epiſtolam negare, quale idcunque eſſet, quod ſpeciem aliquam quamuis falſam probabilitatis ad obiiciendum, & in cautos fallendũ habere videretur: quale eſt hoc de Theophilo Cæſareæ epiſcopo. Notarunt præterea, quod Pius & Victor in litteris, vbi præcipiunt, paſcha eodem modo vbique debere obſeruari ab omnibus eccleſiis, addunt rationem, quia non deceat membra, id eſt, alias eccleſias à capite, id eſt, à Roma. ſede diſſentire: ſed huius rationis, inquiunt, nec Irenæus, nec Euſebius meminerunt, vbi etiam cõtrouerſiam deſcribunt: neque Polycrates, nec Irenæus neque Polycarpus, Iuſtinus, Clemens, & alij Romanum epiſcopum pro capite agnouerunt.]

Quare Magd. occaſionem calumniãdi epiſ. Victoris tã ſtudioſe vndecunque quæſierint.

Tametſi nō neceſſe erat, vt huius rationis meminiſſent, oſtendamus tamen, quemadmodum non ſint eius obliti. licet non ſit à Magde. animaduerſum. etenim ſi Polycrati in mentem non veniſſet, non decere membra, id eſt, alias eccleſias à capite id eſt, à Roma. eccleſia temere diſſentire, neque rurſus Pontificem pro capite eccleſiæ agnouiſſet, quorſum attinebat, ad eū ſcribere, & tam multis verbis, & exemplis apoſtolicis, veteris legis de paſcha celebrando traditionem nondum illo tempore apud Aſianos illos deſitā cōmemorare? & illud ad extremum addere. Sed ego omniū veſtrum minimus Polycrates, ſecundum traditionem Patrum meorum obſeruo eorum duntaxat, quos ab initio ſecutus ſum an ſunt hæc eius. qui Pontificē nō agnoſceret caput eſſe? Deinde cum ait, multorumque orbis terræ epiſcoporum notitiam habens pleniſſimè, & ſanctis ſcripturis intendens non perturbabor ex iis, quæ ad terrorem proferuntur, quia & maiores mei dixerunt, oportet magis obedire Deo, quam hominibus. Quorſum hæc, ſi non agnoſcebat in Pontifice principatum? cum enim ait, non timere ſe, quæ ad terrorem proferuntur, excommunicationem planè ſignificat, quam Victor Pontifex omnibus eccleſiæ Aſiæ denunciauit, vt idem Euſebius narrat. Si nullus epiſcopus eos excommunicare poteſt, qui non ſunt ditionis ſuæ, quid opus erat dicere, quia & maiores mei dixerunt, obedire oportet Deo magis, quàm hominibus? hoc enim quod ab Apoſtolis mutuatus eſt, Apoſtoli quidē dixerunt, non quod negarent, obediendū eſſe Principi Sacerdotum, qui in concilio dixerat eis, præcipiendo præcepimus vobis, & quæ ſequuntur: ſed quia negarent, tunc obediendum eſſe, cum contrarium præciperet Deus, vt Polycrati videbatur, quamquam falſo: & Paulus Ananiam, licet Paulum percutere iniuſtè præcepiſſet, tamen Principem populi eſſe, & ſedere eum, vt ſecundum legem iudicaret, confeſſus eſt. itaque ſi Polycrates non agnoſcebat Pontificem, ad quē ſcribebat, eſſe primum epiſcopum eccleſiæ catholicæ, neque ſub poteſtate eius eſſe, debebat potius facere, quod propheta iſtorum Martinus Lutherus fecit, cum

Quomodo Polycrates litteris ſuis planè ſignificauerit ſe agnouiſſe, Pontificem caput eſſe eccleſiæ, quod Magd. requirunt.

Act. 5.

Act. 23.

Quomodo Irenæus principatũ quoque Pont. Rom. agnouerit, quod iidem Magde. requirunt.

à Leone decimo excommunicatus eſt. Iam de Irenæo, vtrum agnouerit principatũ Pontificis, intelligi quoq; poteſt ex eo, quod in eodem libro Euſebius teſtatur, ſcripſiſſe eum ad Victorem. Pontificem, arguiſſeque, quod non rectè feciſſet, qui tot & tam inſignes eccleſias excommunicaſſet: non quidem quod non haberet eas ſub ſua poteſtate, ſed potius quod ſine ratione, vt Irenæo videbatur, excommunicaſſet. ac multo etiã clarius idem intelligi poteſt ex 3. eiuſdem Irenæi aduerſus hæreſeos libro: ſic enim ait, Sed quoniam valde longum eſt, in hoc volumine omnium eccleſiarum numerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ eccleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones epiſcoporũ peruenientem vſque ad nos, indicantes, confundimus eos omnes, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malã, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem, & malam ſententiam præterquam oportet, colligunt. ad hanc. n. eccleſiam propter potentioré principalitatem neceſſe eſt omnẽ cõuenire eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles in qua ſemper ab iis, qui ſunt vndiq; cõſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. An nõ ſatis apertè ſignificauit hoc loco Irenæus eſſe eccleſiam Roman caput omnium eccleſiarum? etenim ſi non intelligebat eſſe caput, quomodo ait, neceſſe eſſe, omnes vndique fideles ad hanc eccleſiam conuenire, idque propter potentiorem principalitatem? quod ſi neceſſe eſt omnes fideles ad hanc eccleſiam cõuenire propter traditionem, quam ab Apoſtolis eadẽ eccleſia; vt principalis accepit, & propter fidem eius annunciatam hominibus, ergo omnes ex ea eccleſia pendent tanquam membra ex capite: ita vt nulla ſit legitima fides, quæ cum eccleſiæ Rom. fide & apoſtolica traditione non concordet aut hanc ſententiam neceſſe eſt vos Magd. cõfiteri: aut hæc Irenæi verba negare: quæ aliud ſignificare non poſſunt etenim ſi Irenæus. cuius teſtimoniũ de principatu eccleſiæ Rom. deſiderari fingitis, planè teſtatur, per huius eccleſiæ Roman. apoſtolicam tradi-

Clariſſimum teſtimoniũ Irenæi de principatu eccleſiæ Roman. & epiſcopi eius.

tionem ac fidem hominibus annunciatam confundi omnes eos, qui quoquo modo, præterquam oportet, colligunt ergo & vos hoc etiã ſolo confundit, & conuincit Irenæus, præterquam oportet colligere, quod ab huius eccleſiæ traditione, & fide diſcrepatis. quid ergo dicitis, nec Irenæus, neque Polycrates Romanũ epiſcopum pro eccleſiæ capite agnouerunt? quaſi vobis ſtatim agnoſcendus eſſet, ſi iſti agnouiſſent: ecce agnouit Polycrates: agnouit Irenæus, vt iuxta legem in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum: agnoſcite ergo vos quod ſi adhuc Irenæum agnouiſſe negatis, interpretamini verbum principalitatis, quod Græcè dictum eſſe ab Irenæo ἡγεμονίαν, ſi quid Græcè calletis, non dubitabitis. an igitur Irenæus τὴν διαφέρουσαν ἡγεμονίαν eccleſiæ Romanæ, id eſt, potentiorem principalitatem eius ſitam eſſe intellexit in amplitudine, & ſplendore, ac magnificentia rerum eccleſiæ? minimè. quid enim iſta ad maiorem auctoritatem, ac fideliorẽ conſeruationem apoſtolicæ traditionis, & fidei facerent? reddens enim Irenæus rationem, cur in primis per apoſtolicam traditionem, & fidem eccleſiæ Romanæ, potius quàm per traditionem aliarum eccleſiarum magnarum quoque & antiquarum omnes hæreticos ab ea diſſentientes confundi, & conuinci dicat, ſubiungit. Ad hanc enim eccleſiam propter potẽtiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire eccleſiam, id eſt, omnes fideles, in qua ſemper ab iis, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Ergo iſta potentior principalitas, quam dicit, eccleſiæ Roman. erat cauſa, cur in ea ſemper conſeruata eſſet ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Vnde cæteræ quamuis ampliſſimæ & ab Apoſtolis fundatæ, quia hoc chariſma ἡγεμονίας non acceperunt, factum eſt, vt portæ inferi aduerſus eas præualuerint, id eſt, hæreticos præſules habuerint. Alexandrinam dico eccleſiam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam aduerſus autem eccleſiam Romanam nunquam hæreſis præualuit: nec vnquam in ea hæreticus ſedit propter potentiorem principalitatem, id eſt, quia ei præeſt in ſucceſſoribus ſuis

Quomodo Irinæus traditione fidei eccleſiæ Romanæ omnes hæreticos, qui ab ea receſſerũt confundi dicat ergo ea Magd. & ceteros Luteranos confundi dicit.

Quo vno verbo Irenæi conuincatur perfidia hæreticorũ negantium principatũ eccleſi. Ro.

Quare aduerſus eccl. Rom. nunquam portæ inferi, id eſt hæreſes præualuerunt, aduerſus vero eccleſias aliarum patriarcharũ præualuerint.

Quæ ſit potentior principalitas, quam Irenæus dicit, propter quam neceſſe ſit omnem eccleſiam ad eã conuenire.

Tit.c.3.

Quibus verbis Irenæus vitia hæreticorum notauerit.

princeps Apoſtolorum Petrus, cui dictum eſt à Domino, Tu es Petrus, & ſuper hãc Petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prçualebunt aduerſus eam. hæc eſt igitur potentior principalitas, quam magnus Irenæus dixit. quod ſi adhuc Magdeburgen. cedere nolunt veritati, faciunt quod eſt proprium hæreticorum: ſubuerſi enim ſunt, ſicut Apoſt. ait, & proprio iudicio condemnati vel per ſui placentiam malam, vt Irenæus dixit, quæ græcè dicitur ἀυθάδεια, aut vanam gloriam, quæ κενοδοξία, vel cœcitatem, quæ πώρωσις, & malam ſentẽtiam, quæ dicitur κακόνοια. his enim morbis laborant, qui in hæreſes delabuntur, qui ſunt in ſcripturis ſanctis prædicti, & ab Irenæo obſeruati, & his verbis græcè, quantum aſſequor, ab eodem nominati. Præterea hoc loco quaſi accuſationis ſuæ capita finire vellent, poſtremo, inquiunt, neque tempus, quo datæ deſcribuntur litteræ Alexandri, Teleſphori, Pij, Aniceti cum veritatis norma congruit. vndecunque rapiunt more ſuo Magde. quod in has epiſtolas iaciãt, quale idcunque ſit. quibus ſatis ſit hic reſpondere, nequid diſſimulaſſe videamur, quod Maſſæus diligentiſſimus noſtræ çtatis chronographus ſcripſit in prologo libri 8. ſuorum annaliũ, quod tametſi alio loco huius operis antea recitaui, non grauabor tamen iterum repetere, præſertim cum hoc loco neceſſarium ſit, nihil hodie (inquit) incertius, quàm per ſolos conſules computare, quod partim ſupprimãtur ab hiſtoricis: partim diuerſo loco, & ordine collocẽtur. id autem exemplis hiſtoricorum docet. additque hoc, confiteri etiã Titum Liuium, neſcire ſe in multis annis, qui fuiſſent conſules: eſſe præterea conſules bimeſtres, trimeſtres, & interdum paucarum horarum. hactenus ille. in tanta igitur varietate, obſcuritate, ac difficultate notationis temporum ex conſulibus, quod inde firmum argumẽtum in epiſtolarũ veritatẽ ſumi poteſt? Denique vt hic cõfuſione etiã ſua cõuincantur, rogemus eos, cur magis Caſſiodoro, aut Mariano Scoto, aut aliis credant, hos, aut illos cõſules olim fuiſſe, cũ has litteras hic, aut ille Pont. ſcripſit, quam ipſis Pontificibus, qui tunc fuerunt? cum hoc apud omnes conſtet, in faſtis conſulũ

non rarò diſcrepare veteres ſcriptores, & lapides? an maiorem fidem faciet, qui rem alieni ſæculi ſcribit, quàm qui ſui? Si ita Magd. addicti ſunt faſtis, & conſulum notationibus chronographicis, cur non recipiunt epiſtolam Euariſti, quæ Gallo & Bradua conſulibus data eſt, vbi tempus cum norma veritatis (ſic enim iſti loquuntur) congruit, & nullus Chronographus diſſentit? at ſi hanc ſemel recipiant, cogentur recipere epiſtolam Clementis ad Iacobum fratrem domini, cui non leue teſtimonium, imò grauiſſimum dedit in iis, quæ ex illa epiſ. idem Euariſtus tanquam ex apoſtolica doctrina beati Petri mutuatus eſt. Quid ſi Helianus in 1. epiſtola Alexandri bimeſtris, aut trimeſtris conſul fuit, & à Caſſiodoro etiam ignoratus, & ab aliis, quod Liuius fatetur ſibi in pleriſque accidiſſe, qui primo anno, quo eſſe conſules cœperunt, quinque fuiſſe ſcribit. in epiſt. 2. Alex. non Traiano, & Heliano Coſſ. ſed Traiano vetere Coſ. in exemplari vetuſto Vaticanæ bibliothecæ ſcriptum eſt. fuit autem vetus conſul tempore Alexan. licet non cum Traiano, ſed cum Aemilio, auctoribus Caſſiodoro, & Mariano, à quibus fortaſſe malè iſti cõſules iuncti, & locati ſunt. Epiſtola Teleſphori data eſt Antonio & Marco, ſiue Marcio Coſſ. meminit autem his temporibus Caſſiodorus Antonij, & Aurelij conſulum, & Antonij & Præſentis: ſed cum Marcus, ſiue, vt eſt in vetuſto Codice manu ſcripto; Marcius prænomen ſit ſententia Varronis, quid ſi prænomen pro nomine vſurpatum eſt, ſicut etiam aliquando prænomen pro Cognominibus? quod Carolus Sigonius obſeruationes annalium ſecutus notauit. Sed quid ego moror in re tam incerta, & obſoleta, ac fallaci, & tam parui vſus? abutatur ocio, cui ſuppetit, & qui à melioribus vacuus eſt.

Reſponſio ad id quod obiicitur de cauſis ſecularibus in eccleſia iudicandis, quomodo id Paulo conueniat, quod Clemens, & Anacletus de hac re ſtatuerunt, neque ſit contra euangelium, cum ait, Principes gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, & de ratione & cauſa huius decreti, & quomodo quod Clemens in epiſt. 1. de huiuſmodi

iudicio cauſarum ſæcularium ſcribit, ex 2. lib. de conſtit. apoſtol. liceat clarius intelligere. Item reſponſio de eo, quod ſimiliter accuſatur in epiſtola Anacleti, & quatenus liceat de omnibus rebus ſæcularibus iudicare in eccleſia, & de poteſtate iuriſdictionis ciuilis eccleſiæ data, & de ratione eius, & fundamento. *Cap. 11.*

SEd veniamus tandem ad eum locum, in quo illud primũ in epiſtola prima Clementis, & prima Anacleti tanquam apocryphum notarunt, quòd iubent, inquiunt, epiſcopis cauſas ſæculares vna cum iudicibus expedire, & iudicare, idque eſſe aiunt contra illud, Principes gentium dominantur eorum. Videamus ergo prius, quid Clemens de hac re ſcripſerit, deinde quid Anacletus, imò quid etiam Alexander in epiſtola igitur Cle. ſic Petrus Clementem monet, eidémque præcipit inquiens, Te quidem oportet, irreprehenſibiliter viuere, & ſummo ſtudio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abiicias, ne fideiuſſor ſis: ne aduocatus litium fias: néue vlla alia occupatione negotij ſæcularis implicеris: nec enim iudicem, aut cognitorem de pecuniis aut negotiis rerum ſæcularium te vult Chriſtus conſtituere: ſic enim eſt græcè. deinde ſubiungit rationem præcepti. Ne curis hominum præſentibus diſtrictus, ac præpeditus, non poſſis verbo veritatis ſecernere bonos à malis: quin potius qui hæc diſcunt, ſibi inter ſe ea adminiſtrent: & ne te à ſermonibus, qui ſaluos facere poſſunt, diſtrahant. Vt enim tibi impietatis eſt crimen, ſolicitudines ſuſcipere ſeculares, ſic laicis peccatum eſt, non ſibi inter ſe in iis, quæ ad vſus vitæ pertinent, præſto eſſe. deinde ſubiungit, καὶ σὲ δὲ περὶ ὧν χρὴ ἀμέριμνον εἶναι, οἱ πάντες ποιεῖν ἐὰν μὴ νοῶσι, παρὰ τῶν διακόνων μανθανέτωσαν, ἵνα μόνης τῆς ἐκκλησίας τὴν φροντίδα ἔχῃς πρὸς τὸ διοικεῖν αὐτὴν καλῶς interpretemur latinè, quod ſi, inquit, non omnes ea facere ſcient, de quibus te ſolicitum eſſe non oportet, à diaconis diſcãt, vt tu eccleſiæ ſolam curam habeas, quo eam rectè gubernes. hoc præcipit, ne, ſi non habeãt laici, qui poſſint propter inſcitiam controuerſias fratrum dirimere, ad

iudiciá ethnicorum adire cogantur. committit itaque hoc negotium dirimendi controuerſias de rebus ſæcularibus diaconis propter neceſſitatem, ne laici apud infideles diſceptent, quod eſt in Chriſtianam religionem contumelioſum: & ne epiſcopus in iis ſit occupatus, in quibus eſſe non debet. non commiſit hoc presbyteris, ſed diaconis, vt puderet laicos ire ad ethnicos iudices, cum audirent eſſe in eccleſia infra epiſcopos, imò infra presbyteros, qui poſſent, & ſcirent ſapienter cauſas de rebus ſæcularibus iudicare. eodem conſilio Apoſtolus Paulus πρὸς ἐντροπὴν, vt ipſius verbo vtar, id eſt, vt verecundia à iudiciis ethnicorum adeundis auocaret, dixit, Sæcularia igitur negotia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. deinde ſubiungit, Ad verecundiam veſtram dico: ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre contendit, & hoc apud infideles? eodem pertinent, quæ idem Clemens Roma lib. 2. de conſtitut. apoſt. c. 45 ſcripſit. Pulchra quidem, inquit, Chriſtiani hominis laus eſt, cum nemine litigare. Sin autem alicuius opera, aut tentatione quapiam factum fuerit, vt incidat ei lis, det operam, vt dirimatur, quamuis opus ſit aliquid damni facere: & ne adeat ad iudicium gentilium. imò ne patiamini inquit, vt ſæculares magiſtratus de cauſis veſtris iudicet: per eos enim diabolus famulis Dei inſidiatur, & probrum excitat, quaſi non habeatis vos quempiam ſapiẽtem, qui poſſit inter vos ius dicere: aut lites diiudicare. deinde ſubiungit proximo capite. Ne igitur diſceptationes veſtras gentiles cognoſcant: nec ad dicendum contra vos eorum teſtimonium adhibeatur: nec ab eis iudicemini, & quæ ſequuntur. Satis igitur iam liquet hunc locum epiſt. Clementis de iudicandis cauſis ſæcularibus in eccleſia ad illum locum epiſt. Pauli ad Cor. de quo proximè memini, pertinere: neque magis hunc Clementis, quàm illum Pauli reprehendi poſſe, cũ eadẽ ſit vtriuſque ratio, ac ſenſus. Excutiamus deinceps alterum locum eiuſdem epiſtolæ primæ Clemẽtis de eiſdẽ cauſis ſæcularibus. Si qui ex fratribus, inquit, negotia habeãt inter ſe, apud cognitores ſæculi ne iudicentur,

Quare Clemẽs cognitionẽ cauſarum diaconis commiſerit.

1. Cor. 6.

Quod ad locum Pauli de nõ adeundis iudicibus gentilium pertineant, quæ Clemens ſcripſit de iudicandis cauſis ſæcularibus in eccleſia.

Conſtitutio apoſtolica.

Qui locum epiſt. Clem. & Anacle. de iudicio eccleſiaſtico.

ſecularium cauſarum reprehẽdit, locum epiſt. Pauli de eodem reprehendit.

ſed apud presbyteros eccleſiæ, quicquid illud eſt, dirimatur. & omni modo obediant ſtatutis eorum. Sic vetus interpres vertit, quæ melius dicta ſunt græcè, οἱ πράγματα ἔχοντες ἀδελφοὶ ἐπὶ τῶν ἐξουσιῶν μὴ κρινέσθωσαν, ἀλλὰ ὑπὸ τῶν τῆς ἐκκλησίας πρεσβυτέρων συμβιβανέσθωσαν παντὶ τρόπῳ ἑτοίμως αὐτοῖς πειθόμενοι. qui, inquit, lites habent ne à poteſtatibus mundi iudicentur: has enim vocat ἐξουσίας, ſed à presbyteris eccleſiæ ad concordiam adducantur: eiſq́ omnino promptè pareant. hic quoque prohibet fidelibus, contendere apud infideles iudices. ac, ne ad eorum iudicia propter imperitiam legum ſæcularium adeant, iubet presbyteris, non quidem vt ſæculares cauſas laicorum, vt ciuium, tanquam forenſes iudices cognoſcant, & iudicent, ſed potius tanquam ij, ad quos pertineat præire aliis Chriſtianis velut duces, vt ſe ad Deum conuertant, & à peccatis deſiſtant. quod eſt officij ſacerdotalis proprium, vt ex Dionyſio Areop. in cęleſti hier. c. 9. intelligi poteſt, cũ de Melchiſedech docet, cur in ſcriptura vocatus ſit ſacerdos. Sic autem eſſe intelligendum, quod hic ait Clemens, clariùs adhuc ex eodem lib. 2. Clem. de apoſt. conſtit. intelligere licet: poſtquam enim dixit. cap. 46. Ne igitur diſceptationes veſtras gentiles cognoſcant, proximo deinceps capite, Fiant, inquit, iudicia veſtra ſecunda feria, vt ſi fuerit diſceſſum à ſententia, id eſt, ſi non paruerint prõptè, vt eſt in epiſto eiuſdem Clem. poſſitis liberè vſque ad ſabbatum ſedare controuerſiam, & pacificare diſceptantes in diem dominicum, quod proximo ſuperiore capite dixerat, συμβιβάζειν εἰς φιλίαν, quo verbo συμβιβάζειν vſus eſt idem Clemens in eo loco epiſtolæ, quem paulò antè recitaui, quod non eſt eorum, qui propriè more ſæcularium, iudiciis præſunt, vt reddant tantum vnicuique ius ſuum, nihil præterea ad eos ſpectet, vt diſceptantes à peccatis reuocent: ſed magis eorum, qui ideo tanquam feciales quidam legati Chriſti præſunt huiuſmodi iudicio, vt omnem curam ac diligentiam in primis adhibeant, vt ad concordiam & pacem res adducatur, ne peccent fratres. Subiungit deinde Clem. aſſiſtant autem iudicio diaconi, & presbyteri, qui citra acceptationem perſonarum, tanquam homines Dei

Qua ratione, & quomodo presbyteris iudicia ſæcularia clemens cõmiſerit.

iuſtè iudicent. Cùm itaque inquit, vtráque perſona, vt lex iubet, in iudicium venerit, ſtabit vterque diſceptantium in medio: quibus auditis ferte ſanctè, & incorruptè ſuffragia date operam, vt antequam epiſcopus pronunciet fiant amici, ne exeat epiſcopi ſententia contra eum, qui deliquit, quia habet in iudicio Chriſtum Dei, cauſæ conſcium, & comprobatorem. hactenus apoſtolica conſtitutio à Clemente Romano perſcripta Explicata eſt igitur ratio ſæculares cauſas laicorum, vt Chriſtiani ſunt in eccleſia iudicandi, ſcilicet vt tollatur peccatum, quod paulò pòſt magis explicabitur. quod quidem quia Magdeb. centuriatores non intellexerunt, hoc quod eſt in epiſtola Clementis de cauſis ſæcularibus in eccleſia audiendis, non intelligentes more ſuo, quæ loquuntur, dixerunt eſſe contra illud, quod eſt in euangelio, Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent inter eos. Quis enim vnquam hoc genus iudicandi inter laicos Chriſtianos, tanquam de vita æterna, vel morte, vt ait idem Clemens, ſiquidem agitur de peccato ad mortem tollendo, ad poteſtatem gentiũ pertinere dicat? quis velle τὸ συμβιβάζειν εἰς φιλίαν id eſt, pacificare diſceptantes, pertinere vnquam putauit ad illud, quod de gentibus dixit dominus in euangelio Matth. & Marci κατακυριεύειν, & κατεξουσιάζειν, id eſt, exercere poteſtatem contra eos, ſiue dominari in eos? hæc enim eſt vis propoſitionis κατὰ hoc loco. Sed Magdeburgenſes cum voces proprias ignorent, & virtutem earum, qui fieri poteſt, vt de rebus, quæ vocibus ſignificantur, rectè iudicare poſſint? Sed veniamus ad epiſtolam Anacleti primam, in qua idem notarunt lippi iſti, ne dicam, cœci animaduerſores. Si autem, inquit, fuerit eccleſiaſticum negotium, apud epiſcopos, interueniente Primate, iudicetur, ſi quidem maior cauſa fuerit: ſi verò minor, Metropolitano: ſi verò fuerit ſæculare, apud eiuſdem ordinis viros iudicio tamen epiſcoporum, cum apoſtolus priuatorum Chriſtianorum cauſas magis eccleſiis deferri, & ibidem ſacerdotali iudicio magis terminari voluerit. hactenus Anacletus. Quaſi enim iam tunc ſanctus Anacletus diuinaſſet, & præſenſiſſet, futuros eſſe, qui hoc,

Matth.20. *Mar.10.*

Quod ex verbis ipſis, quibus Clemens vſus eſt, intelligitur, de qua ratione iudicandi cauſas ſæculares in eccleſia loquatur.

Magde. voces proprias, & virtutem earum ignorantes, non poſſunt rectè iudicare de rebus vocibus ſubiectis.

quod de iudicio epiſcoporum cum laicis in cauſis ſæcularibus tunc iuſſit, calumniarentur, vt Magdeburgẽ. calumniantur, exemplum apoſtoli commemorauit. quod ſi hoc erat, vt iſti obiiciunt, contra illud, Principes gentium dominantur eorum, vos autẽ non ſic. ergo permiſit ſecundũ iſtos Pontifex Anacletus portare gladium & vi atque armis agere, vt poteſtates ſæculi ſolẽt, quod dominus prohibuit. at non hoc permiſit hic, imò neque voluit in hac epiſtola, vt epiſcopus per ſe ſæcularia iudicaret. Sed potius iuſſit Anacletus, ſæcularia ab eiuſdem ordinis, id eſt, à ſæcularibus interueniẽte iudicio epiſcopi iudicari, exemplum, & auctoritatem beati Pauli (vt dixi) ſecutus, Paulus enim vt ſanctus Anacletus ait, priuatorum cauſas magis ad eccleſiam deferri, & ibi ſacerdotali iudicio terminari voluit. cum dicit ſacerdotali iudicio terminari voluit, epiſc. iudicium neceſſe eſt intelligere: & cum cauſas priuatorum dicit, ſæcularium cauſas dicit, laici enim ſunt priuati homines: & non clerici, qui ſunt communes, & publici eccle. miniſtri. ſic quoque intellexit Synodus Carth. 3 c 9. prohibẽs enim, ne clerici in iudicio laicorum de re ciuili litigarent, cum priuatorum inquit, Chriſtianorum cauſas apoſtolus etiam eccleſiæ deferri, & ibi determinari præcipiat. vt iam vtrumque, & quod Paulus, & quod Anacletus ad exemplum eius ſtatuit, eiuſdem rationis ſit, & eadem neceſſitate, & propoſito factũ. Etenim quia non poterat eccleſia tunc ſub ethnicis Imperatoribus ſupplicio aliquo grauiore aliquem afficere, non enim id eſſent imperatores ethnici, neque magiſtratus eorum paſſi, quin potius in Chriſtianos iudices, tanquam ſicarios, qui id ſine vlla publica auctoritate auderent, animaduertiſſent, idcirco ad puniendum grauius eum, qui ſententiæ, & iudicio non pareret, cùm non poſſet eccleſia vti alio gladio, quàm gladio ignis, ſic enim vocat anathema Clemens, neceſſe erat, vt iudicio ſæcularium magiſtratuum in cauſis ſæcularibus epiſcopus præeſſet vt qui nõ pareret, gladio iſto feriretur. Quid enim proderat iudicare laicos ſæcularia, ſi nõ fuiſſet, qui cogere poſſet ad parendũ? epiſcopus ergo ſæcularia in epiſtola Pauli, & in epiſtola Anacleti cum ſæcularibus magi-

1. Cor. 6.

Quomodo idipſum Anacletus decreuerit de cauſis ſæculariũ in eccleſia iudicandis, quod Apoſtolus.

Quare tempore Pauli & Anacleti in iudicio cauſarum ſæcularium opus eſſet auctorit. epiſc.

Clem. lib. 2. de conſtit.

ſtratibus iudicabat, quia non poſſent aliter magiſtratus in iudicio ſæculari exhibere, vt nunc loquũtur, iuſtitiæ complementum: neque qui litigabant, obtinere ius ſuum: ex quo fieret, vt facilè in peccato remanerent, qui parere in iudicio nulla pœna cogerentur, quod à Canoniſtis noſtris dici ſolet. Propter defectum, vel impotentiam. huc pertinent, quæ ſcripta ſunt ab Innoc. 3 ext. de foro compe. C. licet, & C. ex tenore. Vt iam tota cauſa, cur epiſcopus in epiſtola Pauli, & Anacleti, cum laicis magiſtratibus de ſæcularibus cauſis cognoſceret, & iudicaret, illa demum eſſet, ne in peccato ad mortem remaneret, qui parere nollet: ad hoc enim denunciabatur anathema, vt, ſicut apoſtolus ait, ſpiritus ſaluus fieret in die Domini, & ſic homines diſcerent non blaſphemare, ſicut in alio loco ait: denique vt ſic diſcerent non fraudare, aut alia iniuria afficere. Imò quia propter peccata impiorum, vt Salomon ait, iudicia, ſiue lites excitantur, & epiſcopi ſunt Medici ſpirituales peccatorũ, quibus curatis, lites tolluntur, & iudicia vacant, idcirco de omnibus cauſis ſæcularibus licet epiſcopo eatenus cognoſcere, vt in peccato ad mortem, non remaneat frater, quod Canoniſtæ noſtri dicunt, cognoſcere per viam denuntiationis: dum modo laicus actor, qui relicto ſuo foro iudicium eccleſiaſticum adit, non hoc malitioſè & dolo agat, quod quidem poteſt reus excipere, & eam exceptionem debet iudex eccleſiaſticus accipere, ſi legitima ſit, ext. de for. comp. c. nouit. Hoc autem quod dicimus, dominus in euangelio ſuo ſanxit: poſtquam enim reos egit auctores ſcandalorum, quique in fratres peccant, ſermonem conuertit ad eos, qui ſe putant iniuria affectos ab illis: perindéque eſt, vt Photius Conſtantinopolitan. in huius loci ſcholio ait, ac ſi diceret, ne concidas animo, neve peccatum proximi in te commiſſum damnum putes: potes enim id in magnum lucrum vertere, ſcilicet ſi adieris eum, qui in te peccauit: oſtenderíſque ei peccatum, & re ipſa coargueris, pleríque enim (inquit) cum peccant, excæcati non vident turpitudinẽ facti: poſteà verò pulſa cæcitate vidẽt, qui exiguam occaſionẽ nacti, omnino corrigunt, quod commiſerunt; tu vero quamuis ille ſit duriuſculus,

Qua ratione iudicium de omni ſæculari ad eccleſiaſticum iudicem pertinere aliquando poſſit.

Pro. 28.

Matth. 18.

& ad emendationem difficilior, ne continuò negligas ire ad eum, imò ſemel, & iterum, & tertio adi, eumque ad emendationem prouoca: magnum enim lucrum feceris, ſi fratris tui liberator extiteris: hactenus ille. Huc ergo ſpectare debet admonitio iſta tota fratris, vt ſcilicet qui peccauit, à peccato graui, & ſcandaloſo in fratrem commiſſo reuocetur, & non pereat: idcirco ait, ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum, aut duos teſtes: quod ſi eos non audierit, dic eccleſię, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, & quę ſequuntur. Hac itaque via, & ratione denunciationis factæ epiſcopo, iudicium de quoque peccato graui, & ſcandaloſo in fratrem commiſſo conuenit ei. vt tandem ſi reus in peccato ad mortem, ſine pœnitentia manere maluerit, pronuncietur in eum ſententia, & fiat anathema, vt ſpiritus eius ſaluus ſit in die domini: vt autem epiſcopus pronunciet neceſſe eſt, vt prius cognouerit de peccato, cuius cognitionem rurſus habere non poterit, niſi de re ſiue eccleſiaſtica, ſiue ciuili, vnde extitit peccatum, cognoſcat. Iactum ergo eſt in hoc loco euangelij fundamentum eccleſiaſticum laicæ iuriſdictionis iudicum eccleſiaſticorum, quod eſt denunciatio peccati fratris fratrem ſcandalizantis, ex propoſito emendandi eum proficiſcens: & ſimul ſancita lex epiſcopis, pronunciandi cum poteſtate in peccantes, ſi quidem eis dictum eſt, Quæcumque, &c. Quare fundamentum hoc à Domino iactum. & hanc legem Charitatis, & iuſtitiæ plenam, & cunctis Chriſtianis ſalutarē negat, qui hoc genus iuriſdictionis ciuilis epiſcopo, vel iudici eccleſiaſtico negat. Huiuſmodi ergo poteſtas ciuilis, ſeu ſæcularis iuriſdictionis, ex fraterna denuntiatione iuxta Euangelium, vel ex defectu iuſtitiæ iuxta epiſtolam Pauli ad Cor. propria eſt poteſtatis eccleſiaſticæ, & ex eſſentia eius fluens. habent enim ſpiritualia, quæ ſupra naturā ſunt, ſuas quoque proprietates, quibus carere non poſſunt. hac poteſtate vti poteſt poteſtas eccleſiaſtica, cum res poſtulat: nec enim cum vtitur, tunc poteſtas extrinſecus accedit, ſed accedit actus, ſiue vſus. vt cùm ridet, qui erat rationis particeps, & ſimul

Quod ſit fundamentum laicæ iuriſdictionis, quæ epiſcopo cōuenit, & quibus de cauſis conueniat.

Matt. 18.
1. *Cor. c.* 6.

mul ad ridendum aptus. Si ergo poteſtas paſtoralis & eccleſiaſtica beati Pauli vim habebat cognoſcendi, & iudicandi ſæcularia, vt ex eo quod eccleſiæ Corinthiorum præcepit, iam liquet, erátque illa poteſtas communis cæterorum apoſtolorum, cum epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum ſint, conſequens neceſſario eſt, vt in poteſtate paſtorali, & eccleſiaſtica, eiuſmodi vim habente ſuccedant. Quare ab Imperatoribus, aut principibus Chriſtianis eripi poſteà non potuit, quo enim iure? qua lege? fatemur non expedire, epiſcopũ, imò neque presbyterum, relicto verbi miniſterio iudicio ciuilium cauſarum diſtrahi, atque occupari, nemo enim militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, quod ipſum beatus etiam Petrus in epiſtola Clementis ad Iacobum fratrem domini monuit. ſed aliud eſt non expedire: aliud non licere, id eſt, non eſſe in eccleſia poteſtatem iuriſdictionis temporalis, qua epiſcopus, cum res poſtulat, ſicut iam explicatum eſt, vti poſſit, & debeat: quod quidem falſum eſſe, ſatis ex euangel. & epiſt. Pauli ad Cor. demonſtratum eſt. Si quis verò obiiciendum eſſe putet, ſi hæc vera ſunt, quæ hactenus de iuriſdictione ciuili eccleſiaſticæ poteſtatis explicauimus, cur lex illa Theodoſij Magni, & Caroli magni 11.q.1.c. Quicũque, &c. Volumus, abrogata eſt, qua ſancitum erat, vt liceret cuique, ſiue is actor eſſet, ſiue reus, relicto foro ſæculari, etiam lite conteſtata, iudicium eccleſiaſticum adire? dicam prius cur illam Imperatores ſanxerunt: deinde cur abrogata ſit. Ergo quia intelligebant religioſiſſimi Imperatores, veriſſimum eſſe quod ait Salomon in prouerbiis, ex peccatis impiorum oriuntur lites, quas ſapiẽs extinguet, ad epiſcopos autem, tanquam ad medicos quoſdam ſpirituales pertinere curare peccata, optabant ſancire, & pie, vt ſublata cauſa litium, id eſt, peccatis, lites ſimul ſublatę eſſent. hæc cauſa legis: ac verior fortaſſe, quàm illa, quod eo tempore tãta eſſet iudicum eccleſiaſticorum ſinceritas iudicandi, vt illi Imperatores latores legis huius, è Repub. eſſe exiſtimauerint, vt omnes lites alterutro volẽte eccleſiaſticorum iudicio deciderentur: illa enim tunc ſinceritas, vt illam concedamus, deficere poterat, ſæcu-

2. Tim. 2.
1. Cor. 6.

Quæ fuerit cauſa legis Theodoſii & Caroli Magni de libertate adeundi iudicium eccleſiaſticum in quauis cauſa ciuili.
Prou. 28.

lis in peius labentibus, vt ſunt homines mutabiles. at hoc mutari non poterat, quin ad eccleſiaſticos pertineret, tamquam ad medicos ſpirituales, peccatorum curatio: nec illud rurſus mutari, quod ait ſcriptura, Ex peccatis naſci lites, & alias idem Salomon. Qui amat delicta gaudet pugnis, id eſt iurgiis, & contentionibus. Cur verò hæc lex abrogata fuerit, hæc fuit cauſa, quod cum Petrus Clementi dixerit, & in eo omnibus epiſcopis, nec enim iudicem, aut cognitorem ſæcularium negotiorum hodie te vult ordinare Chriſtus, ne præfocatus præſentibus, non poſſis verbo Dei vacare, hæc lex, dum optionem dat actoribus, & reis, vt cauſas ſæculares ad epiſcopum referant, doctrinam beati Petri, & eccleſiaſticam diſciplinam confundit, & ſolicitudinem ſalutis animæ in ſolicitudinem ſæcularia iudicandi vertit: cum illa ſolum in eccleſia liceat, & expediat iudicare, quæ pertinent vel ad tollendum peccatum iniuſtitiæ, ex defectu, vel ad tollendum peccatum fratris fratrem ſcandalizantis, vt iam explicatum eſt Sed pleniorem, ac ſubtiliorem de his tractationem iis, qui canonici iuris prudentiam proprio ſtudio profitentur, relinquamus. Satis hæc ſint ad refellendum Magdeburgenſes, qui Clementis epiſtolam primam, & primam Anacleti hoc loco de iuriſdictione eccleſiæ in ſæcularia ideo accuſant, quia numquam eam eccleſiæ datam falſò exiſtimant, ſiue obliti, ſiue quod magis credo, non aduertentes, quod Paulus eccleſiæ Corinthiorum præcepit, non ſine poteſtate eiuſmodi iuriſdictionis cum cæteris apoſtolis communi, vt iam docuimus, præcipere potuiſſe.

Prou. 17.

Cur lex Theodoſii, & Caroli Magni abrogata.

Reſponſio ad ea, quæ obiiciuntur in decretum de non arguendis, & damnandis epiſcopis in epiſtola Clemen. Anacle. Euariſt. Alexand. Teleſph. & Pii, de quibus epiſcopis non arguendis hoc ſtatutum ſit, & quando, & qua cauſa. Defenſio rationum, quas Pontifices attulerunt pro epiſcopis non accuſandis, quas Magdeburgenſes reprehendunt, quaſi ineptas, & à propoſito alienas, & quomodo ſint prudentiſſimæ, & maximè ad rem accommodatæ. Item reſponſio ad ea, quæ Molineus in epiſtolam Clementis obiicit

ſexta quæſtione prima in margine decreti Gratiani. Quomodo ex illis ipſis teſtimoniis veteris ſcripturæ, quæ beatus Petrus citat in epiſtola Clementis, cum accuſationes epiſcoporum prohibet, doceatur, de quibus epiſcopis non accuſandis, & de quibus accuſatoribus loquatur. De regula à ſanctis Apoſtolis Paulo, & Ioanne tradita ad cognoſcẽdum vtrum ſpiritu dei, an ſpiritu mundi doctrina aliqua tradatur: & quomodo per eam regulam doctrina falſa Lutheri redarguatur, & de loco epiſtolæ Clementis à Magdebur. diſſimulato.

Cap. 12.

SEquitur alius locus centuriarum Magdeburgenſium contra epiſt. Pontificum Apoſtolicorum de non arguendis, inquiunt, & damnandis epiſcopis Clem. 1. Anacl. 1. 2. 3. Euar. 2. Alex. 1. Teleſph 1. Pius 1. 2. quod multis & ineptis rationib⁹ hoc probent: & Petrum faciunt huius doctrinæ auctorem: primo quia Paulus dicat, nobis pro minimo eſt, vt à talibus arguamur, aut iudicemur, aut ab humano die. 2. quod leges humanæ & diuinæ prohibẽt maiores à minoribus iudicari. 3. homo non patitur ſuum ſeruum ab alio iudicari: Anacle. addit has, iniuria ſacerdotum ad Chriſtum pertinet, cuius vice funguntur 4. quod Dominus non per alium, ſed per ſe eiecit ementes & vendentes è templo.]

Hactenus Magdeb. Excutiamus ergo deinceps & ponderemus nos rationes, quibus Pontifices illi à Magde. notati, probant non eſſe accuſandos epiſcopos, an ſint ineptæ, vt elegantes iſti centuriatores dicunt: & an ſint leues, & ſi hoc quidem non dixerunt, quia non eas ponderarunt: & an digna ſint beati Petri doctrina ea, quæ Petrum docuiſſe, Clemens teſtatur. Sed & laicos, inquit, ab eorum accuſatione, & vexatione ſemper repelli debere rogabat: & cunctos illi ſubditos eſſe præcipiebat: cunctorũ Sacerdotũ vitam ſuperiorem, ſanctior æq; ac diſcretã à ſæcularibus, & laicis hominibus eſſe, & ſpirituales quóſq; , atq; ſacerdotes ſuper carna-

les & laicos ſemper conſtituendos docebat: quoniam pro minimo, inquit, nobis eſſe debet, vt à talibus arguamur, & iudicemur, vel ab humano die, hãc Petri rationem ineptam eſſe dicunt Magde. Vſus eſt autem beatus Petrus eiſdem verbis, quibus & Paulus vſus eſt, ſiue ab eo mutuatus, ſiue non, nihil refert. illud verò magis refert, vt rectè ea intelligamus, quæ quidem Magdeburgen. minimè intellexerunt. Photius igitur Conſtantinopolitanus acutiſſimus Pauli ſcholiaſtes, exiſtimet, inquit, homo, ſic nos habere, vt dixi: & quod potiſſimum diſpenſatores decet, habere nos quoque exiſtimet: decet enim illos, vt fideles ſint. Hoc autem dicit, non extollens ſe, ſed potius doctrinæ ſuæ, quam prædicabat, auctoritatem tuetur. Etenim ſi liberum illis reliquiſſet, iudicare de ſe, & in ſe inquirere, prædicationem minimè recepiſſent. Ne tamen videretur non propter prædicationem, & ad communem vtilitatem dixiſſe hæc ſed ad arrogantiam, ſubiungit, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, non licet vobis, nec aliis, me diiudicare, ſed oportet potius doctrinam percipere, credere, & nihil dubitare, imò nec ego, quamuis nihil mihi conſcius ſum, poſſum me diiudicare, ſed expectanda mihi eſt ſententia iudicis & interim in timore mihi viuendum, hactenus Photius. Hinc intelligi poteſt, quod beatus Petrus in epiſt Clem. eiſdem verbis, & eodem ſpiritu vſus dixit. ad auctoritatem quoque euangelicæ doctrinæ, quam ſancti epiſcopi illo tempore prædicabant, & ad ſanctitatem vitæ illorum tuendam pertinere voluiſſe: ſeque de ſanctis epiſcopis, & fidelibus diſpenſatoribus myſteriorum Chriſti, quales tunc erant, locutum, quos non decebat, neque ęquum erat à laicis contra charitatem accuſari. cum enim dixit cũctorum ſacerdotum vitam ſanctiorem, ac diſcretam à ſæcularibus, & laicis hominibus eſſe, & ſpirituales quoſque, atque ſacerdotes ſuper carnales, atque laicos ſemper conſtituendos docebat, an non ſatis ſignificauit, de quibus epiſcopis non accuſandis, & de quibus laicis ab accuſando repellendis loqueretur? an non clarè oppoſuit ſpirituales eoſdémque ſacerdotes laicis eiſdémq; carnalibus? ſemper itaque conſtituendi ſunt ſacerdotes ſpi

1. Cor. 4.

Reprehendunt Magd. in doctrina Petri apud Cle. quod non intellexerunt de quibus diceretur, neque qua ratione, neque quorſum.

rituales ſuper laicos carnales, vt B. Petrus docebat. Sed cur ita? quia inquit, indignum eſt, vt qui ſpirituales ſumus, & fideles myſteriorum Chriſti diſpenſatores, à talibus, id eſt à carnalibus iudicemur. an hæc ratio inepta eſt, vt Magdeburgen. hominibus ab omni ratione alienis videtur? neq; verò ſolùm indignum eſt, ſpirituales ſacerdotes à carnalibus laicis iudicari, ſed nec iudicari etiam ab humano die, hoc eſt, quamuis perſecutiones, ſi ita voluntas Dei ſit, patiantur, indignum eſt tamen, vt propter eas contemnantur. Sic Paulus Apoſt. non fuit iudicatus ab humano die apud Galatas, quibus de hoc gratulatur, inquiens, nihil me læſiſtis, ſcitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridẽ, & tentationem veſtram in carne mea nõ ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut Angelũ Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum: id eſt, verbum, quod euangelizaui, nõ accepiſtis, vt in epiſtola ad Theſſalonicẽ. idem ſcripſit, ſicut verbum hominum, ſed ſicut verbum Dei. itaque infirmitatem carnis, & tentationem in carne vocauit Apoſtolus in epiſt. ad Cor. humanum diem, vt beatus Petrus in epiſt. Clemen. ſic quoque vocauit Abdias Propheta, cum prophetans Idumæis, qui calamitatibus Iſraëlitarum lætabantur, vltionem in bello, ne aſpicias, inquit, ô Idumæe diem fratris tui in die alienigenarũ. Sic enim eſt, apud 70 id eſt, ne habeas quaſi pro ſpectaculo calamitatem Iſraëlitarum, qui ſunt fratres tui ex Iacob oriundi: & ne læteris ſuper filiis Iuda in die interitus eorum. Imò quo magis ſapientiam Petri, & Pauli Magdeburgen. admirentur, ſciant imitatos eſſe eos hoc loco ſanctum virum Iob, cum ab hominibus, & humano die indignè etiam iudicabatur. Quid enim inquit, an hominis eſt me arguere? ſic enim eſt, apud 70. id eſt, quis hominum poteſt me conuincere impietatis, furti, aut cupiditatis rerum alienarum de quibus vos me accuſatis? quod ſi non poteſt, cur, inquit, non debeo merito contriſtari? deinde ſubiungit, Attendite me, & obſtupeſcite: ac ſuperponite digitum ori veſtro: quod perinde eſt, quaſi diceret, quod ſi me in tantis malis, & calamitatibus videtis, quarum tamen cauſam, nullam in me reperire poteſtis, ne de eis iudicium faciatis, quod

Quid ſit iudicari ab humano die ex collatione ſcripturarũ.
Galat 4.
1. Theſſ. 2.
1. Cor. 4.
Abd. 1.
Iob 21.
Collatio loci Iob cum loco à Magdeb. reprehenſo.

eſt b humano die iudicare: quin potius ſilentium ori vero iudicite, præſtat enim in his tacere, quàm imprudenter & indignè iudicare. Sanctus ergo Iob, quod ab illis indignè iudicaretur, ægrè quidem ferebat non propter ſe, ſed propter illos, qui indignè iudicabant. quod enim ad ſe ſuamque innocentiam ſpectabat, dicere poterat, vt Olympiodorus, quoque in commentariis Iob obſeruauit, quod Paulus Apoſtolus poſteà dixit, mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: qui autem me iudicat Dominus eſt. Sic igitur beatus Petrus eos epiſcopos ſanctos, & ſpirituales in epiſtola Clemen. accuſari prohibet, qui dicere poterant cum Samuele Iudice populi Iſraëlitici, ecce præſto ſum, loquimini coram Domino, & coram Chriſto

1. *Reg.* 12. eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum: ſi oppreſſi aliquem: ſi de manu cuiuſquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituámque vobis & dixerunt, non es calumniatus nos: nec oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicuius quippiam. dixítque ad eos, teſtis eſt Dominus aduerſus vos, & teſtis Chriſtus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam, & dixerunt, teſtis: & qui cum Iob item dicere poterant, attendite me, & ob-

Iob. 21. ſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro: ac rurſus

Philip. 4. cum Paulo ad Phil. hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me: hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum. hactenus ad accuſationem Magdeb. de ratione prima.

Molinæus quoque reprehendit (nequid diſſimulemus) hoc, quod beatus Petrus docebat, ſpirituales quoſque, atque ſacerdotes ſuper carnales atque laicos, ſemper conſtituendos eſſe 6. q. 1. in margine voluminis decretorum Gratiani, & ſi diuerſa à Magdeburgen. ratione, non enim viſum eſt illi, & quidem rectè, prohiberi hic, ne vnquam liceat, epiſcopum à laicis accuſari, vt Magdeburgenſib temerè viſum eſt, vt ſatis iam oſtenſum eſt, ſed exiſtimauit pugnare hanc doctrinam cum doctrina epiſtolæ beati Petri canonica, ſic enim ait Molin. imò contrarium docebat, vt patet in ſua prima canonica. c. 2. Subditi eſtote omni humanæ creaturæ, &

quæ ſequuntur. Sed vt hic Magdeburgenſes calumniæ conuicimus, ſic quoque Molineum conuincemus, cum enim paulò antè idem Petrus Clementi dixit, nec enim iudicem, aut cognitorem ſæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Chriſtus, iſta namque opera, quæ tibi minus congruere ſuperius expoſuimus, exhibeant ſibi inter ſe laici, ſatis apertè cognitionem & iudicium cauſarum ſæcularium hoc loco ad laicos reiecit, ſimulque docuit, poteſtatem ſpiritualem à ſæculari diſtinctam eſſe. docuit igitur oportere, poteſtatem ſpiritualem vti ſæcularibus miniſtris legum ſæcularium, ſi quidem his legibus ſæcularia iudicantur: & magiſtratus ſæculares miniſtri ſunt legum ſæcularium, ſic enim eos vocauit Plato, quod eos in primis, vt idem ait, non dominari in leges, ſed legibus ſeruire oporteret. docuit ergo hic beatus Petrus, parendum eſſe magiſtratibus ſæcularibus: non enim aliter iudicare poterant. quare non contrarium in epiſtola ſua canonica docuit, vt Molinæus calumniatus eſt, ſed idem prorſus, licet clarius, quidem & apertiùs in epiſtola canonica, quia de ea re ibi ex propoſito præcipiebat. non ergo confiċta eſt hæc epiſtola Clementis, vt Molinæus falſò hinc concluſit. aliud commentum addidit illi ſuo gloſſematio marginali ad probandum fictam eſſe hanc epiſtolam, ſic enim ait, Tum certum eſt, Iacobum Apoſtolum doctiorem fuiſſe præfato Clemente: nec oportuiſſe eum ab eo doceri. nec hic cœco calumniandi ſtudio correptus, quod obiecit, intellexit, quod eo eo magis mirum eſt, quo erat facilius ad intelligendum, ſi parum aduertiſſet. non enim Clemens eſt, qui in hac epiſtola docet, ſed beatus Petrus, vnde illud tam frequens in hac ipſa epiſtola. Et docebat, &c. vnde citari ſolet ab antiquis doctrina Petri in ordinatione Clementis. at iſte bonus interpres Molin. quia Clemens hanc doctrinam à beato Petro traditam, ad beatum Iacobum iuſſu eius miſit, exiſtimauit ex eo effici, vt Clemens Iacobum docuiſſet, tanquam eo doctior. in eadem marginali gloſſula illud quoque in principio notauit, quod eſt in hac ipſa epiſtola, infames etiam omnes, quos primates, & leges ſæculi non recipiunt,

Lib. 4. de leg.

atqui (inquit Molin.) tempore Apoſtolorum nondum erant primates, ſed dudum poſt inſtituti, & ſic hæc epiſtola ſuppoſititia. Nec hic aduertit, quos primates hic diceret beatus Petrus, dicebat enim primates gentiliū, quos paulo ſupra vocauerat Clemens primos flamines, & Anacletus in epiſt. 2. vocat primates legis ſæculi, idcirco coniunxit illos Clemens cum legibus ſæculi: ſicut enim B. Petrus præcepit, vt in ciuitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines, id eſt primi legis doctores erant, ibi epiſcoporum primates, ſiue patriarchæ, cum tempus poſtularet, eſſent, ſic præcepit, vt infames omnes, quos (inquit) primates, id eſt, primi illi legis doctores, vt prius dixerat, & leges ſæculi non recipiunt, ſemper repellerentur iſti ergo primates non ſolū tempore apoſt. fuerunt, ſed diu antè: primates verò eccleſiarum, de quibus beatus Petrus conſtituit, & præcepit, ſtatim vt opus fuit, & tēpus, & neceſſitas poſtulauit, ſicut à ſanctis Apoſt. conſtitutum, & ordinatum fuerat, eſſe cœperunt. ſatis ergo reſponſum ſit ad tres ineptias, quas Molinæus, quaſi tres haſtas validiſſimas in epiſt. Clementis tanquam fortis miles torſit.

2. Ratio.

» Veniamus ad ſecundam rationem, quam Magde. in
» eodem loco epiſt. Clem. notarunt, quod dicat idem Pe-
» trus, non ſolum diuinas, ſed humanas leges maiores à
» minoribus accuſari, & iudicari prohibere. Sed neque hoc illi intellexerunt. quod quidem quemadmodum intelligendum ſit, ex eo etiā intelligi poteſt, quod proximè anteceſſit in eodem loco epiſtolæ Clem. dixerat enim cunctos criminalibus nexibus alligatos, & qui eis coæquales non erāt, ab eorum accuſatione, & vexatione prohibebat: & non niſi à coæqualibus aliquid eis inferri debere docebat. quia diſcipulum ſuper magiſtrum eſſe, aut vllam ei iniuriam inferre nullatenus debere oportet. ergo à coæqualibus permittit eos accuſari, id eſt, ab idoneis, & probatiſſimis, qui ſuſpicionib⁹, & ſceleribus careant, vt ait Sanctus Anacletus in epiſtola 2. velut Clementis interpres. cum enim tales ſunt, qui accuſant, non ſunt in hac parte infra eos, qui accuſantur. nec eſt tunc diſcipulus ſupra magiſtrum: vt non poſſit recipi accuſatio diſcipuli aduerſus magiſtrum:

A quibus permiſerit Clemēs accuſari epiſc. interprete Anacleto.

ſicut Paulus, aduerſus presbyterum, inquit, noli recipere accuſationem, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus: deinde ſubiungit. Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis angelis eius, vt hæc ſcilicet, quæ ad recipiendum accuſationem aduerſus presbyterum, & quæ ad correptionem publicè peccantium pertinẽt, cuſtodias ſine præiudicio, id eſt, ſine inconſideratione, & temeritate, iubet enim conſiderare, quæ eorũ vita vt Anacle. in 2. & 3. epiſto. inquirere præcipit, an ſit inoffenſus accuſatorum, & teſtium affectus, & an tales ſint, qui ad accuſandum accedunt, quales apoſtolica conſtitutio lib. 2. Clementis, & Euariſtus epiſt. 2. & Theleſphorus iubent. cum igitur diuina lex prohibet, ne ſit diſcipulus ſupra magiſtrum, id eſt, ne ſit minor ſupra maiorẽ, hoc prohibet, ne ſe diſcipulus aduerſus magiſtrum extollat, vt idem Clem. in eadẽ epiſt interpretatur, cum ait, nullus ſe extollat ſupra Doctores, ac magiſtros ſuos, quia diſcipulum ſupra magiſtrum eſſe, aut vllam ei inferre iniuriã nullatenus debere oportet. accuſari ergo, & iudicari maiores à minoribus tunc lex diuina prohibet, cum, vt ait Igmarus Rhemenſis, ex propria temeritate, & abſque maioris poteſtatis auctoritate hoc fit: & vt explicatius, adhuc S. Thomas 22. q. 78. tradit, cauſa vexandi, & nõ affectione charitatis, ſed ſua prauitate ad accuſandum accedunt, quod ipſum ante S. Thomam Gratianus quoque dixit 2. q. 7. tunc enim ſuperbia ineſt in eiuſmodi accuſatione: quam meritò lex non ſolũ diuina, vt explicatũ eſt, ſed leges quoque ſæculi prohibent. Sic igitur ratio Petri concluditur, ſpirituales quoſque eoſdemq́ue ſacerdotes ſemper ſupra carnales eoſdemq́ue laicos cõſtituendos eſſe, quod eſt eſſe illos maiores, & hos minores: at ſic maiores à minoribus accuſari, & iudicari prohibere legem diuinam illam ſcilicet, quę prohibet diſcipulum eſſe ſupra magiſtrum, ergo ſummos ſacerdotes ſpirituales, qui ſunt epiſcopi, à carnalibus laicis iudicari, per legẽ diuinam non licere. hactenus de ratione illa ſecunda à Magdeburg. notata tanquam parum apta, pergamus ad alias quas ſimiliter, id eſt, ęquè ineptè, reprehendũt. Alia ratio inquiunt, homo non patitur ſuum ſeruum

Quando & ſi diſcipulus magiſtrũ accuſet, non tamen ſit diſcipulus ſuper magiſtrum.

1. Tim. 5.

Apoſtolica Cõſ. quales eſſe debeant accuſatores.

Quid ſit, prohibere, ne diſcipulus ſit ſuper magiſtrum.

Quando lex diuina prohibet maiores à minoribus iudicari iuxta doctrinam Petri in epiſt. Clem.

3. Ratio.

ab alio iudicari, & quis eſt ait Petrus in epiſt. Clem. qui alterius iudicet ſeruum? nam iſta non patiuntur homines, neque Deus Deorum, & Dominus dominantium, hæc vllatenus patitur.]

Si hæc ratio ex eo ſumpta, quod homines iuſtè facere ſolent, inepta eſt, ſit etiam apud æquos iuſtos iudices, & acres inepta illa Domini ratio in euangel. ex eo quoque ſumpta, quod à Iudæis iuſtè fieri ſolebat. Sic enim narrat Lucas, Reſpondens autem Archiſynagogus indignans, quia ſabbatis curaſſet Ieſus, dicebat turbæ, ſex dies ſunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini: & non in die ſabbati reſpondens autem ad illum Dominus, dixit, hypocritæ vnuſquiſque veſtrum ſabbato non ſoluit bouem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? hanc autē filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die ſabbati? & ſubiungit Euāgeliſta, & cùm hæc diceret, erubeſcebāt omnes aduerſarij eius. Si quod Iudæi ſabbato faciebāt in boue, & aſino ſoluendis, & ad aquam ducendis cōferre cum eo, quod pro ſoluenda filia Abrahæ à vinculis Satanæ ſabbato facere oportebat, non erat ineptum, quomodo poteſt eſſe ineptū, quod beatus Petrus hoc loco ad exemplum ſcripturæ ſanctæ facit, ſcilicet conferre, quod homines iuſtè in ſeruis ſuis facere ſolēt, cum eo quod Dominus in epiſcopis miniſtris ſuis, qui ſunt ſine querela apud homines, fieri vult? nempe vt non iudicentur, aut moueantur, niſi à ſolo Domino ſuo, vt in Apocal. beati Ioannis minatus eſt epiſcopo Epheſi, qui omnia bona corā hominibus prouidebat, vnde ab hominibus neque iudicari, neq; accuſari poterat. non tamen prouidebat coram Deo, qui videt in abſcondito, quod primum curare debebat: & quæ erat prima erga Deum charitas. age ergo inquit, pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitētiam egeris. erubeſcant igitur Magdeb. ſicut illi hypocritæ apud Lucam, ſiquidem rationem reprehēderunt, cuius ſimilem à Chriſto ſapientia Dei patris in euangelio poſitam legunt. Illud autem eſt maximè obſeruandum,

Luc. 13.

Magd. rationē reprehendunt cuius ſimilem in euangelio legunt.

Apoc. 2.

ex iis ipſis, quæ ex prophetis, idem beatus Petrus hoc loco de epiſcopis non iudicandis, aut remouendis niſi à Domino ſuo, citat, intelligi poſſe, ſi quis aduertat, de quibus nam epiſcopis & de quorum iudicio, & accuſatione loquatur. loquitur enim de iis epiſcopis, qui, vt ante dixi, cum Samuele dicere poterant, teſtis eſt Dominus aduerſum vos, & teſtis Chriſtus eius, quod non inueneritis in manu mea quippiã: hi namq; ſunt, quos ſolus Deus iudicare, & remouere iuſtè poteſt: cui ſoli patet cor hominis, & qui ſolus nouit conſciẽtiam cuiuſcunque, ſiue bonam, ſiue malam. De iis item accuſatoribus loquitur, qui ad accuſandum non ex charitate, ſed ad perturbandum, & vexandum accedunt. Ergo poſtquam dixit beatus Petrus, eos autem à ſolo Domino, aut iudicandos, aut remouendos, & non ab aliis, admonens Clemens, quomodo hoc idem beatus Petrus probaret, ſubiungit: Vnde & prophetas ſibi teſtes eſſe dicebat, per quos Dominus loquitur dicẽs, audite me, qui ſcitis iudicium, populus, cuius lex mea in corde eorũ. Sermo eſt propheticus de iis, qui in nouo teſtamento futuri erant iudices eccleſiæ, qui ſunt epiſcopi. & ſubiungit, nolite timere opprobrium hominũ: & blaſphemias eorum ne metuatis: ſiue vt eſt apud 70. contemptu eorum ne vincamini. hoc eſt, ne deſiſtatis ab officio propter eorum contemptum, & iudicium: quod Paulus dixit, mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer. vt autem declararet Propheta, de noui teſtamẽti iudicibus ſe prophetare, & nõ loqui de lege, quæ vſq; ad tempus correctionis, ſicut Apoſtolus ait, data erat, ſubiungit, ſicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam ſic deuorabit eos tinea: ſalus autem mea in ſempiternum erit: & iuſtitia mea in generationes generationum. Et paulò poſt idem Clem. de Petri doctrina adhuc loquens, eos autem, qui eos vetant, aut mouere, vel damnare nituntur, (aiebat) Dominus per Prophetã damnat, & vſque ad ſatisfactionẽ eorum & eccleſiæ damnatos eſſe docebat, vbi ait, talia elegerũt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt. Vnde & ego eligam illuſiones eorum: & damnationem adducam eis, quia locutus ſum

Quod ex iis ipſis locis prophetarũ quos Pet. in doctrina ſua apud Clem. citat intelligatur, de quibus epiſcopis non accuſandis, & de quibus accuſatoribus repellẽdis loquatur.

Eſ. 51.

Eſa. 66.

Eſa.75. eis, feceruntque malum in oculis meis: & quæ nolui, elegerunt deinde ſubiungit. audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius: dicite fratres noſtri odiẽtibus vos, & execrantibus, vt nomen Domini glorificetur. quod verò de epiſcopis propheatauerit hoc loco Eſaias, teſtatur, etiam beatus Cyrillus, cum interpretãs eum, pertinet, inquit, hoc præceptum ad omnes præpoſitos eccleſiarum, & miniſtros verbi. Dicite fratres noſtri odientibus vos, vult enim, inquit, vt ſumma patientia & benignitate ad cognationem ſpiritualem, & amicitiam eos qui communionem eorũ recuſant, alliciant, & prouocent. aut iubet, inquit, prædicare gentibus, & vocare eos ad cognitionem Dei. Sed etſi oderint, inquit, & abominentur nihilominus tamen alloquimini eos, & loco fratrum habete, vt nomen Domini glorificetur: & appareat lætitia eorum, ipſi autẽ confundentur lætantibus. n. gentibus gratia Chriſti & ſalute, erubeſcunt Iudæi, & dolent ſe abiectos, & odio habitos eſſe. hactenus Cyrill. ſubiungit deinde beatus Petrus in epiſt. Clemen. ex eodem loco Eſaiæ, nõ enim laborabunt fruſtra, neque generabunt in conturbatione præſules mei, quia ſemen benedictorum Domini eſt: hoc loco beatus Cyrill. miniſtros euang. ſignificatos eſſe dicit, qui ſunt in primis epiſcopi. qui cum rectè tractant verbum veritatis, & ſunt fideles diſpenſatores myſteriorũ. non laborant fruſtra, ſicut ait Eſaias, ſed potius congregant fructum in vitam æternam: neque generant in conturbatione, ſicut ſcribæ & Phariſæi docentes traditiones, & mandata hominum, & ſicut illi qui Galatas cõturbabant, prædicãtes illis falſa, & ſicut hodie hæretici faciunt, qui generant in conturbatione, quia ſemen maledictum ſunt. Cum igitur nõ laborare fruſtra, & non generare in cõturbatione, quia ſemen benedictum ſunt, ad eos præſules, ſiue epiſcopos beatus Petrus retulerit, quos dixit, non eſſe iudicãdos, neque remouendos, niſi à ſolo Domino, conſequẽs eſt, loqui eum de iis epiſcopis, quos propter ſanctitatem, & innocentiam non poſſint iſti accuſare, & de iis accuſatoribus, qui eos inique, & vexandi cauſa accuſant. Vnde quo magis adhuc hoc quod dico, ex-

plicetur, ſubiungitur in doctrina beati Petri, ad glorificandum ſe, & diuina mandata ſeminanda, & euanzeliganda eos Dominus elegit, & non vt prohibeantur, aut perturbentur, ſuggerebat: quia qui eos lædit, eum lædit, cuius legatione funguntur. non potuit iam explicatius doceri, de quibus epiſcopis non accuſandis beatus Petrus loqueretur, ſiquidem de iis enim epiſcopis intelligi voluit, quos modo dixi, id eſt, qui iniquè accuſantur: hi enim lædi dicuntur, nō autē qui meritò accuſantur. Deniq; ex epiſt. Euariſti 2. perſpici poteſt, qui epiſcopi, vel Sacerdotes ſint, quos Apoſtolici Pontifices prohibent accuſare: quod mirum eſt, non obſeruaſſe Magdeburg. cum tam ſint perſpicua, nam ſunt, inquit, nonnulli, qui præpoſitos ſuos peruerſe reprehendunt, ſi vel parum ipſis moleſti extiterint. idcirco recto oculo Primates eccleſiarum vtiliter peruideant, ne quiſquam eorum innocens vexetur, aut ſcandalizetur, & quæ ſequuntur. de innocentibus. ergo loquuntur Pontifices, & de maleuolè accuſatis.

Ex epiſt. Euar. clariſſimè perſpici poteſt, quos epiſc. aut ſacerdotes apoſtolici Ponti. accuſari prohibeant. Sic eniu eſt in Florentino exēplo vetuſto.

Alia ratio à Magdeburgen. notata & reprehenſa, Dominus non per alium, ſed per ſe eiecit ementes, & vendentes ex templo.] *4. Ratio.*

Sed repetamus à capite, quod Anacletus hoc loco de accuſatione epiſcoporū ſcripſit: accuſatio quoque, inquit, eorum ſuper qua nos conſulere voluiſtis, non niſi ab idoneis, & probatiſſimis viris, qui & ſuſpicionibus, & ſceleribus careāt, fieri debet, quia Dominus ſui corporis tractatores à vilibus & reprobis, ac non idoneis perſonis infamari noluit, neque calumniari permiſit, ſed ipſe proprio flagello peccantes ſacerdotes ex templo eiecit. Deinde ſubiungit, Vnde liquet, quod ſummi Sacerdotes, id eſt, epiſcopi à Deo ſunt iudicādi, non ab humanis, aut prauæ vitæ hominibus lacerandi: ſed potius ab omnibus fidelibus portandi ipſo Domino exemplum dante, quando per ſe ipſum, & non per alium ementes & vendentes eiecit de templo. Si volebat docere Dominus, quales eſſe deberent. qui cum neceſſitas, & ratio poſtularet, ſummos ſacerdotes Domini accuſarent, ne quis iniqua accuſatione, tanquam flagello linguæ, ſic enim ſcriptura ſancta vocat, in-

dignè eos afficeret, quo alio diuiniore modo, aút maiore auctoritate, ac poteſtate hoc facere potuiſſet, quã ſi ſacerdotes in crimine deprehenſos ipſe per ſe, cum feciſſet, quaſi flagellũ de funiculis, ex templo eiiceret? ô, oſcitantem Magdeburgenſium animaduerſionẽ: qui rationem hoc Chriſti exemplo diuinè traditam, & diuinè perceptam, & accommodatam ad probandum non eſſe temerè à quibus vis arguẽdos & accuſandos epiſcopos, ineptam eſſe dicunt, & vt ridiculam notare audent, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant: millies enim hoc aduerſus iſtorũ dormitantem lectionem, & intelligentiam vſurpandum, mihi eſt. Si Dominus per ſe ipſum eiecit illos ex templo, quales eſſe eos oportet, qui accuſando ſummos Sacerdotes eiicere eos volunt ex eccleſia? Si Dominus vt ſacerdotium honoraret, indignos ſacerdotio per ſe ipſum ex templo eiecit, patietur, vt viles, & improbi homines epiſcopos temerè accuſando & ex eccleſia eiiciendo ſummum ſacerdotiũ vituperent? Cum Paulus Apoſt. Timotheo præcepit, vt accuſationẽ aduerſus presbyterum non, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus reciperet, ſubiunxit obteſtans eum, & inquiẽs: Teſtor coram Deo & Chriſto eius, & electis Angelis eius, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in alterutram partem declinando, vt hæc, inquit, cuſtodias, quæ ſcilicet ad accuſatores, & teſtes pertinent: cuſtodias, inquam, ſine præiudicio, id eſt, ſine temeritate, & inconſideratione, hoc enim ſignificat, vt antea dixi, quod interpres vertit præiudicium: temeritas autem & inconſideratio in recipiendo accuſationem aduerſus presbyterum declinatur, ſi. vt apoſtolica conſtitutio à Clemen. Roman. in ſecundo libro ſcripta cap. 49. iubet, primum de accuſatore diligenter inquiratur, quæ eius vita ante acta, & qui mores, quæ conſcientia, quæ cauſa ad accuſandum adduxerit: fruſtra autem hæc, & alia, quæ prætereo, inquirenda eſſent, ſi epiſcopos accuſare, cuique liceret. Poſtremò ſi Dominus, cum non permiſit ſcribis & Phariſæis, vt mulierem in adulterio deprehenſam condemnarent, ſed potius ipſe eam ſine condẽmnatione dimiſit, poteſtatem iudicandi honora-

Ioan. 2.

Magd. rationẽ ex euangelio ſumptam, & diuinè accommodatam reprehendunt.

1. Tim. 5.

Conſtitutio apoſtolica de accuſatoribus, quales eſſe debeãt.

Ioan. 8.

nit.& accuſatores, quales eſſe oporteat, docuit: quomodo ineptum dici poteſt, quod ſacerdotes in culpa & vitio illius in templo negotiationis deprehēſos, zelo diuinitatis ſacerdotalis, & domus Dei incenſus, ac cōmotus per ſe ipſum voluit ex templo eiicere, vt dignitatis ſacerdotij rationem haberet? ſimulque exemplo ſuo doceret, quales eſſe deberent, & qua cauſa, & conſilio moueri, qui ad ſummos ſacerdotes accuſandos admittēdi eſſent? ſed proſequamur reliquas rationes, quæ ſequuntur.

Quare non permiſerit dominus ſcribis, & Phariſæis iudicare mulierem in adulterio deprehenſam.

Quare ſacerdotes ementes, & vendentes ex templo per ſe ipſum eiecerit dominus.

Defenſio reliquarum rationum in epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum de non accuſandis epiſcopis, quas iidem Magdeburgenſes tanquam ineptas & falſas more ſuo accuſant, quas non rurſus aptiſsimas, ac veriſsimas, & ex ratione & ſcripturis ſanctis petitas eſſe docebimus. Item quare tanta cautione à Pontificibus illius ſæculi prouiſum ſit, ne temerè à quibuſuis epiſcopi accuſarentur, & quæ cauſa ſit, cur tantoperè Magdeburgenſes huic decreto de non accuſandis epiſcopis repugnent, & quomodo quæ de hac re in epiſtola Teleſphori, notarunt eos de malitia redarguant. Item, quæ Igmarus Remenſis Archiepiſcopus de non accuſandis epiſcopis diligenter obſeruauit, & eruditè ſcripſit.

Caput 13.

ALia ratio, inquiunt eſt, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.] *5. Ratio.*

Si epiſcopos inique accuſari ex ſuperbia proficiſcitur, vnde in eadem epiſtola Clementis, Nullus, inquit, ſe extollat in doctores & magiſtros ſuos, & Euariſt. in epiſtola ſecunda, Nam ſunt, inquit, nonnulli, qui præpoſitos ſuos peruerſe reprehendunt, ſi vel parum ipſis moleſti extiterint, ſi, inquam, accuſatio horum ex ſuperbia ſubditorum, qui nolunt eſſe ſubiecti, proficiſcitur, quid auctoritatis diuinæ accommodatius dici potuit ad prohibendum, ne epiſcopus à ſubditis iniquè accuſetur, quā quod dixit beatus Petrus ex prouerbiis *1. Pet. 5.* Salomonis ſumptum aduerſus eos, qui nolunt eſſe, *Prou. 3.*

quibus debent obedientes? Inſinuate, inquit, omnibus inuicem humilitatem, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: deinde ſubiũgit, humiliamini ſub potenti manu Dei. & beatus Iacobus, Deus

Iac.4. ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: deinde ſubiungit, ſubditi ergo eſtote Deo: Deo autem non eſt ſubditus, qui eum, qui legatione eius fungitur, perſequitur. ira ergo Dei aduerſus ſuperbos grauiſſima ratio eſt, ne accuſatio epiſcoporum ex ſuperbia ſubditorum proficiſcens ſuſcipienda vnquam ſit

6. Ratio. Sequitur in centuriis alia ratio reprehenſa, quaſi inepta, Nolite omni ſpiritui credere, fateor, fuiſſet quidẽ hæc auctoritas ineptè producta in epiſtola Anacleti, ſi vt Magdeburgenſes ſomniculoſi lectores putauerunt, ad prohibendum accuſationem epiſcoporũ producta eſſet: at nõ ad hoc producta eſt, vt vel ipſi Magdeburgenſes dicturi ſunt, ſi attentius relegant & non oſcitãter, vt legerunt prius. Sic enim ait Anacletus, Ille proculdubio ſcandalizatur in Deum, qui rectè non docet: & qui eius ſcãdalizat epiſcopum, vel Sacerdotẽ impiè nanque agentes ſunt impii, nec intelligent omnes impii: porrò docti intelligent. omnes enim inuicem humilitatem inſinuate: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. nolite, inquit, Ioannes Apoſt. omni ſpiritui credere, ſed probate, ſi ſpiritus ex Deo ſunt, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mũdum, &c. vtrumque ergo dixerat Anacletus ſcandalizari in Deum, & eum, qui non rectè doceret, & eum qui epiſcopum, vel Sacerdotem, ſcilicet rectè docentẽ ſcandalizaret: atque ad eum quidem, qui ſcandalizat epiſcopum, id eſt, qui, vt ait Alex. epiſt. 2. legationẽ eius impedit, & non vnius, ſed multorum profectũ euertit, quod eſt ſuperbi & epiſcopo ſuo obedire nolentis, retulit Anacl. illud, Deus ſuperbis reſiſtit: ad epiſcopum

1. Ioan. 4. verò, qui non rectè docet, retulit, quod ait Ioannes, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſi ſpiritus ex deo ſunt quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mũdum. quod magis adhuc ex eo perſpici poteſt, quod

1. Ioan. 2. ſtatim adiungit Anacl. & idem ipſe Ioannes alibi ait, vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat, quod

quidem

quidem non pertinebat vllo modo ad nō ſcandalizā-dum, ſiue ad non accuſandum epiſcopum, ſed potius ad cauendum, ſi malè epiſcopus doceret. cauetur enim cum probamus, ſi ſpiritus ex Deo ſunt, id eſt, vtrum ea, quæ dicuntur, aut docentur: vera ſint. quæ enim vera ſunt, & ſalutaria, in ſpiritu ſancto dicuntur, in ſpiritu autem mundi, ea, quæ cum veritate, & ſalute pugnāt. Vnde Paulus, nos autem, inquit, non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus hæc ex Cyrilli in Eſaiam com. cap. 26. cum explanat illud, peperimus ſpiritum ſalutis: & ſubiungit, ſic accipiendum eſſe, quod ait Ioannes, probare ſi ſpiritus ex Deo ſunt: ideſt, vtrum ea, quæ prædicantur, vel ſcribuntur, ex ſpiritu Dei, an ſpiritu mundi ſint: qualia ſunt, ſcilicet, quæ Lutherani tenent, & Magdeburgenſes ſcribunt, & docent. Vna verò eſt & quidem optima forma, ac certiſſima regula probandi hoc, ſi quod audierunt à principio, in iſtis permaneat. ſicut beatus Ioannes monuit, cum ait, vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat: ſi in vobis permanſerit, quod audiſtis ab initio, & vos in filio & patre manebitis, & hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt. deinde ſubiungit, hæc ſcripſi vobis de iis, qui ſeducunt vos, &c. ergo qui tradunt aliam doctrinam præter eā, quam nos ab initio accepimus, imò & quam ab initio ipſi acceperunt, hi ſunt ſeductores beati Ioannis Apoſtoli teſtimonio, & alieni à promiſſionibus Dei, qui nec in filio, nec in patre manebunt. eodem pertinet locus beati Pauli, cum ait in epiſt. ad Phil. de eadem regula probandi ſpiritum ſcripturæ vel ſermonis, nō. n. permittit aliter ſentire, quam vt ab initio traditum eſt, vt beatus Ioannes contra ſeductores, & qui ſectas nouas introducunt, dixit. veruntamen ad quod prius, inquit, venimus, hoc enim ſignificat τὸ ἐφθάσαμεν, vt idē ſentiamus, in eadē regula permaneamus. Patres ergo veſtri iudices veſtri erunt, & vos condemnabunt: quia ipſi in eo, quod ab initio acceperunt, permanſerunt: & ipſi in filio & patre manebunt, quia vnctionem à ſpi-

Quid illud Ioan. ſit, probate ſi ſpiritus ex Deo ſunt.

1. Cor. 2.

Cyrillus in locū Ioannis probate, ſi ſpiritus ex Deo ſunt.

Optima regula probandi, an ſpiritus ex Deo ſint.

Qui ſunt seductores teſtimonio Ioannis.

Philip. 3.

Regula apud Paulum probādi ſenſum ſcripturæ an ſit ex ſpiritu Dei, an mundi.

Philip. 3.

Patres Lutheranorum Lutheranos filios condemnabunt.

1. Ioan. c. 2.

ritu ſancto habuerunt, & nouerunt omnia: & in omnibus illis, vſque ad finem ſemper perſeuerarunt. Vos verò Magdeburgen. & cæteri Lutherani, ac Caluiniani dogmatum, & verborum nouitates profanas tam cœco ſtudio amplexi eſtis relicta regula, ad quã prius patres & maiores veſtri venerunt, vt quicquid noſtrũ in antiquis & ſanctis patribus & ſanctis eccleſiæ doctoribus legatis, næuos & corruptelas illius ſæculi eſſe impiè, & imprudenter dicatis. Vnde autem hoc malum natum ſit Lutherani, licet Centuriones veſtri diſſimulent, in his ipſis tamen epiſtolis Clemen. quas tanta rabie, & furore cœco notarunt, legerunt. Quare repetam hic ad eorum confuſionem in pœnitentiam, ſi quos veſtrum poſſim ſaluare de igne rapiens, ſicut Iudas Apoſtolus ait. Clem. ergo epiſt. 5 relatum eſt, inquit, nobis quod quidam in veſtris partibus commorantes aduerſantur ſanis doctrinis, & prout eis videtur, non ſecundum traditionem patrum, ſed iuxta ſenſum ſuum docere videntur. & ideo diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei cum legitur, non ſecundũ proprij ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur. ſunt enim multa verba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſpontè præſumpſit: Sed fieri non oportet. non enim ſenſum extrinſecus ab alteris alienum, & extraneum debetis quærere, aut quomodo ipſum ſcripturarum auctoritate confirmetis: Sed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis, & ideo oportet ab eo diſcere intelligentiam ſcripturarum, qui eam à maioribus, ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruauit: vt ipſe poſſit ea, quæ rectè ſuſcepit, competenter aſſerere. quæſo vos Magdeburgenſes, cur à vobis hic locus prętermiſſus eſt, vel potius diſſimulatus? cur eum veſtra cenſoria virgula non notaſtis? qui vno ictu totam fabricam doctrinæ veſtræ nouæ labefacit. hic quoque Clem. Romanus beatum Ioannem & Paulum ſecutus, cum ſanam ſcripturarũ intelligentiam ex traditione maiorum petendam eſſe cenſet, quod ab initio auditum eſt, hoc in nobis permanere vult, id eſt, vt eum ſcripturæ ſanctæ ſenſum teneamus, quem à principio accepimus: in eademque

Iud. 1.

Locus in epiſt. Clem. à Magd. diſſimulatus, vnde totũ malum Lutheranorum natum eſt.

Sic eſt in duobus vetuſtis exẽplaribus Vaticano, & Florẽtino.

Vnde ſana ſcripturarũ intelligentia petenda ſit, diuinè notatum eſt à Clemente.

regula permaneamus. rogate quæſo Lutherani centuriatores veſtros, aut alios veſtræ ſectæ magiſtros & patronos in iis controuerſiis, quas nobiſcum de dogmatibus eccleſiaſticis habent, quos teſtes habeāt ſuæ interpretationis ſcripturarum? reſpondebunt fortaſſe, qua nullos poſſunt producere, non opus eſſe teſtibus in re certa. rectè quidem, ſi nullus contraueniret: ſi nō pro certo ſumerent, quod controuerſum eſt. at cum controuerſia ſit, vtri noſtrum non per ſpiritum, qui ex Deo eſt, ſed per ſpiritum mundi, qui mendacium ex propriis loquitur, verbum Dei interpretentur quis ſanæ mentis dicat, non opus eſſe teſtibus? niſi qui ſentiant licere eſſe in cauſa eundem iudicem, & teſtem, quo nihil poteſt eſſe iniquius, neque rationi repugnātius: quod vt ſæpius dicam in cauſa Chriſti iudæi fecerunt: vt in 5. lib. Cle. de apoſt. conſt ſcriptum eſt. Quod ſi rurſus dicant ſe habere teſtes ſcripturás ſanctas, cum ſint quædam in epiſtolis Pauli difficilia intellectu quæ indocti & inſtabiles deprauant ad ſuam perditionem, ſicut & cæteras ſcripturas, vt beatus Petrus ait, Vtri ſunt, nos an vos, quos Petrus dicit indoctos & inſtabiles eſſe, & deprauare ſcripturas? cum nos vobis, & rurſus, vos nobis hoc exprobretis, & obiiciatis, quod ſupereſt, vt tota lis æquo iudicio dirimatur, niſi vt dicant teſtes? Lutherus vult ſcripturam per ſe ipſam, & ſuo, id eſt, ſcripturæ ſpiritu intelligi: & nos hoc volumus. at Paulus Apoſt. ſic voluit verbum Dei doceri, & prædicari, vt qui doceret, dicere poſſet, quod ipſe ad Corinth. ſcripſit. ſicut & in omnibus eccleſiis ſanctorum doceo. nos igitur per ſpiritum Dei, qui hoc in Paulo dixit, probamus non nos ſpiritu mundi ſcripturas interpretari, & intelligere, quia interpretamur & intelligimus, ſicut in omnibus eccleſiis ſanctorum hactenus ſancti patres intellexerunt, & interpretati ſunt: & ſicut per multos teſtes audiuimus, vt idem Apoſtol. ad Timothe. ſcripſit, quæ audiſti, inquit, à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Rogate ergo Lutherani magiſtros veſtros, an dicere vobis poſſint, tenete hæc, quæ audiſtis à nobis per multos teſtes.

Qui in controuerſia non curant teſtes, licere putant, eſſe in cauſa eoſdē iudices & teſtes.

Nō docēt magiſtri Lutherani verbū Dei quomodo Paulus doceri voluit.

1. Cor. 14.

2. Tim. 2.

vos enim quæ ab eis audiſtis,per nullos alios teſtes audiſtis, quam per diſcipulos Lutheri, nec in aliis locis prædicari, quam vbi Lutherani eſſe permittuntur. rogate inquam, an dicere poſſint, hæc tradimus vobis, ſicut in omnibus eccleſiis catholicorum, quæ vbique ſunt,docemus? apud nos.n.quia idem ſapimus,& non ſunt in nobis hæreſes,neque ſchiſmata, ſinguli doctorũ catholicorum docent, quod omnes vbique: & omnes,quod ſinguli.ita fit,vt qui in vna eccleſia docet,ſicut in omnibus doceat.Sic ſcimus nos,ſicut Apoſtolus ait de doctrina à Deo reuelata loquens,à Deo donata eſſe,quę & loquimur,& prædicamus:id eſt,eſſe doctrinam ſpiritus Dei,& non ſpiritus mundi, ſcilicet ex cõparatione huius doctrinæ cum ea,quæ in omnibus eccleſiis catholicorum, quæ vbiq; ſunt, prædicatur,quæ eadem fuit ſemper. Sic ſpiritualia cum ſpiritualibus, ſicut Apoſt.ait,comparamus. at vos qui relicto ſpiritu Dei ſpiritum mundi accepiſtis, extra Germaniã,nec in ea vbique, non habetis cum qua alicuius eccleſiæ catholicæ doctrina doctrinam ſpiritus veſtri Prophetæ Martini comparetis,niſi cum Caluiniana, aut aliorum hæreticorum: quod eſt carnalia & diabolica cum carnalibus,& diabolicis comparare. inuitauit me, vt huc excurrerem,opportunitas loci Clemen. ex epiſt.eius 5. de apoſtolica traditione maiorum,vnde ducenda eſſet recta ſcripturarum intelligentia. quem locum, vt hoc obiter admoneam,diuinè imitatus, & ſecutus eſt Irenæus,libro tertio, capit. quarto, quem ſupra commodiore loco recitaui.reuertamur nũc, vnde digreſſi eſſe videmur: & reliquas rationes defendamus.

Apud catholicos qui in vna eccleſia catholica docet, ſicut in omnibus eccleſiis docet ad exẽplum Pauli.

Quomodo nos ſciamus, quæ prædicamus, à Deo eſſe donata 1.Cor.2.

Quid ſit ſpiritualibus ſpiritualia comparare.

7.Ratio.

Alia ratio,inquiũt,vnuſquiſq; pro ſe rationẽ reddet.] Hanc quoque notarunt, tanquam rationem ineptã ad prohibendum,ne temerè epiſcopus accuſaretur. cũ tamen tam grauis ſit, vt ad cohibendam petulantiam alterum accuſandi præſertim iniquè, nihil volentius eſſe poſſit,quàm meminiſſe iudicij, quod cuique ſubeundum ſit.cuius quidem qui immemor eſt, facilè alterum,& iudicat & accuſat. Vnde poſtquam dixit Anacl. itaque vnuſquiſq; noſtrum pro ſe rationem reddet Deo,ſtatim ſubiunxit, non ergo amplius inuicem

iudicemus:ſed hoc iudicate magis,ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.

Alia ratio,quia gratiæ plenitudo adiectione non indiget: nec vlla requirit commendationis augmenta, quaſi dicat non poſſunt errare.]

Hæc eſt centuriatorum interpretatio digna eis, id eſt,mendoſa,& quam ipſæ illæ epiſtolæ, quas notarũt, vt poſtea oſtendam,de falſitate redarguunt.Sed recitemus prius locum quem malè quoque in epiſt.Anacle. notarunt,quia non intellexerunt.Si autem,inquit,omnia in hoc ſæculo vindicata eſſent, locum diuina iudicia non haberẽt. Superuacuis enim ad beneficia laborat impendiis,qui ſolem certet faſcibus adiuuare. ideo ſi aliquis putat, ſe Deo in hoc placere, quod ſeruos ſuos accuſat,& vt meliores fiant, dicit ſe hoc agere, in vacuum laborat:& plus inuidiæ ſtimulis agitatur,quã charitatis,quoniam plenitudo gratiæ, adiectione non indiget:nec vlla requirit commendationis augmenta. hæc Anacle.quæ non tam miror non intellexiſſe iſtos, quam non intelligendo ita peruerſè interpretatos eſſe. Loquitur ergo Anacletus de iis Sacerdotibus,quorum facta bona ſunt manifeſta, ſicut Apoſtolus ait: Si quæ verò ſunt occulta peccata, & quæ ſciri non poſſunt, eorum iudicium reſeruãdum eſt Deo, à quo ſolo vindicari poſſunt,quæ idem Apoſt.dicit non quidem præcedentia ad iudicium, quæ hic & iudicari & vindicari poſſunt,ſed ſequentia prohibet itaque Anacle.ne quis alterum propter ſuſpicionem tantum accuſet: neque dictum de aliquo inueniat, quod non in actibus eius agnoſcat:vt idẽ paulò poſt ait. & Euar.epiſt.2.ne mala quorundã prius quiſquã præſumat credere,quàm probare.Item Victor Pont.de eiuſmodi iudiciis loquens, incerta,inquit.chariſſimi nullatenus iudicemus, quoadusque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem:& illuminabit abſcondita tenebrarum,& manifeſtabit conſilia cordium. quia quamuis vera ſint, non tamen credenda ſunt, niſi quæ manifeſtis indiciis cõprobantur: niſi quæ manifeſto iudicio conuincuntur. niſi quæ iudicario ordine publicantur. Si quis igitur eiuſmodi ſacerdotem dicat ſe arguere, & accuſare,

8. Ratio.

Locus in epiſt. Anacl.à Magd. reprehenſus. & ab eis non intellectus.

1. Tim. 5.

vt meliorem faciat, cuius lux ita lucet coram hominibus, vt opera eius multa bona videant omnes, & ſi quæ eius opera aliter ſe haberent, ſicut idem Apoſt. ait abſcondi non poſſent, perinde facere videatur, vt ſi velit ſolis lucem augere dicit deinde Anacle. eum, qui hoc facit, non duci officio charitatis, vt fingit, ſed potius inuidiæ ſtimulis incitari. quoniam ſi nihil iſte in gratia vlla eiuſmodi ſeruo Deo deeſſe videt, quid gratiæ accuſando addere ei vult? plenitudo enim, inquit, gratiæ non indiget adiectione. Videamus nunc de interpretatione Magdeburgen. quam ſit inepta, deinde quam ſit epiſtolis iſtis repugnãs: quaſi dicat, inquiunt, nõ poſſunt errare. ergo cum Paulus, quem his verbis imitatus eſt Anacl. Corinthiis gratulatur, quod in omnibus diuites facti eſſent in Chriſto, ita vt nihil, inquit, deſit vobis in vlla gratia, perinde eſt, vt ſi dicat eos peccare nõ poſſe: quia vbi nihil gratiæ deeſt, ibi plenitudo gratiæ eſt, & ſi plenitudo gratiæ eſt, non eſt opus adiectione, ac proinde peccari non poteſt. hæc ſunt fatua argumenta Magdeburgẽſium. Videamus iam de diſcrepãtia epiſtolarum cum iſtorum non ſolùm falſa, ſed maleuola, & inuidioſa, & ſtulta interpretatione. etenim ſi quod Anacle. hoc loco ait, & iam nos interpretati ſumus, ſic interpretandum putant, quaſi dictum ſit, peccare non poſſunt, quemadmodum idẽ Anacle. dicit in 2. epiſt. accuſatio quoque eorũ, ſuper qua nos cõſulere voluiſti, nõ niſi ab idoneis & probatiſſimis viris, qui & ſuſpicionibus, & ſceleribus careant, fieri debet: poſſunt igitur peccare. ſi quidem poſſunt accuſari, & Clemen. epiſt. 1. non niſi à coæqualibus aliquid eis inferri debere docebat, quod iam quoque ſumus interpretati. rurſus idem Anacle. epiſt. 3. docet, quales teſtes eſſe debeãt in accuſatione epiſco. & quales eorum accuſatores: idem facit Euar. epiſt. 2. idem rurſus Sixtus epiſt. 1. idẽ Theleſphorus. quare vt euenire iſtis frequenter ſolet, vt Apoſtolus de ſimilibus ſcripſit, non intelligere, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, ex eorum interpretatione coniecturam facio, putaſſe eos, ita accuſationem epiſcoporum in his epiſt. prohiberi, quaſi nunquam accuſare eos liceat: quod quidem fieri

Redarguitur interpretatio Magd. vt inepta, & diſcrepãs cum ſcriptura Pauli, quam Anacle. imitatus eſt.
1. Cor. 1.

Coarguitur & conuincitur calumnia Magd.

non poterat, ſi peccare poſſunt, & inuicem habent in eccleſia quicunque ſunt infra Pontificem Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem,& primum, ac ſummũ Chriſti Vicariũ. accuſari ergo poſſunt, quis neget?Sed hoc apoſtolici Pontifices prohibuerunt, vt neque temerè, nec à quibus vis, nec à prauis hominibus accuſarentur: cum illo ſæculo, vt Igmarus Rhemenſis Archiepiſcopus ſcripſit, acerrima perſecutio non niſi perfectiſſimis ad epiſcopatũ venire permitteret,quippe qui iam pro Chriſto omnia extrema pati non timerẽt. quod ſi præter difficultates, ac pericula, quæ ſunt in ipſo epiſcopatu, quæ Paulus Apoſt.vno verbo eleganter ſignificauit,cum ἔργον,id iſt,opus vocauit,ſignificare,n.hoc verbum non ſolùm apud gentiles ſcriptores, ſed in ſacris quoque litteris τὸ δύσκολον καὶ δυσκατόρθωτον πρᾶγμα id eſt rem difficilem & arduam notauit. S. Iſidorus Peluſiota in epiſt. ad Palladium contra ἐργοπιῶντας vnde illud, virum fidelem inuenire ἔργον id eſt, labor & opus. ſi inquã præter difficultates & labores epiſcopatus,(ex ipſo enim, vt ait idem Iſidorus,pẽdent omnium ſubditorum neceſſitas, probationes eorum,qui ordinantur, potus ſitientium, cibus eſurientiũ,Vincti,viduæ,iniuriã paſſi)& præter pericula perſecutionum, quæ illo ſæculo erant crebræ, & violentæ, acceſſiſſet inſuper licentia,& petulantia improborũ ad accuſandum epiſcopos probos, niſi hoc illi apoſtolici Pontifices tam ſeuerè ac rigidè cauiſſent,quis fieri epiſcopus voluiſſet? quis epiſcopatum paſſus eſſet? ſed Magdeburgenſes, vt inhumani & crudeles nihil horũ conſiderare voluerunt cauſam verò dicam poſtea, cũ reliquas rationes, quas tanquam ineptas improbarũt, probatiſſimas eſſe demonſtrauero. Denique locutum eſſe hoc loco Anacletum de iis epiſcopis non accuſandis, in quibus nullum crimen palàm cernitur, de quo accuſari poſſint, ex iis, quæ ſtatim ſequuntur, perſpici poteſt, ſubiungit enim erigit ergo doctores conſcientia ſua: & ſi quando incertis temporum flatibus opponuntur, ſuſtinent mala, quæ ſanctis magis ſunt aſcribenda. quàm malè meritis, ſic enim eſt totus hic locus in exemplari vetuſtiſſimo Vaticanæ

Putauerunt Magd.ſed falſò omnium accuſationem epiſcoporũ prohiberi. Quomodo,& quatenus apoſtolici Pont. accuſare epiſcopos prohibuerunt, quod & Mag. non eſt animaduerſum.

Quale & quãtum opus ſit epiſcopatum gerere ex S. Iſidoro Peluſiota.

bibliothecæ, id eſt, quorum malorum, & perſecutionum, quas patiuntur, magis in cauſa eſt eorum ſanctitas, quam crimen vllum, qui teſtimonio conſcientiæ ſuæ ſuſtentantur, quod magis adhuc declarat ſubiungens, datam. n. ſcimus Satanæ poteſtatem, vt ſeruos Chriſti cribraret.

9. Ratio.

Alia ratio, qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.

Quod minatus eſt propheta Zacharias iis, qui populum Dei, & prophetas ac ſacerdotes captiuos duxerāt, *Zach. 2.* tranſtulit Pont. Alexander ſecundum ſpiritum ad eos, qui epiſcopos perſequuntur, qui ſunt oculi Domini, ſicut idem ait: & ſicut intelligi poteſt ex illa Pauli analogia corporis humani, cum quo eccleſiam in priore *1. Cor. 12.* epiſt. ad Corint. comparauit. Vbi oculi, vt ait S. Dorotheus *S. Dorotheus.* in libro de non iudicandis proximis, ſunt ij, qui attendunt & corrigunt, hi verò ſunt epiſcopi. qui quidem quia ſunt oculi Pontificis, qui eſt caput eccleſiæ catholicæ, qui perſonā Chriſti ſuſtinet, idcirco meritò ſunt, & dicuntur oculi Domini. hos igitur oculos Domini, qui iniquè lædit, & perſequitur, idē pupillā oculi *Cyril. in Zach.* ſui lædit. Sic enim eſt apud 70. & ſic beatus Cyrillus interpretatus eſt, redit, inquit, in caput ipſius, conuenitque dicere, vt Dauid ait, incidit in foueā, quā fecit: *Pſal. 7.* & illud, redibit labor in caput eius. hæc Cyrillus, quod ſtatim declarat idem propheta, poſtquam enim dixit, tāgit pupillam oculi ſui, ſubiungit, quoniam ecce ego leuo manum meam, ſuper eos. Hunc ſenſum 70. ſecutus eſt Pon. Alexāder ex eorū interpretatione, vt paulò ante dixi, vt perſpici poteſt ex iis, quæ idem Alexand. ſubiungit. poſtquam enim recitauit ex propheta, qui vos tangit, pupillam oculi ſui tangit, quia his verbis prophetæ minas accuſatoribus iſtis propoſuerat periculorū, & malorū, ſubiungit ſtatim, & licet nos perſequantur, quia neq; nos ſine illis, neq; illos ſine nobis perſequi poſſunt, quia illius ſumus diſcipuli, qui animā pro fratribus præcepit ponere, tamē eis pericula & perditiones nō ſumus auſi celare, ne prophetica, quod abſit, dānemur ſententia: Si annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, animā tuam liberaſti. pericula ergo & perditiones eorū non celauit Pont. cum dixit pupillam

Argumentum euidens citaſſe Alex. teſtimonia veteris ſcripturæ ſecundū 70. interpretationem.

Ez. 33.

oculi ſui lædere,qui ſacerdotes Domini lædit. Si enim non ſic Alex.legit, vt eſt apud 70. quomodo hoc teſtimonio prophetæ Zachariæ recitato pericula, & perditiones prædixit? quod ſe facere ait, ne damnationem prophetæ Ezechielis incurrat,qui iuſſit annunciare iniquo iniquitatem ſuam,quod quidem tunc fit,cum iuxta eundem Prophetam Ezech.videns gladium venientem annunciat populo. gladium ergo venientem annunciat hic Alex. cum ait, pupillam oculi ſui lædere, qui ſeruos Dei lædit, ſed de interpretatione 70. in epiſtolis Pontificum apoſtolicorum, dicam reliqua in extremo libro loco proprio. abſoluamus reliquas rationes.

Alia ratio,Deus ſtetit in ſynagoga Deorum:ego dixi, Dij eſtis,& filij excelſi omnes.] 10. *Ratio.*

Doceamus Magdeburg: non eſſe ineptam hanc rationem, vt ipſi calumniantur. quia enim dixerat Anacle.epiſto.2.non eſſe accuſandos epiſcopos, niſi ab idoneis,& probatiſſimis viris,qui ſuſpicionibus & ſceleribus carerent, & rurſus à Deo eſſe iudicandos epiſcopos,non à prauæ vitæ hominibus, accõmodatiſſimè vſus eſt iis, quæ Dauid in ſpiritu dixit non ſolum propter iudices populi Iſraëlitici, ſed etiam propter iudices eccleſiæ noſtræ,qui ſunt epiſcopi:quos ſpiritus ſanctus monet,ſicut illos, vt iuſtè iudicent, ſi quidem ipſi quoque iudicandi ſint à Deo, cuius iudicium exercent, ſicut dixit Ioſaphat Rex Iudæ,videte,quid faciatis,quia non hominis exercetis iudicium,ſed Domini, & quodcunque iudicaueritis,in vos redundabit. Vnde ſcriptura ſancta iudices appellat Deos in Exodo: idem quoq; obſeruauit diuinus Dioniſius in diuinis nominibus. An igitur inepta ratio eſt,cur non liceat Diis, id eſt, iudicibus vulgò detrahere,eoſque inſectari,illa, qua ſpiritus ſanctus vſus eſt, quia ſcilicet in eo gradu, ac dignitate conſtituti ſunt,vt ipſi iudicium Domini, exerceant, & non à quibusvis, & temerè, atque à prauis hominibus iudicentur,& arguantur?

Pſal.81. *2.Par.19.* *Exo. 22.* *Dionyſi.c.12.* *Magd.rationẽ, qua vſus eſt ſpiritus S. in ſcriptura, reprehendit in epiſt.2. Anacl.*

Alia ratio,tu quis es qui iudicas alienum ſeruum?explicanda quoque eſt hæc ratio,& ab iniqua accuſatione vindicanda. quia dixerat Anacle. non eſſe accuſan- 11. *Ratio.*

dos epiſcopos temerè, & cum ſcandalo, hoc enim eſt non debere accuſari, niſi ab idoneis & probatiſſimis viris, qui omnibus ſuſpicionibus, & ſceleribus carerent, valde appoſitè vſus eſt verbis Apoſtoli, Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum? Domino ſuo ſtat, aut cadit. in eos enim hoc dixit, Apoſto. in epiſto. ad Roma. qui fratres in cibis diſcernendis cum ſcandalo & ſuo, & illorum iudicabant, quaſi non haberent alium Dominum, cuius iudicium eis ſubeundum eſſet, niſi ipſi eos iudicarent. Vnde Paulo poſt idem Apoſto. quod etiam hoc loco ſubiunxit Anacle. Sed hoc inquit, iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Scandalum verò eſt, quod Alex. Pont. notauit, idem quod Anacle. prohibens, quia qui temerè epiſcopum accuſat, legationem eius, inquit, impedit, & non vnius, ſed multorum profectum euertit: & ſicut multis, inquit, nocet, ita à multis arguendus eſt.

Rom. 14.

Quod ſcandalũ creat, qui epiſc. temerè accuſat.

" Addunt prætereà Magd Theleſphorus addit hanc rationem, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, hãc quoque notarunt, quaſi ineptam. dixerat Theleſphorus de epiſcopis, & reliquis ſacerdotibus, ab omnibus eſſe audiendos, timendos, & non lacerandos: & paulò pòſt, nullatenus debet eos arguere, neque vulgus in eorum accuſatione ſuſcipi. populus enim ab eis docendus eſt, & corripiendus: non ipſi ab eo, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. prohibet Pont. vt ex aliorum Pontificum epiſtolis intelligi poteſt, & à nobis ſupra obſeruatum eſt, vt non accuſentur epiſcopi à quibusuis & à prauis, ſed ab idoneis & probatiſſimis. accuſari enim à quibus non debẽt, neque poſſunt, nihil aliud eſt, quam efferre ſe accuſatorem in eos, qui magiſtri ſunt, eiſque iniuriam facere: quod eſt eſſe diſcipulum ſupra magiſtrum, vt ante collatis locis epiſtolæ Cle. interpretati ſumus quomodo igitur aiunt Magdeburgen. ineptam eſſe hanc rationem? niſi quia non intellexerũt, quid notarent, neque quid reprehenderent. Deinde cum Apoſtolus ad Timotheum ſcribens dicit, ſeniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem iuuenes vt fratres: anus vt matres: ſi præcipit, vt epiſcopus ſeniorem, id eſt, magiſter diſcipulum natu grandiorem non arguat, ſed po-

Quam vim habeat ad non accuſandũ temerè epiſc. hæc ratio, non eſſe diſcipulum ſuper magiſtrum.

1. Tim. 5.

tius obſecret,idque ætati tribuendum eſſe putauit,non item æquum ſit, vt vulgus epiſcopum, aut ſacerdotem non arguat,ſed magis obſecret,idque diſcipulus magiſtri dignitati ſacerdotali tribuat? imò hoc quod Apoſtolus præcipit, ſeniorem non arguere, vt hoc obiter obſeruetur,Synodus Rom.Syluestro Pontifice,canone ædito,de epiſcopo interpretata eſt. Epiſcopum, inquit, canonicè electum,& conſecratum neque clericus, neque populus perturbare debet quia epiſcopi, qui throni Dei vocantur,non ſunt lacerandi,ſed magis portandi & venerandi. de quibus ait beatus Paulus, ſeniorem ne increpaueris,ſed vt patrem obſecra legimus nanque ipſo Domino dicente,non eſſe diſcipulum ſuper magiſtrum: hoc eſt non ſibi debere quemquam ad iniuriam Doctorum vindicare doctrinam:nec aliqua machinatione Domini diſcipulis, id eſt, Apoſtolorum ſucceſſoribus detrahere, aut eos infamare, quia iniuria doctorum ad Chriſtum pertinet. hactenus canon. ad extremum ſubiecerunt Magdeburg.accuſationi ſuæ,Et huius decreti fructum, ac finem ſubiicit Theleſphorus: Hunc murum firmiſſimum ſtatuerunt patres noſtri, & nos cum eis contra perſecutores noſtros,& hoc remedio eorum pellantur machinamenta:& vos ſanctiores & ſecuriores famulari mereamini veſtro Saluatori.]

Synodus Rom. de epiſcopo interpretata eſt illud, ſeniorem ne increpaueris.

Non facilè eſt diuinare,quid hic centuriones iſtos offenderit.an non licebat Pontificibus cauere, cōtra perſecutores? præſertim ſi eò ſpectabat cautio; vt dolis & machinis aduerſariorum depulſis ſecuriùs ſacerdotes, & ſanctiùs domino ſeruire poſſent?an ita maleuoli ſūt, ita ab omni humanitate auerſi, vt epiſcopos noſtros omni tutela & præſidio nudos, & omniū maledictis, ac calūniis obiectos velint? quid igitur hoc loco notarūt? quid hic improbant? imò quæramus potius, quid eos interdictio maleuolæ obtrectationis,& iniquæ accuſaſationis epiſcoporum tantopere vrat? ſcilicet hæc eſt cauſa, quia cum ipſi ſemper contra Pontificem loquātur, nec illud putent metuendum eſſe, quod Dominus dixit. quare non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moiſi? ſtudent,vt omnes idem faciant: & ſi quid contra à noſtris caueri vident,reprehendunt cautiones,& decreta:

Quæ cauſa ſit cur tantopere Magde. offēdat interdictio iniquæ accuſationis epiſcoporum.

Num.12.

Nihil apud Luther. ſanctius maledictis, & obtrectationibus noſtrorum ſacerdotum, & epiſcoporum. 2. Tim. 3. Inter criminatores à Paulo prophetati ſunt Lut. cum ſimilibus.

imò nihil eſt apud iſtos ſanctius maledicentia, & obtrectatione noſtrorum Sacerdotum. Vt cum cæteris omnibus, quæ propria ſunt hæreticorum, quæ ſancti Apoſtoli in epiſtolis ſuis notarunt, hoc quoque iſtis maximè conueniat, quod Apoſt. Paulus illis hæreticis tribuit, qui nouiſſimis temporibus futuri erant, qui iam exierunt, eſſe ſcilicet criminatores. itaque cum omnia iſti repagula pudoris, & timoris Dei ruperint, nec vlla æquitate naturali coerceantur, rident, quod Pont. Teleſphorus ait, hunc murum firmiſſimum ſtatuerunt patres noſtri, & quæ ſequuntur. hactenus de rationibus reprehenſis.

Quæ Igmarus Rhemenſis ante annos 800. *de non arguendis epiſc. contra futuros apoſt. Pōtificum accuſatores ſcripſerit.*

Recitemus deinceps ad ſententiam Pontificum de non arguendis, & damnandis epiſcopis magis adhuc explicandam & confirmandam, quæ Igmarus Remenſis Archiepiſcopus eruditiſ. & grauiſ. auctor, ad quem Nicolaus primus ante octingentos annos epiſtolas aliquot ſcripſit, in lib. de variis capitulis eccleſiaſticis. c. 29 & 52. obſeruauit. Poſt Apoſtolos autem, inquit, Romani Pont. tam in poteſtate, quam in prædicatione eorum ſucceſſores eccleſiaſticam diſciplinam ſtudioſiſſimè ſuis inſtitutis informaſſe, & informatam propagaſſe reperiuntur, & hoc vtique diuerſo modo: ſicut enim ipſi ſanctæ eccleſiæ diuerſis temporibus præfuiſſe leguntur, ita & diuerſè ſuis temporibus conſuluiſſe inueniuntur. nam à beato Petro, vſque ad S. Syluestrum variæ & crebertimæ perſecutiones fuerunt, in quibus epiſcopi, vtpote capita aliorum maximè periclitabantur. Vnde & Roma. Pontifices illius temporis multipliciter eos pro qualitate perſonarum, neceſſitate rerum, opportunitate temporum, ſcriptis ſuis conſolati ſunt, in quibus de eorum iudiciis multa, vel penè omnia ſtatuerunt in improborum præſumptionem, vt eos ab illorum infeſtatione cōpeſcerent quoquo modo. quippe atteſtante. S. Fabiano Papa, & Martyre ipſi Apoſtoli eorúmque ſucceſſores ſtatuerunt, vt epiſcopi, aut nunquam accuſarentur, aut difficillimè accuſari permitterentur. nam & beatus Eutychianus Papa & Martyr teſtatur, ſi accuſatio epiſcoporum tam facilè, & paſſim admitteretur, perpauci nimis inuenirentur, qui pro tempore epiſco-

patum non fugerent:cum & quotidianam mortem ex perſecutione timerent: neque tamen improborum accuſationem declinare poſſent. Sanctus etiam Anacletus Papa & Martyr ad vniuerſos epiſcopos Italiæ ſcribens deiectionem, ſiue damnationem epiſcoporum ſibi dominum reſeruaſſe teſtatur, quaſi hominum iudicio ſubiacere non videantur: neque mirum hæc eo tẽpore iudicaſſe, cum acerrima perſecutio non niſi perfectiſſimis ad epiſcopatum venire permitteret: quippe qui iam pro Chriſto omnia extrema pati non timerẽt. hæc ille. illius igitur temporis epiſcopis ſanctiſſimis, eorumq́ue ſimilibus aduerſus improborum hominum criminationes iniquas, & ex propria temeritate proficiſcentes Clemens & Anacletus, & reliqui Põtifices, quos Magdeburgenſes notarunt, cauebant. nunquam verò notaſſent, ſi ſcirent vulgato iam iuris cõſultorum prouerbio vti, diſtingue tempora, & concordabunt iura, ſicut Igmarus diſtinxit. ſubiungit enim in tempore autẽ pacis aliquid de illa difficultate accuſationis, ſiue damnationis epiſcoporum non incongruè remittitur, cum epiſcopatus non iam à paucis, quaſi mors religioſè timetur, ſed à pluribus quaſi gratia ambitioſè appetitur: & appetitus criminoſè adminiſtratur: ſcilicet cum iam non talis perſecutio aliquem ab epiſcopatu, vel peccato deterreat, ſed ipſa pacis tranquillitas, & honoris ſublimitas magis ad peccandum illiciat. Vnde & in Nic. concilio non magis epiſcopis, quam quibuſlibet in dãnatione remittitur: cum generaliter in eo omnes damnentur, quicunque ſe contra ſacras regulas efferre non verentur. ante illud ſanè concilium tantæ perſecutiones vndique ſæuierunt, vt Roman. Pontifices tribulatos vix aliquo modo ſcriptis ſuis conſolari, ſiue contra improbos defendere ſufficerent, nedum eccleſiaſticam diſciplinam vſque quaque pleniter, ac regulariter inſtituere poſſent. à tempore autem huius concilij iam aliquantulum ſedatis perſecutionibus Pontifices multò pleniùs & diligentiùs eccleſiaſticas regulas tum per ſe in decretis ſuis, tum per alios in conciliis promulgare, ſiue promulgatas confirmare cœperunt: quas & in poſterum eccleſiaſtici Doctores magis in vſu habere con-

Igmarus Rhemenſis ante annos 800. quod Anacletus *de nõ arguendis epiſc. ſtatuit, defẽdit.*

Magd. neſciunt vti prouerbio iuriſconſultorũ, diſtingue tempora, & concordabunt iura.

ſueuerunt, hæc ille. Ac rurſus idē Igmarus. c. 52. item, inquit, ſancti patres frequentiſſimè prohibent, ne oues ſuum Paſtorem, niſi in fide errauerit, accuſent: ſubditóſque accuſatores prælatorum excommunicādos, infamandóſque cenſuerunt. beatus autem Gregorius Papa Ioanni Corinthiorum epiſcopo ſcribens Paulum, Euphemium, Thomam, Clementium clericos damnauit, eò quòd proprium eorum epiſcopum pro quodam crimine accuſare non obedierint. idem etiam apoſtolicus Pauli Diaclinæ ciuitatis epiſcopi à clericis ſuis pro corporali crimine accuſati, atque conuicti depoſitionē intantum confirmauit, vt eum etiam communione priuandum iudicaret, ſi deinceps aliquid de epiſcopatu, vel loqui præſumeret. Deinde ſubiūgit, ſed hæc nequaquam ad inuicem contraria iudicabimus, ſi ſuperiorē ſententiam competenter intelligere curabimus, videlicet ne oues ſuum paſtorem ex propria temeritate vllatenus accuſare præſumant: neque tamen ſuperiori poteſtati hoc eis canonicè præcipienti ſuperbè reſiſtant, quæ ipſos damnare potuit, ſi ei contra proprium obedire noluerint. Si igitur ita intelligitur, neque ſubditi prælatos temerè accuſabunt: neque ſuperiori poteſtati contumaciter reſultabunt. Huiuſmodi autem adaptationem, & in ipſa ſcriptura ſacra nonnunquam neceſſariò requirimus. Vt in illo nō occides. ſi enim illud nimis ſimpliciter intellexeris, ipſa lex ſibi repugnabit, quę ſæpiſſimè alibi reos morte mulctari decreuit: ipſe quoque Deus, qui legem inſtituit, perſæpe multos occidi præcepit. ne ergo vſpiam Deum contraria præcepiſſe blaſphememus, prædictam ſententiam conſideratiùs neceſſariò intelligere debemus, ſcilicet ea conſideratione, ne aliquis ex propria præſumptione occidat: Deo, autem, ſiue hoc per ſe, ſiue per legem ei præceperit obedire non renuat. item beatus Auguſtin. lib. 1. de ciuita. Dei, ipſe non occidit quiſquis in hoc, miniſterium iubenti debet. Sic ergo & in accuſatione ſubditorum non obedientiam, ſed præſumptionem proſcriptam competenter intelligimus. multum ſanè eccleſiaſticis correctionibus in conceſſione huiuſmodi accuſationis proſpectum non dubitamus. nam prælati neceſſariò, &

Quomodo conciliãda ſint decreta de non accuſandis epiſc. quæ contraria videntur.

De conciliatione contrariorū in ſcriptura.

ſibi,& ſubditis tantò magis proſpiciunt, quantò magis ſe & per accuſationem ſubditorum percelli poſſe non dubitant. neque parum eccleſiaſticæ diſciplinæ derogaretur, ſi nunquam huiuſmodi accuſatio concederetur. nam pauci prælati illius perfectionis inuenirentur, qui non tantò magis ſe & ſubditos in diſciplina negligerent, quantò magis ſe per accuſationem eorum ad aliquod iudicium coërcendos deſperarent. Subditi tamen nequaquam hoc abſque maioris poteſtatis auctoritate præſumant, ne dignam ſuæ damnationis ſententiam iuxta ſtatuta ſanctorum patrum excipiant. Sciendum autem quod ſubditi de propria iniuria, vel hæreſi prælatum ſuum accuſare non prohibentur iuxta Symmachi Papæ ad Cęſarium epiſcopum ſententiam: Oues ſuum paſtorem accuſare non poſſunt, niſi pro hæreſi, aut propria iniuria. Sic Africani canones apoſtolica auctoritate promulgati, atque confirmati, enumeratis omnibus, quibus accuſandi licentia non negatur. hactenus Igmarus. ſatis igitur eruditè ab hoc auctore grauiſſimo explicatum eſt, quomodo quod centuriatores malè intelligentes ad calumniam rapuerunt, rectè intelligendum ſit adhibita diſtinctione perſonarum, temporum, & cauſarũ. aliquid ſimile obſeruauit idẽ auctor de iudicandis, & non iudicandis abſentibus, quæ diuerſitas in cauſarum, quoque diuerſa ratione pendet. recitabo etiam quæ ille de hac re ſubiungit, quæ non erũt à loco propoſito de non accuſandis epiſcopis aliena propter illa, quæ ad extremum ſubiecit. item, inquit, ſancti patres ſæpiſſimè decernunt, ne quis abſens iudicetur, vt beatus Zepherinus Papa, quia hoc (inquit, & diuinæ leges prohibẽt. item fœlix Papa omnibus epiſc. ſcribens, abſente, inquit, aduerſariò non audiatur accuſator: neque ſententia abſente alia parte à iudice dicta vllam obtinebit firmitatem. Item ſanctus Cornelius Papa, omnia, inquit, quæ aduerſus abſentes in omni negotio, aut loco aguntur, aut iudicãtur, omnino euacuabuntur: quoniam abſentem nullus addicit: nec vlla lex damnat. Zozimus autem Papa in ordine 31. cum 207. Africani concilij quemlibet accuſatorem, ſiue accuſatum etiam abſentem communione priuauit, quicunq;

Quæ vtilitas exiſtat, quòd poſſint aliquando accuſari epiſc. auctoritate tamen ſuperioris.

Quando poſſint ſubditi accuſare epiſcop. ſuum.

Igmarus de iudicandis & non iudicandis abſentibus.

poſt canonicam vocationem venire contempſerit. item Bonifacius Papa ſucceſſor eiuſdem in cõtumaciter abſentem decreuit, ne dilationem ſententiæ de abſentia lucraretur. beatus quoque Gregorius Maximum præſumptorem Salonitanum non ſolùm pro illatis criminibus, ſed etiam pro abſentia damnãdum iudicauit, eo quod canone vocatus venire diſtulerit. Item Theodorus Papa Paulo Conſtantinopolitano ſcribens præcepit, vt Pyrrhum eiuſdem ſedis quondam epiſcopum abſentem damnaret, quia, inquit, præſentia eius neceſſaria non eſt, cuius exceſſus præſens eſt. item Felix Papa Acatium conſtit. abſentem damnauit, cuius ſententiam beatus Gelaſius ſucceſſor eius irrefragabili approbatione canonicam demonſtrauit, neque planè dubitauerim, quin plures inueniantur, qui ita abſentes ſententiã damnationis exceperint, quàm qui præſentes canonicam examinationem, & damnationem expectauerint. deinde ſubiungit Igmarus harum autem ſententiarum diuerſitatem facilè concordabimus, ſi ſuperiorem ſententiam de abſente non iudicando ad illum modò referamus, cuius cauſa adhuc ventilanda videtur: qui locum reſpondendi potius non habuit, quam canonicè oblatum refutauerit. nam ſi canonicè vocatus venire contempſiſſet, neque tamen canonicam excuſationem prætenderet, tam apud antiquos, quàm apud modernos etiam abſens canonicè damnari poſſet. Si igitur exponimus vtramque ſententiam de abſente, rationabilem eſſe videbimus, & vt abſens iudicetur, quia canonicam vocationem, ſiue admonitionem neglexiſſe detegitur: & abſens non iudicetur, de cuius contumacia adhuc dubitatur. Deinde ſubiungit, ſic ergo & in aliis canonum diuerſitatibus competentem ſenſum inquirere debemus. ne fortè huiuſmodi diuerſa nonnunquam quaſi repugnantia temerè reſpuamus, quæ tamen ex apoſtolica auctoritate promulgata, ſiue confirmata non ignoramus. ita inquam intelligentiæ congruentiam ſemper indagare cogemur, ne huiuſmodi ſtatuta vnquam ſibi contraria interpretemur. nam ipſi S. ſpiritui magnam iniuriam irrogare videmur, ſi illa quæ ipſos ſanctos patres docuiſſe legitur, quaſi contraria,

traria,& ideo contemnenda interpretari non veremur. Hæc Igmarus Archiepiſcopus quondam Rhemenſis, quæ accuſationem Magdeburgenſium de non arguendis epiſcopis ſatis redarguunt,& conuincunt,& ſententiam Pontificum confirmant.

Reſponſio ad ea,quæ contra principatum Rom. Pontificis obiiciuntur,quomodo non illis rationibus, quas Magde. finxerunt Principatum Pontificis Anacletus probarit,neque nos probemus exceptis prima,& quarta,& quomodo appareat non intellexiſſe Magd quæ Anacletus ſcripſit. Item quomodo Nicena Synodus in 6. canone de primatibus ſecuta ſit auctoritatem canonis 33. Apoſtolorum, & interpretationem Anacleti,qui hunc canonem in epiſtola ſua citat. *Cap.* 14.

SEquitur deinceps,vt ad ea quæ Magdeburg. contra principatum Rom. ſedis obiiciunt,vel potius fingunt reſpondeamus. poſtquàm enim ſummatim recitarunt, quæ in epiſtolis apoſtolicorum Pont.obſeruarunt de primatu Romanę eccleſiæ,quod Anacletus epiſt. 3. ait, non ab apoſtolis, ſed à Domino Saluatore primatum obtinuiſſe,& eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecutam eſſe: & Apoſtolos " iuſſione Saluatoris ſtatuiſſe in maioribus quæſtioni.ad " Rom.eccleſiam appellandum eſſe epiſt.1.2.3. quæ, in- " quiunt,poſteà alij repetũt,& ſtabiliũt,vt Euar. in epiſt. " 1.Alex.epiſt.1.Pius 1.2.item Anicetus,& Victor.] "

Poſtquam hæc,vt dixi,recitarunt,ſubiungunt, ratio- " nes autem frigidiſſimæ proferuntur,quas,inquiunt,a- " ſcribemus,vt ineptitas conſpiciatur. "

Prima,quia Petro dixit,tu es Petrus,&ſuper hanc petram,id eſt,ſedem Ro.ædificabo vniuerſalẽ eccleſiam.]

Quia hanc rationem Magdeb.negant,& nos contra diuinam eſſe,& diuinè ab Anacleto explicatã,idemque eſſe ſuper ſedem Romanam,& ſuper Petrum ædificatam eſſe eccleſiam catholicam, ſatis copioſè libro ſuperiore demonſtrauimus, nihil aliud relinquitur, niſi

Qui ad dirimendam controuerſiam teſtes repudiant, contra naturam, & ſcripturam, & conſuetudinem omnium eccleſiarũ faciunt.

vt teſtimoniis grauibus, quæ plurima iam produximus, controuerſia dirimatur. hoc enim natura, hoc ſcriptura, hoc omnium gentium conſuetudo poſtulat niſi iſti, vt ſæpè dixi, volunt eſſe iidem iudices, & iidem teſtes, vt fuerunt Iudęi aduerſus Dominum. quare ſi cum vos Lutherani à magiſtris veſtris, & centuriatoribus petieritis, vt teſtes vobis ſententiæ, & interpretationis ſuæ, quam ſuadere volunt, producant, quod vt faciatis, vos per Dominum noſtrum obteſtor, cum inquam teſtes petieritis, ſi vobis vt ſolent, reſponderint, apertum eſſe verbum Dei, per ſe patere, quod Dominus dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam: Chriſtum enim eſſe hanc petram, ſicut ſcriptum eſt, petra autem erat Chriſtus, ſcitote fratres (charitas enim vrget me, vt fratres appellem, quos cupio fratres eſſe in Chriſto, ſicut ex baptiſmo eſſe cœpiſtis) non tantum de epiſtolis Pauli dixiſſe beatum Petrum, eſſe quædam in eis difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles ad ſuam ipſorum perditionem deprauant, ſed adiunxiſſe, ſicut & cæteras ſcripturas: ex quibus eſt hæc ſcriptura euangelij, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam. quam quidem ſcripturam magiſtri veſtri, nunquam ad ſuam, & veſtram perditionem deprauaſſent: ſi ſtabiles fuiſſent, id eſt ſi in eo, quod ab initio ipſi & patres eorum, ac maiores audierant, permanſiſſent: & ſi docti eſſent, id eſt, ſi vt Sancti Apoſtoli ſanctis & apoſtolicis viris ac per eos nobis tradiderunt, ac non potius, vt proprius eorum pſeudopropheta Martinus tradidit, ſcripturas ſanctas didiciſſent. Sed quia indocti & inſtabiles ſunt, factum eſt, vt eam deprauarint. non negamus Chriſtum eſſe petram veram, ac verum & vnicum fundamenntum eccleſiæ ϑεαρχικὸν, id eſt, quod dat principium eccleſiæ, vtpote deus, quis hoc neget, qui fidem Chriſti teneat? ſed illud dicimus, quod ſatis ſupra loco proprio docuimus, voluiſſe hanc petram viuam & viuificam, Chriſtum dico, collocare ſub ſe Petrum, tanquam alteram petram, quæ eſſet fundamentum ὑπουργικὸν, id eſt, miniſteriale eccleſiaſticæ hierarchiæ, & ſpiritualis gubernationis eccleſiarum. quia non poſſet eſſe vna eccleſia catholica, ſecundum

Quare hãc ſcripturam tu es Petrus & ſuper hanc petrã &c. deprauãt Mag.

Quale fundamentum Chriſtus, & quale Petrus.

analogiam vnius corporis humani, qua Paulus in epiſto. 1. ad Cor. vtitur, niſi eſſet in ea vnum caput eiuſdem ſpeciei. ſicut ſuperiore libro demonſtratum eſt, neceſſe eſſe omnem multitudinem vno quopiam eiuſdem ſpeciei in vnum congregari. Sed hactenus de vna ac ſola ratione primatus, quam Pont. Anacl. ex verbo Dei protulit. reliquas enim Magde. finxerunt, vt deinceps docebimus. 1. Cor. 12.

Secũda aiũt, quia Petrus & Paulus mortui ſunt Romæ. *Ratio ficta ſecundum dialecticam Magd.*

Quaſi Anacl. ſic concluderet ſecundum iſtorum dialecticam, Petrus & Paulus ſunt mortui Romæ ergo ecclesia Ro. primatum obtinuit. Si hanc rationem primatus Anacletus, vt iſti finxerunt, attuliſſet, meritò frigidiſſima diceretur. at non attulit, vt facilè eſt intelligere: poſtquam enim dixit S. Anaclet. hanc Romanam eccleſiam primatum ab ipſo Domino obtinuiſſe, ſicut ipſe beato Petro Apoſtolo dixit, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo, & quæ ſequũtur, ſubiungit, adhibita eſt etiam ſocietas in eadem Vrbe Rom. beatiſſimi Apoſtoli Pauli vaſis electionis qui vno die, vnoque tempore glorioſa morte cum Petro ſub Principe Nerone agonizans coronatus eſt: & ambo ſanctam Romanam eccleſiam conſecrarunt, aliiſque omnibus vrbibus in vniuerſo mundo eam ſua præſentia, atque venerando triumpho prætulerunt. dixerat S. Anacl. Romanam eccleſiam obtinuiſſe primatũ à Domino, ſicut Dominus dixit beato Petro tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccle meã. hæc igitur eſt ratio, cur eccleſia Rom. ſit princeps omnium eccleſiarum, quia ſcilicet præeſt ei ille, qui eſt caput eccle. catholicæ, id eſt, omnium eccleſiarum, quæ per hanc eccleſiam, cui ſpecialiter præeſt, in vnam eccleſiam catholicã, quam in ſymbolo fidei confitemur, congregantur, qui eſt ſucceſſor Petri. cui dictum eſt, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo &c. ad hanc autem excellentiã, & principatum eccleſiæ Roman. quam meruit. quia Petro epiſcopo primo & Apoſtolorum Principi dictũ eſt, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, acceſſit martyrium beati Pauli Apoſtoli, quod *Cur eccl. Rom. princeps omniũ eccleſiarum.*

vno die cum Petro Romæ paſſus eſt.idcirco dixit Anacle. adhibita eſt etiam ſocietas in eadem Roman. vrbe beatiſſimi Pauli Apoſtoli vaſis electionis id eſt, acceſſit ad hunc primatum,quem eccleſia Roman. ſicut dictũ eſt,obtinuit, martyrium Petri & Pauli. an hæc eſt ratio primatus adepti?aut hoc vnquam dixit,aut dixiſſe videtur Anacletus?ô vos miſeros Lutheranos, qui iſtis non hiſtoricis neque Theologis,ſed hiſtoriarum, & omnis Theologiæ corruptoribus credendum eſſe putatis. Si Petrus aliam eccleſiam elegiſſet, cuius eſſet proprius epiſcopus,atque vniuerſalis omnium,illa eſſet princeps eccleſiarum, ſicut fuit prius Antiochia: non quia eam Petrus elegiſſet, quaſi electione ſua principatum ei tribuiſſet, ſed potius beneficio Dei. id eſt, quia Petro qui ei ſpecialiter præeſſe voluit,dictum eſt, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam,&c.vnde factus eſt,caput omnium eccleſiarum,& Princeps epiſcoporum:hinc S.Anacl.de Petro & Paulo,& ambo, inquit,ſanctam eccleſiam conſecrarunt, aliíſque omnibus vrbibus in vniuerſo mundo eam ſua præſentia,atque venerando triumpho prætulerunt. Sed progrediamur vlterius.

Quales hiſtorici & Theologi Magde.

» Tertia ratio(inquiunt)quia Paulus Rom.1.ait ſe ſine
» intermiſſione memoriam Rom. eccleſiæ in orationi-
» bus ſuis facere.]

Nec hanc rationem primatus attulit S.Anacle.vt iſti in inuidiam principatus Roman. eccleſiæ finxerũt.Sed potius hoc quoque ad principatum eccleſiæ Roman. præter martyrium in ea vrbe Petri & Pauli acceſſiſſe ſignificat,quod pollicitus ſit beatus Paulus memoriam Romanorum ſe ſine intermiſſione in orationibus ſuis facturum.Sic enim ait,& licet pro omnibus aſſidua apud Deum omnium ſanctorum effundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatus Apoſtolus Romanis proprio chirographo pollicetur dicens,teſtis enim mihi eſt Deus,cui ſeruio in ſpiritu meo,& in euãgelio filij eius, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio in orationibus meis.Sequitur in centuria.

» Quarta ratio, quia Petro à Domino eſt conceſſum,
» & ipſi voluerunt Apoſt.vt reliquis omnibus præeſſet

Apoſtolis,& cephas,id eſt, caput & principium teneret apoſtolatus:hanc quoque rationem frigidiſſimam eſſe putauerunt,quam ſi omnino concedere neceſſe eſt, vt quidem eſt, quomodo poteſt eſſe frigida? oſtendimus enim conceſſum eſſe Petro,à Domino, vt reliquis Apoſtolis pręeſſet,eſſétq; eorum caput:ac proinde,vt caput eſſet eorum,qui apoſtolorum ſucceſſores ſunt,ſiue maiores,vt patriarchæ. & archiepiſcopi, ſiue minores, vt epiſcopi.ex quo rurſus fit, vt ea eccleſia cui ſpecialiter præeſt,id eſt Romana. principatum à Domino obtineat. cur igitur frigida hæc ratio Magdeb. videtur? à Domino conceſſum eſt Petro, vt reliquis omnibus præeſſet apoſtolis,ergo ipſe fuit caput eorum, cur inquam? niſi quia hoc negant? Sed qui hoc negant, negare eos verbum Dei ſatis ſuperque antea demonſtratum eſt iis,qui habent aures audiendi,& credere volunt, ſicut ſcriptum eſt iuxta verbum Eſaiæ, Niſi credideritis non intelligetis.

Frigida apud Mag.ratio,quæ neceſſario ſecundum euang. concedenda eſt.

Eſai.7.

Veniamus ad quintam rationem,quam omnino finxerunt.recitemúſque ea,quæ S. Anacletus ſcripſit,poſtquam enim tres ſedes, & earum ordinē deſcripſit Romanæ,Alexandrinæ, Antiochenæ, ſubiungit, reliquas verò,vt prædiximus, in quodam tomo prolixitatem vitantes epiſtolæ vobis ſcriptas direximus. de hoc tomo dixerat paulò ſuprà, aliæ autem primæ ciuitates, quas vobis conſcriptas in quodam tomo mittimus,à ſanctis Apoſtolis & à beato Clemente, ſiue à nobis primates prædicatores acceperunt. Poſtquam ergo dixit de his primis ciuitatibus in quodam tomo prolixitatem vitantes vobis conſcriptas direximus, ſubiungit ſtatim, inde namque & beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt,vt epiſcopi ſingularum ſcirent gentium,quis inter eos primus eſſet: quatenus ad eum potior eorum ſolicitudo pertineret. hæc ergo cauſa fuit,cur ſancti Apoſtoli primas ciuitates ab aliis diſtinguere voluerunt, ſciréque epiſcopos omnes,quis inter eos primus eſſet,is ſcilicet, qui eſſet poſitus in prima ciuitate:quem omnes ſcirent primum eſſe,.idq; quo ille primus maiore ſolicitudine præeſſet. Docet autem deinde idem Anacl.factum eſſe hoc ſecundum formam quam ipſe idem beatus Petrus

inter Apoſtolos tenuit: quamuis enim erant omnes Apoſtoli, tamen Petro, inquit, à domino eſt conceſſum, vt reliquis omnibus præeſſet, & principatum Apoſtolatus teneret: & id ipſum reliqui Apoſtoli amplexi ſunt, qui & eandem formam, inquit, ſui ſucceſſoribus, & reliquis epiſcopis tradiderunt, vt ſimiliter ſucceſſores apoſtolorum patriarchæ, & Metropolitani, quamuis omnes eſſent epiſcopi, reliquis tamen epiſcopis per prouincias ſuas præeſſent: & omnes tandem ſucceſſorem Petri primùm, & caput agnoſcerent, vt Apoſtoli Petrum. hæc ſunt, quæ dicit S. Anacle. ex quibus iſti boni in inuidiam Rom. pontificatus canonem Apoſtolorum 34. cuius hoc loco Anacletus meminit, nõ intelligentes, quin tam rationem Romani Pontificatus fabricati ſunt. Sic enim ſcripſerunt. 5 ratio, quia Apoſtoli ſtatuerunt inter ſe, vt epiſcopi ſingularum gentium ſcirent, qui inter eos primus eſſet. Si enim ex ſtatuto Apoſtolorum origines & ortum ducit Roman. Pontificatus, vt hac quinta ratione à ſe compoſita concludere voluerunt, quomodo Anacl. dixerat proximè, caput fuiſſe Petrũ, quia hoc ei à domino conceſſum eſſet? non ergo iſta quinta ratio Anacleti eſt, ſed Magdeburgẽſium. melius ergo, quàm Magdeburg. intellexit Synodus Nicen. quæ c. 6 ſanxit, vt ſecundum priſcam conſuetudinem, id eſt ſecundum formam apoſtolicæ traditionis canone, ſcilicet Apoſto. 34. ſancitam epiſcopus Alexandriæ præeſſet epiſcopis Aegypti, Libyæ, & Pentapolitanis, quia ita conſueuiſſet epiſcopus Romæ. ex conſuetudine igitur epiſcopi Romani à domino inſtituta, à quo factus eſt princeps epiſcoporum vtpote Petri principis Apoſtolorum ſucceſſor, tanquam ex fonte, ac cauſa originem ducit conſuetudo à S. Apoſtolis inſtituta poteſtatis primatũ in epiſc. ſuarum prouinciarum, vt canon ſextus conci. Nicæ. teſtatur, qui hanc epiſtolam Anacleti ſecutus eſt, de qua re ſatis copioſè ſuperiùs diſſeruimus

Quinta ratio mendoſè à Magdeb. adinuenta.

» Sequitur ſexta, inquiunt, ratio, quia in vetere teſta-
» mento Moiſes, & Aaron primi erant, ergo ſi ortæ fue-
» rint difficiliores cauſæ, ad ſanctæ ſedis apicem, quaſi ad
» caput ſunt referendæ.]

Repetamus ſuperiora, vt videamus, quemadmodum

Magdeburgen. inuertentes, quæ rectè collocata erant, hanc rationem, tanquam falſam ad obiiciendum compoſuerunt, cum ſit alioqui vera. Dixerat enim Anacletus conceſſum eſſe beato Petro à domino, vt omnibus Apoſtolis præeſſet, quamuis omnes eſſent Apoſtoli, & hanc formam relictam eſſe ſucceſſoribus, Primatibus ſcilicet, & Archiepiſcopis, ac reliquis epiſcopis, nempe vt Primates, & Archiepiſcopi epiſcopis ſuis ſimiliter præeſſent, quamuis omnes eſſent epiſcopi. ſubiunxit poſtea idem Anacletus, non ſolùm hoc in nouo teſtamento eſſe conſtitutum, ſed etiam in vetere fuiſſe, vnde ſcriptum eſt, inquit, Moiſes, & Aaron in ſacerdotibus eius, id eſt, primi inter eos fuerunt quæ perinde ſunt, ac ſi diceret, non hoc in nouo tantum teſtamento factum eſſe, vt ſint epiſcopi, qui aliis epiſcopis præſint, ſed in vetere etiam factum eſt, vt eſſent ſimiliter ſacerdotes, qui præeſſent ſacerdotibus licet omnes eſſent ſacerdotes, vt Moiſes, & Aaron, qui fuerunt primi, & ſummi ſacerdotes: hi enim ſoli, vt beatus Damaſus in epiſtola quarta ſcribit, præcipiente domino, in tabernaculo Dei erigebant altare: ſoli vngebant: ſoli ſacerdotes ſacra vnctione inſtituebant, & alia, quæ ad ſummum ſacerdotium pertinebant, agebant, quoniam ſummi, inquit, domini ſacerdotes erant: ſicut de eis ſcriptum eſt. Moiſes & Aaron in ſacerdotibus eius. Paulò poſt ſubiungit idem Anacletus, ſi quæ verò cauſæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius ſanctæ ſedis apicem eas, quaſi ad caput referte, vt Apoſtolico terminentur iudicio. hoc autem ſic faciendum eſſe, probat, cum ſubiicit inquiens, quia ſic dominum velle, ab eoque ita conſtitutum eſſe, antedictis teſtimoniis declaratur. Videamus ergo, quæ antedicta teſtimonia dicat, & vtrum ex illis ſequatur, quod ſanxit, difficiliores cauſas ad Pontificem referendas eſſe. ſcilicet duo teſtimonia Paulo ſupra recitauerat, alterum, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorũ, & quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo: Sanè quidem ſatis

hoc teſtimonio conſtat, poteſtatem ligandi & ſoluendi primum datam eſſe beato Petro: ex quo efficitur, vt per eum, cui primum & ſpecialiter data eſt, ad alios epiſcopos tranſlata ſit, vt etiam ex epiſtola priore beati Zepherini intelligi poteſt, ex quo rurſus ſequitur, vt reliquos epiſcopos nemo poſſit ligare, aut abſoluere præter primum, in quo eſt principalis poteſtas ligandi & ſoluendi: eadem verò ratio eſt de reliquis cauſis maioribus, & difficilioribus ad Pontificem referēdis, quæ de ſummis iudiciis epiſcoporum. Alterum teſtimonium ex antedictis fuit Moiſes, & Aarō in ſacerdotibus eius, id eſt, primi inter eos fuerunt. quod ſi Moiſes, & Aaron primi fuerunt in ſacerdotibus, & vmbram habebat lex futurorum bonorum, fuerunt igitur Moiſes, & Aaron vmbra eorum, qui in eccleſia noſtra, cuius vmbra erat Moſaica hierarchia, primi, & ſummi ſunt in ſacerdotibus, id eſt, vmbra eorum, qui ſunt epiſcopi, ita vt ſicut Moiſes, & Aaron ſic erant ſummi, & primi in ſacerdotibus, vt tamen Moiſes eſſet fratris νομικὸς ἱεροτελεστής, vt Dionyſius Areopag eum vocat, id eſt, conſecrator eius legitimus, & illius veteris hierarchiæ ἡγεμών, id eſt, dux, & præfectus, ad eúmque ſi quid difficilè, & ambiguum erat, referendum eſſet, vt dominus conſtituerat, ſic in primis, ac ſummis ſacerdotibus, id eſt, in epiſcopis neceſſe ſit, eſſe vnum primum, cuius vmbra Moiſes fuerit, cuius auctoritate cæteri epiſcopi conſecrentur, & ad quem difficiliores cauſæ referendæ ſint. vt iam ſic ſit aduerſus iſtos argumentandum, tam bene conſtituta eſt hierarchia noui teſtamenti, quam fuit Moſaica, at Moſaica hierarchia ita erat conſtituta, vt difficiliores cauſæ ad Moiſem, tanquam ad ſummum & primum iudicem referrentur, quæ erat optima, & diuina conſtitutio, ergo in nouo quoque teſtamento ad Pontificem, qui eſt euangelicus Moiſes, difficiliores item cauſæ referendæ ſunt. Quis ſanæ mentis huic rationi non aſſentiatur? Addunt deinde Magdeb. Victor epiſt. 1. ſic argu
» mentatur, Petro dictum eſt, Quæcunque ligaueris ſu-
» per terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſol-
» ueris ſuper terram erunt ſoluta & in cœlo, ergo appel-
» landum eſt ad ſedem Romanam.]

Hoc quoque enthymema Magdeburgēſes nō malè compoſuerūt ex verbis, ac ſententia Victoris. Sic enim ille ſcripſit. Quamquam à comprouincialibus epiſcopis accuſati cauſam Pontificis, id eſt, epiſcopi ſcrutari liceat, non tamen inconſulto Romano Pontifice, permiſſum eſt: cum beato Petro Apoſtolo non ab alio, quàm ab ipſo dictum ſit domino, Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæ ſequūtur. verum hoc enthymema non intellexerunt iſti, quā vim haberet: in quo qui ſuperius concedat, id eſt, dictū eſſe Petro, quæcunque ligaueris &c. neceſſe ſit inferius concedere, id eſt, eſſe eum appellandum, quoties neceſſitas cauſæ poſtularit. etenim ſi cum ſpecialiter dictum eſt Petro, vt principi Apoſtolorum, cui iuſſit dominus firmare fratres, & pro cuius fide ſpecialiter orauit, quæcunque ligaueris, & quæ ſequuntur, data eſt ei auctoritas interdicendi aliis eccleſiam, niſi prius per ſatisfactionem reconcilientur, hoc. n. inter alia eſt ligare, vt S. Eutychianus martyr & Pontifex in epiſt. 2. interpretatur: & vt eſt in omnibus eccleſiis Orientis, & Occidentis conſuetudo, conſequens eſt, vt quiſquis ab alio in cauſa ſua ſatisfieri ſibi iure poſtulet, ad eū poſſit ſpecialiter confugere, vt fulciatur & releuetur, cui data ſit ſpecialiter prima poteſtas ligandi, id eſt, interdicendi eccleſiam, vſque ad ſatisfactionem. quare vt Victor Pontifex ex eo, quod Dominus dixit ſpecialiter beato Petro, quæcunque ligaueris, &c. cōcluſit enthymematicè, non licere inconſulto Pontifice cauſam epiſcopi accuſati ſcrutari, ſic ex eodem propoſito potuit idem ſimiliter concludere, ſi voluiſſet, ad ſedem apoſtolicam appellādum eſſe. Sed propter artificioſos iſtos, & expolitos diſputatores redigamus argumentationem enthymematicam, quam reprehenderunt, in ſpeciem, ac formam argumentationis pleniorem, ex qua appareat, neceſſe eſſe ratione connexi, quem dialectici medium terminum vocant, ex propoſitis effici, quod concluditur in hunc modum, cui data eſt ſpecialiter poteſtas interdicendi aliis, eccleſiam, niſi prius per ſatisfactionem reconcilientur, eidem ſpecialiter conuenit, vt eundem poſſint cæteri omnes appellare:

Quomodo ex principali poteſtate ligandi ſequitur ratione connexi ius appellandi ad ſedem Rom.

indices locorũ proponere? niſi vt hac ſpecie oſtentationis more circulatorũ ſuis diſcipulis illudãt. Sed videamus pauliſper Magdeburgẽſes vobis ne, an nobis teſtimonia iſta, quæ nominaſtis, cõueniant, quæ conſciẽtia veſtra non eſt paſſa recitari? ergo 1. Tim. 4. ſpiritus, inquit, manifeſtè dicit, quod in nouiſſimis temporibus diſcedent quidã à fide attẽdentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ in hypocriſi loquentiũ mendacium, & cauteriatã habentium conſciẽtiã, prohibentiũ nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendũ cum gratiarũ actione fidelibus & iis, qui cognouerunt veritatẽ: quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendũ, quod cum gratiarũ actione percipitur: Sãctificatur enim per verbũ Dei & orationem.]

Quomodo quæ Magdeb. capitibus tãtum indicatis afferunt aduerſus nos, aduerſus eos potius faciant.

Reſpondete nobis Magdeburgenſes, vtri noſtrum à fide diſceſſerunt, nos ne, in quibus permanet, quod ab initio audiuimus, vt veſtræ etiam centuriæ teſtes ſunt? qui idem ſapimus, ad quod principio venimus, & in eadẽ regula permanemus, & ſicut docent, qui verbo Dei miniſtrant, in omnibus eccleſiis catholicorũ, quæ quæ vbique ſunt, & ea tenemus, quæ per teſtes omniũ ſæculorum, & omnium eccleſiarum mũdi audiuimus? an vos potius diſceſſiſtis, in quibus quod ab initio audiſtis, & maiores veſtri audierunt, non permanet? qui inter Lutheranos tantum, & quæ per Lutheranos tantum teſtes audiſtis, docetis? qui ne in veſtris quidẽ dogmatibus idem ſemper ſapitis, vt teſtis eſt Auguſtana confeſſio toties à vobis emendata & refecta, neque tamen omnibus veſtræ ſectæ alumnis probata? Si ſumus nos de quibus Apoſt. prædixit, ſi nos inquã à fide diſceſſimus, producite antiquos & graues teſtes, qui dicant, quando fuit nobis alia regula fidei, vnde diſceſſimus? (hoc enim neceſſe eſt: ſiquidẽ nemo inde diſcedit, vbi nunquam fuit) quando alia dogmata profeſſi ſumus? Sed ô, pulchrum commentum, quod excogitaſtis dignum iis, quos decipitis. cum enim in omnium ſæculorum auctoribus catholicis eandem regulam fidei & doctrinæ noſtræ reperiatis, qui clariſſimè teſtantur, nunquam nos à fide diſceſſiſſe: vos Doctores omnes ſanctos, ipſos etiam ſanctorum Apoſtolorum

Demonſtratio euidens non nos ſed Lutheranos ab eccleſia diſceſſiſſe.

Vnde ortũ conſilium Magd. ſcribendi centuries.

nit ſonus eorum. nunquid maiores veſtri ſuperioribus ſæculis, nunquid Galli, nunquid Hiſpani, nunquid Itali, nunquid Afri, nunquid aliæ gentes catholicorũ non audierunt? & quidem reſpondet Paulus, in omnẽ terram exiuit ſonus eorũ: & in fines orbis terræ verba eorum. & Paulus Apoſtolus teſtatur fidem Rom. eccleſiæ annunciatam eſſe vniuerſo mundo. cum igitur vos à fide diſceſſeritis, quia quod per patres maioreſq́; veſtros ab initio audiſtis, non permanet in vobis, & vt idẽ Apoſtolus ad Colo. ſcribit, non permanſiſtis in fide fundati & ſtabiles, atque immobiles ab ſpe euangelij, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt, ſequitur vt vobis conueniãt illa quæ in eodem loco epiſt. ad Tim. ſequuntur, attendẽtes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium. hæc eſt enim veſtra hypocriſis, qui ſimulatis tradere vos purum euangeliũ iis, quos decipitis, libertatem illis promittentes, cum ſitis ipſi ſerui corruptionis: Sic enim fictis verbis de illis in auaritia negotiamini, quibus iudicium iam olim nõ ceſſat & perditio veſtra non dormitat. vos cauteriatam habetis conſcientiam, quia nullum ſenſum veſtrorum malorum habetis. hactenus de dogmatum & doctrinæ catholicæ fide, à qua non à nobis, ſed à vobis diſceſſum eſſe, licet more veſtro negetis, quantum loci, & breuitatis ratio patitur, demonſtratum eſt. Quia verò hæc fides dogmatum & doctrinæ tametſi neceſſaria ſit ad ſalutem animarum, tamen ſi à charitate ſeiungitur, nihil ſicut Apoſtolus docet, prodeſt, noſſe & credere omnia myſteria: videamus etiam de ea fide, quæ in Chriſto valet. ſicut idem Apoſtolus ad Galatas ſcripſit, Vtri noſtrum ab illius profeſſione diſceſſerunt? cõſtat. n. non nos, ſed vos diſceſſiſſe: ſi quidem fidem ſolam & charitate nudam prædicatis: & hanc in Chriſto cõtra verbum eius valere profitemini. Nos contra ſicut ab initio S. Apoſtoli tradiderunt, & ſicut patres & maiores veſtri ſemper profeſſi fuerunt, fidem cum charitate coniunctam valere in Chriſto profitemur, & ſine ea mortuam eſſe. nunquam nos ab huius fidei prædicatione diſceſſimus. & ſi. n. epiſtolam beati Iacobi

Coloſſ.1.

Quæ ſit hypocriſis magiſtrorum Luthe. ab apoſtolo prænũciata.

2.Pet.2.

Vtri à fide, quæ in Chriſto valeat, diſceſſerit.

contra auctoritatem omnium eccleſiarum, quæ ſub cœlo ſunt, negetis, ſicut propheta veſter Martinus Lutherus vobis reuelauit, quæ fidem ſine operibus mortuam eſſe teſtatur, ac proinde nihil valere in Chriſto, ex cuius fide, vt ait Propheta, iuſtus viuit, tamen ne vobiſcum de hac epiſtola contendamus. ſatis nobis eſt contra errorem veſtrum auctoritas Pauli, cuius epiſtolam ad Galatas recipitis. in qua idem cum Iacobo fratre Domini ait, ſi quis verba, ex quibus elicienda eſt ſententia, ſciẽter interpretetur nam in Chriſto, inquit, Ieſu neque circuncifio aliquid valet neque præputiũ, ſed fides quæ per charitatem, ſiue dilectionem operatur, id eſt, in actu, ſiue in opere eſt illud. n ἐνεργεῖται in græco, ſiue ἐνεργουμένη neceſſe eſt patiendi modo accipere ſecũdum regulas Grammaticorũ & vſum græcæ linguæ ſicut accipitur omne item participium, & verbum medium. cum abſolutè ſiue vt Grammatici loquuntur, intranſitiuè dicitur, hoc eſt ſine caſu actiuæ conſtructionis. docui hoc prolixè in dogmatico meo de iuſtificatione, collatis omnibus aliis locis epiſtolarum Pauli, in quibus ſic neceſſario, id eſt, paſſiuè hoc participium ἐνεργούμενος ſiue ἐνεργουμένη, & verbum ἐνεργεῖται. accipitur. Vt ſi quis contradicere velit, patum ſe in ſtudio linguæ græcæ profeciſſe probet. Si quis tamen tantum ſibi promittit, redarguat, ſi poteſt, & doceat: vel doceri patiatur. notaui etiam locos veteris ſcripturæ apud 70. de eo, qui fidem per dilectionem operatur; locos dico in prou. cap. 12. & in Eccle cap. 15. Vt iam quod eſt in latina interpretatione, fides, quæ per dilectionem operatur, vt verbum operatur græco reſpondeat, patiendi modo accipiendum ſit à verbo opero, operas, ſicut ſcriptura ſancta vti ſolet verbo cõſolari patiendi modo à verbo conſolo, conſolas, quare cum fides vt in Chriſto valeat, per dilectionem operãda ſit, & exercenda ſecundum apoſtolum, conſequens eſt, vt dilectio ſit inſtar formæ, per quam fides inſtar materiæ ἐνεργεῖται id eſt actuatur, vt hoc verbo interim explicãdi cauſa vtamur. itaque ſicut corpus μὴ ἐνεργούμενον διὰ ψυχῆς, id eſt, dum non agitatur, per animam, neceſſe eſt, vt mortuum ſit, ſic fides μὴ ἐνεργουμένη διὰ

Quomodo ſit neceſſario ſecũdum virtutem verborum intelligendum quod ait apoſt. fides, quæ per dilectionem operatur.

Prouer. 12.
Eccl. 15.

ἀγάπης. id eſt, non actuata, vt ita dicam, per charitatē. ſiue dilectionem, mortua eſt.

Quomodo illud prohibentium nubere non in nos competat, qui ad nuptias iuſtas quandoque hortamur, & quomodo lutherani Magiſtri, dum omnibus laxant habenas libidinū, ſponſionē fidei negare docent contra ſcripturam Pauli expreſſam, & de grauiſſima interpretatione Synodi 4. Carthaginenſis in locum Pauli de illis viduis, quæ primā fidem negauerunt, & de interpretatione loci Cypriani de Virginibus, & qui hæretici ſint, quos Apoſtolus prædixit prohibituros nubere: deinde de prohibentibus cibos, & quid Clem. in conſtit. Apoſtol. ſcripſerit de abſtinendo à cibis, & quid Cyrillus Hiero. quid item ex epiſtola Pauli intelligatur, cum Timotheum prohibuit, ne aquam biberet propter ſtomachum. Caput 16.

HActenus de fide: à qua nouiſſimis diſceſſiſtis iuxta prophetiam beati Pauli Apoſt. in cuius vos epiſtolis difficilia intellectu ad veſtrā perditionē deprauatis: vt illud quod ſtatim. Sequitur prohibentiū nubere. quod quidē vobis, vt verū fateamur, nō cōgruit, neq; de vobis prædictū eſt, ſed peius eſt, quod dū malè hoc iſtud intelligēdo deprauatis, aliud æquè impiū facitis, habenas n. libidinis omnibus laxatis, qui omnibus nuptias permittetis, & ſponſionē fidei negare docetis: de nobis verò falſum loquimini, nec n. nos vt fingitis, nuptias iuſtas prohibemus, quas iuxta verbū Dei honorabiles eſſe ſcimus: & ad eas ſecūdum Apoſtolum eos, quibus licet, ſi non continent, hortari ſolemus. imò in hac ipſa epiſtola Clemen. quam vos negatis, presbyteri monentur curare, vt maturè iuuenes matrimonia ineant, quo iuuenilis libidinis laqueos anticipent: idem quoq; præcipitur in 4. lib. Clem. de apoſtolicis conſtit. dare inquam operam, vt iuuenes tempore ad coniugium maturo matrimonio iungantur, ne, inquit, in ipſo flore ferueſcentis ætatis ſe meretricibus dedant. Vt, iam hoc ſit, quod Paulus ait, ſi non continent, nubant, *1. Cor. 7.* melius eſt enim nubere, quam vri. & in epiſt. ad Tim. *1. Tim. 5.*

volo ergo iuniores nubere,filios procreare, matres familias eſſe:nullam occaſionem aduerſario dare maledicti gratia.illis verò viduis cum eodem Apoſt. Paulo nuptias prohibemus, quæ Deo non nubere promiſerunt,quæ ſi nubant,aut nubere velint, primam fidem ad damnationem ſuam irritã faciunt. quia,vt ait Theodoretus hunc locum interpretans,Chriſto erant dedicatæ, & aſcriptæ, vt pudice in viduitate viuerent: & apoſtolica traditio à Clemente Rom.in tertio libro de cõſt. apoſt. ſcripta de huiuſmodi viduis iterum,inquit, nubere poſt promiſſionem ſceleratum eſt, nõ propter coniugium ipſum,ſed propter mendacium. eſt autem hic locus Pauli grauiſſima auctoritate à 4. Synodo Carthag.explicatus:& canone eius 4. ſancitus. Sicut, inquit, bonum eſt caſtitatis præmium, ita & maiore obſeruantia,& præcepto cuſtodiendum eſt. Vt ſi quæ viduæ quantum libet adhuc in minoribus annis poſitæ, & matura ætate à viro relictæ ſe deuouerunt Domino,& veſte laicali abiecta ſub teſtimonio Epiſcopi, & eccleſiæ religioſo habitu apparuerint poſtea verò ad nuptias ſæculares tranſierunt, ſecundum Apoſtolũ damnationem habebũt,quoniam fidem caſtitatis, quã Domino vouerunt,irritam facere auſæ ſunt.tales ergo perſonæ ſine chriſtianorum communione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum chriſtianis communicent. nam ſi adulteræ coniuges reatu ſuo ſunt viris ſuis obnoxiæ,quanto magis viduæ,quæ religioſitatem mutauerunt,crimine adulterij notabuntur,ſi deuotionem,quam Deo ſponte non coactè obtulerunt, libidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſecũdas nuptias tranſitum fecerunt?quæ & ſi violentia irruente,ab aliquo præreptæ fuerint,ac poſtea delectatione carnis ac libidinis permanere in coniugio, raptori, vel violento viro conſenſerint,damnationi ſuperius comprehenſæ tenebuntur obnoxiæ.de talibus ait Apoſtolus,cum luxuritatæ fuerit,nubere volunt, habẽtes damnationem quia primã irritã fidẽ fecerũt. Aurelius epiſt. Carthag. eccleſiæ ſubſcripſit. Similiter omnes epiſcopi ſubſcripſerunt ducenti quatuor. Dicent fortaſſe Magdebur. næuum fuiſſe hunc Synodi Carthag. id eſt, ducentorũ quatuor

An conueniat nobis illud in prophetia Pauli prohibentium nubere.

Fortaſſe in 204 epiſcopis næuũ reperiũt Mag.

quatuor epiſcoporum, vt illis pergant illudere, quos illudendos à Satana ſuſceperũt. Ad illud verò, quod hic hæretici obiicere ſolent ex epiſtola beati Cypriani ad Pomponium, tametſi lib. 2. de dogmatis characteribus verbi Dei, cum de cœlibatu diſputaremus, reſpondimus, tamẽ quia neceſſarium eſt, non pœnitebit hic repetere. ergo de virginibus Deo dicatis, quæ cum maſculis dormiſſe fuerant deprehenſæ ſcribens Cyprianus, quod ſi ſe, inquit, ex fide Chriſto dicauerunt, pudicè, & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt, vt nubãt, quam vt in ignem delitiis ſuis cadãt, non loquitur de virginibus poſt factum votũ, abſit, ſed hoc dicit, cum virgines caſtitatem Deo ſpondent, ſi eo animo ſpondent, vt in ſancto propoſito perſeuerare velint, reſiſtãt fortiter libidini: Sin autem non eſt eis animus perſeuerandi, vt nubant: non enim inquit, vetabantur nubere, ſi ſe continere non poterant. Simile eſt, quod de viduis Gelaſius ait, Vt viduæ, ſi fortè continere non poterant, nullatenus nubere vetabantur, ſic habita ſecum deliberatione promiſſam Deo pudicitiæ fidem debent cuſtodire. in eandem itaque ſentẽtiam beatus Cyprianus de virginibus ſi ſe, inquit, dicauerunt perſeuerent: Si verò perſeuerare nolunt, ne ſe velint dicare: ſed potius nubant. Qui igitur ſint, quos Paulus in epiſt. ad Tim. prohibituros eſſe nuptias prædixit, Sãctus Sixtus ſecundus in epiſt. de caſtitate de illis, inquit, intelligendum eſt, qui vt malum, nuptias damnant, & nõ à Deo inſtitutas credunt: nec illos nubere ſinunt, quibus hoc Apoſtolus indulſit, Manichæi ſcilicet, & Marcioniſtæ, qui alium nuptiarum, alium virginitatis Deum credunt. nos verò, inquit, eundem confitemur: & non dãnamus nuptias, nec incontinentes nubere prohibemus. Hactenus de prohibentibus nubere, quod vt nobis non conuenit, ita nec illud quod ſequitur, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & eis, qui cognouerunt veritatem, quin potius ſicut apoſtolica conſtitutio in lib. 6. Clem. præcipit, omnem creaturam Dei bonã dicimus, & nihil abominabile: omne quod ad alendum

De Cypriani ad Pomponium epiſ. quã hæretici obiiciunt de virginibus.

De decreto Gelaſii congruẽte cum epiſtola Cypriani, & eam explicãte.

De quibus nam apoſtolus prædixerit, prohibituros eſſe nuptias explicauit Sixtus ſecundus.

Conſtitutio apoſtolica de cibis ſumendis.

corpus iuſtè percipitur, optimum: omnia enim ſecundam ſcripturam valde bona. hactenus conſtitutio. qui dixit iuſtè percipitur ſatis ſignificauit, aliquãdo iniuſtè percipi, ac proinde iuſtè prohiberi poſſe, vt ratione valetudinis, aut eccleſiaſtici ieiunij. hanc autem apoſtolicam traditionem vſque in hodiernum diem vbique, niſi vbi vos docetis, tenet eccleſia catholica. de huiuſmodi ciborum laudabili & religioſa abſtinentia Cyrillus Hieroſolym. ante mille ducentos annos, ſicut eccleſia Hieroſolymitana, cui præerat, à S. Apoſtolis didicerat. & acceperat, ſcribens in 2. Catecheſi aliquæ, inquit, animæ ſe polluunt dum vtiles cauſas edẽdi, aut non edendi ignorant. ex eorũ numero ſunt Lutherani. Sequitur, etenim. cum ieiunamus, à vino & carne nos abſtinemus, non quod auerſemur, aut abhorreamus, ſed quod mercedem inde expectemus: vt contemnendo, quæ ad ſenſus pertinent, ſpirituali menſa fruamur: & vt ſeminando nunc in lachrymis, futuro ſæculo in exultatione metamus. deinde ſubiungit, ne igitur contemnas eos qui manducant, & propter imbecillitatem corporis cibum capiunt: neque vituperes eos, qui vtũtur modico vino propter ſtomachum, & frequentes infirmitates, neque condemnaueris eos, tanquam peccatores: nec oderis carnes tãquam aliena: ſciebat enim Apoſtolus eſſe aliquos tales, cum dixit prohibentium nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit, vt ſumerent fideles cum gratiarum actione. Deinde ſubiungit, ne ergo abſtineas te à cibis, quaſi execrabiles ſint: ſic enim abſtinentem nulla te merces manebit: ſed contemne, tanquam bonos propter meliora bona ſpiritualia tibi propoſita. hactenus Cyrill hieroſolym. infinitos poſſem producere, pro eccleſiaſtico ieiunio, quo eccleſia noſtra vtitur. producant Magdeburg. vel vnũ tantum ex antiquis catholicis, qui dicat, aut non eſſe ieiunandum ex præſcripto legis: aut in ieiunio nõ eſſe à carne abſtinendum. Quæſo vos Magdeburgen. qui ſcripſit Timothæo, te ipſum caſtum cuſtodi noli aquã bibere, ſed vtere modico vino propter ſtomachum & frequentes tuas infirmitates, an exiſtimatis, ſi ille robuſto, & bene valente ſtomacho fuiſſet, nõ fuiſſe Pau-

Cyrillus hier. de cibis.

Lutherani cauſas edendi, & non edẽdi ignorant.

Magd nullum ex veteribus catholicis producere poſſunt qui improbet ieiunia, quæ ex legis præſcripto fiunt.

lum laudaturum, quòd aquam biberet? quis ſanæ mētis hoc neget? præſertim cùm eſſet Timo. adoleſcens, & caſtum eſſe Paulus iuberet: ſcitis autem vos verum eſſe, quod dixit comicus, ſine Cerere & Baccho frigere venerem. Cur igitur quod laudaturus erat Paulus in Timotheo quodque ſponte, vt melius caſtitatem tueri poſſet, faciebat, non ſit laudabile cuiuis Chriſtiano, & ad libertatem euangelii pertinens, ſiquidem poſſit ad exemplum illius abſtinere à vino & carne: & iis cibis vti quibus corpus quidem ad naturæ neceſſitatem alatur & citra iniuriam valetudinis ita caſtigetur, vt à ſeruitute corruptionis & concupiſcentiæ liberetur? an licebit medico cibum ægroto interdicere, & id nemo ad ſeruitutem pertinere dicat in curando corpore, & non liceat medicis animorum ad curationem animæ cibū aliquando & potum interdicere? aut ſi id fiat cōtinuò contra libertatem euangelij, id eſt, contra libertatem carnis fieri clamabitis? vos enim, vt de aliis ſimilibus Iudas Apoſtolus ſcripſit, Domini noſtri gratiā in luxuriam transfertis. Timoth ergo quia ſibi vinū prohibebat, adde etiam & carnem, ſiquidem corpus ſuum ieiuniis ad cuſtodiam caſtitatis, vtpote adoleſcens macerabat, iam ex iſtis erat, quos Paulus prædixit nouiſſimis diebus à fide receſſuros. Denique ſi ij, qui à cibis, aut vino abſtinent ieiunando vt catholici facere ſolēt, à fide diſceſſerūt, (quid enim intereſt abſtinere à cibis, an à potu vini, cum vtraque ſit creatura Dei?) edite ergo vos & bibite, ac plaudite, quibus iſta placet comœdia. Vtinam cras non moriamini, & ſepeliamini in inferno cum Epicuro, & Epulone: apud nos verò vtinam tam ſtudioſe ieiunarent omnes, qui valent, quam ſancta & Deo grata, atque animis & corporibus ſalubria ieiunia eſſe credimus, & experimur vtinam omnes iuuenes ad cuſtodiam caſtitatis faciliorē Timoth. imitarētur, non dico vſque ad offenſionē ſtomachi vinum ſibi interdicerent, ſed ſaltem citra incommodum valetudinis plus aquæ miſcerēt: quia caro inquit Marcus Anachoreta in epiſt. ad Lyciū, ſi pinguis ſit, aut iuuenis, aut humidior, facilè excitatur ad libidinē: idcirco præcipit idē, vt iuuenis vinū omnino ne oleat quidē:

1. Tim. 5. Exēplo Timothei redarguitur improbatio delectus ciborū & potus.

Qui in ieiuniis delectū ciborum improbant, cum Epicuro, & Epulone ſepelientur in inferno.

Marcus Anachoreta ad Lycium.

imò etiam ſatietatem aquæ fugiat: multùm enim, inquit valet ad caſtitatem exercendam humoris vacuitas. Sed refellamus, quæ ſequuntur, quæ contra nos, id eſt, contra epiſtolas apoſtolicorum Pontificum Magd. indicatis tantum locis ſcripturæ attulerunt citãt enim præterea c 2. Tim. 2. contra nos.

Quomodo quæ Apoſt. 2. Tim. 2. ſcribit, nõ in nos, vt Magd. volunt, ſed in Lutheranos potius, cõueniant: & quomodo nos non de verbis cum eis contendimus, ſed de re, & quæ ſit regula ab Apoſtolis tradita rectè tractandi verbum veritatis, & quomodo eam repudiarunt Lutherani magiſtri, Item de profano vaniloquio, quid ſit. & de exemplis eius, & quomodo Lutheranorum, de iuſtificatione ex ſola fide, ſit prophanum vaniloquium, vt illud Himenæi, & Phileti reſurrectionem eſſe iam factam, & quomodo hoc veteres interpretati ſunt, & quomodo in noſtra eccleſia cauetur omne vaniloquium profanum ſtudio inquiſitorum, quo carent Lutherani, & de neceſſitate, & antiquitate huius officii in Eccleſiis catholicorum. Cap. 17.

Ideamus igitur vtrum noſtris conueniant, quæ hic ait apoſt. noli, inquit, contendere verbis ad nihil enim vtile eſt niſi ad ſubuerſionem audientium. Solicitè autẽ cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. profana autem vaniloquia deuita: multũ enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum, vt cancer ſerpit. Primum igitur præceptum hoc de non contendendo verbis bene vtrique noſtrum inter nos ſeruamus. Si enim de verbis tantum pugna noſtra vobiſcũ eſſet, & non de rebus, facilè exemplum magni Athanaſij ſequeremur, qui de iis, qui affirmabant vnam eſſe hypoſtaſim, & rogati quomodo hypoſtaſim acciperẽt, reſpondebant pro ſubſtantia, ita vt nobiſcum ſentirent, vnam eſſe patris, & filii & ſpiritus ſancti ſubſtantiam, ſic ad Antiochenſes ſcripſit, nõ eſſe illos amplius interrogandos, quin potius recipiendos eſſe illorum interpretationem: ſimulq; hortatur, vt ab iis, qui rectè

2. Tim. 2.

Athanaſius ad Antiochenſes.
Non de verbis tantùm, ſed de re diſceptãt nobiſcum Lutherani.

interpretantur, & ſentiunt, nihil aliud requiratur, neq; de verbis diſceptetur: ad nihil enim eiuſmodi contentionem de verbis vtile eſſe. at Lutherani, vt dixi, non de verbis nobiſcum diſceptant, ne tunc quidem, cum de fide iuſtificãte cum eis pugnamus. nos enim fidem ſine charitate, per quam in ipſo etiam baptiſmo paruuli fides perficitur, nihil ad ſalutem valere profitemur: iſti verò ſolam, & nudam fidem prædicant quod quidem audientes ſubuertit facit enim hæc doctrina, ne curã habeant bonorum operum, dum perſuaſum habent, poſſe hominem placere Deo per ſolam fidem, ſine vllo actu charitatis, nec elicito, nec imperato. Sequitur in epiſt. Pauli, cura te ipſum exhibere operarium inconfuſibilem. hoc verò quomodo Magdeburgen. implẽt? qui tradunt cum reliquis magiſtris Lutheranorum, poſſe hominem exhibere ſe Deo δόκιμον, id eſt, probabilem per ſolam fidem. & cum Paulus Apoſtolus vtrumque vno loco iunxerit δόκιμον θεῷ, καὶ ἐργάτην id eſt, probabilem & operarium inconfuſibilem, iſti qui nouam ſectam introducunt, alterum ab altero ſeparãt, vt probetur eis per ſolam fidem, qui ſecundum Apoſtolum non probatur Deo ſine opere, vnde operarius eſt, & dicitur. eſt ne hoc rectè tractare verbum veritatis? habetis ne vos Magdeburgen. poteſtatem commendandi, & exhibendi Deo probabilem ſine opere, quem Deus non commendat, neque probat, nec Apoſtolus eius Paulus? Sed videamus quod ſequitur, rectè tractantem verbum veritatis. nos regulam τῦ ὀρθοτομεῖν id eſt rectè tractandi verbum recitatis ex Paulo Apoſtolo didicimus, cũ in epiſt ad Philipp. admonet, vt ſi quid aliter ſenſerimus, ita à Deo reuelandum eſſe credamus, vt tamen idẽ ſapiamus, ad quod prius venimus. hoc enim ſignificat ἐφθάσαμεν, quod magis adhuc declarat ſubiungens, in eadem regula permaneamus: & cum ad Timoth. ſcribit, inquiens, tu autẽ permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris. interrogate vos Lutherani centuriatores veſtros, & alios ſuperintẽdentes, vt vocatis, an permaneant in iis, quæ per patres & maiores ſuos didicerũt? & an ſciant, ex quo iſta, quæ tradunt, didicerint, niſi ex

Quod ſolam & nudam fidem prædicare audientes ſubuertat.

Luterani magiſtri cõmendant apud Deum per ſolam fidẽ, quẽ Deus non commendat, nec Apoſtolus eius ſine opere.

De regula rectè tractandi verbum veritatis, vnde eam nos didicerimus.

Philip. 3.

2. Tim. 3.

m iij.

Polycarpus in epiſt ſua

Lutherani ex nullis ſucceſſoribus apoſtolorū diſcere volēt, nec habere vllos in eccleſia doctores.

Eph 4.

proprio eorum propheta Martino Luthero. an non eſt hoc μεθοδεύειν verbum Dei, vt ait beatus Polycarpus in epiſt.ſua, id eſt, circumuenire potius, quàm rectè tractare ſiquidem vt non haberetis ſucceſſores vllos Apoſtolorum ex iis qui ea nobis tradiderunt, quæ ab ipſis Apoſtolis per ſucceſſiones in eccleſiis acceperūt.neq; doctores vllos antiquos, quos Deus dedit eccleſiæ ne circumferantur homines omni vento doctrinæ, vos in aſtutia, ſicut Apoſtolus ait, εἰς μεθοδείαν τῆς πλάνης, id eſt, ad circumuentionem erroris omnia dogmata noſtra vobis nō conſentientia, quæ in illis antiquis patribus legitis. næuos & corruptelas, & inclinationes doctrinæ eſſe finxiſtis. Quæro iterū eſt ne hoc ὀρθοτομεῖν, id eſt, rectè tractare verbum veritatis? an μεθοδεύειν id eſt, circumuenire? Sequitur in Paulo, profana autē vaniloquia deuita: multū enim proficiūt ad impietatem, & ſermo eorum, vt cancer ſerpit, eſt κενοφωνία, id eſt vaniloquium, vt Olympiodoru in comm. Iob cap.32. interpretatur, cùm aliquid dicitur, quod intelligi non poteſt, neq; probari, vtrum ita ſit. Vnde promiſit Elius dicturum ſe, quæ illi tres amici Iob intelligere poſſent, quod erat loqui vſque ad eos ſic enim dixit exemplū verò huiuſmodi vaniloquij, ſiue commenti fabuloſi eſt illud Hymenæi, & Phileti, eſſe ſcilicet iam factam reſurrectionem, ſiue illi ſucceſſiones liberorum reſurrectionem eſſe profanè interpretarentur, vt Theodoretus putat: ſiue remunerationem cuiuſque, vt beatus Cyrillus, qui diſputationem ſcripſit aduerſus eos, qui ideo aiebant iam factam eſſe remunerationem cuiuſque pro meritis, quod non dixiſſet Dominus in euang. cum de diuite & mendico loquitur, mendicus quidam, ſed Lazarus vt ipſa, inquiunt proprij nominis appellatione demonſtraret, iam eſſe factam re & veritate remunerationem: ſiue reſurrectionem interpretarentur vitam hominis iuſti in carne mortali: vt quidā auctor noſtri temporis in 4. lib. de locis Theologicis exiſtimauit: ſiue quid aliud vanitatis. exemplum quoque huiuſmodi vaniloquij ait Iuſtinianus Imperator in Nouel.146 eſſe Deuteroſos Iudæorum, quas illi dicunt traditiones ſapientum à Moiſe acceptas, à quibus

Quid ſit vaniloquū, & quæ exempla eius.

Iob.32.

De vaniloquio dicentium, iam factam eſſe reſurrectionem.

Paulus Timotheum, vt matre Iudæum monet, vt caueat: & formam habeat ſanorum verborum, quod idẽ in alio loco dicit. Videamus nunc ſint ne veſtra vaniloquia, & quidem profana, an noſtra? atqui in eccleſia noſtra nihil traditur, quod non ab omnibus intelligi poſſit: & ab eo qui tradit, demonſtrari ita eſſe, quia ſic acceperit in eccleſia: & ſic in omnibus eccleſiis doceatur. ſi quis verò euangelizet præter id quod accepit, & eccleſiæ traditum eſt, ſit anathema & ſi quis eccleſiæ ſuſpectus eſt, inquiritur in eum: & exploratur fides eius. ita fit, vt neque profana vaniloquia, neque ſermo vllius corruptus, tãquam cancer ad impietatem proficiens inter nos ſerpat. atque hæc quidem eſt neceſſitas, & fructus noſtrorum inquiſitorum, qui ſunt in hac parte epiſcoporum adiutores præcipui: (ad epiſcopum enim in primis pertinet, omni diligentia curare, vt quibus præeſt, ſani ſint in fide) quorum munere, & cura nũquã eccleſias apud maiores noſtros olim vacaſſe intelligi poteſt ex 3. lib. Origenis contra Celſum, in quo licet obſeruare ordinẽ τῶν φιλοπευστέντων, id eſt eorum, qui in aliarum vitam & fidem ſtudio ſciſcitandi ad eiiciendũ infames inquirebant. ſic enim ait, apud eos, qui pro viribus oſtenderunt, propoſitum ſibi eſſe. nihil aliud velle, quam quæ Chriſtianis viderentur, fuiſſe quoſdã conſtitutos ad ſciſcitandũ de vita & cõuerſatione cuiuſque, vt ſi qui facerent τὰ ἐπίῤῥητα id eſt aliquid infame, cœtu cõmuni & conſortio Chriſtianorũ prohiberẽtur. erãt igitur tunc ἐκ τῶν ἐπιῤῥήτων id eſt, inter infamia, & profana ea, quæ vos nũc præter ſenſum cæterorum Chriſtianorum, & ſanctarũ eccleſiarum conſuetudinem vultis, vt non obſeruare dies ieiuniorum, non dies feſtos ſanctorum, non orare pro mortuis, non habere religioni vota, non abſtinere à nuptiis ſacrarum Virginũ, non confiteri ſacerdotibus, non ſatiſficare, non venerari imagines ſanctas, & alia huiuſmodi, ne omnia enumerẽ, in quibus qui erãt deprehenſi ex communi congreſſu, ac cõſortio Chriſtianorum ante mille trecentos annos & amplius eiiciebantur, nõ enim alio grauiore ſupplicio vllũ tunc afficere poterat eccleſia, quod nec ethnici Imperatores

2. Tim. 1.

Quare in noſtra eccleſia nõ tradantur vaniloquia, ſed apud Lutheranos.

De officio inquiſitorum fidei, quod ſemper fuit in eccleſia.

& magiſtratus paſſi fuiſſent, vt rectè Remūdus Ruffus iuriſconſultus contra Molinæum obiecit. at apud Lutheranorum magiſtros, qui gratiam euangelij in luxuriam, vt de aliis ſimilibus beatus Iudas ſcripſit, & in licentiam tranſtulerunt, quis huic officio inquirēdi præeſt? quod iudicium apud iſtos exercetur de vaniloquiis profanis, quæ populis traduntur? an non eſt profanum vaniloquium dogma iſtorum de iuſtificatione, quod Theobaldus Thamerus Germanus, qui quinquenniū fuit, vt ſcitis, ex miniſtris Lutheranorum, & iam pridē, quia ex nobis prodierat, & ex nobis erat, ad nos rediit, ſcitè ille quidem, & feſtiuè phantaſma appellare ſolebat, cum de eo aliquando diſputaremus. quid enim vanius aut facilius eſſe poteſt, quam tradere ſola & nuda fide hominem iuſtificari? an non ſuperat omnes chimeras, & hippocentauros, ac tragelaphos, omnes denique fabulas, vt qui manet in morte, viuat? iuſtus enim, ſicut ſcriptum eſt, ex fide viuit, & qui non diligit, manet in morte, ait Ioannes: ſed dicent hic, fidem, cui totam vim iuſtificandi tribuūt, nunquam eſſe ſine charitate, ſic enim nuper quidam ex eis doctor Tubingēſis ſcripſit, atque ita negabunt effici, quod dicimus. at quomodo ait apoſtolus de quibuſdā, confiteri ſe noſſe Deum, factis autem negare etenim ſi confitentur noſſe Deum, fidem igitur habent. at rurſus ſi factis negant, ergo non habent charitatem. præterea quid minus intelligi poteſt quam vt is qui charitatem non habet, ſit amicus Dei? Abraham enim poſtquam credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, vt in Geneſi ſcriptum eſt, dictus eſt ſtare coram Deo, & appropinquare illi, vt eſt in Gen. cap. 18. quod Philon quoque Alexandrinus in libro de migratione Abrahæ obſeruauit: ſtare autem coram Deo, & appropinquare ei eſt eſſe amicū eius, non ſolùm quia beatus Iacobus, cuius epiſtolam negatis, ſic interpretatus eſt, cum ait reputatum eſt ei ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt, ſed quia ſecundum idioma ſcripturæ S. & proprietatem verborū non poteſt, aliud ſignificare ſtare corā Deo & appropinquare ei, quam eſſe amicum eius: quod quidē ſine opere charitatis fieri non poteſt, cum ipſe per ſapien-

Apud Lutheranos non ſunt, qui de fide inquirant.

Quomodo omnes chimeras ſuperet vaniloquiū, quod tradūt Lutherani, iuſtificari hominem per ſolam fidem.

Obſeruatio Philonis in iuſtificatione Abrahæ quæ locū epiſtolæ Iacobi declarat, quādo & vbi amicus Dei appellatus eſt.

Quid ſit ſtare coram Deo, & ei appropinquare.

tiam ſuam dicat, ego diligentes me diligo, & in euangelio, vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæcunque præcipio vobis: & Paulus elegit nos, vt eſſemus ſancti & immaculati coram ipſo in charitate. vt igitur Himenæus & Philetus reſurrectionem aiebant factam eſſe, antequam fieret, ſic iſti ſecundum vaniloquium ſuum iuſtificationem, quæ eſt quædam vita ex mortuis, factam eſſe tradunt, antequam fiat.

Pro.8.
Ioan.15.
Epheſ.1.

Quomodo quæ Magdeb. ſcripta eſſe dicunt de nobis 2. Theſſ. 2. in ipſos quoque propriè quadrent, & in nos nullo modo poßint, & quomodo myſterium iniquitatis in ipſis nunc operetur, tanquam in Antichriſtis, docuiſſe Ioannem in epiſt. ſua. Item collatio eorum quæ Daniel de Antichriſto prædixit, cum præcurſoribus eius Lutheranis magiſtris, & quomodo mira eorum ſimilitudo demonſtretur, & cernatur. De 2. Pet. 2. quomodo quæ nobis falſò tribuũt Magdeb. ipſis verè congruant, vt introducere nouas ſectas, & negare eum, qui redemit eos, & ſequi multos eorum luxuriam, & viam veritatis per eos blaſphemari.

Cap. 17.

SEd tranſeamus ad aliam notationem iſtorum. citant enim deinde contra nos c. 2. Theſ. 2. videamus igitur, quid Apoſtolus dicat loco ab iſtis indicato tantũ, Rogamus autem, inquit, vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtram congregationem in ipſum, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini neq; per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies domini: ne quis vos ſeducat vllo modo. Si vos Magd. cum Luteranis veſtris illi eſtis, quos Apoſtolus rogat, ne citò moueamini à ſenſu veſtro, neceſſe eſt, vt doceatis fuiſſe vos à principio iſto ſenſu: & iſtam diſciplinam, quam tenetis, à principio tenuiſſe patres, & maiores veſtros: at hoc non docetis neque docere poteſtis, imò noſtrum ſenſum, & noſtram diſciplinã vos ipſi in antiquis eccleſiæ ſanctæ doctoribus demonſtratis, quos næuos, & cor-

Quomodo capus epiſt. 2. ad The. quod in nos ſine recitatione indicarunt Magde. in Luteranos conueniat.

Magd. ſuis centuriis ſe iugulãt ſuo indicio pereuntes, & incidentes in foueã quam fecerunt. Nõ poſſunt eſſe Luterani, vt Magd. volunt quibus paulus dicit, rogamus vos, vt non citò moueamini à ſenſu veſtro. Quid ſit apud Paulum moueri à ſenſu ſuo.

ruptelas illorum ſæculorum & inclinationes doctrinæ eſſe dicitis ita fit, vt ipſis centuriis veſtris vos ipſi iugu-letis,& veſtro indicio iuxta prouerbium more ſoricum pereatis, comprehenſi à Domino in aſtutia veſtra, & incidentes in foueam,quam feciſtis. Deinde, ad quos hæc Paulus ſcribit inquiens rogamus vos vt non citò moueamini à ſenſu veſtro, & quæ ſequuntur. eoſdem monet paulò pòſt,quid facere debeant. ne citò per errorem ſeducti,à ſenſu ſuo moueantur: ſtate itaque, inquit,fratres,& tenete traditiones, quas didiciſtis. ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam: vt iam hoc ſit non moueri à ſuo ſenſu. ſ. eſſe ſtabiles. & permanere in eo, quod à principio,ſiue per ſermonem præſentes ſiue per epiſtolam abſentes didicerant. quare cum nihil vos recipiatis præter verbum Dei ſcriptum,atque id quidem contra verbum Dei interpretemini, qua fronte hæc, quæ Paulus hic ſcribit,contra nos citatis? quos enim, vt dixi, Apoſtolus monet, ne moueantur à ſenſu ſuo, eoſdem monet, vt teneant traditiones, ſiue per ſermonem,ſiue per epiſto. quod quidem nos conſtanter facimus,ſicut maiores noſtri, & veſtri etiam ſemper fecerunt: vos verò à noſtris, & veſtris diſceſſiſtis. atque illi quidem, à quibus Paulus cauere rogat & monet, meliùs ſaltem quàm vos hac in parte ſentiebant,qui traditiones ſine ſcripto tenebant: alioqui non diceret Paulus, Rogamus, vt non citò moueamini à ſenſu veſtro, neque terreamini,neque per ſpiritum,neque per ſermonem neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam. Ergo qui ſeducebant & cauendi erant. etiam per ſermonem proprium, tanquam per ſermonem à Paulo ſine ſcripto dictum ſeducebant, ſiue per epiſtolam propriam tanquam per epiſt. à Paulo miſſam: quod quidem hodie hæretici faciunt, cùm per ſenſum ſuum, quem verbo Dei ſcripto attribuunt, tanquam per ſenſum Apoſtoli decipiunt. nihil enim intereſt decipere per epiſtolam, tanquam ab Apoſtolo miſſam, an per ſenſum verbi Dei ſcripti, ab ipſis, tanquam per Apoſtolum expoſiti. verbum enim Dei non eſt in ſyllabis, aut in ſenſu alieno: ſed in ſenſu vero, & proprio. ac rurſus vt magis adhuc intelligatis,non conuenire vobis, quod A-

poſtolus ait, rogamus vos, vt non citò moueamini à ſenſu veſtro, ſimúlque intelligatis, à quo ſenſu roget Apoſtolus non recedere, ſcilicet non a priuato ſenſu ſed à ſenſu aliorum Chriſtianorum communi, legite Origenem tantæ eruditionis, & antiquitatis, quantæ vos eum eſſe ſcitis, qui libro 3. contra celſum tres ordines deſcribit: vnum eorum, qui volebant de religione Chriſtiana audire, fieriq́ue catechumeni. quorum erat ordo ſeparatus: qui autem audiendo, ſatis iam profeciſſe videbantur, vt vellent rectè viuere, nondum tamen baptizati erant, horum erat alter ordo: tertius eorum, qui quoad fieri poterat. oſtendebant ſtudium propoſitúmque ſibi eſſe nihil aliud velle, ἢ τὰ χριστιανοῖς δοκοῦντα, id eſt præterquam ea quæ omnibus Chriſtianis videntur. hoc enim ſignificat, quod dixit χριστιανοῖς id eſt, infinitè ac ſine articulo χριστιανοῖς. Reſpondete igitur nobis Magdeburgenſ & cæteri Lutherani, ex quorum ordine vos eſtis? non enim eſtis ex primis nec ex ſecundis, ſed nec ex tertiis, ſiquidem non vultis tenere, quæ aliis omnibus Chriſtianis videntur, ſed quę Luthero & eius magiſtro Ioanni Vvicleſ viſa ſunt. hoc ergo erat, quod Apoſtolus ad Corinthios ſcripſit ſicut in omnibus eccleſiis doceo, quod quidem per miniſtros Lutheranorum dicere non poteſt, quia non docent aliarum eccleſiarum dogmata. illud præterea, quod Apoſtolus adiunxit, ſiue per ſpiritum, quis non videt non in nos ſed in vos quadrare? erant enim tunc, cum hæc Paulus ſcripſit, qui deciperent, dicentes habere ſe ſpíritum Dei eſſéque Prophetas, vt Theodoretus quoque interpretatur: at in eccleſia noſtra nemini niſi à mente alienatis permittitur hoc de ſe aut exiſtimare, aut dicere: nullus poſt Sanctos Apoſtolos ex catholicis doctoribus, ac ſanctis patribus auſus eſt dicere habere ſe ſpiritum propheticum, at veſter doctor vel potius illuſor Martinus Lutherus auſus eſt dicere ſe Germanicum prophetam, & habere ſe ſpiritum Dei. & cum Apoſt. clarè moneat Theſſal. & per eos cæteros omnes, vt caueant ne decipiantur per ſpiritum, vos contra hãc Pauli Apoſtoli admonitionem eum ſecuti eſtis, qui ſe veſtrum prophetam fecit.

Quod Lutherani non ſunt ex vllo trium ordinum, quos Origenes deſcripſit.

Quomodo, quid Paulus monuit Theſſ. vt viderent, ne quis eos per ſpiritum deciperet, facere voluerunt.

In eccleſia catholicorũ nemo quilibet ſanctus auſus ſe dicere prophetam, vt auſus eſt Lutherus.

Quod myſteriũ iniquitatis non in nobis ſecundũ Magd. ſed in Luteranis ſecundum Paulum operetur.

Sed veniamus tandem ad illud, quod in hoc capite epiſt. Pauli præcipuum eſt: quod nobis tribuunt Magd. & de nobis ſcriptum eſſe blaſphemè fingunt: nam myſterium, inquit, iam operatur iniquitatis. cum demonſtratum anteà ſit non eſſe vos ex eorum numero quos hic Paulus monet, ne citò moueantur à ſenſu. ſed ſtent potius fixi, & ſtabiles in eò, quòd à principio ſiue per doctrinam epiſt. ſcriptæ, ſiue ſine ſcripto didicerint, cōſequens eſt non eſſe vos ex iis, qui rectè ſtant, & cauere debent, ne excidant à recto ſenſu: relinquitur igitur, vt ex eorum numero ſitis, qui vel errant, vel errantes, alios quoque in errorem mittunt. in vobis igitur operatur myſterium iniquitatis. non autem in iis, quos Apoſtolus rogat modò. ſicut olim illos, ne citò moueantur à ſenſu ſuo. quem enim ſenſum dicat. explanat poſteà, ſenſum ſcilicet eis traditum, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam. Quod verò ſit iſtud myſterium iniquitatis, quod iam operatur, ex iis, quæ Daniel de Antichriſto prædixit, intelligere licet. Similia enim atque de illo prædicta ſunt, cernuntur nunc in Antichriſtis, qui ſicut ait beatus Ioannes. nunc multi facti ſunt, vnde, inquit, ſcimus, quia nouiſſima hora eſt: & ſubiungit, vt eos ex ortu, atque origine cognoſcamus, tanquam hæc ſit princeps nota, atque indicium clariſſimum eorum, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: nã ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſet vtique nobiſcum. Reſpondete ergo Lutherani & Magd. nos ne exiuimus ex vobis, an vos ex nobis? ſi nos ex vobis, docete, quando nos veſtram diſciplinam, quam nouellus veſter propheta peperit, profeſſi ſumus qui ab initio in eadem regula fidei & doctrinæ permanemus: ſin verò hoc docere non poteſtis, & vos ex Martini ſchola natos eſſe negare, neque vultis, neq; ſi velitis, poteſtis, quorum patres, imò pleríque veſtrum eadem fidei dogmata prius tenebatis, quæ multi adhuc veſtræ gentis inter vos in veſtris ciuitatibus nobiſcum Deo adiuuante tenent, ſequitur, vt vos ex nobis exientis. ergo vos eſtis Antichriſti, de quibus Ioannes in epiſt. ſua loquitur, illius præcurſores, de quo Daniel, ait. & ecce cornu illud faciebat bellum aduerſus ſanctos, & præualebat eis, donéque venit an-

1. Ioan. 1.

Quod non nos ex Luteranis, ſed Luterani ex nobis exierunt ſecundum ſcripturam Ioãnis.

Quod teſtimonio Ioannis Magd & cæteri magiſtri Luter. ſunt Antichriſti.

tiquus dierum,& iudicium dedit ſanctis excelſi:& tem pus aduenit.& regnum obtinuerunt ſancti. hoc enim plerunque accidiſſe videmus, cum catholici aduerſus infideles victoriam obtinuerunt. Hoc eſt iudicium, quod dedit Deus ſanctis excelſi:& dabit adhuc maius, niſi conuertantur ad dominum,à quo defecerunt. Sed videamus iam iniquitatem Antichriſti in ſcriptura Danielis prophetice delineatam,vt myſterium eius in Antichriſtis, qui nunc facti ſunt, agnoſcamus. & ſermones,inquit,contra excelſum loquetur,& ſanctos altiſſimi conteret: & putabit quod poſſit mutare tempora & leges:id eſt exiſtimabit,quod poſſit religionem,quę illo tempore vigebit,funditus delere, hoc enim eſt mutare tempora & leges. Sic Theodoretus hunc locum interpretatur. Quæſo,vtri noſtrum laborant,vt religio mutetur,nos ne qui in eadem religione, quæ nobis à principio tradita eſt permanemus, an vos,qui religione patrum veſtrorum mutata,à propheta veſtro nouello nouellam religionem accepiſtis? quod ſi vos eſtis, qui religionem, quæ per vniuerſas mundi eccleſias ab antiquis diebus viget,mutare vultis,igitur in vobis tãquam in Antichriſtis operatur iam myſterium iniquitatis illius nouiſſimi Antichriſti,qui hoc ipſum pleniùs facturus eſt:iniquitas,enim illius, quæ nondum apparuit,ſed adhuc latet, vnde myſterium iniquitatis vocatur,in vobis ex parte oſtenditur & eleuabitur, inquit idem Daniel, & magnificabitur aduerſus omnem Deũ, & aduerſus Deum Deorũ loquetur ſuperba. apud nos omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt: omnibus reddimus debita: cui timorem,timorem: cui honorem, honorem ſubiecti omni creaturæ propter Deum ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis. omnes honoramus: omnibus dominis ſeruimus non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.& ſiquis aliud audet, non eſt ei impunè, vos verò quid?an non contra veſtrum Imperatorem in aciem eduxiſtis?an non in Belgica & Gallia conſortes veſtri Luterani & Caluiniani à Regibus ſuis defecerunt? in Pontificem verò ſummum eccleſiæ iudicem à Deo datum quia non poteſtis copias educere, linguas

Dan. 7.

Quomodo quod de Antichriſto. Daniel predixit, iam in Luteranis Antichriſti præcurſoribus aliquãdo impletum eſt.

Myſterium Antichriſti in prophetia Danielis deſcriptum, iam in Luteranis ex parte oſtenſum.

Comparatio eorum, quæ à Daniele de Antichriſto prædicta ſunt cū iis quæ in Luteranis cernuntur de maledictis in Pont. de mutatione religionis, de ſpoliatione templorum, de ſacrificio ſublato.

& ſtilum nocte, & die maledictis, & cōtumeliis, ac blaſphemiis in Deum armatis, & non eſſe ei obediendum docetis an non eſt hoc eleuari & magnificari aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loqui ſuperba? Sequitur in Daniele, & Deum patrum ſuorum non reputabit hoc quoque in vos cōuenit. ſi enim vos Deum patrum veſtrorum reputaretis. nunquam religionem, quam dedit patribus veſtris, mutaretis, vt mutaſtis: ſicut nos non mutamus, quia Deum patrem noſtrum reputamus. Sequitur, & Deum Moazín. id eſt Deum fortem in loco ſuo venerabitur, hoc verò vtris congruit, nónne vobis? imò vobis, vos enim eſtis, qui in patria veſtra, veſtra dogmata ceu Deum fortem colitis: cùm autem ad loca catholicorum venitis, non amplius impunè idem facere vobis licet. ſed aut fugiendū aut diſſimulandum, aut deliteſcendum eſt: nos verò, & in noſtris & in alienis, id eſt, in veſtris quoque locis fidem, & fidei noſtræ doctrinam apertè profitemur. Sequitur in Daniele. & Deum quem ignorauerunt patres eius colet auro & argento. & lapide pretioſo, rebuſq́ue pretioſis. hoc quoque in vos mirificè competit, qui eccleſias catholicorum auro & argento & lapidibus pretioſis ſpoliaſtis, vt dogma Luteri de delendis templis & eorum ornatu coleretis, quod nunquam antea à maioribus veſtris auditum eſt. Sequitur, & dabit eis poteſtatem in multis: & terram diuidet gratuito, ſiue in donis, vt eſt apud 70. nec hoc in nos, ſed in vos potius quadrat. apud nos enim quiſq; poſſidet ſua: nullus in alienam poſſeſſionem irruit. nō licet apud nos per vim diripere & aliis donare de rapina. vos, vos hoc feciſtis, qui eccleſias, & eccleſiarum prædia, & poſſeſſiones occupatis gratis. & dono principum veſtrorū. ergo apud vos ſunt Antichriſti, qui hoc facere docuerunt. Iam verò quod prædixit idem Daniel tollendum eſſe tempore Antichriſti iuge ſacrificium ſiquidem Antiochus, de quo Daniel prophetat, qui hoc in templo Iudæorum fecit typ⁹ fuit Antichriſti, quæro à vobis Magd. de quo ſacrificio accipiendum eſſe exiſtimatis? fortaſſe reſpondebitis de interiore & ſpirituali: at hoc dici non poteſt, hoc enim prohiberi non poterit, reſtat igitur, vt de ex-

Quod Luterani negantes ſacrificium externum in eccleſia, prophetiam Dan. faciunt falſam.

terno accipiendum ſit. ergo eſt in eccleſia catholica ſacrificium externum. aut hæc prophetia Danielis falſa eſt. quod ſi eſt externum ſacrificium in eccleſia catholica, vt quidem eſt. quod Antichriſtus tollet, vbi dominabitur, qui nam ſunt præcurſores eius in quibus myſterium huius iniquitatis iam operatur? nonne vos magiſtri Lutheranorum, qui traditis ſanctam euchariſtiā non eſſe ſacrificium? imò nō ſolùm hoc ſed ipſam euchariſtiam ſuſtuliſtis, cum ſacerdotes ſuſtuliſtis.

Citant præterea Magd. contra nos 2. Pet. 2. ſed nec locum hic recitarunt à conſcientia deterriti. quare recitemus nos, vt intelligant omnes, nobis ne, an vobis congruant, quæ beatus Petrus de hæreticis, qui futuri erāt, hic prædixit, fuerunt verò, inquit, & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis: & eum qui emit eos, negant ſuperducentes ſibi celerem damnationem. reſpondete ergo nobis Magd. vtri noſtrum introducunt nouas ſectas perditionis, & eum qui emit eos, negant ſuperducentes ſibi celerem damnationem: nos ne, qui vt ſæpe diximus, & demonſtrauimus, & res ipſa loquitur, in eadem regula fidei à principio tradita perſeueramus, vt veſtri quoque patres, & maiores perſeuerarūt, an vos, quorū ſecta ante 40. annos ignota erat? Sequitur in epiſt. Petri, & eū qui emit eos, negant. Videamus etiā, an vos Chriſtum, qui nos paſſione ſua redemit, negetis? Paulus enim ait, & conſumatus ſcilicet per paſſionem factus eſt omnibus obtemperātibus cauſa ſalutis æternæ, non dixit omnibus credentibus tantū. aut omnibus per ſolam fidem paſſionem eius apprehendentibus: ſed obtemperantibus, aliud eſt enim credere, aliud obtemperare: fides ex auditu eſt, & ad credendum ſatis eſt aſſentiri auditis: ad obtemperandum nō ſatis eſt. nec enim qui audita credit, continuò audita facit: neq; ſaluus erit, ſi quis credat in patrem & filium & ſpiritum ſanctum, in filium dico propter nos mortuum, & ſuſcitatum, apprehendens per fidem paſſionem eius, vt vos loqui ſoletis, neque tamen hanc fidem operetur ſuſcipiendo baptiſmum, id eſt, obtemperando ei, qui credere, & baptizari præcipit. nā ſi in baptiſmo cō-

Comparatio eorum quæ Petrus de hæreticis futuris prædixit, cū iis, quæ agūt, & proferentur Luterani.

Quomodo Luterani eum negant, qui redemit eos.

plantamur ſimilitudini mortis eius, & ipſe ex obedientia paſſus eſt, ergo in baptiſmo non ſola fides patris, & filij & ſpiritus ſancti, ſed opus obedientiæ Chriſti, cuius baptiſmo, vt præcepit, baptizamur, interuenit. Vos igitur, cùm per ſolam fidem, id eſt, ſine operibus, (nullum enim opus excipitis) iuſtificari hominem docetis, eum qui redemit vos, negatis: ipſe enim dicit, ego redemi obtemperantes, vos dicitis, redemit credentes, tantum. an non eſt hoc negare eum qui redemit vos? fortaſſe dicetis, Apoſtolum dicere, factus eſt omnibus obtemperantibus cauſa ſalutis æternæ: vos autem de iuſtificatione in præſenti vita loqui, quæ per ſolam fidem fiat. at ſi ſcripturas, & virtutem earum non ignorare velitis, non hoc diceretis: qui enim promiſſionem habet vitæ æternæ futuræ, idem habet promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, de qua ſcriptum eſt, iuſtus ex fide viuit: vtraque enim promiſſio connexa eſt nexu inſeparabili, ſicut Apoſtolus Paulus docuit, cum ad Timoth. ſcripſit, pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. ergo qui non promiſit ſalutem æternam ex ſola fide, ſed ex fide & obedientia, quæ in operibus verſatur, idem neque promiſit ex fide ſola ſine obediētiá ſalutem, quæ nunc eſt, quæ ex iuſtificatione per fidē exiſtit. ſi enim hanc ex ſola fide promiſiſſet, & illam quoque æternam ex ſola fide promiſiſſet: atque itá neceſſe eſſet vos ad illorum hæreſim adhuc peiorem delabi, qui neque, ad conſequendum ſalutem æternam neceſſaria eſſe opera tradebant, ſed potius in quocunque ſcelere quis eſſet, futurum eſſe ſaluum, tanquam per ignem, modo in Chriſtum crederet, eiuſque ſacramenta perciperet. contra quos diſputat S. Aug. in lib. de fide & operibus & S. Sixtus 3. in lib. item de operibus fidei. Rurſus d. Pau. in illo ipſo cap. 2 epiſt. 2. ad Tim. de quo ſupra diſſeruimus. Si ſuſtinebimus, inquit, & corregnabimus: ſi negauerimus, id eſt, ſi ſuſtinere & compati noluerimus, & ille negabit nos. Si igitur vt corregnemus, id eſt, vt adueniat nobis poſteà regnum cœleſte futuræ vitæ, non ſatis eſt credere tantùm, ſed neceſſe eſt compati Chriſto, & ſuſtinere, & qui hoc negat, eum negat, qui redemit nos, ergo vt adueniat nobis nunc regnum

Heb. 5.

1. Tim. 4.

Quod vitæ quæ nunc eſt per iuſtificationē, & vitæ cœleſtis futuræ coniuncta eſt promiſſio.

regnum ſpirituale vitæ, quæ nunc eſt ex iuſtificatione, non ſatis eſt fides ſola,& nuda,ſed neceſſe eſt compati, & ſuſtinere. Siquidem vtriuſque vitæ, & vtriuſque regni petitio,ac promiſſio connexa eſt. neque promiſſio vnius ab alterius promiſſione ſeparari poteſt. Sed pergamus ad ea, quæ in loco propoſito epiſtolæ Petri ſequuntur, & multi, inquit, ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur. apud nos tametſi multi ſint, qui luxurioſè & perditè viuant, quia lata eſt via, quæ ducit ad perditionem, & arcta via ſalutis, tamen nullus docet non eſſe meliorem continentiam: non licere vouere Deo caſtitatem: aut poſſe monachos, vel ſacerdotes vxores ducere & monachas nubere: quæ quidem cum magiſtri Lutheranorum doceant, fit, vt multi eorum luxuriam ſequantur, & blaſphemetur per eos via veritatis, quæ ſancta vota continentiæ & probat & laudat. Sequitur in epiſt. & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Si verba veſtra, quibus miſeros Lutheranos decipitis, vt vos honore dignos ducant, ac vos tanquam diſcipuli & alumni ſequãtur, nõ ſunt ficta, producite nobis teſtes, ſicut nos facimus, qui ſcripturas, quas citatis, ſic vt vos fingitis, intellexerint, aut intelligendas eſſe dixerint, quod cùm facere non poſſitis, cuius veſtrum conſcientia non conuincitur, ficta eſſe verba veſtra? quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio veſtra non dormitat. iam verò illa, quæ paulò pòſt ſequũtur, Qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, Dominationemq́; contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere, & reliqua deinceps facilè quidem demonſtrare poſſemus ad vos pertinere, & veſtri ſimiles, ſi omnia perſequi propoſitum eſſet. Satis hæc ſint, vt intelligant, quibus Dominus dederit intellectum, non contra nos, ſed contra vos eſſe capita illa ſola indicatione notata: quæ nos ad confuſionem veſtram in pœnitentiam, ſi fortè conuertat vos Deus, & ſanemini, recitauimus, & in vos quadrare, & ſcripta eſſe oſtendimus, ad reliqua deinceps libro quarto, qui ſequitur, reſpondebimus.

Franciſci Turriani So-
CIETATIS IESV,

Aduerſus Magdeburgenſes Centuriatores pro Epiſtolis decretalibus Pontificum Apoſtolicorum,

LIBER QVARTVS.

AD ea, quæ Magdeburgen. in epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum extra caput de doctrina ſeparatim obiicienda eſſe putauerunt, ſatis ſecundo, & tertio libro Reuerendiſſime, & Illuſtriſſime Staniſlae Hoſi reſpondiſſe me arbitror. nihil enim prætermiſimus, aut diſſimulauimus, quin omnes quæſtiones iſtorum explicauerimus, ſiue ex temporum ratione, & hiſtoriarum fide, ſiue ex argumentorum demõſtratione, ſiue ex ſcripturarum ſcientia, ſiue ex apoſtolicæ traditionis diſciplina, & rationis patrocinio, ſiue ex correctione veterum exemplariorum, ſiue ex teſtium auctoritate penderent. ita vt omnia, quibus vel minus quidem cauti, vel parum intelligentes capi, & irretiri deinceps poſſent, expedita iam eis ſint: iis verò qui adhuc ab iſtis decepti ſunt, & vulnus acceperunt, medicina parata ſit ad ſanandum: niſi ex eorum numero ſunt, qui vt Apoſtolus ait, cauteriatam habent conſcienti-

am, quíque proficiunt in peius, & vt in Apocalypſi beati Ioannis de quodam ſcriptum eſt nomen habent, quod viuant, & mortui ſunt. Nunc autem ad caput totius accuſationis reſpondendum eſt: Vniuerſa enim crimina in epiſtolas hactenus congeſta, & omnes quæſtiones à Magdeburgen. propoſitæ eò ſpectant, vt infirmata epiſtolarum fide, & auctoritate, doctrina earum, quæ hæreticorum ſententias, atque opiniones apoſtolicæ traditiones auctoritate infirmat, & frangit, infirmata eſſe videatur. Nos enim licet has epiſtolas non haberemus, incommodi quidem parum, infirmitatis verò prorſus nihil eccleſiæ noſtræ dogmata accepiſſent: Siquidem ipſa traditio apoſtolicæ doctrinæ, quæ in eccleſia tanquam depoſitum cuſtoditur, & quæ ſanctarum ſcripturarum obſignatio eſt, ſatis doctrinam harum epiſtolarum fideliter cuſtodit. At hæretici, niſi eas epiſtolas negent, neque doctrinam, neque diſciplinam ſuam defendere vllo modo poſſunt. Idcirco ad faciendum impetum in caput doctrinæ, omnes illas machinas, quas duobus libris ſuperioribus labefecimus, & omnia illa criminum, & quæſtionum inſtrumenta compararunt. Sed quia in hoc capite doctrinæ quod iſti tanquam arcem oppugnant, ſemper nos ad ſcripturas prouocant, & nos reſpondendo, eiſdem turſus ſcripturas quoque obiicimus, operæprecium eſt admonere eos, qui hæc noſtra, & iſtorum ſcripta lecturi ſunt, ad quam iſti regulam interpretationem dirigant ſcripturarum, ſi fortè neſciunt, quemadmodum eas iſti interpretentur: inde namque vniuerſum hoc malum fluxit. nec enim ſcire curant, quemadmodum Sancti Apoſtoli eas intellexerunt, & à nobis intelligi voluerunt: non enim aliter intellexerunt, quã eccleſiæ Chriſti tradiderunt, quod quidem ſi noui hęretici negent, ád illos iam veteres Simonis ſucceſſores pertineãt, qui vt S. Irenæus lib 3. contra hæreſes ſcripſit, Sanctos Apoſt. non quod ſentiebant, ſed in hypocriſi docere aiebant: aut ſi non negent, neceſſe eſt, vt idem Irenæus colligit, non ſolum omnibus epiſcopis ſucceſſoribus Apoſt. ſed etiam ipſis Apoſtolis ſapientiores ſe eſſe exiſtiment: ſi quidem non ſenſum Apoſtolorum, ſed ſuum in ſcri-

Propoſitum nouorum hæreticorum in accuſandis epiſt. Pont. Apoſtolicorũ.

Noui hæretici niſi epiſt priſcorũ Pont. negẽt, diſciplinam ſuæ ſectæ defendere non poſſunt.

Quomodo ex eo quod relicta Apoſtolicæ traditionis regula ſcripturas ſanctas Lutherani interpretantur, vniuerſus eorũ error natus eſt.

Quod ſit nouis hæreticis propoſitum in interpretatione ſcripturarum.

pturis profiteantur. Hoc enim eſt nouis hæreticis propoſitum, quod eorũ magiſtro Luthero à principio fuit, ſenſum, ſcilicet, quẽ ipſi in ſcripturis excogitarũt: hunc profiteri verũ ſcripturę ſenſum: quibus fruſtra, ſi ita eſt, beatus Ioannes ſcripſit, inquiens, chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt: & vt intelligeremus, dici hoc de ſpiritu, id eſt, de ſenſu ſubiecto, qui eſt velut anima ſcripturæ, quæ inſtar corporis eſt, ſubiungit, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum (vt enim veros interpretes prophetas vocare ſolet ſcriptura, vt ex epiſtola priore ad Corint. perſpici poteſt, ſic falſos interpretes pſeudoprophetas) quod ſi probandi ſunt ſpiritus, id eſt, interpretationes ſiue ſenſus, an ex Deo ſint, ne in falſas ſententias, & doctrinas pſeudoprophetarũ ignari incidamus, dicant noui hæretici quomodo ipſi probent? etenim ſi per ſe ipſam interpretanda eſt ſcriptura, & hoc etiam pſeudopropheta facit aliunde ergo petenda interpretatio eſt, ex traditione, ſcilicet, quæ tanquã depoſitum in eccleſia ab initio ipſius viuæ Apoſtolorum prædicationes fideliſſimè ſeruatur. Ad hanc ergo regulam nos dirigimus interpretationem ſcripturarum, in quibus ſe putant iſti vitam habere æternam, vt dominus Iudæis dixit: quod quidẽ verum eſt in iis, qui eas ſcrutantur, vt in eodem loco idẽ præcepit. ſed iſtis illud potius cõuenit, quod eiſdẽ Iudæis in euangelio Marci dictum eſt, nonne ideo erratis neſcientes ſcripturas, & virtutẽ Dei? ſed cur illi ſcripturas neſciebant, niſi quia non ſcrutabantur? at verò ſcrutari ſcripturas tam diu iſti non poterunt, quãdiu quid eccleſiæ catholicę ab initio traditũ ſit, ſcire, & tenere noluerint. Cũ traditione enim neceſſe eſt congruat ſcriptura, ne quis ex verbis ſcripturæ, cũ in varias ſententias hinc, inde trahuntur, occaſionem errandi ignorans capiat Hæc ſalutaris, & neceſſaria regula, in vtraque hierarchia Moſaica, & euangelica à Deo promiſſa eſt. Vnde Clemens Roman. in quadam alia epiſtola, quam ex perſona B. Petri ad Iacobum fratrem Domini ſcripſit, cuius Photius etiam meminit, ab eo petiit vehementer, vt libros prædicationis, quos ad eum Petrus miſiſſet, cum illis tantum communicaret,

1. Ioan. 4.

1. Cor. 12. 14.

Mar. c. 12.

Veram ſcripturæ ſanctæ interpretationem cũ eccleſiæ catholicæ traditione neceſſe eſt congruere.

qui traditionis regula ad rectè interpretandas ſcripturas inſtructi eſſent exemplo illorum ſeptuaginta ſeniorum, quos Moyſes iuſſu domini elegit, & qui cathedrã eius ſuſceperunt. deſcribam hic partẽ epiſtolæ propter ſummam eius grauitatem & vtilitatem, & quod in nouos hæreticos maximè quadret, & vnde eorũ malũ ortũ ſit, clariſſimè demõſtret. εἰδώς σε ἀδελφέ μου εἰς τὸ κοινῇ πᾶσιν ἡμῖν συμφέρον σπεύδοντα προθύμως, ἀξιῶ καὶ δέομαι τῶν ἐμῶν κηρυγμάτων ἃς ἔπεμψά σοι βίβλους μηδενὶ τῶν ἀπὸ τῶν ἐθνῶν μεταδοῦναι μήτε ὁμοφύλῳ πρὸ πείρας, ἀλλ' ἐάν τις δοκιμασθεὶς ἄξιος εὑρεθῇ, τότε αὐτῷ κατὰ τὴν ἀγωγὴν παραδοῦναι, καθ' ἣν καὶ τοῖς ἑβδομήκοντα ὁ Μωυσῆς παρέδωκε τοῖς τὴν καθέδραν αὐτοῦ παρειληφόσι. διὰ τοῦτο καὶ ὁ καρπὸς τῆς ἀσφαλείας ἄχρι τοῦ δεῦρο φαίνεται. τὸν γὰρ αὐτὸν οἱ πανταχῇ ὁμόεθνεις τῆς μοναρχίας καὶ πολιτείας φυλάσσουσι κανόνα κατὰ μηδένα τρόπον ἄλλως φρονεῖν ἀπὸ τῶν πολλὰ νοουσῶν γραφῶν ἐξοδευθῆναι δυνηθέντες. κατὰ γὰρ τὸν παραδοθέντα αὐτοῖς κανόνα τὰ τῶν γραφῶν ἀσύμφωνα πειρῶνται μεταρρυθμίζειν, εἰ δή τις τυχὸν μὴ εἰδὼς τὰς παραδόσεις ξενωθῇ πρὸς τὰς τῶν προφητῶν πολυσήμους φωνάς. οὗ ἕνεκεν οὐδενὶ διδάσκειν ἐπιτρέπουσι, ἐὰν μὴ πρότερον μάθῃ πῶς δεῖ ταῖς γραφαῖς χρῆσθαι. διὰ τοῦτο παρ' αὐτοῖς εἷς θεός, εἷς νόμος, μία ἐλπίς. ἵνα γοῦν τὸ ὅμοιον καὶ παρ' ἡμῖν γένηται, τοῖς ἑβδομήκοντα ἡμῶν ἀδελφοῖς τὰς βίβλους μου τῶν κηρυγμάτων δὸς μετὰ τοῦ ὁμοίου τῆς ἀγωγῆς μυστηρίου, ἵνα καὶ τοὺς βουλομένους τὸ τῆς διδασκαλίας ἀναδέξασθαι μέρος ἑδραιάζειν, ἑδραιάζωσιν. ἐπεὶ ἐὰν μὴ οὕτως γένηται, εἰς πολλὰς γνώμας ὁ τῆς ἀληθείας ἡμῶν διαιρεθήσεται λόγος. τοῦτο δὲ οὐχ ὡς προφήτης ὢν ἐπίσταμαι, ἀλλ' ἤδη αὐτοῦ τοῦ κακοῦ τὴν ἀρχὴν ὁρῶν. τινὲς γὰρ τῶν ἀπὸ τῶν ἐθνῶν τὸ δι' ἐμοῦ νόμιμον ἀπεδοκίμασαν κήρυγμα, τοῦ ἐχθροῦ ἀνθρώπου ἄνομόν τινα καὶ φλυαρώδη προσηκάμενοι διδασκαλίαν, καὶ ταῦτα ἔτι μου περιόντος ἐπεχείρησάν τινες ποικίλαις τισὶν ἑρμηνείαις τοὺς ἐμοὺς λόγους μετασχηματίζειν εἰς τὴν τοῦ νόμου κατάλυσιν.

Interpretemur latinè, & ſi non pari elegantia, & nitore ſermonis. Quoniam te video (inquit) mi frater, ad communem omnium noſtrum infirmitatem alacriter properare, oro, atque obſecro, vt mearum prædicationum libros quos ad te miſi, cum nullo ex gentibus, communices, neque cum vllo ex noſtris, antequam eum experiaris: ſi quis verò poſtquam erit ten-

Regula traditionis in Moſaica Hierarchia ad rectè interpretandum ſcripturam.

In Moſaica Hierarchia nulli permittebatur docere, niſi prius diſceret interpretari ſcripturam.

Vnde fiat, vt doctrina ſimplicis veritatis in multas ſententias ſcindatur.

Adhuc viuente Petro cœperunt hæretici doctrinam, quam tradebat, deprauare.

Quomodo ex interpretatione ſcripturarum ſine regula traditionis, tanquã ex equo Troiano multiplices ſectæ nouorum hæreticorum natæ ſunt.

tatus, dignus eſſe apparuerit, tunc ei tradas ad exemplum inſtitutionis, qua Moiſes ſeptuaginta ſenioribus, qui cathedram eius ſuſceperunt, ſcripturas tradidit, vnde fructus tutæ cautionis, vſque ad hoc tempus manaſſe cernitur. Omnes enim in illa natione eandem regulam in cultu vnius Dei, & in diſciplina vitæ ſeruant: neque poſſunt ab ſcripturis, ſi in multos ſenſus vergant, de via extrudi ad ſentiendum aliter, ſiquidem ſecundum regulam veritatis traditam aggrediuntur aptare conuenientiam ſcripturarum, ſi quis fortè, quia traditionem ignorat, in vocibus prophetarum multiplicibus, & ambiguis hæret. ob hanc cauſam nulli permittunt docere, niſi prius diſcat, quomodo ſcripturis vtendum ſit: hinc apud eos vnus Deus eſt, vna lex, vna ſpes. vt ergo idem, quod illis ſeptuaginta, apud nos noſtris fratribus eueniat, da libros mearum prædicationum ſimili myſterio inſtitutionis, vt hoc modo eos inſtruant, qui voluerint ſubire munus docendi, atque inſtruendi alios: niſi enim ſic fiat, in multas ſententias doctrina veritatis ſcinderur. Hoc verò non vt vates ſcio, ſed potius iam mali huius principium video: quidam enim ex gentibus legitimam meam prædicationem improbarunt doctrina inimici hominis profana, & nugatoria recepta: idque cum adhuc in viuis eſſem, conati quidam ſunt ſermones meos variis interpretationibus, ad ſoluendam legem tranſuertere. hactenus epiſtola. Quis iam non videt oculis ſuis, eueniſſe hac etiam noſtra ætate nouorum hæreticorum, quod in hac epiſt. Clemens ex perſona beati Petri ſcripſit, ſcilicet niſi ij, qui ſcripturas ſanctas tractarent, ſecundum regulam apoſtolicæ traditionis interpretarentur, futurum eſſe, vt in multas ſententias doctrina veritatis ſcinderetur: Hinc ergo tanquam ex equo Troiano exierunt Lutheri ſecta, & eius Teutonica noui teſtamenti deprauata interpretatio, quæ ad ſenſum Lutheri, relicta traditione, facilè accommodaretur, hinc Anabaptiſtæ, & hi multiplices: itidem ſacramentarij inter ſe adhuc varij, tum Confeſſioniſtæ item multiformes, Seruetiani, Stancariani, Antinomi, Oſiandrini, Maioriſtæ, Melancthonici, Adiaphoriſtæ, Suencfeldiani, & Caluiniſtæ,

ac ne quis ſuſpicetur, de leuibus inter ſe iſtos diſſiſtere, quidam ex ipſis Lutheranis Nicolaus Gallus, in libro Theſeon, & Hypotypoſeon, non (inquit) inter nos de leuibus concertationes ſunt, ſed de ſublimibus Chriſtianæ doctrinæ articulis, de lege, & euangelio, de iuſtificatione, & bonis operibus, de ſacramentis, & vſu cerimoniarum: nec vlla ratione componi, & tranſigi poſſunt, & reliqua, quæ ex eo libro Staphylus Pruſienſis in libello de Lutheranorum inter ſe concordia recitat. Hinc etiam prius in vetere teſtamento extiterunt Sadducæi, qui reſurrectionem corporum negabant: Phariſæi, qui fato aſſignabant cauſam peccati. Baſmothæi, qui prouidentiam tollebāt, & animæ immortalitatem: Hemerobaptiſtæ, qui tenentes traditionem ſeniorum, non manducabant, niſi crebrò lauarent manus. Hi nanque ſententias ſuas, & ſectas ex ſcripturis quoque ſanctis trahebant, quia non ſecundum cathedram Moyſis eas interpretabantur. hoc enim ſignificabat cathedra Moyſis ſcilicet poteſtatem docendi ſecundum regulam fixam, & ſtabilem traditionis eius; ſi qui autem cùm alioqui poteſtatem haberent interpretandi, non tamen interpretarentur ſecundum traditionem Moyſis cum illis ſeptuaginta communicatam, quibus Dominus dedit, ſicut in libro Num. ſcriptum eſt de ſpiritu Moyſis, quomodo hi coargui poſſent, docuit dominus in euangelio, cum ſcribas, & phariſæos, interrogauit, inquiens, Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit, honora patrem, & matrem, vos autem dicitis, & quæ ſequuntur. Illæ igitur dicendæ ſunt traditiones hominum, quæ cum ſcriptura ſancta non congruunt, imò ei repugnant. atqui cathedræ illi Moyſis, id eſt, poteſtati docendi ſcripturam ſecundum traditionem Moyſis, quæ cathedra vmbram tantùm habebat futuræ cathedræ, ſicut Apoſtolus de lege dixit, habuiſſe vmbram futurorum bonorum, non ipſam imaginē rerum, illi, inquā, cathedræ ſucceſſit in nouo teſtamēto poteſtas docendi euangelium ſecundum cathedrā Petri, id eſt ſecundum traditionem, apoſt. quorum Princeps fuit beatus Petrus, cui Chriſtus eccleſiam ſuam

Quomodo in Hierarchia Moſaica ex interpretatione ſcripturarum relicta traditione Cathedræ Moyſis multæ quoque ſectæ prodierunt.

Quid ſignificet cathedra Moyſis.

Num. c. 11.
Matt. c. 15.

Quomodo eos, qui veterem ſcripturam non ſecundum cathedram Moyſis interpretabantur, Dominus docuit redarguere.

Quæ ſunt traditiones hominū.

Quomodo cathedra Moyſis vmbra fuerit cathedræ Petri.

Quomodo in eccleſia catholica doctrina vera à falſa diſcernatur.

commiſit, & poſt eum ſucceſſoribus. Quare quæcunque ſcripturæ interpretatio, aut doctrina, aut diſciplina ulla, quæ cum hac traditione congruit eccleſiaſtica eſt: & ſicut diuinus Dionyſius in 1. c. cœleſtis hierarchiæ tradit, imaginem habet rerũ, quas beatæ mentes in cœlo plenè contemplantur: quæ verò non cõgruit, ſed potius diſcrepat, falſa eſt, & ab hominibus excogitata, & ſi quis apud nos hanc doctrinam non profitetur, quæ cũ publica, & eccleſiaſtica traditione à ſanctis apoſtolis per viuam vocem relicta non conſentit, cõuincitur, & diiudicatur, à quibus debet: ſunt enim qui huic inquiſitioni ſacræ, & ſacro iudicio præſunt ne quid horũ diſſimulari, aut negligi poſſit, vt vigeat ſemper apoſtolica traditio, id eſt, ſpiritus ſcripturæ ſanctæ qui ex Deo eſt. ſed redeo ad epiſtolam illam Clementis ex perſona Petri, cum qua mirificè congruunt, quæ idem Clemens in epiſt. 5. in extremo ſcripſit, diligenter, inquit, obſeruandum eſt, vt lex Dei cum legitur, non ſecũdum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur. deinde reddit rationem, ſunt enim, inquit, multa verba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſponte præſumpſit, hæc vocauit paulò ante idem Clemens in perſona Petri, πολυσήμους φωνὰς, καὶ πολλὰ νεύουσας γραφὰς, id eſt, multiplices voces, & ſcripturas in multas partes vergẽtes. deinde ſubiungit Clemens, ſed fieri hoc non oportet: non enim ſenſus extrinſecus ab alteris alienum, & extraneum debetis quærere (ſic enim eſt in vetuſtis exemplaribus manu ſcriptis Vaticano, & Florentino Sancti Marci) aut quomodo ipſum ſcripturarum auctoritate confirmetis, ſed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis hoc eſt quod hodie noui hæretici faciunt: Ipſi enim ſunt, qui ſenſus extrinſecus, ab alteris, qui ſumus nos, alienum & extraneum quærunt, quia nõ ipſi ante nos fuerunt, ſi quidem ante Lutherũ, qui eis ſectam, & nomen dedit non fuerũt: hi ergo ſunt, qui ſenſum iſtum ſuum extrinſecus quæſitum, ab alteris, qui plurimis ſæculis anteceſſerunt, alienum & extraneũ, quomodo ſcripturarũ auctoritate cõfirment, ſemper quærũt, vnde verbũ Dei abundanter habitat in ipſis. ſed non in omni ſapiẽ-

Locus epiſtolæ 5. Clementis emendatus.

tia, vt Paul. Coloſſenſibus præcepit, ſed in omni inſipientia: quoniam ſemper ſcripturas ſuo ſenſu reſonãt. ex quibus quidem oportet, inquit Clemens, ſenſum capere veritatis, ſed quemadmodũ capere oporteat, ſtatim ſubiungit, inquiens, & ideo oportet, ab eo intelligentiam diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruat: hoc ipſum dixit, paulò ante idem Clemens ex perſona beati Petri κατὰ τὸν παραδοθέντα κανόνα, id eſt, ſecundum regulam traditam, regulam enim traditã uocat regulã veritatis traditæ, quæ eſt traditio maiorum. deinde ſubiungit, ſic enim fit, vt & ipſe poſſit ea, quæ rectè ſuſcepit, competenter aſſerere. Noui ergo hæretici, qui veritatem à maioribus traditam reſpuerunt, & ſcripturas ſecundũ eam interpretari nolunt, quia non rectè didicerunt, neque docere poſſunt, errantes ipſi, & alios in errorẽ inducentes. In hanc regulam interpretandi ſcripturas ſanctas ſecũdum traditionem maiorum vſque ab ipſis apoſtolis, intuens beatus Irenæus, ſic libro 3. contra hæreſes cap. 3. ſcripſit, ſed quoniam valde longum eſt in hoc volumine omnium eccleſiarum numerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. huius ergo traditionis non ſcriptæ quanta vis eſſet ad reuincendos falſos interpretes & ad obſignandam legitimam legis interpretationem, non ſolùm intellexere, qui ſpiritum Dei acceperunt, vt illi primi Moyſes, & ſeptuaginta Seniores veteris teſtamenti miniſtri, & poſt eos Sancti Apoſtoli miniſtri noui, eorumque ſucceſſores, ſed etiam gentes, quæ legem non acceperunt, natura duce, hoc vtcunque cognouerũt. hinc enim Lacedæmonij legibus non ſcriptis vtebantur, vt eorum legiſlator Lycurgus iuſſit, non ſolùm, vt antè dixi, quia vt Plutarchus

Coloſſ. 3.

Regula traditionis in interpretandis ſcripturis ad redarguendos hæreticos ab Irenæo notata, & commendata.

Quanta vis ſit traditionis maiorum ad obſignandam legitimam interpretationem legum & præceptorum non ſc...

lum Moyſes & 70 ſeniores, & in nouo teſtamento Apoſtoli per ſpiritum Dei perfectè cognouerunt, ſed ex parte Gentiles duce natura.

ſcribit, quæ præcepta ſunt, & maximè ad felicitatem, & virtutem ciuitatis faciunt, exiſtimabant ſine ſcripto in mores, & inſtitutiones ciuium induta, immutabilia manere, ſed etiam, vt ego quidem opinor, quia intelligebat ſapiens legiſlator, facilius eſſe, ea deprauare, quæ magis ex materia conſtant, quàm quæ minus: facilius, inquam, deprauare tum ſcripturam, quæ ex charta, & atramento conſtat: tum ſenſum, qui materialibus verbis ſcripturæ materialis ſubiectus eſt, velut anima corpus induta dum hanc vocem, quæ ſcripta eſt, ego hoc, ille non hoc ſed aliud ſignificare contendit, quàm deprauare mentem, ſeu ſenſum legiſlatoris: qui vnus eſt à principio explicatè traditus. Qui enim traditionem magiſtri profitentur, non tam ſermonẽ aut ſcripturam magiſtri, quàm mentem eius, quæ falſa intelligentia, aut interpretatione, corrumpi, & adulterari nõ poteſt, profitentur: & ad regulam illius mẽtis ſiue ſenſus ſermonem, & ſcripturam eius accommodãt. hoc, vt dixi, miniſtros vtriuſque teſtamenti perfectè docuit ſpiritus Dei: gentes verò ex parte docuit naturæ inſtinctus. vt iam noui hæretici, dum traditiones reiiciunt, quæ ad bene vtendum ſcripturis neceſſariæ ſunt, neque ſpiritũ Dei audiant, qui in vtrumque teſtamentum traditionẽ ſuam contulit: neque naturam, quæ traditionem defendit: imò imprudentiores ſunt priſcis illis hæreticis, qui, vt Sanctus Irenæus in libro 3. ait, cùm ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem conuertuntur ipſarũ ſcripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex auctoritate (hoc iam noui hæretici ex parte fecerunt, epiſtolam Iacobi, & Iudæ, & ad hæbreos, & quoſdã alios libros canonicos negantes) & quia ſint (inquiunt) variè dictæ: & quia non poſſit ex his inueniri veritas ab iis, qui neſciunt traditionem, non. n. per litteras traditã eſſe illam, ſed per viuam vocem. hæc hæretici illi, qui quidem prophetarũt hic, licet mala eis mens eſſet. Nos ergo permanentes in iis, quæ didicimus, & credita ſunt nobis, ſcientes à quibus didicerimus, ſicut Apoſto. de Timotheo ſcripſit, pergemus deinceps reſpondere ad reliqua, quæ in doctrinam epiſtolarum Magdeburgenſes produxerunt: & quia ſcripturas flagitant, ſcri-

pturas, vt hactenus fecimus, proferemus, cum ea traditione facientes, quæ ſine ſcripto per viuam vocem à Sanctis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, relicta tanquam depoſitum ſemper in eccleſia fideliter cuſtodita eſt. dabimúſque operam, vt nihil eorum, quę in doctrinam iſti obiiciunt, diſſimulemus, non tam eorum falſam doctrinam refellentes, quàm ea quæ vera eſt, quęque in his epiſtolis, ſecundum ſcripturas traditur, quãtum ſatis eſſe videatur, confirmantes, non enim de dogmatibus noſtris omnia, quæ dici poſſent, propoſitum eſt dicere, ſed quæ ad inſtitutum noſtrum, id eſt, ad defenſionem epiſtolarum ſufficiãt, vt quoad fieri poſſit, appareat adiuuante Deo, operarios nos eſſe inconfuſibiles rectè tractantes verbum veritatis. Vtinam hoc cum vbere fructu, aut aliquo ſaltem paruo eorum, qui indigent, faciamus.

Reſponſio ad accuſationem doctrinæ de ſacerdotio externo in epiſtola ſecunda Anacleti: & quomodo ſcripturam Moyſis & Pauli negare cogatur, qui relicto tantum ſpirituali ſacerdotium reale, externum & viſibile in nouo teſtamento negat. item de ſpirituali ſacerdotio ſimul cum externo in vetere teſtamento: & in quo ſitum ſit diſcrimẽ veteris & noui teſtamenti, & reſpõſio ex ſcriptura Pauli ad ea, quæ Lutherani, & Caluiniani contra ſacrificium verum, externum & viſibile ex epiſtola ad Hæbreos obiiciunt. Caput I.

ERgo vt aggrediamur caput de doctrina, ita enim inſcripſerunt, poſtremò inquiunt) næui & manifeſtæ corruptelæ » ſanæ doctrinæ in his reperiuntur. Pri- » mum enim diſcrimen veteris, & noui » teſtamenti tollitur, Anacleti epiſt. 2. vbi » ſacerdotium, cuius auctor Petrus ſit, perinde vt in ve- » tere teſtamento ſtatuitur: & ad Moſaicas leges de Puri- » ficatione, & aliis rebus pij obligantur, cùm tamen lex » & Prophetæ vſque ad Ioannem durent: & in nouo te- » ſtamento non ſit externum, ſed tantum ſpirituale ſa- » cerdotium commune omnibus Chriſti fidelibus, 1. Pet. » 2. & Heb. 9.

Hactenus Magdeburgen. Quia nos in nouo teſtamẽto ſacerdotium viſibile, & externum habemus, vt Iudæi item viſibile, & externum ſacerdotium in vetere teſtamento habebant idcirco diſcrimẽ veteris & noui teſtamenti à nobis ablatũ putãt nõ intelligentes, quod dicunt contra ſcripturam, de qua ſe iactant dicere. Dicite mihi Magdeburgenſes, interrogabo enim vos, qui typos legis neſcitis, ſimiliter atque Paulus Galatas interrogat, qui allegorias legis ignorabant, legem nõ legiſtis dicentem in Exodo, Inſpice, & fac ſecundũ exẽplar quod tibi in monte monſtratum eſt? Neq; Paulũ hoc interpretantem, cum loquens de ſacerdotibus veteris teſtamenti munera, ſecundũ legem offerentibus, Qui (inquit) exemplari, & vmbrę cœleſtium deſeruiũt, ſicut reſponſum eſt Moyſi, cum conſummaret tabernaculũ. Vide, omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte. Quòd ſi ſacerdotes exemplari, & vmbræ cœleſtium deſeruiebant: igitur & quæ offerebantur, & qui offerebant in vetere teſtamento, typi erant eorum, quæ offeruntur, & qui offerunt in eccleſia noui teſtamenti, quæ eſt quædam Hieruſalem cœleſtis, vt Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Hebræos vocat. vnde idem cœleſtia vocat, quæ in eccleſia fiunt, cum ait in eadem epiſtola. Neceſſe eſt ergo exemplaria cœleſtium, id eſt, vetera his mundari victimis, ſcilicet carnalibus: ipſa autem cœleſtia, id eſt, ea quæ ſunt eccleſiæ noſtræ, melioribus hoſtiis, hoc eſt, ſpiritualibus mundari: illa enim ſuperna, quæ magis propriè ſupercœleſtia dicuntur, non indigent mundari. igitur qui negant in nouo teſtamento ſacerdotium externũ & viſibile offerentium Deo externa & viſibilia munera, ſimul negant exemplar fuiſſe ſacerdotium veteris teſtamenti, idque contra ſcripturam Moyſis & Pauli. Quod ſi dicant, hoc enim reſpondebunt ſacerdotium vetus exemplar fuiſſe ſacerdotij Chriſti, qui eſt ſacerdos in æternum ſecũdum ordinẽ Melchiſedech, idque ſatis eſſe: verum quidẽ illud prius eſt. ſ. ſacerdotiũ vetus exemplar fuiſſe ſacerdotij Chriſti: ſed non hoc ſatis eſt. aliud enim eſt ſacerdotium: aliud miniſteriũ ſacerdotij. ſacerdotium quidem ſecundum ordinẽ Mel-

Exo. 25. *Heb. 8.* *Heb. 9.* *Heb. 12.* *Heb. 9.*

Scripturam negant Magd. cũ ſacerdotiũ externum & viſibile negant.

Lutherani non diſcernunt ſacerdotiũ Chriſti à miniſterio

chiſedech vnum eſt,ſicut vna item hoſtia illius ſacerdotij: & huius ſacerdotij, atque huius hoſtiæ Chriſtus eſt nunc miniſter,& dominus: & non miniſter ſolùm, neq; miniſterio viſibili ſuper terrã, ſicut in lege ſacerdos ſolũ erat miniſter ſacerdotij veteris & viſibili miniſterio: & ſicut ſunt ſacerdotes noui teſtamenti miniſtri tantũ,ſacerdotij & ſacrificij Chriſti. Quare ſi verũ eſt,quod Paulus ait,vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua, neceſſe eſt, vt etiã miniſteriũ noui ſacerdotij,quod ſit miniſterium tantum,illi veteri ſucceſſerit,quod erat ſimiliter miniſteriũ tantum, alioqui non omnia facta ſint noua, quod eſt ſcripturã Apoſtoli negare. ſunt igitur neceſſario in nouo teſtamento ſacerdotes, qui ſint miniſtri tantum, ſacerdotij Chriſti, & corporis Chriſti, de quibus prophetauit Eſa.c.61.cum ait,vos autem ſacerdotes domini vocabimini: & λειτουργοὶ, id eſt,miniſtri dei noſtri. quod quidem intelligendum eſſe neceſſario ſecundũ literam de nouo teſtamẽto,& ſacerdotibus eius, copioſè in libris de hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiæ catholicæ demonſtrauimus:ad ſacerdotium autem cõmune ſpirituale tantum, & internum omniũ Chriſtianorũ nõ pertinet, neque pertinere poteſt ſacerdotium liturgicum,id eſt,miniſteriale, quod ad offerendum,& ſupplicandum pro populo inſtitutum eſt, hoc enim ſignificat vis verbi λειτουργεῖν. Ac rurſus idem Apoſtolus,& clariùs adhuc in eadem epiſtola ad Heb. c. 10. vmbrã, inquit,habebat lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Etenim ſi ipſas imagines rerũ habet nouum teſtamentum, quarũ imaginum vmbras vetus lex habebat,ſunt ergo ſuper terram in nouo teſtamẽto veræ imagines veterum ſacerdotum, tanquã vmbrarum:atquemadmodum noui teſtamenti ſacerdotes illorum veterum ſacerdotum, tãquam vmbrarum imagines eſſent,niſi extrinſecus apparerent,vt illæ veteres vmbræ apparebant? quomodo (inquam) in nouo teſtamento, externi illius ſacerdotij typici, & vmbratilis, imago eſſet aliqua ſpecialis & propria viſibilis, ſi tantum ſpirituales hoſtias inaſpectabiles, id eſt,nõ cadentes ſub ſenſum oculorum, offerremus, quod eſt

ſacerdotii eius neque miniſterium Chriſti, à miniſterio hominum.

2.Cor.c.15.

Qui negant in nouo teſtamento externum ſacerdotiũ ſimul negant fuiſſe exemplar ſacerdotium veteris teſtamenti, contra Moyſis & Pauli ſcripturã.

Neque ſacerdotium ſpirituale & inuiſibile noui teſtamen-

vt peccatum peccato addatis, fingitis, à nobis fieri auctorem ſacerdotij in nouo teſtamēto Petrum. ſic enim ſcripſiſtis, de epiſtola Anacleti loquentes, vbi ſacerdotium cuius auctor Petrus ſit, perinde vt in vetere teſtamento ſtatuitur. Veſtrum, inquam, eſt hoc commentū: ſacerdotij enim noui teſtamenti auctor eſt Chriſtus, non Petrus: vt veteris ſacerdotij non Aaron, neq; Moyſes, ſed Deus fuit auctor. Sic enim ſcripſit Anacletus, vt iterum repetam, Poſt Chriſtum dominum à Petro cœpit ſacerdotalis ordo, quia ipſi primo pontificatus in eccleſia Chriſti datus eſt, dicente Domino ad eum, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, ædificabo eccleſiam meam, an hoc eſt facere Petrum auctorem ſacerdotij? ſed vrgeamus adhuc hoc, quod falſò obiicitis. Cùm enim dicitis, qui ponit in nouo teſtamento ſacerdotiū viſibile, & externum, tollere eum diſcrimen veteris & noui teſtamenti, ſic dicitis, quaſi hoc inter vetus, & nouum teſtamentum diſtet, quod in vetere omnia ſint externa, & viſibilia, in nouo verò nihil. Ergo nec in nouo teſtamento baptiſma erit externum ex ſpiritu ſancto, & aqua viſibili, quia in vetere teſtamento erāt baptiſmata externa, licet vmbram tantùm haberent, & non ipſam imaginem rei: aut ſi eſt baptiſma externum in nouo teſtamento, quod hactenus non negatis: ergo non eſt diſcrimen veteris & noui teſtamenti poſitum in externo, & non externo. Nec enim (ait Auguſt. in libro de ſpiritu & littera cap. 13.) quia non habet lex fidei, opera veterum ſacramentorum, circumciſionis videlicet atque cæterorum, ideo non ſunt opera, quæ habet in ſacramentis ſuis huic iam tempori congruis. Et ibidem cap. 19. & 20. Propter veteris, inquit, hominis noxam, quæ per legem iubentem & minātem minimè ſanabatur, dicitur illud, teſtamentum vetus: hoc autem nouum propter nouitatem ſpiritus, quæ hominem nouum ſanat à vitio vetuſtatis. Item libro ſecundo contra aduerſarium legis, & Prophetarum, Multum eſt enim, inquit, & nimis longum, cuncta colligere, quæ in hanc ſententiam beatus Apoſtolus dicit, legem diſtinguens à gratia, quod illa in tantum bona ſit, vt bona iubeat: hæc in tantum, vt bona

Euidens Commentū Magde.

Obſeruatio locorum Auguſtini de diſcrimine veteris & noui teſtamēti.

conferat. Et contra fauſtũ, ipſa, inquit, lex per Moiſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, vt data intelligentia peccatorum, quod præceptũ erat, ex Dei dono cuſtodiretur: Veritas autem, vt ablata obſeruatione vmbrarum, quod promiſſum erat, ex Dei fide præſentaretur. Hæc & alia huiuſmodi multa multis in locis de differentia veteris & noui teſtamẽti Auguſtinus, Magdeburgenſes verò noui doctores Germaniæ diſcrimen veteris & noui teſtamenti eſſe ſomniant, quod in vetere teſtamento fuerit ſacerdotium externum, cuius initium fuit Aaron: in nouo verò nullum ſit ſacerdotium præter commune & ſpirituale, id eſt, præter ſacerdotium ex baptiſmo. (ſic enim vocat beatus Hieronymus) in quo, ſicut Apoſtolica conſtitutio lib. 3. Clementis ait, Non fiunt qui baptizantur, ſacerdotes ex ordinatione, ſed fiunt à Chriſto Chriſtiani, regale ſacerdotium, gens ſancta. vt enim antea ſacerdotes & reges capite vngebantur, ſic qui baptizantur, capite vnguntur. Si quis verò ab iſtis quærat, quomodo hoc, quod dicunt, probent, reſpondent. 1. Pet. 2. Sed videamus, quid ibi ſcriptum ſit, vnde hoc probare volunt, Vos autem (inquit) genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: cùm hoc, vt ante dixi, prius Hebræis dictum ſit, Quæcunque enim ſicut Apoſtolus ait, lex loquitur, iis, qui ſunt ſub lege, loquitur, ſi vos, Magdeburgen. contra nos hac auctoritate probare poteſtis, ſolum ſacerdotium commune & ſpirituale ex baptiſmo eſſe in nouo teſtamento, ergo eadem nos auctoritate contra vos, ac multò etiam magis probare poſſumus, ſolum quoque ſacerdotium commune, & ſpirituale ex circumciſione in vetere teſtamento fuiſſe, ſiquidem prius illis hoc dictum eſt quam nobis. at hoc non concedetis, vt in vetere teſtamento ſolum commune ſacerdotium ex circumciſione fuerit, ac non etiam ſpeciale ex tribu leuitica externum, ac viſibile igitur nec in nouo teſtamento ſolum ſacerdotium commune, & ſpirituale eſſe, hac auctoritate probari poteſt. Vana igitur, & abſurda veſtra probatio eſt, quæ ex hac auctoritate beati Petri ducitur. Videamus alteram. & Hebræorum (inquiunt)

Cõmẽtũ Magdeb. de diſcrimine veteris & noui teſtamenti.

Apoſtolica conſtitutio de ſacerdotio ſpirituali omnium Chriſtianorum.

Rom. 3.

Quomodo Magd. redarguantur, ex loco Petri 1. c. 2. quo tentant probare ſolum eſſe ſacerdotiũ ſpirituale, & nullum externum.

(inquiunt) 9. nec hic explicarunt, quomodo hac auctoritate probarent, quod volũt. Sed nec opus fuit explicare, ſcimus enim omnes quomodo ex hoc nono capite probare conentur, non eſſe ſacerdotium externum & viſibile, ſcilicet quo probare conantur, non eſſe ſacrificium ſanctam Euchariſtiam. tolle enim ſacrificiũ, ſublatum eſt ſacerdotium. Paulus ergo neque per ſanguinem inquit, hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. & paulò poſt, non enim in manufacta ſancta Ieſus introiuit exemplaria verorũ, ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui dei pro nobis: nec vt ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorũ ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Hæc ſunt, quæ in cap. 9. quod aduerſus ſacerdotium externum citant, ita intelligenda, & interpretanda eſſe Lutherani, & Caluiniani contra nos contendunt, quaſi apoſtolus, vt Caluini verbis vtar, tota diſputatione contendat, non modo nulla alia eſſe ſacrificia, ſed vnum illud ſemel oblatum fuiſſe, nec amplius iterandum: ita ſentiũt iſti nulla alia auctoritate freti, præterquam ſua contra omnium catholicorum patrum ſentẽtiam, imò contra ipſum apoſtolum, vt ſtatim docebo. hoc autem iſtos fallit, quod neque Pauli propoſitum neque verba eius intelligunt. non enim contendit apoſtolus, vt Caluinus ait, nulla alia ſacrificia eſſe præter illud vnum in cruce ſemel factum, nec amplius iterandum, ſed contendit potius, id quod maximè vtile, & in primis neceſſarium erat docere, vt etiam eruditiſſim. auctor, & optimus dogmatiſtes Ioannes Damaſcenus in libello de communione corporis Chriſti, qui adhuc græcè extat, ſenſit, non eſſe, niſi vnum corpus, quod in cruce oblatũ eſt, & quod in cœlo nunc offertur, & quod in eccleſia: quia vnum illud in cruce perfectiſſima hoſtia fuit: ita vt alio corpore præter illud non opus fuerit ſicut non opus fuit alio ſacerdote adducente per ſeipſum ad deũ præter Chriſtum: ſed iſti non diſtinxerũt, (vnde eorum

Propoſitũ Pauli in epiſt. ad Heb. de hoſtia Chriſti.

Vnde ortus error Lutheranorum exiſtimantiũ tolli à Paulo in epiſt. ad Heb. ſacerdotium, & ſacrificium ex eccleſia.

error ortum duxit,)corpus oblatum,ab oblatione: neque rurſus ab oblatione,modum oblationis:neque ſacerdotem per ſeipſum adducentem ad deum, à ſacerdotibus adducentibus per Chriſtũ,quæ omnia d. Paulus nõ obſcurè diſtinxit. Vnum itaque corpus eſt,quod in cruce oblatum eſt:& quod in cœlo reuelata facie,& in propria ſpecie glorioſa ſemper pro nobis offertur:& quod in eccleſia relictum eſt nobis ad offerendum in myſterio ſub ſpecie panis,& vini. ſed indicemus vbi apoſtolus,& quemodo hæc diſtinxerit,& notarit.Dicite mihi Magd. cùm Paulus ait cap.iſto 9.quod contra nos citatis,neceſſe eſt ergo, exemplaria quidem cœleſtium his mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis, quæ ſunt iſtæ meliores hoſtiæ, quibus mundantur cœleſtia, id eſt, ea quæ ad eccleſiam noſtram pertinent, quæ eſt ſecundum apoſtolum vna & eadem cum Hieruſalem cæleſti,& ſi vt Aug. coll.3.cõtra Donatiſtas ait, aliter nunc eſt:aliter poſteà futura.(niſi fortè vultis nõ ſuper terram, ſed in cœlo ipſo mundari peccata) quæ inquam, ſunt iſtæ meliores hoſtiæ? non enim ſunt hoſtiæ ſpirituales orationum,& cultus rationalis, vt fortaſſe dicetis.nõ enim victimæ illæ veteres, cum quibus has hoſtias comparat apoſtolus,& quibus meliores eſſe dicit,orationibus,& cultu rationali carebant: præſertim cum ſancti, & ſpirituales ſacerdotes in lege quoque ſacrificarent.reſtat igitur,cum non ſit niſi vna hoſtia ſubſtantialis infinitæ virtutis, quæ Chriſti corpus eſt,hac enim hoſtia mundatur eccleſia dei ſuper terrã, vt neceſſariò hoſtias numero multitudinis vocet oblationes huius vnius hoſtiæ, vtrumque enim ſignificat verbum græcum θυσία victimam, quæ propriè dicitur θῦμα,& oblationem,quæ etiam hoſtia dici ſolet,ſiue immolationem, ſicut apud latinos ſacrificium interdum pro ipſa victima,quæ immolatur: interdum pro actione ipſa ſacrificandi accipitur. diſtinguit igitur Paulus in eccleſia Dei oblationem à victima ſiue corpore oblato:& ſacerdotium externum in ea confitetur, ſiquidẽ multas in ea oblationes ponit vnius corporis,quod ſcilicet à multis, imò infinitis ſacerdotibus ab ortu ſolis vſque ad occaſum iuxta prophetiam malachiæ immo-

Vbi,& quomodo Paulus hoſtiã ab oblatione diſtinguat.

Heb.c.12.

Mal.c.1.

latur:& quod in cœlo ab ipſo cœleſti miniſtro eodémque domino pro nobis deo patri alio modo nempe reuelata facie offertur. Vnde ſtatim ſubiungit, non enim in manufacta ſancta Ieſus introiuit exemplaria verorum,ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui dei pro nobis.ſempiternum enim habet ſacerdotium,ſicut idem ait,ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. modum itaque oblationis diſtinxit hic apoſtolus ab oblatione, quæ in eccleſia fit eiuſdem hoſtiæ in myſterio,cum dixit,vt appareat nunc vultui dei pro nobis.de hac eadem oblatione in cœlo dixerat paulo antè,talem habemus pontificem, qui conſedit in cœlo ſanctorum miniſter,& tabernaculi veri quod fixit deus,& nō homo,id eſt,qui conſedit, vt miniſterio offerēdi ſanctum tabernaculum corporis ſui,quod ſpiritu Sancto Virgini ſuperueniente conceptum eſt,fungeretur. vnde ſtatim ſubiungit,omnis enim pontifex ad offerendū munera & hoſtias conſtituitur. vnde neceſſe eſt & hunc habere aliquid,quod offerat. habet ſcilicet illa ſancta, quorum eſt λειτουργὸς,hoc enim verbo vſus eſt,D. Paulus in hoc loco,id eſt,miniſter,ad offerendum, & ſupplicandum pro nobis, hæc enim eſt vis verbi. De his ſanctis prophetauit Eſaias dicens, Dabo vobis ſancta Dauid fidelia.quod beatus Paulus in actis apoſt.de reſurrectione corporis Chriſti interpretatus eſt habet inquam,illa ſancta,& illud tabernaculū quod dixit,quæ humanitatem eius ſignificant, cuius eſt Chriſtus miniſter ad offerendum eam pro nobis, idem miniſter & dominus ſui ſacrificij: & non ſicut ſacerdotes eccleſiæ, qui ſunt miniſtri tantum non per ſe ipſos ad deum adducentes, ſicut Chriſtus, vt apoſtolus de eo dicit, ſed adducentes per Chriſtum. vnde non ſunt ſucceſſores Chriſti, quod Lutherani per calumniam Catholicis obiiciunt,quaſi nos hoc dicamus,quod nunquam ſomniauimus,miniſter enim ſi miniſter tantùm manet,non ſuccedit, neque ſuccedere poteſt domino: Chriſtus autem,vt iterum dicam, ſui ſacrificij eſt, non miniſter tātum,ſed miniſter ſimul & dominus. eſſe autem miniſtros tantùm & quidem multos,& vbique nō ſolùm non minuit gloriam domini, ſed auget eam, vt

Heb.c. 7.
Modus oblationis hoſtiæ in cœlo alius ab oblatione in eccleſia
Heb.c.8.
Eſa.55.
Acto.13.
Calūnia manifeſta Lutheranorum, quod Catholici, ſacerdotes faciant ſucceſſores Chriſti.
Heb. c.7.

vel ratio ipſa naturalis nos docet. Rurſus cum Apoſtolus non multò pòſt cap. 10 ait, voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hoſtia pro peccato, ſed terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio. Quæram hoc loco ab iſtis qui hæc non conſiderant, quænam iſta hoſtia, quæ non relinquitur voluntariè peccantibus, poſt acceptam notitiam veritatis, ſed relinquitur non voluntariè peccantibus? hoc enim neceſſitas conſequentiæ poſtulat. alioqui quorſum voluntariè peccantes notaſſet Apoſtolus, niſi vt hos ab illis diſtingueret? ita vt his non relinqui intelligeremus. nobis certè apoſtolica traditio, quæ in eccleſia cuſtoditur, ſatis interpretatur, qui ſint iſti voluntariè peccantes poſt acceptam notitiam veritatis, id eſt, poſt illuminationem baptiſmi, quibus non relinquitur hoſtia pro peccatis, ij ſcilicet ſunt, quos eccleſia, quia in peccato ad mortem manent, à quo nolunt per pœnitentiam conuerti, excommunicauit, quibus non relinquitur hoſtia pro peccatis, quia non offert pro eis: imò nec ab eis accipit oblationes. Vnde Sanctus Timotheus Alexandrinus vnus ex iis. S. patribus, qui concilio ſecundo poſt Nicenum interfuerunt, in procemio narrationis miraculorum ſancti Menæ Aegyptij hoſtiam ait mundam, & incruentam offerri deo in eccleſia quotidie εἰς ἐπιστροφὴν καὶ μετάνοιαν πάντων τῶν πιστῶν, id eſt, ad conuerſionem, & pœnitentiam omnium fidelium offertur, ergo iis, quos abhorrere à pœnitentia, & ab ea auerſos eſſe eccleſia iudicat, & ob eam cauſam eos excommunicat, non relinquitur huiuſmodi oblatio hoſtiæ: ita vt qui pro eis offerat, iudicio eccleſiæ repugnet. Verùm tamen etſi hoſtia myſticè, id eſt oblatio corporis domini in myſterio iſtis non relinquatur in eccleſia, relinquitur tamē hoſtia in cœlo apparens vultui dei reuelata facie, & ſemper viuens ad interpellandum pro nobis omnibus, quandiu in hac vita ſumus. Nec enim deſperata eſt ſalus excommunicati tametſi non relinquitur ei ſuper terram hoſtia, quę ideo non relinquitur, vt ſpiritus eius, qui ſic ab eccleſia ſancta punitur, ſaluus ſit in die Domini. Quare qui in cœlo ſolum λειτουργίαν corporis domini

Quos dicat Apoſt. voluntariè peccantes poſt acceptam notitiam veritatis quibus nō relinquatur hoſtia pro peccatis. & quomodo traditio apoſtolica ſit, interpres huius loci.

Heb. c. 9.

relinquit, & corpus domini relinquit in eccleſia ἀλειτούργητον, id eſt, ſine miniſterio offerendi illud, & ſupplicandi deo per oblationem eius, ſcripturam Pauli negat, quæ dicendo non relinqui hoſtiam, in eccleſia ſcilicet, voluntariè peccantibus, ſimul docuit relinqui non voluntariè peccantibus. ex quo ſit, vt neceſſariò ponendum ſit ſacerdotium externum & viſibile in eccleſia, ſicut viſibilis eſt hoſtia, quæ offertur. Sed vt magis adhuc pateat, hoc quod apoſtolus ait, non relinqui iam hoſtiam voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, neceſſariò intelligendum eſſe de hoſtia, quæ in memoriam illius cruentæ, de qua antè diſſeruerat, ſemper in domo dei quæ eſt eccleſia, offertur, in qua hoſtia non apparet Chriſtus ſed velatus eſt, ex ipſius apoſtoli verbis eliciamus. Dixerat enim in extrema parte capitis noni, nunc autem ſemel in conſumatione ſæculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. cum autem dicit apparuiſſe ſemel per hoſtiam ſuam, de illa hoſtia dicit, quæ ſemel oblata eſt in propria ſpecie, & forma, quam viderunt omnes, qui circumſtabant, hoc enim ſignificat verbum πεφανέρωται de qua etiam hoſtia, per quam apparuit, dicit ſtatim proximo c. vna enim oblatione cõſummauit in ſempiternum ſanctificatos. quia ſcilicet ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata, ſiue ad deſtitutionem peccati, vt idem dixerat. hoc enim ſignificat, cõſummaſſe in ſempiternum ſanctificatos id eſt, perfeciſſe ſanctificationem corporis, animæ, & ſpiritus auferendo peccata. & rurſus de huius hoſtiæ oblatione ſubiungit, vbi autem horum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato. quia ad exhaurienda peccata ſemel oblatus eſt moriendo, ſic enim dixit in fine cap. nono, & quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium, ſic Chriſtus ſemel oblatus eſt ſcilicet moriendo. Quare cum paulò pòſt in eodem cap. decimo dicendo non relinqui hoſtiam voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, ſimul docuerit ſecundum conſequentiam ſermonis, relinqui hoſtiam non voluntariè peccantibus, neceſſe eſt, vt loquatur de hoſtia, per quam non apparet nunc Chri-

Quomodo ex propriis verbis Apoſtoli neceſſariò elicitur eſſe in eccleſia ſacrificium externum & viſibile.

ſtus hoſtia enim per quam apparuit, ſemel facta eſt: & non amplius per eam apparebit, quia Chriſtus iam non moritur. hoſtia ergo, per quam offertur non apparendo, ſed in myſterio, & ſub velo eſt, de qua nunc apoſtolus loquitur, quæ relinquitur non voluntariè peccantibus: illa enim per quam ſemel apparuit in cruce, nullis iam ſiue voluntariè, ſiue non voluntariè poſt notitiam veritatis peccantibus relinquitur. quia Chriſtus vt ſemel pro omnibus mortuus eſt, ita nullis iam verè moritur, niſi repręſentatiuè, ſiue commemoratiuè; ſicut ait beatus Methodius martyr in ſympoſio 10. virginum, quod fit in myſterio ſecundam inſtitutionem domini. ſed copioſiorem confirmationem interpretationis huius loci de hoſtia, quæ non iam relinquitur voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, imò totam explanationem partis. cap. 10. vnde incipit fiduciam igitur habentes, ferè vſque ad extremum, quæ ad hanc hoſtiam pertinet, tum ex propoſito Pauli, tum ex antecedentibus, & conſequentibus, tum ex proprietate verborum, & antiquorum patrum auctoritate, & ex conuenientia ſanctarum ſcripturarum, & traditione dogmatum eccleſiaſticorum depromptam in proprium de ſacrificio incruento librum reſeruamus, quem, ſi dominus voluerit, aliquando ædemus. ſatis nunc reſponſum ſit ad cap. 9. epiſt. ad Heb. quod nobis contra ſacerdotium externum & viſibile ideo Magd. obiecerunt, quod videretur eis tolli ibi ab apoſtolo ſacrificiũ externum & viſibile, quo ſublato, conſequens eſſet, ſublatum eſſe ſacerdotium viſibile. nos verò docuimus, quemadmodum Paulus dicat, ſacrificium incruentum relinqui in eccleſia non voluntariè peccantibus, quo relicto, neceſſe ſit, relictum eſſe in eccleſia ſacerdotium externum & viſibile ſecundum doctrinam apoſtoli. de quo ſacerdotio qui plura ex ſcripturis ſanctis deſiderat, legat, ſi placet, duos quos de hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiæ catholicæ contra ſchiſmaticas Lutheranorum miniſtrorum, & ſuperintendẽtium vocationes nuper libros ædidimus.

Defenſio doctrinæ de libero arbitrio in epiſtola Clementis: quomodo conſonet ſcripturæ: & quomodo ſcriptura in mãdatis de faciendis coniungere ſoleat gratiam cum libertate voluntatis: & quomodo hanc conſuetudinem ſancti patres imitati ſint, teſtimonio etiam ipſorum Magdeburgẽſium in cẽturia quarta in iis, quæ de libero arbitrio ab antiquis ſcripta approbant: & de obſeruatione conſuetudinis ſcripturæ apud Philonem Alexandrinum, quando in ſcriptura tota poteſtas electionis noſtræ Deo tribui videtur: & quando homini. Item explicatio Methodii martyris de libertate, quæ quomodo cum gratia Dei cohæreat, exemplo aptiſſimo demonſtrat.

Cap. 2.

DEinde (inquiunt) doctrina de libero arbitrio in Clem. epiſt. 1. & 3. & aliis corruptè propoſita eſt. voluntatis enim viribus tribuitur non tantum velle, in rebus ad ſalutẽ pertinentibus: ſed etiam perficere & miſericordiam conſequi. cum tamen Deus ſit, qui faciat, vt velimus, & perficiamus &c. Tanta eſt Magd. calumniandi libido, vt ea libidine acti præcipites, quicquid primo aſpectu ad calumniam rapere poſſe ſibi videantur, id inconſideratè, ac nullo iudicio rapiant. Ex quo fit, vt paſſim decipiantur: vt hoc loco feciſſe demonſtrabo, redarguens eos tum ex ſcripturis, tum ex iis, quæ idem Clemẽs in prima epiſtola ſcripſit, tum etiam ex iis, quæ iidem centuriatores parum memores in centuria 4. de libero arbitrio à ſcriptoribus illius ſæculi ſcripta, probarunt. Conferamus ergo prius: quæ Clemens ſcripſit, cum iis, quæ iſti finxerunt. Si quis, inquit, audiens ſermonem verè prophetę, velit recipere, aut nolit, & complecti onus eius, id eſt, mandata vitæ, habet in ſua poteſtate: liberi enim ſumus arbitrij. nam ſi hoc eſſet, vt vi dentes ea, iam non haberent in poteſtate aliud facere, quam audierant, vis erat quædam naturę, per quã liberum non eſſet ad aliam migrare ſententiam. Aut rurſus, ſi ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ cũ aliquid fieri cogeret, alteri parti non daret locum. Nunc autem, quia liberum eſt ani-

Conferuntur quæ Clemens de libero arbitrio ſcripſit cum iis, quæ Magd. finxerunt ſcripſiſſe.

mo, inquam velit partem declinare iudicium ſuum, & quam probauerit, eligere viam, conſtat euidenter ineſſe hominibus arbitrij libertatem. Hæc ſunt, quæ Clemens in hac epiſtola de libero arbitrio ſcripſit. Percunctemur nunc Magdeburgenſes, vbi Clemens hoc loco voluntatis viribus tribuit non tantum velle in rebus ad ſalutem pertinentibus, ſed etiam perficere, & miſericordiam conſequi? Reſpondebunt fortaſſe id tribuiſſe, cum dixit, Si quis audiens ſermonem veri prophetæ, velit percipere, aut nolit, & amplecti onus eius, id eſt, mandata vitæ, habet in ſua poteſtate: liberi enim ſumus arbitrij. an dixit Clemens, habet hoc in nuda & ſola poteſtate ſua? ſi enim hoc dixiſſet, profectò viribus voluntatis, quod iſti dicunt, tribuiſſet. at non hoc dixit: cur igitur ſic interpretamini, quaſi dixerit? Niſi quia veſtro more facitis, qui, quæ in ſcriptura & ſanctis patribus ſcripturas ſanctas imitantibus, coniuncta ſunt, facilè diſiungitis: ſicut in veſtro falſò dogmate de iuſtificatione feciſtis, quod de fide non ſola ſcriptum erat, de ſola fide interpretantes. Quæro rurſus, reſpondete mihi, cum ait Dominus in Deuter. Mandatum hoc, quod ego hodie præcipio tibi, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere, &c. & paulò pòſt: Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum: & ecõtrariò, mortẽ, & malũ, vt diligas dominũ Deum tuũ, & obedias voci eius: reſpõdete, inquã, mihi, cũ hoc loco dicit lex: Quod pręcipio tibi, non eſt ſupra te, & propoſui in conſpectu tuo vitã & bonũ, vt diligas Deũ, & elige vitã, vt viuas, an viribus tantum voluntatis tribuitur poteſtas eligendi & perficiendi hæc? nõ puto dicetis, niſi hũc quoq; librum Deut. negatis, quod hactenus non feciſtis. Scriptura igitur diuina in mandatis Dei faciendis ſolet non ſeparare poteſtatem liberi arbitrij à gratia Dei, à qua excitari & adiuuari debet, vt rectè velit: & vt bonum perficiat. Item ſanctus Iob ſicut caſeum (inquit) coagulaſti me. Et paulò pòſt: Vitam & miſericordiã apud me poſuiſti. hoc enim dixit, vt ait ſanctus Maximus in reſponſis quæſtionum ad Thalaſium, τὸ αὐτεξούσιον παριστῶν, id eſt, repreſentãs liberum arbitriũ: quod perinde eſt, inquit,

Deut. 30.

Cõſuetudo ſcripturæ coniungẽdi ea, quæ non ſunt ſeparanda, vt coniungendi cum fide opera fidei, & cum libertate voluntatis ad bene operandum gratiam Dei.

Iob. 10.

quaſi diceret. In me poſuiſti, vt viuerem, & mei meſererer obediendo & cuſtodiēdo mandata tua. An Iob, cum hoc dixit, gratiā Dei negauit? aut vos eum, quod ſic locutus ſit, reprehendetis? rurſus, cum Salomon ait in Prouerb. cap. 16. Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere regreſſus eius, tribuit ne viribus tantū voluntatis vt ſe pręparet? minimè. Nō enim præparat ſe niſi volendo: Deus autem eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, ſicut Apoſtolus ait. Deinde quid eſt, diſponere cor hominis viam ſuam niſi præparare bona opera? Hęc enim ſunt viæ cordis, quę diſponūtur. at Paulus ait de bonis operibus, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. imò idem Salomon ait c. 8. A Domino paratur voluntas. Sic enim eſt apud 70. Item cum ait idē cap. 18. In manu linguæ, id eſt, in poteſtate linguæ eſt vita & mors tribuit ne ſolis viribus voluntatis, quæ linguam ad loquendum mouet, loqui bonum ſermonem ad ædificationem, qui ſale ſit conditus, vt det gratiam audientibus? minimè. Cur ergo locutus eſt ita, niſi quia cū poteſtate voluntatis ad bene loquendum, coniunxit gratiam, quæ voluntatem ad bene volendum, & ad bonā voluntatem perficiendum adiuuat? Quod ſi aliud adhuc clariùs exemplum vultis Magdeburgenſes, apoſtolus ait: Non enim auditores legis iuſti ſunt, ſed factores legis iuſtificabuntur: deinde ſubiungit exemplū gentium, quæ ſine lege iuſtificātur, inquiens. Cū enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habētes, ſibi ipſi ſunt lex, an cum dixit, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt viribus tātum voluntatis hoc tribuit Apoſtolus? aut cum dixit euangeliſta in parabola de diſtributione talētorum, ex quibus ſunt virtutes, & opera bona, quæ ſunt dona Dei, dediſſe vnicuique ſecundum virtutem propriam, ſolis viribus voluntatis humanæ tribuit præparationem ad ea accipienda? quis hoc dicat? ſed dicent fortaſſe Magdeburgen. & quidem rectè, ſi tamen dicant, apertè alias Apoſtolum dicere, Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate: & illud, Non quod ſufficientes ſimus cogi-

[Margin notes: Prou. 16. — Philip. 2. — Eph. 2. — Prou. 8. — Prou. 18. — Eph. 4. — Rom. 2. — Matth. 25. — Philip. 2. — 2. Cor. 3.]

tare aliquid à nobis,quaſi ex nobis,ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & alia eiuſmodi. ex quibus locis facilè intelligi poſſit,quomodo illud accipiendū ſit paulò obſcurius dictum,naturaliter ea,quæ legis ſunt.faciūt: & item illud, vnicuique ſecūdum propriam virtutem, ſic enim vocat præparationem,quæ non eſt tamen ſeiuncta à Dei gratia,imò ab ea anticipatur: eſt enim conatus proprius voluntatis ſecundum Dei gratiam,qui alius eſt à conatu proprio voluntatis, ſecundum potētiam : vtrunque diſtinxit Iuſtinus martyr, in apologia priore,cum diſtinxit ſemen rationis inſitæ, ſecundum potentiam tributum,& ſemen rationis inſitæ,ſecundū gratiam participatum, quod beatus Iacobus in epiſt. ſua ἔμφυτον λόγον, vocat, id eſt, inſitum verbum, quod poteſt(inquit)ſaluare animas veſtras.Hoc ergo ipſum vobis reſpondemus, Centuriatores, quod Clemens in hac epiſtola ſcripſit, id ſi vobis obſcurius videbatur, & aliquid deeſſe, non continuò accuſare, ſed ex aliis locis eiuſdem Clemētis ſupplere,& interpretari oportebat: vt cum ait in prima epiſtola, hanc fuiſſe Petri quotidianam prædicationē, Deum diligere, & proximum velut ſeipſum : abnegare ſeipſum ſibi, vt Ieſum Chriſtum dominum noſtrum ſequatur,& nihil eius amori præponere:veritatem corde, & ore proferre debere.Et paulò poſt,ne omnia repetā, Boni aliquid in ſe cū viderit,Deo attribuere,non ſibi: & malū à ſe factū cognoſcat & ſibi imputet: An attribuere Deo, & non ſibi, cū aliquid boni in ſe viderint:eri: hominis voluntatis viribus tribuentis nō tantum velle, ſed perficere, & miſericordiam Dei cōſequi, vt vos veſtro more ſine vllo Dei timore maleuolè, & inuidioſè de Clemente beati Petri diſcipulo,& ſucceſſore ac glorioſo martyre finxiſtis?Et paulò poſt,Propter quod deprecor te(inquit)chariſſimè, vt doceas attentius hūc prædicationis ordinem: & abſolutionum dies, vt ſaluentur animæ hominum,quæ occulta Dei virtute quem debeant diligere,priuſquam doceantur, agnoſcant. An qui dicit, occulta Dei virtute opus eſſe ad cognoſcendum Deū, vt animæ ſaluæ fiant, voluntatis tātum viribus tribuit velle,& perficere in iis,quæ ad ſalutem pertinent?ſub-

Duplex conatus voluntatis proprius ſecundum gratiam, & ſecundū potentiam.

Iac.1.

Prædicatio Petri quotidiana de libero arbitrio in epiſt.1. Clementis, non ſibi,ſed Deo attribuere, qui in ſe aliquid boni viderit.

iungit deinde, operum verò ratio poteſtati & arbitrio vniuſcuiuſque permittitur: & hoc ipſorũ eſt propriũ. De operibus loquitur, quæ non fiunt propter veritatẽ, id eſt, propter Deum: ſubiũgit enim, Deſiderium verò habere ad doctorem veritatis, hoc à patre cœleſti donatum eſt. Sed ſalus in eo eſt, vt voluntatem eius, cuius amorem & deſiderium, Deo largiente, conceperis, facias, &c. Eſt ne hoc ſolis viribus voluntatis tribuere velle, & perficere in iis, quæ ad ſalutem pertinent? eſt ne, inquam, hoc ſolius voluntatis humanæ, facere voluntatem Dei, ipſo largiẽte deſiderium faciendi eam? quis non videt, deprehenſos hic Magdeburgenſes in manifeſta calũnia? imò redarguamus eos, vt antè promiſimus, ex iis, quæ illi ipſi in centuria quarta in capite doctrinæ de libero arbitrio ſcripſerunt his verbis, De libero arbitrio quæ commodè & tolerabiliter à doctoribus huius ætatis tradita videntur, ſic habent. Deinde recitant inter cæteros auctores, quæ Sãctus Athanaſius in libro contra gentes ſcribit: Anima (inquit) cõdita eſt libera, poteſtque bona vt eligere ita & auerſari. agnoſcens arbitrij ſui libertatem, conſpicit ſe poſſe in vtramque partem membris corporis vti, ſiue ad ea, quæ ſunt, ſiue ad ea, quæ non ſunt: ſunt quippe bona, non ſunt autem mala. Hoc Magdeburgenſes confeſſi ſunt ex eis eſſe, quæ commodè de libero arbitrio à doctoribus illius ſæculi tradita ſibi viderentur. At nemo, niſi Pelagianus, animam ita conditam liberam dicat, vt poſſit eligere bona opera bene, id eſt, ſic vt Deo placeant, voluntatis tantum viribus ſine gratia Dei. Poteſt enim aliquis ſine fide eligere bona opera, ſed non bene, vt idem Clemens in 4. Epiſtola ſcripſit: ſic enim ait. Neque puteris, quod etiam ſi omnem pietatem colatis, omnemque iuſtitiam, baptiſmum verò non accipiatis, ſpem poſſitis habere apud Deum: imò maiore pœna digni eritis, qui bona non bene operati eſtis. nõ bene dixit, id eſt, non meritoriè, vt loquuntur. Cum igitur beatus Athanaſius ait de libero arbitrio, id quod vos commodè dictum eſſe, confeſſi eſtis, poſſe animã libertate arbitrij ſui bona facere, quæ exiſtunt, id eſt, facere bona, & bene: alia enim opera quatenus non

Deprehenſio Magdeburgenſium in manifeſta calumnia.

Redarguuntur Magd. ex iis, quæ in centuria 4 de libero arbitrio commodè & tolerabiliter ſcripta eſſe à doctoribus illius ætatis confeſſi ſunt.

bene fiunt. non verè exiſtunt. profectò cum poteſtate libera voluntatis coniunxit gratiam Dei, qui operatur in nobis bene velle bonum. idem reliqui ſancti patres in libris ſuis facere ſolent. ſcripturas ſanctas imitãtes, quæ, vt dixi, gratiam cum libera poteſtate voluntatis copulare ſolent, vt præter ea exempla, quæ Paulo ſupra cõmemoraui, cerni etiam poteſt in eo, quod Apoſtolus in epiſt. ad Romanos ait: An neſcitis, quoniã cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiã &c in nobis enim dicit poſitã eſſe electionem peccati, & mortis, & obedientiæ ac vitæ, quæ eſt ex fide, per quam viuit iuſtus: at non dicit poſitam ſine Dei gratia, ſine qua non poſſumus mandatis Dei obedire ad iuſtitiam, vt viuamus. Ad hãc ſcripturæ ſanctæ conſuetudinẽ pertinet, quod Philo Alexandrinus auctor eruditiſſimus obſeruauit, quando ſcriptura ſancta totã poteſtatẽ eligendi bonũ Deo, & quando homini tribuere videatur. Explicans enim in quarto libro allegoriarum legis, quẽ Leontius in libro τῶν συλλογῶν citat, (licet nos hũc librum nunc non habeamus) explicans inquam illum locũ Deuter. cap. 30. Conſidera quod hodie propoſuerim in cõſpectu tuo vitã & bonum: & ecõtrariò, mortẽ & malum. Elige ergo vitam, vt viuas. ſic ait, μακάριον χρῆμα, προθέντος ἀμφότερα τοῦ δημιουργοῦ, τὸ ἄμεινον ἰ. ἰσχῦσαι λαβεῖν τὴν ψυχὴν, μακαριώτερον δὲ τὸ μὴ αὐτὴν ἑλέσθαι, τὸν δὲ δημιουργὸν προσάγεσθαι καὶ βελτιῶσαι. οὐδὲ γὰρ κυρίως ἀνθρώπινος νοῦς αἱρεῖται δι' ἑαυτοῦ τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ κατ' ἐπιφροσύνην θεοῦ δωρουμένου τοῖς ἀξίοις τὰ κάλλιστα. Δυοῖν γὰρ ὄντων κεφαλαίων παρὰ τῷ νομοθέτῃ τοῦ μὲν, ὅτι οὐχ' ὡς ὁ ἄνθρωπος, ἡνιοχεῖ τὰ πάντα ὁ θεὸς, τοῦ δὲ, ὅτι ὡς ἄνθρωπος, παιδεύει καὶ σωφρονίζει, ὅταν μὲν τὸ δεύτερον κατασκευάζῃ, τὸ ὡς ἄνθρωπος, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν εἰσάγει ὡς ἱκανοῖς τε καὶ γνῶναί τε καὶ βούλεσθαι καὶ ἑλέσθαι καὶ φυγεῖν, ὅταν δὲ τὸ πρῶτον καὶ ἄμεινον, ὅτι οὐχ' ὡς ἄνθρωπος, τὰς πάντων δυνάμεις καὶ αἰτίας ἀνάψῃ θεῷ. Interpretemur latinè beata (inquit) res, eſt, quod cũ vtrumq; auctor propoſuerit, quod melius eſt, anima poteſt ſuſcipere: beatius verò eſt, quod nõ ipſa ex ſe eligat, ſed auctor eã adducat, & meliorẽ faciat. nõ enim ex ſe humana mens eligit bonũ: ſed ſecundum proſpi-

Obſeruatio Philonis Alexandrini quando ſcriptura totam poteſtatem electionis noſtræ Deo, & quando homini tribuere videatur.

cientiam Dei donantis optima eis,qui digni ſunt.Duo enim (inquit) ſunt apud legiſlatorem capita, alterũ eſt, Deum non more humano omnia moderari: alterum, more humano caſtigare ac punire. Cum hoc poſterius probat,id eſt,more humano caſtigare,tũ quod noſtræ libertatis eſt ſic introducit, quaſi ſufficientes ſimus ad cognoſcendũ,& volendũ, & eligendũ: & fugiendum, cùm verò illud prius ac præſtantius probat,omnia ſcilicet Deum regere nõ humano more, tunc omnes vires & cauſas Deo aſſignat. Vt cum ait in Num. nouit Deus ſuos, & ſanctos ſuos adduxit ad ſe: & quos non elegit ſibi, non adduxit ad ſe.ſic enim eſt apud 70. deinde ſubiungit.Si autem eligere bonum, & nõ eligere malum,propriè ab vna cauſa,proficiſcitur,quid me legiſlator quaſi poteſtatis eligendi compotem, vt vitam, & non mortem eligam,hortaris? Reſpondebit (inquit) dicta eſſe hæc iis, qui nondum magna myſteria de principatu, & poteſtate Dei, & de nimia infirmitate creaturæ didicerunt. Hactenus Philon. S.Paulus ergo nobis, qui ſcimus,quam ſit natura hominis infirma,& quã nihil boni ex ſe poſſit, & quod omne datum optimũ ſicut beatus Iacobus ait,& omne donũ profectum de ſurſum eſt,deſcendens à patre luminũ,apertè dicit, nõ quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamẽti. Et in epiſt. ad Cor.1.cap.15.Abundãtius(inquit) illis omnibus laboraui,nõ ego,ſed gratia Dei mecũ,nõ ego (inquit)id eſt,non ſolus,ſed gratia Dei mecũ,ſiue in me,id eſt,in me tanquã inſtrumẽto libero per gratiã eius laborãte: alioqui nõ dixiſſet,laboraui. eſt enim voluntas inſtrumentum liberum,quia, vt ait beatus Methodius in libro de libero arbitrio, εἰ ὡς ἕν τι γέγονε τῶν στοιχείων, ἢ τῶν ὁμοίως ἀνάγκῃ δουλευόντων θεῷ, οὐκ ἔτι μισθὸν ἄξιον τῆς προαιρέσεως λαμβάνει ἀλλ' ὡς ὄργανον ἂν ἦν τοῦ δημιουργοῦ πλὴν ἐφ' οἷς οὐ καλῶς ἔπραξεν ἀλόγως μέμψιν ὑπομένων, τούτων γὰρ αἴτιος ἦν ὁ χρώμενος, id eſt, ſi factus eſſet homo tanquam vnum ex elementis aut vnum ex eorum numero quæ ſimiliter neceſſitate ſeruiunt Deo,non iam mercedẽ libera voluntate dignam reciperet, ſed potius tanquam

Num. 16.

Quod voluntas inſtrumentum liberum ſit auctore Methodio martyre, ex quo neceſſe ſit ſ. qui ſecundum conditionẽ inſtru-

menti, vt non ſolum per motionem alterius id eſt, gratiæ Dei bonum operetur, ſed per virtutē propriā, cooperantem.

Quod voluntas nō eſt ſola cauſa electionis bonæ, ſed concauſſa, ſiue cauſa coadiuuans.

1. Cor. 3.

inſtrumētum opificis eſſet, de cuius non rectè factis iniuſta, & temeraria eſſet querela. Eorum enim auctor eſſet is, qui inſtrumēto vtitur. Quare, cum ſit voluntas inſtrumentum liberum, conſequens eſt, vt ſicut inſtrumentū neceſſitate ſeruiens, per motionem eius, qui eo vtitur, ſecundū virtutē propriam operatur, ſic voluntas inſtrumentum liberum gratiæ Dei, operās per motionem eius bonū, ſecundum quoque virtutem propriā illud operetur: Cauſaque eius ſit non quidem ſola & ſimpliciter, ſed quodāmodo, quæ dicitur Græcè συναίτιον, id eſt, concauſa, ſic enim princeps philoſophorum vocat. cū ait in 2 lib. de anima, συναίτιον πῶς μὲν ἐστιν οὐ μὲν ἁπλῶς γε αἴτιον. Nos cauſam adiuuātem ſeu cooperantem vocare ſolemus: Adiutores enim Dei ſumus, ſicut Apoſtolus ait, Deus verò prima eſt & præcipua cauſa. ſubiungit deinde idem Methodius, Ἀλλ' οὐδὲ τὸ κρεῖττον ἄνθρωπος ἠπίστατο μὴ τὸν αἴτιον εἰδὼς, ἀλλ' ἐκεῖνο μόνον εἰς ὃ πέφυκεν εἶναι. φημὶ τοιγαροῦν τὸν ἄνθρωπον τιμῆσαι προαιρούμενον καὶ τῶν κρειττόνων ἐπιστήμονα γίνεσθαι τὴν ἐξουσίαν αὐτῷ τοῦ δύνασθαι ποιεῖν ἃ βούλεται δεδωκέναι, καὶ τὴν ἐξουσίαν αὐτοῦ εἰς κρεῖττον παραινεῖν οὐκ ἀφαιρούμενον πάλιν τὸ αὐτεξούσιον ἀλλὰ τὸ κρεῖττον μηνύειν θέλοντα, τὸ μὲν γὰρ δύνασθαι πάρεστιν αὐτῷ, καὶ τὴν ἐντολὴν λαμβάνει, καὶ δὲ τοῦ δύνασθαι προαίρεσιν εἰς τὸ κρεῖττον τρέπειν ὁ θεὸς παραινεῖ. ὥσπερ γὰρ πατὴρ παιδὶ παραινεῖ ἐξουσίαν ἔχοντι ἐκμανθάνειν τὰ μαθήματα καὶ μᾶλλον ἔχεσθαι τῶν μαθημάτων, ὅτι κρεῖττον τοῦτο μηνύων, οὐ τὴν τοῦ δύνασθαι τοῦ παιδὸς ἐξουσίαν ἀφαιρεῖ, κἂν μὴ ἑκὼν μανθάνειν βούληται, οὕτως οἶμαι καὶ τὸν θεὸν οὐ δοκεῖ προτρέποντα τὸν ἄνθρωπον πείθεσθαι τοῖς προστάγμασι ἀφαιρεῖν αὐτὸν τὴν ἐξουσίαν τῆς προαιρέσεως τοῦ δύνασθαι καὶ μὴ ὑπακούειν τοῖς προστάσσει, & paulò poſt, ὥστε οὐχ' ἵνα τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκεν ἀφέλῃ, προστάττειν βούλεται, ἀλλ' ἵνα κρεῖττον δωρήσηται ὡς ἀξίῳ μειζόνων τυχεῖν, ἀνθ' ὧν ὑπήκουσε τῷ θεῷ, καὶ τὴν τοῦ μὴ ὑπακούειν ἐξουσίαν ἔχων, Interpretabor latinè, imò neq; (inquit) quod melius eſt, homo cognoſceret, niſi auctorem eius cognouiſſet, ſed illud tantum, quod naturæ ſuæ inſitū eſt. Quamobrem cum Deus hominē honorare, & ſcire cū meliora vellet, dedit ei poteſtatē qua poſſet facere, quæ vellet, & poteſtatē eius ad meliora hortatur: nō quod rurſus auferat

Eruditiſſima explicatio beati Methodii de libero arbitrio.

poteſtatem liberã,quã dedit: ſed quod velit,quod melius eſt,ei declarare.Habet.n.poteſtatẽ,& mandatũ accipit,ſed vt velit poteſtatem ad meliora cõuertere,hoc Deus admonet. Vt.n.cum puerũ poteſtatẽ alioqui habentẽ,pater ad perdiſcendas diſciplinas,& magis carũ ſtudio adhæreſcẽdũ hortatur, declarãs ei hoc eſſe melius nõ priuat puerũ poteſtate, quam habet. ſi nõ velit ſponte ſua diſcere:ſic cum Deum hominẽ hortatur, vt mãdatis pareat,nõ (inquit) videtur mihi priuare eũ poteſtate voluntatis,qua poſſit etiã nõ obedire mandatis. Quamobrẽ nõ vult dare præceptum, vt poteſtatẽ, quã dedit,auferat,ſed vt melius aliquid donet tanquam digno,qui maiora adipiſcatur, quia paruit Deo,cũ alioqui poteſtatẽ non parendi haberet. Hæc ſanctus Methodius martyr. quæ idcirco libẽter attuli, vt ex exemplo,quo hic magnus ductor vſus eſt , intelligãt tandẽ, ſi velint,Magdeburgen.& cæteri Lutherani, quemadmodum gratia Dei cum libera poteſtate volũtatis cõueniat.hoc.n.dum non intelligunt,fingunt omnia nos voluntatis viribus tribuere,ſicut pauló antè de Clemẽtis epiſtola fingebãt: noſque Pelagianos videri volunt, quia non,vt ipſi,voluntatẽ propria virtute ac natura in cõtumeliam auctoris ſpoliamus. Igitur quod ſanctus Methodius ait de præcepto Dei , & de manifeſtatione boni,quam Deus facit,nõ tolli eis libertatem voluntatis,idem de gratia bonæ voluntatis , ac boni operis adiutrice dicendum eſt.Vt enim homo niſi quod melius eſt,cognoſceret,non poſſet bene operari, melius autẽ non cognoſcet,niſi Deum auctorem eius cognoſceret: ſic.poſtquam vtrumque adiutore Deo, cognouit, non poteſt,niſi eodẽ incipiente, & adiuuãte, operari. Quare ſicut illud non tollit libertatem, vt in illo exemplo patris puero præcipientis , & eum hortantis clariſſimè cernitur,ſic gratia adiutrix,ſine qua non poteſt voluntas hominis bene velle. & operari, non tollit liberam poteſtatem voluntatis.neque nos vt Caluinianus Marloratus in Comment. epiſtola ad Corinth. 1.cap. 15. fingit , laudem boni operis cum Deo patimur. Quid enim habemus,quod nõ accepimus? aut ſi accepimus, quid gloriari poſſimus , quaſi non acceperimus , vel

Quod Lutherani non intelligẽtes quomodo gratia Dei cum libertate voluntatis conueniat, volunt nos videri Pelagianos, quia nos ſpoliamus voluntatẽ propria virtute, & natura, in contumeliam auctoris.

Quod ſicut præceptũ præcipientis non tollit libertatem volũtatis eius, cui præcipit,ſic gratia mouentis,& adiuuantis Dei non tollit libertatem voluntãtis, quam mouet,& adiuuat.

1.Cor.15.
1.Cor.4.

quam laudem nobis ſumere? Totam igitur laudem & gloriam ei tribuimus, ſine quo nihil boni neque incipere, neque proſequi, neque perficere poſſumus. Sed priùs quam huic loco finem imponam, libet recitare hic, quæ ante mille annos Ennodius Ticinenſis ad Cõſtantium quendã ſcripſit aduerſus eum, qui vt Lutherani nunc faciunt, libertatem quoque voluntatis in iis, quæ ad ſalutem & ſtudium virtutis pertinet, tollebat. Ergo (inquit) vt ſcriptione teſtamini, inuectus eſt homo, qui ſeruos Chriſti, quemadmodum ipſe promiſit eſſe faciendum, ſub hac occaſione cribraret, aſſerens de arbitrij libertate homini in vna tantum parte, quæ deterior eſt, eligendi datam eſſe licentiam. O ſchiſmaticam propoſitionem, quæ iuxta apocalypſim ſcriptas habet in fronte blaſphemias. Quæ iſta libertas eſt, ſi valet, ediſſerat, vbi hoc datur ſolum velle quod puniat? aut quare electionem nominet, vbi vnam tantùm partem aſſerit fuiſſe conceſſam? quod ſi veritate ſubſiſteret, locum diuina iudicia non haberent. Quid n boni à nobis Deus noſter rectè quæreret, qui appetentiã eius de voluntate ſubtraxerat? ſed iuxta apoſtolũ nunquid iniquus Deus? abſit. inter homines à recti diſcordat affectu, qui à ſubiectis exigit, quod in poteſtate non tribuit. hoc de Deo qua cõſciẽtia ſentiatur, aduertite. Vbi eſt illud apoſtoli clamantis, & pro arbitrij libertate teſtantis, velle adiacet mihi: perficere autẽ non inuenio? quid eſt aliud, quã dicere noui dextrũ iter eligere: ſed niſi ingredientem inuenerit gratia ſuperna, laſſabor: nemo dubitat, nemo condemnat quod auctore gratiæ præſtante, & ipſe æquitatis hominibus callis aperitur, dux enim bonorũ, & præceſſor eſt gratia, quãdo cœlitus multiplici ad requiem incitamur hortatu, quando nobis dicitur, Venite filij, audite me. Sed niſi talibus monitis & volũtas noſtra, quæ libera eſt, & labor præſter obſequium ad periculũ, & gehennam nõ imperio aliquo, ſed ſponte deuoluimur. itaque aut præmium deuotio: aut pœnam contemptus operatur. alioquin non erit iuſta retributio, quæ aut per ſupplicia refertur neceſſitate peccantibus: aut bonam mercedẽ offert, ad quod attrahuntur inuiti. ergo debemus gratiæ, quod

Quæ pulchrè Ennodius Ticinenſis de libero arbitrio ſcripſerit.

vocamur

vocamur: debemus gratiæ quod occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur: noſtræ tamen electionis eſt, quod beneficia demonſtrata ſectamur. Via.n. ſcelerum nō imperatrix noſtra legitur eſſe, ſed famula. cum de peccatis dicitur, ſub te erit appetitus eorum. quid etiam ſibi vult vniuerſa prophetæ quaſi ſertis redimita elocutio, noli æmulari in malignantes: nolite confidere in principibus: nolite fieri, ſicut equus & mulus. & apoſtolus, nolite fieri ſerui hominum. toties noli in ſuperna admonitione, quo reſpicit, ſi aliud nolle, non licuit? & paulò poſt illud enim beati Apoſtoli, quo ſe muniri credit, exemplū nobiſcū facit, ſi quæ ſequuntur, aduertat, cum inimicus arrogātiæ dixit, gratia Dei ſum, id quod ſum. mox enim ne ſic fugax gloriæ crederetur, vt longo interuallo à veritate deſciſceret, ſapiens architectus adiunxit, abundantius omnibus laboraui: & gratia Dei in me egena non fuit, quod dixiſſe eſt, Chriſtus in me, quem dignè, aut abundanter muneraretur, inuenit. non enim pauper eſt diuina gratia, ſed meritorum noſtrorum putatur quadam macie, aut exilitate tenuari: quæ tunc non ſuis æſtimatur meatibus fluere, quādo de ſuis curſibus ariditatis noſtræ vena nil recipit. Et paulò poſt de illius qui illud docebat, propoſito, vult enim (inquit) ad illud pertingere neminem ſuo vitio, aut negligentia perire, ſi homo vtriuſque rei, boni, & mali per poteſtatem cōceſſa electione priuatur. hos tantum iactat potuiſſe ſaluari, ſine labore vllo, ſine mandatorum amicitia, quos peregrinantes à merito, fauor tantum cœleſtis eripuit perinde quod in ipſum referatur, illos periſſe intelligit, quos gratia noluit diuina liberare. Sed de his hactemus pergamus ad alia.

Defenſio doctrinæ in epiſtola Anacleti ſecunda de pœnitentia cum ſatisfactione ex variis locis, & exemplis ſcripturæ ſanctæ, & de ſatisfactione Chriſti in cruce pro nobis, quomodo non ſuſtulit, ſed potius confirmauit noſtram ſatisfactionem temporalem. & quomodo probandum ſit ſecundum regulam Apoſtoli, vtrum ſpiritus, qui dicitur eſſe ſcripturæ, ex Deo ſit, item explicatio & demonſtratio

de ſacrificio ſanctæ Eucharistiæ ex epiſtola Pauli ad Hebræos, Quomodo non deroget morti Christi, ſed potius fructum eius nobiſcum communicet. Cap. 3.

AB Anacleto (inquiunt) epiſto. 2. doctrina de pœnitentia vitiatur. miſcetur enim ſatisfactio. Et Alexander epiſto. 1. peccata ſacrificiis deleri docet, & per recitationẽ paſſionis Deum placatum iri, & peccata remittere. Item ſacerdotes precibus & oblationibus delere, & conſumere peccata populi affirmat: quæ blaſphema & contumelioſa ſunt aduerſus opus & ſanguinem Chriſti, quo ſolo redempti ſumus: & qui vnica oblatione nos conſummauit, Heb. 9. &c. Hæc ſunt, quæ Magdeburgenſes in epiſtola 2. Anacleti, & 1. Alexandri, notarunt, in quibus quædam ab ipſis inuerſa ſunt, quo magis odioſa fierent, vt illud, (per recitationem paſſionis Deum placatum iri, & peccata remittere, quod quidem Alexander non ſic ſcripſit, ſed aliter: Crimina (inquit) atque peccata oblatis his Domino ſacrificiis deleantur; loquitur autem de corpore & ſanguine Domini: & ſubiungit, Idcirco & paſſio eius in his commemoranda eſt, qua redempti ſumus, & ſepius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hoſtiis delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia: nihil enim in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quam corpus, & ſanguis Chriſti: nec vlla oblatio hac potior eſt, &c. Itaque quod Alexander tribuit ſacrificio corporis & ſanguinis, vt peccata deleat, hoc Magdeburgenſes, inuerſis verbis & ſententia, recitationi paſſionis tribuere illum finxerunt. Sed quod ſatisfacere pro peccatis, & pro eis delendis corpus, & ſanguinem Chriſti, offerre, non ſit aduerſus opus, & ſanguinem Chriſti, vt iſti blaſphemè tradunt, ſed potius cum opere, & ſanguine Chriſti faciat, tametſi apud pios, & quibus Dominus dat intellectum, ſatis ſit ad probandum auctoritas apoſtolicæ traditionis, quam eccleſia catholica tenet, cuius teſtes duo nunc ex multis tam idonei, tam graues, tam ſancti, & tantæ antiquitatis Anacletus & Alexander ſunt: tamen quia neq;

Inuerſio & deprauatio verborum epiſto. Alexan. in cẽturia Magd.

iſti apoſtolicæ traditioni credunt, neque Anacletum & Alexandrum non dico ad auctoritatem, ſed neque ſaltem ad antiquitatem recipiunt, vt cognoſcant, inde, quid viri apoſtoli à principio de hac re ſenſerint: id quod beatus Hieronymus à Pelagianis petebat, obiiciens eis libro 3. Ignatium apoſtolicum virum, vt ſi non reciperent ad auctoritatem, ad antiquitatem ſaltẽ reciperent, idcirco vocemus eos ad ſcripturas, prætermiſſis nunc teſtimoniis auctorum, quibus referti ſunt libri veterum, vt teſtes ſunt Magdeburgenſes. Vbicunque enim per omnes ſuas centurias in omnibus antiquis patribus doctrinam de ſatisfactione, & ſacrificio corporis & ſanguinis ad delenda peccata inter nęuos & corruptelas impiè & blaſphemè referũt, quid aliud faciunt, quàm docere contra ſe ipſos, quid omnes eccleſiaſtici patres omni tempore ſenſerint & tradiderint, quod neceſſe eſt tandem referre ad traditionem Apoſtolorum, qui ſic tum per ſermonem, tum per epiſtolam docuerunt. Ergo Anacletus pontifex eos, qui Epiſcopum accuſare auſi fuerint, priuſquam eum ſtudio charitatis, & familiari colloquio moneant, iubet excommunicari, & nõ abſolui antè (inquit) quàm per ſatisfactionem condignam egerint pœnitentiam. Hic Magdeb. obiiciunt, vitiari doctrinam de pœnitentia, quia miſcetur (inquiunt) ſatisfactio. ergo doctrinam de pœnitentia apoſtolus vitiauit, qui cum inceſtum illum Corinthium vellet abſoluere, quia ſciebat præter pœnitentiam peccati interiorem ſatisfactione quoque opus eſſe, ſcripſit ad Corinthios, ſufficere illi obiurgationẽ, quæ à multis fiebat: ſic enim vocauit illud vitiari à multis congreſſum & communionem eius, quod illi erat valde acerbum. & ab eo patienter toleratũ, an nõ ſatis clarè apoſtolus hoc loco ſignificauit, ſatis illum peccati ſui pœnas luiſſe, qui ita diu cum tãto animi ſui dolore ac triſtitia ex peccato, à multis Corinthiis vitatus eſſet? idque ſatisfactionis vice eſſe debere, ſiquidem dicit, ſufficit ei? quod ſi docebat apoſtolus, vt vos Magdeburgen. cum cæteris Lutheranis contra doctrinam, & exemplum eius docetis, præter pœnitentiam peccati, non opus eſſe vlla ſatisfactione, id eſt,

Demonſtratio ex variis locis ſcripturæ, quod ad pœnitentiã adiungenda ſit ſatisfactio.

Pœnitentia Corinthii inceſti cum ſatisfactione.

1. Reg. 12. Par. 2. 33.

nihil pœnæ amplius pro eo ſuſtinendum eſſe, cũ Deus ſine vlla mora à verè pœnitente peccatum transferat, vt de Dauid in libro 2. Reg. ſcriptum eſt, & de Manaſſe in libro 2. Paralip. quod non propter illos tantum, ſed etiam propter nos ſcriptum eſt, cur non ſtatim, vt illũ pœnitere audiuit; non abſolui iuſſit? cur expectauit quouſque dicere poſſet, ſufficere illi obiurgationẽ, quæ à multis fiebat vt abſolueretur? Si illa obiurgatio exterior ad interiorem peccanti pœnitentiam adiuncta ſuffecit, aliquid ergo deerat prius illi pœnitentiæ interiori, nempe exterior iſta pœnitentia, quæ ſatisfactio vocari ſolet, vocabulo expreſſo, ex ipſo verbo græco ſic enim ait, obiurgatio, quæ fit à multis, *ἱκανὸν τῷ τοιού-τῳ*, id eſt, ſatisfactio ſit huic. ſic enim interpres latinus actorum Lucæ vertit idem verbum *ἱκανὸν* cum ait; & accepta ſatisfactione à Iaſone, & cæteris, dimiſerunt illos. ſatisfactio ergo ad debitorem refertur, ſiue debitor ſit is, qui ſatisfacit: ſiue is, pro quo ſatisfit. Iaſon verò quia accuſabatur tãquam auctor ſeditionis, quod Paulum, & eos, qui cum eo erant, hoſpitio excepiſſet, hoc debito obligatus tenebatur, vt doceret ſe extra crimen eſſe, ſeque iuſtè excuſaret, quod quidem quia fecit, & ſe trahi patienter tulit, debitum ſoluit; cuius ſolutio, id eſt, iuſta excuſatio, & tractio illa, quam æquò animo vt innocẽs ſuſtinuit, ſatisfactio fuit in ſcriptura. itaq; eſt verbum ſatisfactionis, licet Magiſter Magdeburgenſium Lutherus in Aſſertione articuli 5. contra Bullam Leonis 10. dicat, ſe vehementer illud odiſſe, & in ſcripturis nõ reperiri. illud melius, quod paulò antè in eadem Aſſertione ait, in quo ſecum & cum cæteris Lutheranis pugnat, hoc libẽs (inquit) cõceſſerim, quod eccleſia mater pio affectu præuentura manum Dei caſtigat filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam, ne incurrant flagella Dei, ſicut Niniuitæ. quod ſi pio affectu eccleſia ſatisfactionibus caſtigat, igitur non derogãt ſatisfactioni Chriſti ſatisfactiones ab eccleſia impoſitæ. liberent Lutherani, ſi ſciunt, aut poſſunt, à repugnantia Magiſtrum ſuum, niſi fortè aliter, quam illi docere velint, vt ſint iam diſcipuli ſupra ſuum magiſtrum. Hanc ergo Pauli doctrinam eccleſia catholica vſque in ho-

Act. 17.

Verbũ ſatisfactionis in ſcriptura, quod Lutherus negat.

Vbi Lutherus confeſſus ſit ſatisfactione, ab eccleſia impoſitus non derogare ſatisfactioni Chriſti.

diernum diem tenet, & hanc Anacletus apoſtolicus Pontifex ſecutus eſt. Vos verò Magdeburgenſes, vt diſcipuli eius, qui pœnitentiam agere non poteſt, id eſt, ſatanæ nō vultis vt homines per ſatisfactionem condignā, ſicut Anacletus ait, agant pœnitentiam. Sed alio rurſus Pauli loco vos hic vrgebo, qui ſcripturas ſanctas nullo ſtudio, nulla traditionis apoſtolicę & eccleſiaſticæ obſeruatione, ſed priuata opinione ad libidinē veſtram interpretandas eſſe putatis, dicite mihi, cum Ioannes baptiſta pœnitētiam prædicans aiebat, Facite fructus dignos pœnitentiæ, quos fructus pœnitentiæ intelligebat? quia & illam pœnitentiam à nobis exigi non negatis, dicite inquam, imò dicat Apoſtolus, qui ſint illi fructus, & verum in eis ſit ſatisfactio: quæ ſi ſit, ſequitur doctrinam de pœnitentia non vitiari ſatisfactione. Paulus igitur 2. Corinth. cap. 7 laudans pœnitētiam Corinthiorum, quos in priore epiſtola grauiter propter inceſtū illum reprehenderat, cuius ſcelus diſſimulabant, numerat fructus eorum pœnitētiæ dignos, quos iam poſt reprehenſionem tulerāt: Ecce enim (inquit) hoc ipſum ſecundum Deum cōtriſtari vos, id eſt, contriſtari ad pœnitentiā, ſicut proximè dixerat, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionē, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam, in omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio. Qui enim pœnitentiam peccatorū ex corde agit, anxio & ſolicito animo eſt de ſalute ſua: indignatur ſe peccaſſe: timet iram Dei offenſi: deſiderat veniam: tenetur ſtudio & zelo alios exemplo ſuo ad honeſtè viuendum prouocandi: ſumit de ſe pœnas pro peccatis commiſſis, denique neq; præterita iam, nec alia committit: quin potius ab omnibus malis ſe abſtinet. Sic ergo erant illi, qui ad Ioannē veniebant confitentes peccata ſua, operabatur enim in illis pœnitentia timorem iræ diuinæ. Vnde Ioannes illos interrogabat, Quis, inquiens, docuit vos fugere à ventura ira? item, operabatur deſiderium ſalutis, & ſolicitam curam, quid agere deberent: Vnde Ioannem interrogabant: Quid ergo faciemus? Vt autem ad pœnitentiam vindictam, ſiue afflictionem corporis per

Matth. 3. Luc. 3.

2. Cor. 7.

Explicatio fructuum pœnitētiæ.

Pœnitentia cum ſatisfactione in iis qui ad Ioannem veniebant. Luc. 3.

per abſtinentiam adiungerent, ſatis eos exemplo ſuo idem Ioannes docebat, & hortabatur, qui habebat veſtimentum de pilis camelorum: non manducabat panem, & in eremo habitabat. Præbebat itaque ſe exemplũ vitæ, & quos ad pœnitentiã vocabat, & vt fructus dignos pœnitentiæ facerẽt, hortabatur, eoſdẽ ſine ſermone, vt vitam ſuam imitarentur, monebat, illud ſine voce prædicans, quod Paulus Philippenſibus ſcripſit: Quæ vidiſtis in me, hæc agite. An igitur dicturi ſunt Magdeburgenſes, doctrinã de pœnitentia vitiaſſe Ioãnẽ, quia exemplo vitæ ſuæ docebat adiungere ad pœnitentiã afflictionẽ? Rurſus, vitiabátne Dauid doctrinã de pœnitentia, qui confugiens alioqui non ad legem Moiſis, quæ iubebat adulteros, & homicidas occidi, qualis fuerat ipſe, ſed ad legẽ gratiæ & miſericordiæ, cum aiebat, Miſerere mei ſecũdum iudicium nõ legis, ſed diligentium nomen tuũ, tamen adiungebat ad pœnitentiam non ſolùm ad vtilitatẽ ſuam, ſed ad doctrinam noſtram inter cæteros fructus dignos pœnitẽtiæ, etiam corporis afflictionem? hãc. n. vocat κάκωσιν cum ait, agẽs pœnitentiã, afflictus & humiliatus ſum nimis. Vitiabant ne Niniuitæ, quorũ pœnitentiã Dominus in Euangelio laudat doctrinã de pœnitentia, cum ad eam ſaccos adiunxerunt? & Rex ſaccum & cinerẽ? Sed quid de Dauid, quid de Ioanne, quid de Paulo, quid de Niniuitis interrogo? Imò interrogabo vos. Vitiauítne Dominus doctrinam de pœnitentia, quia non fuit contẽtus pœnitentia Adæ, quam quidem egiſſe præterquam quod ſapiẽtia Salomonis teſtatur, ſatis idem ipſe ſignificauit, vt auctor eſt ſanctus Irenæus lib. 2. contra hæreſes, cum ſe abſcondit à facie Domini metuens iram eius, quam ſignificat aliquando ſecundũ Idioma ſcripturæ ſanctæ facies Domini. Quem quidem metũ iræ diuinæ pœnitentiæ Adæ tãquam fructũ operabatur. Hunc enim inter fructus pœnitentiæ Corinthiorum numerauit Apoſtolus, vt paulò ante dixi. Deinde texit ſe foliis ficus, cum eſſent alioqui, vt idem Irenæus ait, alia folia, quæ minus vexare poſſent. Agebat itaq; pœnitentiam Adam & quidem ſatisfactionem miſcens, conuenienter legi naturali Deo primum excitante, &

Philip. 4.

Pœnitentia Dauid cum ſatisfactione.

Pſal. 118.

Pſal. 37.

Matth. 12. Luc. 12. Ioan. 2.

Pœnitentia Niniuitarum cum ſatisfactione.

Sap. 10.

Pœnitẽtia Adæ cũ ſatisfactione.

diuuante. Tale enim, inquit Irenæus ſignificauit, quia eam, quam habui ab ſpiritu ſanctitatis ſtolam amiſi, per inobedientiam, nunc cognoſco eſſe me dignũ huiuſmodi amictu, qui delectationem nullam præbeat, mordeatque potius, & pungat. Et hoc ſemper indumẽtum habuiſſet, humilians ſe ipſum, niſi Dominus miſericordia commotus tunicas pelliceas pro foliis ficus eos induiſſet. Hæc ille contra Tatianum & alios hæreticos. Dominus tamen non contentus Adæ pœnitẽtia, nec ea ſatisfactione, quam ille vltro cum pœnitentia miſcuit, aliam adhuc ſatisfaciendi rationem ei indixit. Eiecit enim Adam ex paradiſo, ne ſumeret de ligno, & vt operaretur terram, inquiens: Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ, & quæ ſequuntur. Propter pœnitentiam enim (inquit Irenęus) maledictum tranſtulit in terram, ne perſeueraret in homine. Vitiauit ergo Adam exemplo ſuo doctrinam noſtram de pœnitentia, ſecundum dogma Magdeburgenſium Centuriatorum, quia ad pœnitentiam interiorem, id eſt, ad triſtitiam ſecundum Deum propter peccatum, extrinſecus adhibuit ſatisfactionem: imò vitiauit Dominus doctrinã ſuam de pœnitentia, quia non contentus, vt dixi, Adæ pœnitentia, imò neque ſatisfactione ab ipſo vltro ſuſcepta, aliam rurſus ſatisfactionẽ cum illa pœnitẽtia miſcere voluit. Denique doctrinam Christi de pœnitentia vitiabant Apoſtoli, qui ſatisfactionem cum ea miſcebant, vt ex Clemente Romano, qui eorum doctrinam & cõſtitutiones litteris mandauit, intelligi poteſt: is enim loquẽs libro 2. in perſona Apoſtolorũ de eo, qui, vt agat pœnitentiam, eiectus eſt ex eccleſia, iubet eum admittere, facta prius diligenti examinatione, num pœniteat, dignuſque ſit, vt in eccleſiam recipiatur: tum iubet abſoluere indicto ieiunio ſecundum qualitatem peccati, duas aut tribus hebdomadibus. Ac rurſus paulò poſt, Quod autem (inquit) oporteat eum, qui peccauit, in proprio peccato erubeſcere, ſatis ſcriptura ſancta demonſtrat, quæ dixit de Maria ſorore Aaron, cum pro ea Moſes Deum precabatur, vt ei peccatũ condonaret,

Apoſtolica cõſtitutio de pœnitentia & ſatisfactione.

Num. 12. ſi pater eius expuiſſet ei in faciem, nónne deberet ſaltẽ ſeptem diebus rubore ſuffundi: ſeptem diebus ſeparetur extra caſtra: & poſtea ingredietur. Deinde ſubiungit in perſona, vt dixi Apoſtolorũ. Sic vos facere oportet iis, qui dicunt agere ſe pœnitentiam peccatorũ: debetis præſcribere eis tempus ſecundum rationem peccati: deinde recipere pœnitentes, vt patres filios. Hactenus apoſtolica cõſtitutio à Clemente Romano apoſtolico auctore ſcripta: quem ſi non vultis recipere ad auctoritatem, recipite ſaltem ad antiquitatem, vt ſciatis quid eccleſia Romana ab ipſo Apoſtolorum tẽpore ſemper tenuerit, & vſque in hodiernum diem teneat. Cum igitur lex naturalis non ſolùm ad pœnitentiam peccatorum, ſed ad miſcendum cùm ea ſatisfactionem Deo excitante prouocet, quod in ipſo primo homine & humani generis principe principio oſtẽſum eſt, profectò qui doctrinam de pœnitentia miſcendo ſatisfactionem, vitiari dicũt, ipſi legem naturalem vitiãt, imò & legem gratiæ, ſiquidem hæc non abrogauit legem naturæ, ſed potius confirmauit, vt idem Clemens lib. 6. cap. 33. in perſona quoque Apoſtolorum tradit. Quod ſi lex naturalis confirmata eſt lege gratiæ, & lex gratiæ, quæ eſt nouum teſtamentum, confirmata eſt ſanguine Chriſti: ergo lex naturalis ſanguine Chriſti confirmata eſt. Non igitur ſatisfactio pœnitẽtialis, ad quã tanquam ad debitum quoddã naturale ratio naturalis ducit, aduerſus opus, & ſanguinẽ Chriſti eſt, vt Magdeburgenſes impiè ſentiunt, & tradunt. Chriſtus enim ſatisfecit quidem per ſanguinẽ ſuum in cruce pro peccatis noſtris, & pœna æterna, quã debebamus, pro quibus impoſſibile erat hominẽ ſatisfacere, quæ quidẽ ſatisfactio primũ per baptiſmi ſacramentũ communicatur, pro pœna verò tẽporali, pro qua poſſibile eſt hominẽ ſatisfacere, cùm ſit ea finita, & anima ſit immortalis, & quia ſecundum legem naturalem debet homo vlciſci peccata, quibus Deũ offendit, ita ſatisfecit per paſſionẽ ſuam Dominus, vt adhuc homo debeat, ſecũdum legem naturalem, quam, vt dixi, per paſſionem ſuam non ſuſtulit, ſed cõfirmauit, debeat, inquã, pœna tẽporalia debita peccata, quibus Deum offendit, vin-

Quod Magdeburgenſes cum tradunt doctrinam de pœnitentia miſcẽdo ſatisfactionẽ vitiari, ipſi legẽ naturalem & legem gratiæ vitiant.

dicare, niſi miniſtri Chriſti, qui poteſtatem ſoluendi, & ligandi ab eo acceperunt, hanc pœnam temporalem, vel totam, vel ex parte ſecundum menſuram poteſtatis acceptæ condonent, quod eſt applicare nobis ſatisfactionem Chriſti in cruce, quam pro debito etiam pœnæ temporalis ſubiit, quod Paulus Apoſtolus in Corinthio illo fecit, cum eum abſoluit. Quare cum obiiciunt hæretici, abundè Chriſtum iuſtitiæ Dei pro peccatis, & pro pœna æterna, & temporali ſatisfeciſſe, nec eſſe à nobis amplius requirendum, Reſpondemus, ſatisfeciſſe illum quidem pro omnibus, quantum in ſe fuit: ſed illis tantum valere, vt liberi ſint, ſiue ex toto, ſiue ex parte, à debito propriæ, ac priuatæ ſatisfactionis temporalis, quibus poſt lauacri regenerationem ſatisfactio Chriſti in cruce facta, à miniſtro poteſtatem habente ad remiſſionem eiuſmodi pœnæ emporalis vel totius, vel partis, ſecundum menſuram poteſtatis acceptæ applicatur. quod, vt antè dixi, ad doctrinam noſtrã Paulus in Corinthio illo fecit. Cum enim iudicauit, ſufficere illi ſecũdum humanam infirmitatem, ſatisfactionem, quam ad pœnitentiam conuenienter legi naturali Corinthius ipſe adiunxerat, tunc eum abſoluit, applicans illi per poteſtatem ſuam, quã in perſona Chriſti adminiſtrabat, ſatisfactionem Chriſti in cruce factã, & perſolutam inquiẽs, Nam ego, quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti donaui. Si quid donaui (inquit) quia tunc per poteſtatem ſoluendi eccleſiaſticam abſoluimur. ſi cum vero corde, & fide nõ ficta pœnitentiam agimus, quod ſolus Deus nouit: idcirco nemo de altero, neque de ſe certum habere poteſt, virum in gratia Dei ſit. Prauum enim eſt (ait propheta Hierem.) cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcit illud? Ego Dominus ſcrutans cor, Et beatus Ioannes, Maior eſt, inquit, Deus de corde noſtro, & nouit omnia. Vnde S. Diadochus epiſcopus Photices in Epiro in libro de perfectione ſpirituali. c. centes. oportet (inquit) attendere ſemper ſenſum confeſſionis, ne fortè conſcientia noſtra ſibi mentiatur, dum quis ſatis ſe confeſſum eſſe deo, ſuſpicatur, ſiquidem longè maius eſt iudicium dei conſcientia noſtra, tam etſi certum

Hier. c. 17.

1. Ioan. 3.

exploratúmque habeat, nihil ſe ſibi conſcium eſſe, vt beatus poſtol. nos docet, cum ait, ſed neque me ipſum iudico: nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. qui autem me iudicat dominus eſt. Hactenus ille. redeamus, vnde digreſſi ſumus. Cum igitur hoc quod ſcriptum eſt ad noſtram doctrinam, & vtilitatem, feciſſe. d. Paulum in Corinthio illo inceſto abſoluendo, vſque in hodiernum diem per omnes eccleſias catholicorum Orientis & Occidentis fiat, vt ſcilicet agentibus pœnitentiam cum tanta ſatisfactione, quanta ſufficere videatur, peccata remittantur, aut ſi non ſatisfecerunt, ipſi ſacerdotes ſatisfactionem imponant, & ſic per poteſtatem ſoluendi in perſona Chriſti condonent, quomodo vos Magd audetis dicere, vitiari ab Anacleto doctrinam de pœnitentia, quia miſcetur ſatisfactio? An voluit Paulus Corinth. illum abſoluere niſi poſtquam pœnitentiam egiſſe, & per eam obiurgationem, quæ à pluribus fiebat, quàm patienter pro peccato ſuo tolerabat, ſatisfactionem adhibuiſſe cognouit? Licuit igitur. Anacleto ad exemplum Pauli, idem, ſcribere, id eſt, ne illi de quibus in epi. 2. loquitur prius abſoluerentur, quam (inquit) per ſatisfactionem condignam egerint pœnitentiam. Denique vt ſemel hunc locum finiam, nos hanc doctrinam de pœnitentia cum ſatisfactione, quam in eccleſia catholica profitemur, ex d. Paulo apoſtolo per multos teſtes audiuimus; ſicut idem Apoſtolus ad Timotheum ſcripſit; Quæ à me, inquit, audiſti per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus: qui idonei erunt & alios docere. Per multos teſtes dicit, quia ſic in omnibus eccle. docebat, vt idem ait in epiſt. priore ad Cor. ſic noſtri Doctores hãc doctrinã in omnibus eccle. vbiq; tradunt. Vos verò Magd. per quos teſtes audiſtis, quod in Germania traditis, vitiari doctrinam de pœnitentia per ſatisfactionem: eſſéque aduerſus opus, & ſanguinem Chriſti? per quos (inquam) teſtes audiſtis: niſi per ſolum Lutherum & eos, qui ab illius ſchola fluxerunt? in quibus eccleſiis, præterquam in Germanicis Synagogis, ſic docetis? Si vera eſt veſtra doctrina, & iudicio veritatis cõfiditis, cur contra naturam, & ſcripturam in cauſa controuer-

Quod doctrina de pœnitentia cùm ſatisfactione ex Paulo apoſtolo per multos teſtes audita eſt.

2. Tim. 2.

1. *Cor. 14.*

ſa teſtes produci non vultis: cur iidem iudices, & iidem teſtes eſſe vultis, vt Iudæi aduerſus Chriſtum fuerunt? Si ſcripturã per ſe ipſam, & ſuo ſpiritu intelligi vultis, vt primus magiſter veſter voluit, cum non ſit facilè cognoſcere, imò difficile; quis ſpiritus ſcripturæ, & quis non, id eſt, quis in ea ſpiritus ex Deo ſit: multi enim pſeudoprophetæ exierunt in mundum interpretantes ſcripturam non ſpiritu ſcripturæ, id eſt, Dei, ſed ſpiritu mundi, vt Nouatus, Arius, Donatus, neceſſe eſt probare, vt beatus Ioannes monet, ſi ſpiritus ſcilicet ſcripturarum, ex Deo ſint. (de ſcripturis eum interpretatus, quoque eſt B. Cyrillus hunc locum in comment. Eſa. cap. 26) Paulus verò docuit, quomodo probare debeamus, cum ait in priore in epiſtola ad Corinthios, Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Cum igitur vnus, atque idem ſit ſpiritus ſcripturæ, & qui eſt ſpiritus ex Deo, per quem ſancti Apoſtoli in eccleſiam catholicam, vt ſanctus Irenæus in lib. 3. capit. quarto contra hæreſes ait, tanquam in depoſitorium diues pleniſſimè contulerunt omnia, neceſſe eſt, vt loci ſcripturæ non ſecundum humanam ſcientiam, id eſt, carnaliter, ſed ſpiritualiter examinentur, comparãdo, inquam, ſpiritualia cum ſpiritualibus, hoc eſt ea, quæ per ſpiritũ Dei in eccleſia ex traditione Apoſtolo. didicimus, cum ipſis ſcripturis, id eſt vera, cũ veris, & non falſa cum falſis aut cum falſis vera. Vt in re propoſita, de qua agitur, cũ ait Apoſtolus, Vna enim oblatione cõſummauit in æternum ſanctificatos: quod quidem Magdeburgenſes contra doctrinam de pœnitentia cum ſatisfactione ab Anacleto traditam obiiciunt, & contra doctrinam de ſacrificio, vt hic locus & reliqui, quos hæretici obiiciunt, ſecundum ſpiritum, qui ex Deo eſt, intelligantur, neceſſe eſt non quidem cum rationibus humanis, & argumentis carnalibus comparare, ſed cum ſpiritu eccleſiæ catholicæ, quem ipſa accepit per traditionem Apoſtolorum, qui doctrinam de ſatisfactione pœnitentium, & de ſacriſi-

1. Ioan. 4.

1. Cor. 2.

Quomodo probandum ſecundum regulam apoſt. vtrum ſpiritus ſcripturæ ex Deo ſit.

Heb. 10.

cio in eccleſia tanquam depoſitum reliquerunt, & litteris ſuis conſignarunt. imò comparemus etiam cum aliis locis ſcripturæ. An non docuit Paulus, habere nos in eccleſia ſacrificium ad offerendum, & manducandum, cum ſcripſit in epiſtola ad Hebræos: Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt? Age tu, qui ſacrificium negas, interpretare nobis verbum θυσιαστήριον, quod à ſacrificio dicitur. Et qui ſacrificium tollis, tolle etiam hoc verbum ex epiſtola Pauli, ne te condemnet. Cur illud relinquis? an potes in eo cauillari? ſi enim ſacrificium iſtud, vnde θυσιαστήριον fortaſſe dictum eſſe vis, orationes, & bona opera interpretaris, an comeduntur iſta? Quod ſi comedi concedas, & hic quoque tropum ſequi vis, cur non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt, edere de hoc altari, & de huiuſmodi ſacrificio, id eſt, de orationibus, & bonis operibus? Sed prætereo nunc reliquos ſcripturæ ſanctæ tum de ſatisfactione, tum de ſacrificio locos, quia non eſt mihi propoſitum copioſiùs hic de eis diſſerere. Feci hoc antè in quarto libro de dogmaticis characteribus verbi Dei, in quo multa ex ſcripturis ſanctis de ſatisfactione, quod nihil paſſioni Chriſti detrahat, attuli. Reliquum eſt, vt ad illud nunc reſpondeam, quod Magdeburgenſes in prima epiſtola Alexandri accuſant, & nobis quaſi falſum obiiciunt, ſacerdotes precibus, & oblationibus delere, ac conſumere peccata populi: idque eſſe contra opus, & ſanguinem Chriſti, quo redempti ſumus, & qui vnica oblatione nos conſummauit.}

Heb. 13. — *Demonſtratio ſacrificii in eccleſia ex verbo Pauli.*

Ita eſt, Magdeburgen. vna oblatione cõſummauit in æternum ſanctificatos: ſemel enim mortuus eſt Chriſtus pro peccatis noſtris, quæ lauit in ſanguine ſuo. Et ſi futurum eſſet, vt ipſo iterum moriente, nos amplius non peccaremus, iterum moreretur: ſicut Carpus audiuit ex Domino, vt beatus Dionyſius in epiſtola ad Demophilum narrat. Sed quia non eſt hoc futurum, imò potius ſemper peccamus, ſemper ille, cuius magna eſt miſericordia, ſicut ſcriptum eſt, & propitiatio illius cõuertentibus ad ſe, apparet nunc vultui Dei pro nobis, ſicut Apoſtolus ait, non quidem, vt ſæpe offerat ſemet-

Heb. 10. — *Apoc. 1.* — *Eccle. 17.* — *Heb. 9.*

ipſum, quaſi aliam hoſtiam, quæ faciat quod illa prior hoſtia non potuerit; quemadmodum Pontifex per ſingulos annos intrabat in ſancta; cum alia, & alia hoſtia propter imperfectionem hoſtiæ, ſed apparet, inquam, vultui Dei pro nobis, vt offerat perpetuo Deo patri pro nobis eandem hoſtiam ſemel in cruce oblatam, id eſt, ſemetipſum per ſe quidem in cœlo, per miniſtros verò ſuos in eccleſia, vt per participationem hoſtiæ in eccleſia per ſacerdotes Deo patri oblatæ, fructus paſſionis Chriſti, id eſt, eiuſdem hoſtiæ in cruce ſemel oblatæ nobiſcum communicetur. Sicut Dominus quoque dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. De carne enim & ſanguine huius ſacræ victimæ, ſiue hoſtiæ, quæ in templo Dei nunc myſticè immolatur, loquebatur, de qua hoſtia in eccleſia relicta, in eadem epiſt. ad Hebr. locutus quoque eſt d. Paulus docens ſimul, quibus relicta eſſet, & quibus nō. Poſtquam enim dixerat, Habentes autem fiduciam in introitum ſanctorum, & quæ ſequuntur (quæ ego, collatis ſcripturæ ſanctæ locis, pro demonſtratione ſacerdotalis & myſtici ſacrificij aduerſus hæreticos de hac hoſtia neceſſariò intelligenda eſſe alio loco commodiore, ſi dominus voluerit, oſtendam) ſubiungit, Voluntariè enim peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſed terribilis quædam expectatio iudicij. Cum dicit, Voluntariè peccantibus non relinqui hoſtiam pro peccatis, profectò ſimul docuit, vt ſupra iterum dixi, relinqui hoſtiam non voluntariè peccantibus: hæc enim ſolet eſſe ſcripturæ ſanctæ conſuetudo, ex vno contrario docere de altero, Vt cum ait, Dominus interrogat iuſtum, & impium: id eſt, iuſtum, & iniuſtum: pium & impium, alioqui rogabo iterum, quorſum dixiſſet Apoſtolus, Voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur hoſtia pro peccatis, ſi neque relinquitur non volūtariè peccantibus? Sed quia hæretici hunc locum non de hoſtia hac interpretantur, & ſcriptura ſuo ſpiritu, qui eſt ſpiritus ex Deo, intelligenda eſt, conferamus hunc locum cum eius ſpiritu non Lutheri aut Caluini, id eſt, cum

Ad quid ſe offerat nunc Chriſtus in cœlo pro nobis & per miniſtros in eccle.

Ioan. 6.

Heb. 10.

Pſal. 10.

Quod hoſtia, quam apoſtolus ait non relinqui voluntariè

peccantibus neceſſariò ſit hoſtia myſtica Irenæus.

iis,qui ante paucos annos hæc inuenta tradiderunt, ſed cũ ſpiritu eccleſiæ catholicæ,in qua,vt paulò ante beatus Irenæus aiebat, pleniſſimè omnia quæ ſunt veritatis,tanquam in depoſitorio ſancti apoſtoli collocauerunt. Ab illis huius loci interpretationem per traditionem accepit, quam eccleſiaſtico vſu ab initio vſque in hodiernum diem exercuit. Cuius traditionis teſtis eſt Clemens Romanus,cum in 4.libro de apoſtolicis conſtitutionibus in perſona Apoſtolorum ſcribit cap.6.& 7.eorum oblationes eſſe Deo odioſas, & execrabiles, qui ſunt in peccatis,nec agere volunt pœnitentiam cuiuſmodi,inquit,ſunt ſcortatores, fures adulteri, & qui viduas ac pupillos opprimunt,& qui cuſtodias replent innocentibus & reliqui quos in eodem loco numerauit, quorum precibus Deum irritari ait. quamobrem vitandas eſſe eorum oblationes,vt oblationes meretricis ex mercede turpitudinis & vt pretiũ canis, qui propter immunditiam non poterat Deo offerri. Declarat autem adhuc magis paulò poſt cap. 8. quales tandem iſti ſint,quos dixit,pro quibus non liceat ſacrificium facere:nec ab eis rurſus oblationes accipere. Sic enim(ait) ab excommunicatis ne accipiatis,priuſquam membra eccleſiæ fiant. Hi igitur ſunt,quos ſine vlla dubitatione ſcire poſſumus velle in peccato eſſe: quos Apoſtolus voluntariè peccantes vocat, quibus non relinquatur hoſtia pro peccatis Non enim dixit, qui volũtariè peccarunt, ſed peccantibus, pro quibus, ait beatus Ioannes,non dico,vt oret quis: quod vſque in hodiernum diem ſeruat eccleſia catholica, ſicut à ſanctis Apoſtolis accepit,vt cum eiuſmodi peccatoribus excommunicatis,nec in orationibus, nec in ſacrificiis communicet. Qui igitur poſtquam per ſanctum baptiſmum ſemel fuerint illuminati accepta notitia veritatis,iuſte; & ſecundum ordinem pro peccatis ſuis ab eccleſia excommunicati(ad Deum per pœnitentiam & dignam ſatisfactionem conuerti noluerint, non iam pro eis hoſtiam offerre liceat. Hic enim clarè Apoſtolus pronuntiauit, non relinqui hoſtiam pro peccatis, ſed terribilem quandam expectationem iudicij,vt vobis. Sed vtinam meliora, & viciniora ſaluti; ſicut Apoſtolus de

Apoſtolica traditio.

Qui ſint apud Paulum Secundum apoſt. cõſt. voluntariè peccantes, quibus non ſit relicta hoſtia pro peccatis.

1. *Ioan.* 5.

quibuſdam ait, aliquando ſperare poſſimus, tametſi ita loquimur. Quod ergo dixit Alexander Pont. epiſt. 1. quos vos Magd. impiè & hæreticè accuſatis, precibus & oblationibus peccata delere & conſumere ſacerdotes, ſecundum Pauli ſcripturam, & Apoſtolorum traditionem, & eccleſiæ catholicæ doctrinam dixit. Quare cum vos tantam ſymphoniam, & conuenientiam ſcripturæ ſanctæ, apoſtolicæ traditionis, eccleſiaſtici vſus, & auctoritatis antiquiſſimi patris, ac martyris Alexandri Pontificis videatis, ſi tamen videtis, qui fidem amiſiſtis, & lumen rationis tenebris errorum oppreſſum habetis, quomodo non erubeſcitis, vel potius à facie Domini non contremiſcitis? Non enim iam epiſtolam Alexandri Pontificis accuſatis, ſed epiſtolas Pauli, in quibus pœnitentia cum ſatisfactione vt iam demonſtratũ eſt, miſcetur, & hoſtia relinquitur non voluntariè peccantibus. Sed reſpondeamus ad reliqua.

Defenſio doctrinæ de fide, & iuſtificatione in epiſtol. 1. Clementis ex teſtimoniis ſcripturæ ab eodem Clemente ibidẽ citatis. Et quemadmodum ex eis redarguatur commentum Magdeburgenſium de fide: quod ſit in doctrina Petri apud Clementem ſola notitia Symbolo, Et quod eiſdem teſtimoniis ſcripturæ à Clemente citatis euidenter refellatur dogma hæret. de iuſtificatione ex ſola fide, Et quod tradunt, fidem peccatis mortalibus amitti, neque poſſe fidem ſolam ſine charitate in homine reperiri, contra ſcripturam eſſe.

Cap. 4.

DE iuſtificatione (inquiunt) Clemens epiſt. 1. „
3. 4. & alii paſſim non rectè docent. Nam „
Clemens epiſt 1. valdè ineptè & frigidè lo- „
quitur. & ſe ita declarat, quod ſentiat, fidẽ „
ſignificare ſolam notitiã ſymboli, & tantũ „
initium, ac fundamentũ ſalutis. deinde, non gratis pro- „
pter Chriſtum abſque operibus ſola fide nobis ſalutem „
contingere docet, ait enim, per temporalia officia nos „
æterna gaudia mereri. Itẽ confeſſione, quę ſacerdoti fit, „
fide & bonis operibus æterni ignis pœnas nos effu-

gere, & ad perpetuæ vitæ præmia nos peruenire debere. Eph 4. Repletos bonis operibus hæredes vitæ æternæ effici aſſerit. Et quidem Petrum ſic docuiſſe, impudentiſſimè aſſeuerat, cum tamen acta Apoſtolorum, & epiſto. Petri apertè teſtentur, quod gratis abſque operibus ſola fide peccatores pœnitētes iuſtificari docuerit, Act. 2. interrogatus à Iudæis, quid facere deberent, vt effugerent iram Dei, inquit, Delictorum pœnitentiam agite. & baptizetur vnuſquiſque veſtrū in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & Act. 4. Nec eſt in alio quoquam ſalus: nec eſt aliud nomen ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat ſaluos fieri. Act. 10. Huic teſtimonium perhibent omnes prophetæ, &c. 1. Petri. Virtute Dei cuſtodimini per fidem ad ſalutem.] Hactenus quæ centuriatores annotarunt. Excutiamus nos ſingula, oſtendamúſque veriſſima eſſe, & cum ſcripturis ſanctis congruere, quę beatum Petrum docuiſſe Clemens dicit: contra verò, quæ centuriatores obiiciunt, partim falſa eſſe, & contra ſanctas ſcripturas: partim ab ipſis ficta, quale eſt illud, quod ſe (inquiunt) ita declarat, quod ſentiat, fidem ſignificare ſolùm notitiā ſymboli, & tantùm initium ac fundamentum ſalutis. Doctrina ergo beati Petri hæc erat, vt Clemens teſtatur, & narrat. Omnes homines, inquit, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo patrem, filium, & ſpiritum ſanctū vnum Deum & dominum veraciter credere, & confiteri. Vt autem declararet, quid eſſet veraciter credere & confiteri, ne quis ſuſpicaretur, fidem eſſe ſolam notitiā ſymboli, vt iſti fingunt declaraſſe Clementem, addit, eúmque tota mente, & toto corde, & tota virtute diligere. & proximos ſuos tanquam ſeipſos, docibiléſque eſſe vſque ad perfectam doctrinam ad hæc perficiendā ſummopere oportet, & quæ ſequuntur. Vt iam veraciter credere, & confiteri, non ſit, ſolam notitiam ſymboli habere, id eſt, credere, & ore confiteri, factis autem negare, ſicut de quibuſdam dicit Apoſtolus, ſed etiam eum, in quem credimus, toto corde, & tota mente diligere: & paulò pòſt, & quod in primordio, inquit, eiuſdem ſymboli præponitur. Credo in deum patrem omnipotentem, præclarum fidei teſtimonium, & fundamentum

mentum in prima fronte monſtratur. Nec hic fidem declarat eſſe ſolam notitiam, & aſſenſum ſymboli, ſubiungit enim, Quia ſaluus eſſe poterit, qui rectè crediderit. non autem continuò rectè credit in Deum, qui ſolam notitiam Dei habet. Denique quam fidem diceret, ne quis malè interpretaretur, vt nunc Magdeburgenſes interpretantur, declarat, ſubiungens teſtimonia ſcripturæ. Ex quibus docebimus non ita ſe declaraſſe Clementem, vt iſti loquuntur, quaſi fides eſſet ſola notitia ſymboli: nec id ſolum, ſed etiam docuiſſe, fidem, quæ iuſtificat non eſſe fidem ſolam, ſed fidē cum charitate, quæ illam perficit. Vt iam hic non ſolùm beati Petri doctrinam, & Clementis epiſtolam contra Magdeburgenſes defendamus, ſed ſimul etiam peruerſum dogma Lutheranorum refellamus, & contra ſcripturas ſanctas pugnare demōſtremus. Credere enim (inquit) oportet accedentem ad Deum, quoniam corde creditur ad iuſtitiam, & ore fit confeſſio ad ſalutem. Vnde ait Propheta, Credidi, propter quod locutus ſum: & illud, Iuſtus ex fide viuit: &: Niſi credideritis, non intelligetis. Hæc ſunt teſtimonia, quæ in Petri doctrina apud Clementem citantur, quæ vos Magdeburgenſes tum de mendacio, tum de errore veſtri falſi dogmatis de iuſtificatione ex ſola fide redarguunt. Doceamus ergo de qua fide in his teſtimoniis in doctrina Petri recitatis ſcripturæ ſanctæ loquebantur, vt de eadem fide locutum eſſe beatum Petrum in ſua de fide ſymboli doctrinā neceſſe ſit intelligere, ſiquidem ad comprobādum quæ de fide ſymboli tradebat, illa ipſa teſtimonia produxit. Ac primum quidem, quod Paulus dixit in epiſtola ad Hebræos, Accedentem ad Deum credere oportet, de fide, qua Deo placeamus, intelligendum eſſe, idem Apoſtolus in eodem loco declarat, dixerat enim de Enoch, quod ante tranſlationem teſtimonium habuiſſet; placuiſſe Deo. teſtimonium verò, quod habuit, illud eſt, quod ſcriptura Geneſis teſtatur, inquiens: Ambulauitque cum Deo, & non apparuit. ambulaſſe autem cum Deo, non ſignificat, notitiam tantùm habuiſſe Dei, aut fidem operibus nudam, ſed ex fide operatum eſſe mandata Dei, in quibus tanquam in viis Domini, qui ambu-

Rom. 10.
Pſal. 115.
Rom. 1.
Abac. 2.
Eſa. 7.

Quomodo in iis, quæ de fide in epiſtol. Clemētis Magd. finxerunt, ex teſtimoniis ſcripturæ ibidem à Clemente citatis euidenter redarguantur: ſimulque refellatur eorum de iuſtificatione ex ſola fide commentū.

Heb. 11.
Gen. 5.

lat, is dicitur placere Deo. Si igitur ambulare cũ Deo, non eſt credere tantùm, quis enim hoc ſomniet? ſed eſt fidem ſimul in viis Domini, id eſt, in mandatis eius per dilectionem exercere & operari, ergo non ex fide tantum, ſed ex operibus per fidem Deo placemus. Per fidem igitur verſantem in viis mandatorum Dei, in quibus Enoch ambulauit: idem iuſtificatus fuit, & meruit transferri. Poſtquam verò dixit Apoſtolus de Enoch, habuiſſe ante trãſlationem teſtimonium placuiſſe Deo, ſubiungit: Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Quod ſi ambulare ſic cum Deo, teſtimonium ſcripturæ fuit, placuiſſe Deo, & ſine fide placere Deo non potuit, ergo ambulare cum Deo erat habere fidem Dei, ac ſimul per fidem mandata eius operari, quæ ſunt viæ Domini in quibus ambulare oportet, ſi volumus cum Enoch à morte ad vitam transferri, id eſt, iuſtificari. iuſtus enim ex fide, quæ per dilectionem exercetur, viuit: hæc enim eſt, quæ in Chriſto valet, vt Apoſtolus teſtatus eſt. Rurſus, poſtquam dixit Apoſtolus, ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo, ſubiungit continuò: Credere enim oportet accedentem ad Deum &c. ergo neceſſariò ſequitur ratione connexi, vt eam fidem dicat oportere eum habere, qui ad Deum accedit, de qua dixerat, Sine fide autem impoſſibile eſſe placere Deo. Quæ cum ſit ſicut demonſtrauimus, non ſola fides hominis, ſed fides hominis ambulantis cum Deo, id eſt, operantis voluntatem Dei, conſequens neceſſariò eſt, vt doctrina hæc Petri, in qua hoc teſtimonium Pauli citatum eſt, fidem, de qua loquitur, non declaret, ſicut Magdeburgenſes fingunt, eſſe ſolam notitiam ſymboli ſed potius fidem illam Deo placentem, de qua ibi Apoſtolus loquitur, id eſt, quæ eſt cum operatione mandatorum Dei. Aliud teſtimonium in doctrina Petri citatum, eſt illud Pauli, Quoniam corde creditur ad iuſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem. Sed videamus, collatis ſcripturis, quomodo intelligendum ſit, corde credi ad iuſtitiam, vtrum ſine operibus, an cũ operibus: Paulus apoſt. de iuſtitia, quæ ex fide eſt, interpretatus eſt, quod ſcriptura dicit in Deuteronomio, Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis, ſic enim eſt

Rom. 10.

Deut. 30.

apud 70. diuini ſpiritus interpretes; pro quo eſt in editione latinæ interpretationis ex Hebraico, vt facias illud: deinde ſubiungit Apoſtolus, Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Si facit Clemens, vt in doctrina Petri, quā deſcribit, fides ſit ſola notitia ſymboli, vt Magdeburgenſes fingunt: aut ſi verum eſt dogma Lutheranorum de iuſtificatione ex ſola fide ſine operibus, quomodo Paulus dicit, hoc eſt verbum fidei, quod prædicat, quod propè eſt, ſicut dicit ſcriptura, in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis, ſiue vt facias illud An D. Paulus cum hic ſcripturam Deuteronomij citat pro iuſtitia, quæ ex fide eſt, quia prætermiſit hoc, & in manibus tuis, ſiue vt facias illud, diminuere voluit ex verbis prophetiæ, vt iuxta Apocalypſim beati Ioannis, auferret Deus partem eius, qui hoc faceret, de libero vitæ? & iuxta Salomonem reperiretur mendax? abſit non enim eò inſaniæ proceſſiſtis, vt hoc dicere audeatis. Prætermiſit igitur Paulus illud in manibus tuis, ſiue vt facias illud, propter breuitatem ſibi familiarem ſimulque docuit, eum qui fidem ſine dilectione habet, credere illum quidem, ſed non corde credere, eſſeque auditorem verbi tantùm, ſicut vocat beatus Iacobus. quales ſunt, quos Lutherus iuſtificat per fidem ſolam, hi enim ſunt auditores tantùm, quibus quidem non conueniunt, quæ iuſtitia, quæ ex fide eſt, dicit in Deutero, vt D. Paulus interpretatus eſt: ſic enim ait Apoſtolus, Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum &c. ſequitur autem in Deut. vt deferat illud ad nos, ſcilicet mandatum, deinde ſubiungit? vt audiamus, & opere compleamus: ſiue vt eſt apud 70. vt audientes faciamus. Cùm audientes dixit, credentes intelligit, fides enim per auditū. ſed quia non ſatis eſt ad iuſtitiam, auditores tantùm eſſe, ſed opus eſt factores eſſe verbi, coniunxit ſcriptura opus cùm fide ex auditu, inquiens (& audientes faciemus) totum hunc Deut. locum ne vos Magdeburg cauillari poſſitis, non nos, ſed Paulus ipſe de iuſtitia, quæ ex fide eſt, interpretatur. Deinde pergit Apoſtolus interpretari pro ſua ſapientia, quod in lege prophetice, & allegoricè ſcriptum erat de iuſtitia ex fide, ſubiungens: Quia ſi

Deut. 4.
Deut. 12.
Prou. 30.
Iac. 1.
Rom. 10.
Rom. 2.
Locus Deut. de iuſtitia ex fide ab apoſtolo ex

poſitus contra commentum Luteranorum de iuſtificatione ex ſola fide.

confitearis in ore tuo dominum Ieſum, & in corde tuo crediderís, quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Si credideris, inquit, in corde tuo, non dixit, ſi credideris, ſed ſi credideris in corde tuo, ſcilicet hoc verbum fidei, vt facias illud: ſic enim eſt in loco Deutero. quem Apoſtolus hic ſequitur, & interpretatur, ſaluus eris. Salus ergo non conſiſtit in credendo tantum diuinæ veritati, quod ad perfectionem fidei ex parte intellectus pertinet, ſed ſimul in credendo corde, id eſt, in credendo, & volendo facere ex dilectione omnem voluntatem Dei, cui credimus. quod quidem pertinet ad perfectionem fidei ex parte volũtatis. Cor enim in ſcriptura ſæpe ſignificat mẽtem cum dilectione; quia ſicut cor vitam communicat cum reliquis membris, ſic mẽs, quæ in dilectione viuit, vitam ſpiritualem cum reliquis partibus animæ, id eſt cum iraſcibili & concupiſcibili communicat. his verbis Procopius Gazæus interpretatur illud, in, pro inclinabis cor tuum ad cognoſcendũ prudentiam. Sed proſequamur teſtimoniũ Pauli. Poſtquam enim dixit, corde creditur ad iuſtitiam, ſubiũgit: ore autem fit confeſſio ad ſalutem. cum autem dixit, confeſſionem oris neceſſariam eſſe ad ſalutem animæ, quæ eſt propria iuſtitiæ, ſatis iam declarauit, tunc nos credere corde verbum fidei, cum quod in dilectione credimus, operamur. Ex abundantia enim cordis, vnde omnia opera bona, & mala exeunt, os loquitur, ſicut Dominus dixit: & Eccleſiaſticus item ſermonem ait antecedere omnia operi: aut, ſicut eſt in exemplaribus Græcis, ſermo eſt principium operis. Interrogabo hic Magdeburgenſes & cæteros Lutheranorũ magiſtros, qui tradunt, per ſolam fidem ſine operibus, & ante opera hominem iuſtificari, an credant ad ſalutem, & vitam, quia iuſtus ex fide viuit, neceſſarium eſſe aliquando ore fidem confiteri, vt in perſecutione? non credo negabunt, ne apertè negent Paulum, qui dicit, Ore fit confeſſio ad ſalutem: vt ſi non fiat, cum tempus poſtulat, pereat tanquam iniuſtus, qui non eſt ore confeſſus. Quæro deinde, vnde exiſtat hæc confeſſio? an ex ſola fide antegreſſa? minimè. Si enim ex ſolâ fide exiſtit, cur non omnes, qui fidem habent, confitentur: ſed potius

Prou.2.

Matt.12.
Luc.6.
Eccl.37.

alij fidem confitentur: alij fidem negant? Fides ergo ſola, quam iactatis, non habet, vt dicere ſoletis, hoc ingenium & naturam, vt exerat vires ad confitendum ore, cum opus eſt, alioqui in omnibus, qui fidem habent, exereret. Exiſtit ergo confeſſio fidei ex fide ſimul, & dilectione. Quia enim iſte verbum fidei cum dilectione credit, diligens Deum, pluſquam ſe, idcirco inter gladios & tormenta, & tyranni minas ore confitetur. huiuſmodi fidei cum dilectione propria eſt vera fiducia longè alia ab illa terrena, & carnali, ac diabolica, quam vos ſine & antè opera, per & propter ſolum Chriſtum iactatis: Sic enim qui nouum dogma introduxiſtis, nouum quoque loquendi genus reperiſtis. Sed pergamus ad reliqua ſcripturæ teſtimonia de fide in doctrina beati Petri, quam Clemens in epiſt. ſua ponit. Sequitur enim: Vnde ait Propheta credidi propter quod locutus ſum, hoc etiam teſtimonio probatur in doctrina Petri, quod in primordio, inquit, ſymboli præpoſitũ eſt, Credo in Deum patrem omnipotentem, præclarum fidei teſtimonium, & fundamentum monſtrari, quia ſaluus eſſe poterit, qui rectè crediderit. Et ſubiungit: Vnde ait Propheta, credidi propter quod locutus ſum. Videamus ergo, an ex hoc teſtimonio concludi poſſit, quod Magdeburgen. finxerunt ſic ſe declaraſſe Clementem in expoſitione doctrinæ huius beati Petri, quaſi fides, de qua loquitur, ſolam notitiam ſymboli ſignificaret. Paulus ergo hunc locum pſalmi in epiſtola ad Corinth. interpretatur. Loquens enim de tribulationibus ſuis tum ad ſuam vtilitatem, tum ad noſtrum documentum & ſalutem à Deo diſpenſatis. Quòd quotidie (inquit) pericula mortis incurrimus, & tot tantiſq; malis agitamur, in ſalutem vobis cedit, ſicut paulò ſuprà dixerat, ſiue tribulamur, pro veſtra ſalute: vt ſcilicet, exẽplo Pauli diſcerent mala patienter ferre. Deinde ſubiungit: Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, credidi, propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur: ſcientes quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum: Quia enim dixerat, In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non de-

Lutherani cum nouo dogmate falſo de iuſtificatione ex ſola fide nouũ quoque loquendi genus excogitarunt.

Pſal. 115.

2. Cor. 4.

ſtituimur deiicimur, ſed non perimus: ſicut in alio lo-
2. Cor. 6. co dixerat, Quaſi morientes, & ecce viuimus. Cum autem Deus ex magnis tribulationibus, ac periculis liberat, perinde videtur eſſe, quaſi reſuſcitet, ſicut ſupra dixerat, vt non ſimus confidẽtes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui nos de tantis periculis eripuit & eruit: idcirco valdè opportunè de fide & cõfeſſione reſurrectionis loquens, citauit teſtimonium Dauid, qui hoc ipſum, quod credidit Paulus, credidit & confeſſus eſt prius: Credidi (inquit) propter quod locutus ſum, ea
Pſal. 114. ſcilicet, quæ in proximo ſuperiore pſalmo de anima ſua ex Inferno educenda, & de reſurrectione corporis futura, & de vita beata dixerat: hæc inquam, ideo confeſſus ſum ore, quia credidi, obediendo reuelationibus fidei, quæ poſtulabat, vt loquerer: quod non propter ſe tantum dixit Dauid, ſed propter nos etiam, vt nos ſimiliter credamus, propter quod & loquamur: ſicut Apoſtolus exemplo ſuo nos docuit, inquiens, & nos credimus, propter quod & loquimur. Ex fide enim cordis
Act. 16. naſcitur fidelis ſermo oris. Vnde in Act. Apoſt. cum Dominus dixiſſet, Nunc ergo mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, à poteſtate Satanæ ad Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos per fidem, quæ eſt in me, ſubiungit Paulus. Vnde Rex Agrippa non fui incredulus cœleſti viſioni (non dixit, non fui ἄπιστος, id eſt, non carui fide: ſicut dixit de ſe ante conuerſionem, ignorans feci ἐν ἀπιστίᾳ: ſed dixit, non fuit ἀπειθὴς, id eſt, inobediẽs,
1. Tim. 1. quod interpres latinus vertit, incredulus, ſed iis, qui ſunt Damaſci & Hieroſolymis, & in omni regione Iudææ annunciabam, vt conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes: quæ perinde ſunt, quaſi diceret: credidi & obediui: & propter obedientiam fidei loquor hæc, quæ annuntio hęc enim eſt ſanitas & perfectio fidei obedientia eius ex dilectione Dei. Vnde i-
Rom. 10. dem Apoſtolus in epiſtol. ad Roman cum dixiſſet, ſed non omnes obediunt euangelio, ſubiungit ad probandum quod dixerat: Eſaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro? Credit ergo perfectè & ſanè is,
Eſa. 53. qui ad fidem adiungit obedientiam ſanctam, & ſpiri-

tualem dilectionis Dei, quod eſt omnium præceptorū caput. Etenim ſi non pertinet neceſſariò ad rationem perfectæ, & ſanæ fidei, vt in Chriſto valere poſſit, obedientiæ ſpiritualis adiūctio: quomodo Apoſtolus probauit, non omnes obedire Euangelio teſtimonio prophetico Eſaiæ, cum ait, Domine, quis credidit auditui noſtro? Aut enim Eſaias dicere debuiſſet, Domine, quis obediuit auditui noſtro? aut Paulus, Non omnes crediderunt Euangelio. Quod autem Lutherani negāt, habere eos fidem, qui non obediunt fidei, affirmantes fidem peccatis mortalibus amitti, redarguit eos idem Apoſtolus in multis locis ſuarum epiſtolarum. Dicant enim nobis, de quibus loquitur Apoſtolus in epiſtola ad Titum, cum ait, Increpa eos durè, vt ſani ſint in fide? his enim, inquit Theodoretus hunc locum interpretans, qui nondum crediderūt, blandè ac leniter oportet tradere doctrinam: ij verò, qui fidem profeſſi ſunt, & cum fide conſentientem vitam non viuunt, acerbioribus remediis curandi ſunt. Igitur nec iſti foris erant, vt nihil ad Titum pertineret, ſicut Apoſtolus in epiſtola ad Corint. docuerat neque rurſus hæretici erant, vt fidem amiſiſſent, ſuo iam iudicio cōdemnati, id eſt, vt Magnus Athanaſius in epiſt. ad Serapionem interpretatur, neq; parati iam obedire, cum audirent: neque reſipiſcere, cū didiciſſent, quos declinandos eſſe monuit. Habebant igitur fidem licet in fide non eſſent ſani. Vt idem Apoſtolus teſtatur, qui Tito præcipit, vt increpet eos durè, vt ſani ſint in fide. Quis enim rationis compos eū, qui fidem nō habet, increpet, vt ſanus ſit in fide? quomodo enim increpatus ſanabit, quod non habet? vt ſi quis eū, qui pedem nō habet, increpet, vt pedem curet, vt ſanet. cur non dixit Apoſtolus, Increpa eos, vt fidem capiant? aut fidem recuperent: niſi quia non fidem, ſed fidei ſanitatem amiſerant: erant enim, vt idem ait, inobedientes, vaniloqui, & ſeductores. Et in extrema parte capitis: Confitentur (inquit) ſe noſſe Deum, Ecce fidem: factis autem negant, & ſi enim non negant diſſerendo, negant tamen malè operando, cum ſint (inquit) abominabiles, & inobediētes, & ad omne opus bonum reprobi: idcirco nec hic dixit, cum ſint ἄπιστοι, id eſt, ſine

Quod Paulus apertè doceat teſtimonio Eſ. ad rationē perfectam ſanæ fidei neceſſariò pertinere obedientiam.

Quod Lutherani tradūt fidem amitti peccatis mortalibus pluribus locis epiſt. Pauli euidenter redarguitur.

1. Cor 5.

ad Tit. 3.

ad Tit. 1.

fide, ſed ἀπειθῶς, id eſt, ſine obedientia. poteſt igitur eſſe fides ſine obedientia, ſed rurſus ſola ſine obedientia nō poteſt eſſe fides viua, neque ad vllum bonū opus quod deo placeat ſufficere, ergo neque quando ſola eſt, iuſtificare poteſt: neque quando cum charitate eſt, ſua tantum ratione iuſtificat, ſed ratione charitatis, quæ eam perficit, & ſanat, & facit, vt ſit virtus Deo placens. Sed excutiamus deinceps aliud teſtimonium de fide, quod in doctrina beati Petri in epiſtola Clementis poſita ex propheta Abacuch ſumptum eſt: Iuſtus, inquit, ex fide mea viuit. Hoc quoque non de ſola fide dictum eſſe, vt Lutherani interpretantur, ex proximè antecedentibus, & conſequentibus demōſtrari poteſt. Etenim quia ſola fides non habet hoc ingenium, vt iſti loquuntur, id eſt, hanc ſiue naturam, ſiue proprietatem ac vim; vt per ſe operetur patientiam ad expectandum quod promittitur, & quod per fidem creditur, neque ad operandum quod præcipit is, cui creditur, idcirco idem dominus, qui iuſſit prophetæ credere ſine vlla dubitatione, & propoſuit credenti præmium vitæ, dicens; Iuſtus ex fide mea viuit, vt patienter expectaret, Si morabitur, inquit, ſuſtine, quia veniens veniet, & non tardabit. Vnde Paulus apoſtolus in epiſt. ad Heb. hunc locum prophetæ ſecutus, & veluti interpretans, Patientia, inquit, vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei faciētes reportetis repromiſſionem. Adhuc enim modicum aliquātulumque qui venturus eſt, veniet, & non tardabit: iuſtus autem meus ex fide viuit. deinde ſubiūgit: Quod ſi ſe ſubtraxerit, non placebit animæ meæ. Non dixit, ſi non crediderit, aut non habuerit fidem, non placebit animæ meæ: hoc enim neque vos negatis, nec vllus Chriſtianus, ſed dixit, ſi ſe ſubtraxerit ſcilicet fidei de hac enim loquebatur: ille autē fidei ſe ſubtrahit, qui fidei nō obedit: quod idē Apoſt. ſtatim declarat ſubiungēs: Nos autem nō ſumus ſubtractionis filij in perditionē, ſed obedientiæ in acquiſitionem animæ. Non dixit, ſed fidei in acquiſitionē animæ, quia non fidem, ſed fidei obedientiā oppoſuit ſubtractioni obedientię fidei, quæ ſubtractio obedientiæ fidei, mortifera eſt, vt rurſus, obediētia fidei ſalutifera, ac vitā iuſtitiæ præſtās. Sed conferamus

Quod neque fides quando ſola eſt, iuſtificare poteſt, neque quādo cum charitate eſt, ſua tantum ratione iuſtificat, ſed ratione charitatis, quæ fidē ſanat, & perficit.
Abac. 2.

Heb 10.

deinceps locũ ex epiſt. 2. beati Petri, cum hac doctrina eiuſdem in epiſt. Clement. expoſita, vbi ædificium ſpiritualium virtutum deſcribit, cuius ædificij fundamentum primum facit fidem, quæ ad iuſtitiam quidẽ proficit, ſi ſuperædificatione charitatis perficiatur. Vos autem, inquit, omnem curam ſubinferentes ſubminiſtrate, ſeu ſuperminiſtrate (hoc. n. ſignificat verbum ἐπιχορηγεῖν) in fide veſtra virtutẽ: in virtute autem ſcientiam: in ſcientia autem abſtinentiam: in abſtinentia aũt patientiam: in patientia autem pietatem: in pietate autem amorem fraternitatis: in amore autẽ fraternitatis charitatem. Deinde ſubiungit, Hæc enim ſi vobiſcum adſint, non otioſos, neque vacuos vos conſtituent in domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Ergo ſi non adſint hæc cum fide, ita vt ſtudio noſtræ ſuperædificationis, ad quam nos princeps Apoſtolorum hortatur, nõ perducatur ſuperædificatio virtutum vſque ad charitatẽ, quæ, ſicut Apoſtolus ait, eſt vinculum perfectionis, vacui & otioſi erimus in cognitione domini noſtri Ieſu Chriſti. i. in fide: per fidẽ enim eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitio. Quomodo ergo tradunt Lutherani, non poſſe reperiri fidem ſolam, niſi adſit charitas? aut ſi reperiri poteſt, vt vel hoc loco apertè docet beatus Petrus, & in hac otioſi & vacui ſumus, ac proinde inutiles, quomodo ſola fides ſine operibus ad ſalutem valet? quæ iſta veſtra tanta cœcitas; & incredibilis ſtupiditas, vt non tandem vel ex hoc loco clariſſimo veſtri dogmatis peruerſitatem, & repugnãtiam intelligatis?

2. Pet. 1.

Quod tradunt hæretici fidem ſolam ſine charitate nõ poſſe in homine reperiri euidenter ex epiſtola beati Petri redarguitur.

Confutatio eorum, quæ Heerbrandus doctor Hæreticus Tubingenſis de iuſtificatione ex fide ſola contra Synodũ Tridentinam ſcripſit, & quomodo fides ſola non tantum ſit Dæmonum, vt ille tradit, ſed etiam hominum peccatorum dilectione carentium, & quod non amittatur propter peccata mortalia: idque probari pluribus locis ſcripturæ ſanctæ, & auctoritate ſanctorum patrum. Item de fiducia, quod ignoranter eam à fide non diſtinguant: & quæ eius & ſpei vis, & quomodo primus motus ad diuina ſit, non fides, ſed dilectio. Caput 5.

SCripſit nuper quidam veſtræ diſciplinæ myſtagogus, Iacobus Heerbrandus Tubingenſis academiæ profeſſor articulos 18: contra Synodum Tridentinam: Nõ negamus in iuſtificatione nos ſimul etiã ſanctificari & renouari: nec hoc negamus, nos in iuſtificatione fidem, ſpem, & charitatem accipere: inſuper etiam affirmamus hæc cõiuncta eſſe, & ſimul fieri. Sed hæc ſimul iuncta noſtram eſſe iuſtitiam coram tribunali Dei negamus. deinde ſubiungit rationẽ, iuſtitia enim noſtra, inquit, conſtat peccatorũ remiſſione, quã ſola fides in Chriſtũ cõſequitur, iuxta hæc teſtimonia credidit Abrahã Deo, & reputatũ eſt ei ad iuſtitiam: & huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionẽ peccatorum accipere per ſermonẽ eius omnes, qui credunt in eum &c. Si iuxta hæc teſtimonia & alia ſimilia ſola fides cõſequitur remiſſionem peccatorũ, nõ debuit dicere Dominus, de iuſtificatione Magdalenæ, remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multũ: ſed quia credidit multũ: alios enim magis, alios minus credere ſatis declarat, quod Apoſtoli orabant, dicentes, Domine, adauge nobis fidẽ: & quod Dominus beato Petro exprobrauit inquiẽs, Modicæ fidei, quare dubitaſti? Faciamus ergo, ſic Dominũ dixiſſe, Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia credidit multũ, an ſi ſic dixiſſet, de ſola fide interpretari deberemus, quaſi ſola fides Magdalenæ cõſecuta eſſet remiſſionem multorum peccatorum: minimè, ſed de fide cũ dilectione. Sed vnde hoc probamus? Quia ſcilicet, nõ dixit Dominus, quia credidit multum, & ſi dicere hoc potuiſſet: ſed dixit, quia dilexit multũ, vt intelligamus crediſſe eam cum multa dilectione: quia vt credere potuit, & non diligere, ita non potuit diligere, quin ſimul crederet: neque multum diligere, quin ſimul multum crederet. Sic igitur cum dicit ſcriptura, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, neceſſe eſt vt perinde ſit, ac ſi diceret. Credidit Abraham Deo cum dilectione, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, cum fides, quæ apud Deum valet, illa ſit, quæ eſt, δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, id eſt, quæ per dilectionẽ viget, & exer-

Confutatio eorum quæ Heerbrandus doctor Tubingẽſis nuper contra Synodum Trid. de iuſtificatione ex ſola fide ſcripſit.

Luc. 7.
Luc. 17.
Matth. 14.

Gen. 15.
Rom. 4.

cetur, ſicut corpus viget, & exercetur per animam, ſine qua mortuum eſt. Quæ autem, ſola fides eſt, id eſt, ſine dilectione, nihil ad vitam æternam prodeſt: At negat Heerbrandus huiuſmodi fidem ſolam, id eſt, ſine dilectione, fidem hominum eſſe, imò dicit eſſe fidem Dæmonũ. Sed ſi ita eſt, cur Apoſtolus in perſona ſua trãſfigurauit, quod in epiſtola ad Corinth. de fide ſine charitate dixit, ſi habuero omnem fidẽ &c. quo in loco nõ dixit, ſi habuero fidem, ita vt montes transferã, ne mihi de neſcio qua ſola fide miraculorum interpreteris: ſed dixit, omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt? Cur inquam, nõ transfigurauit hec in perſona Dæmonum, ſi illorum tantùm eſt habere fidem ſine dilectione, quam habere non poſſunt, & quæ facit, vt fides ſit virtus Deo accepta; ſed potius transfigurauit in perſona ſua? ac rurſus ſi fornicatores, fures, adulteri, & cæteri huiuſmodi non ſunt fideles, id eſt, non habent fidem, quia peccatis mortalibus amittitur fides, vt idem Heerbrandus art. 20. affirmat, quomodo Apoſtolus in epiſtola ad Corinth. diſtinguit eos ab iis, qui ſunt foris, qui fidem non habent, ſi nec iſti fidem habent, quia illam amiſerũt? Quomodo inquam, publicos fornicatores, & auaros, atque idolis ſeruientes, maledicos, & ebrioſos Apoſtolus iudicat, eos excommunicãdo, idque quia intus ſunt, vt ipſe ait, nónne de iis, qui intus ſunt, vos iudicatis? nam eos, qui foris ſunt, Dominus iudicabit. ergo propter peccata mortalia non amiſerunt fidem, alioquin ipſi ſe ex eccleſia eieciſſent, ſicut hæretici faciunt, qui ab eccleſia recedunt, quia fidem eccleſiæ dimittunt. Longum eſſet, imò infinitum, ſi pergere per ſcripturas vellem, & demonſtrare in eis nunquam fidem ad id, de quo agimus, laudari, niſi ratione dilectionis, quæ Apoſtoli teſtimonio, maior eſt fide, & ſpe: & quæ eſt vinculũ perfectionis, quam dilectionem qui non habet, & ſi fidẽ, per quam Deum cognoſcimus, habeat, tamen neque fidem habere videtur, neque Deum noſſe. Vnde beatus Ioannes, Qui, inquit, non diligit, non nouit Deum: id eſt, qui non credit Deo cum dilectione, perinde eſſe videtur, vt ſi non crederet. ſunt enim, qui

1. Cor. 13.

Quod fides ſola non ſit dæmonũ tantũ, ſed quod poſſit eſſe in homine ſine charitate ex pluribus locis ſcripturæ ſanctæ demonſtratur.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

Col. 3.

1. Ioan. 4.

confitentur noſſe Deum, ſicut Apoſtolus ait, quod nõ poteſt fieri, niſi per fidem: factis autem negant, quod fieri non poteſt, niſi cum deeſt dilectio. Idcirco ſequens ſcripturas ſanctas beatus Ignatius Apoſtolorum diſcipulus, in epiſt. ad Philadelphienſes, credite, inquit, in dilectione. non eſt contentus dicere, credite, quia ſciebat ſolam fidem, id eſt, ſine dilectione, non eſſe virtutẽ Deo placentem, ſed dixit, credite in dilectione. Et ſanctus Diadochus epiſcopus Photices in Epiro, cuius cũ laude meminit Photius in ſua bibliotheca, id eſt, in libris à ſe lectis: & cuius auctoritatem S. Maximus pro teſtimonio citare ſolet, cap. 21. de perfectione ſpirituali. Qui Deum, inquit, diligit, & γνησίως πιστεύει, id eſt, & germanè credit, idem opera fidei perficit ſanctè, ὁ δὲ πιστεύων μόνον, id eſt, qui verò credit tantum, idẽ neque fidem ipſam, quam habet, videtur habere: leui enim mente credit, quippe qui à pondere gloriæ charitatis non exercetur. Fides ergo διὰ ἀγάπης ἐνεργουμένη τὸ μέγα τῶν ἀρετῶν. id eſt. Fides ergo quæ per dilectionẽ viget, & exercetur, ſummum eſt in virtutibus. hactenus Diadochus. Idẽ rurſus c. proximo ſuperiore, id eſt, 20. Fides (inquit) ſine operibus, & opus ſine fide eodẽ modo improbantur. Oportet enim fideles fidem acta oſtendentem Domino offerre. Nec. n. patri noſtro Abraam in iuſtitiam fides reputata eſſet, niſi fructum eius filium ſuum obtuliſſet. Hactenus ille, fidem oſtendentẽ acta, id eſt, habentem opera vocauit beatum Iacobum imitatus. quam Salom. pro 12. vocat πίστιν ἐπιδεικνυμένην id eſt, fidem oſtenſam ſcilicet ex operibus. ſic enim ait ſecundum 70. iuſtus annunciabit fidem oſtenſam. Item Cyrillus Hieroſolym. auctor grauiſſimus, in Catecheſi 15. Non in hoc, inquit, confidas, quod ſolam lampadẽ habes. ſed cuſtodi illam ardentem: non in hoc ſolũ confidas, quod credis, ſed fidem ardentem conſerua, vt luceat lux tua coram hominibus per bona opera. Sed quia Lutherani non negant, vt doctor iſte Tubingenſis teſtatur, ſimul eſſe in iuſtificatione fidem, ſpem & charitatem, ſoli tamen fidei vim iuſtificãdi tribuũt, hanc eorũ cæcam opinationem ſic redarguimus, quia ſi qui iuſtificatur, efficitur amicus Dei, ſicut ſcriptũ eſt,

Ad Tit. 1.

Iac. 2.

credidit Abraham Deo, & reputatū eſt ei ad iuſtitiam: & amicus Dei appellatus eſt, eſt autem amicitia quædā vnio animæ cum Deo, ergo vnde fides accipit vim vniendi animam cum Deo, inde accipit vim iuſtificādi, at ex charitate accipit vim vniendi, ſiquidem fides, & ſpes, vt ait idem S. Diadochus c. 1. de perfectione ſpirituali, docent conſcēdere ea quæ videntur: charitas verò inquit, copulat cum Deo perueſtigans ſenſu quodam mentis eum, qui videri nō poteſt, ergo ex charitate accipit fides vim iuſtificandi. Hæc eſt doctrina de fide, quam ſancti doctores ex ſanctis ſcripturis didicerunt, quæ non à nobis proceſſit. ſicut Apoſtolus ait, nec ad nos ſolos peruenit, ſed ad omnes veteres & ſanctos patres, ſicut veſtra rurſus doctrina falſa à vobis proceſſit. & ad vos ſolos peruenit. Dicam hic tandem, vt hunc locū finiā: ſi quis quærat, cur cum beatus Ioannes epiſtolas ſuas tanta cum laude dilectionis repleuerit, & tantum ei tribuat, vt qui eam non habeat, eum dicat non noſſe Deum, cum alioqui noſſe Deum, proprium ſit fidei, id eſt, cognitionis reuelatæ, & cum in omnibus exemplis, quibus fidem Apoſtolus in epiſtola ad Hebr. laudibus celebrat, fides cū dilectione iuncta cernatur, vt ego in libello de iuſtificatione demōſtraui, cum illum locum tractārem: tamen ſoli fidei, vim iuſtificandi tribuunt Lutherani, & non dilectioni cum fide, aut fidei cum dilectione, cur, inquiam, hoc? dicam, ſi quis ſcire vult: ſcilicet, quia facilè eſt credere tantum, credere enim tantū eſt, credere leuiter, ſiue leui mēte, vt paulò ante ſanctus Diadochus aiebat: credere autē cum dilectione, grauius eſt, & difficilius, & ſeipſum propter dilectionem Dei negāris. Lutherani verò magiſtri, vt multos poſt ſe abducant diſcipulos, promittunt, quod facilè & leue eſt. idem dicēdum eſt de vana eorum fiducia, quæ vt eorum fides leuis eſt, ſic quoque ſpes leuis, leuis item fiducia, quæ debet eſſe ſpei robur. rurſus verò, bona fiducia & fructuoſa nō eſſe, nec eſſe poteſt, ſine ſpe ſancta, quæ ex fide diligentis Deū exiſtit. Quia enim diligimus eū, cui credimus, ſperamus, quod iubet credere, & quia ſperamus, quod cum dilectione credimus, idcirco per patientiam illud expecta-

Matth. 5.

1. Cor. 14.

Cur magiſtri Lutheranorum à ratione iuſtificationis dilectionem ſeiunxerunt.

Quod ſi lucia, quæ ſpem roborat, non poſſit eſſe ſine ſpe ſancta & ſpirituali, quæ ex fide diligētis Deum exiſtit.

Rom. 8. mus, ſicut Apoſtolus ait: ad patienter autem expectã-dum fiducia ſpem roborat. De huiuſmodi fiducia loquitur ſcriptura ſancta in multis locis, quos vos Lutherani, de ſola fiducia, vt locos de fide ſancta de ſola fide interpretari ſoletis. Vnde ſubiungit idem Heerbrandus: Porrò hæc fides, ſiue fiducia (idem. n. eſſe putat, non intelligens, vt paulò poſt docebo, quod loquitur) etſi ſola nunquam ſit, habet tamen adiunctam notitiam omnium articulorum ſymboli, & alia quoque (charitatem credo, & ſpem dicere voluit) ſola tamen (inquit) iuſtificat, quod ea ſola promiſſionem gratiæ, & in ea Christum, qui noſtra eſt iuſtitia, apprehendat, eiuſque merita, & obedientiam ſibi applicet, &c. Si ſola fiducia, ſiue ſola fides promiſſionem gratiæ apprehendit, non debuit dicere Dominus, ſi quis diligit me, ſed, ſi quis mihi credit, aut, ſi quis in me fiduciã habet, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Ioan. 14.* Quod ſi vos ſermonẽ Domini nõ audetis corrigere, nõ igitur ſola fides, ſiue ſola fiducia promiſſionẽ gratiæ apprehẽdit, ſed dilectio credẽtis. Dilectio enim eſt primus motus mentis ad diuina, vt tradit diuinus Dionyſius in primo cap. eccle. Hierarch. nõ enim credẽdo tantùm, ſed diligẽdo, ea, quæ credit, mouetur quis primùm ad diuina præcepta facienda, vt cernitur in eo, qui ad fidem venit, vt idem Dionyſius deſcribit. Primũ enim audit ſermonem de fide, & quia diligit fieri particips eorum, quæ audit, & credit, excitatur ad petendum lauacrum regenerationis: ſimiliter qui poſt regẽnerationem peccata admiſit, vt Deo reconcilietur primum eſt, vt credat Deo veniam promittenti pœnitentibus, deinde vt diligat hanc veniam: niſi enim veniam diligat, nunquam eam quæret, neque ex corde petet. Dilectio ergo eſt primus motus mentis ad faciendum, quod idem dominus ad impetrandam eiuſmodi veniã præcipit. Quare cum tradũt Lutheranorum magiſtri, credendo tantùm, & non credendo cum dilectione, iuſtitiam, ſiue in baptiſmo, ſiue in pœnitentia apprehendi, ſtultè, id prætermittunt, quod credentem, ceu anima corpus, mouet vt facientes voluntatem Dei, cõ-

Quod non credendo tantùm, ſed diligendo ea, quæ credit mouetur quis primùm ad diuina mandata facienda.

ſequamur iuſtitiam & amici Dei efficiamur, ſicut Do-
minus dixit, ſi quis diligit me, ſermonem meum ſerua-
bit: deinde ſubiungit, ad eum veniemus, & manſionem
apud eum faciemus: iuſtificauit autem eum, ad quem
venit, & apud quem tanquam apud amicum manſit,
ſicut ſcriptum eſt, credidit Abraham Deo, & reputatũ
eſt ei ad iuſtitiam, & amicus dei appellatus eſt ergo dũ
iuſtificatur quis, diligit deum, & ſermonem eius ſer-
uat, & non credit ſolùm. Sed doceamus iam, quod *Heb.13.*
paulò ante promiſimus, fidem à fiducia in ſcriptura
ſancta diſtingui. an non diſtinxit clarè Apoſtolus, cũ
in epiſt. ad Hebr. dixit, ſint mores ſine auaritia: contẽti
præſentibus: ipſe enim dixit, non te deſeram, neque de-
relinquam: ita vt confidenter dicamus, dominus mihi
adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. reſpon-
deant mihi Lutherani, & eorum doctor Tubingenſis,
habent ne auari fidem? non credo, negabunt, ne infini-
tos diuites de infidelitate condemnent: imò ne domi-
num mendacem faciant, qui dixit, non omnis, qui di-
cit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlo-
rum, vt illi auari, qui in die iudicij, cum exprobrabit *Matth. 25.*
eis dominus, quod miſericordiam pauperibus non tri-
buerunt, dicturi ſunt, domine quãdo te vidimus eſu-
rientem, &c. niſi enim fidem habuiſſent, nunquam di- *1. Tim. 6. c.*
xiſſent, domine. auari igitur fidem habent, non tamen
in deo confidunt, ſed cõfidunt in incerto diuitiarum,
ſicut Apoſtolus de eis ad Timoth. ſcripſit, qui quia fi-
duciam non habent, non poſſunt dicere niſi mendoſè,
& conſcientia eos redarguente, dominus mihi adiu-
tor, nõ timebo, quid faciat mihi homo. idcirco præcipit
iſtis apoſtolus, vt ſint mores ſine auaritia: cõtenti præ-
ſentibus, ita vt cum fiducia dicant, dominus mihi ad-
iutor, &c. ergo ſi non fuerint ſic mores ſine auaritia, nõ
hoc dicent confidenter: carebunt fiducia. Quare fides
horum teſte Paulo apoſtolo, ſine fiducia erit. Quomo-
do igitur hæc iſti confidunt? vt dicant fides, ſine
fiducia? Rurſus, quod fides non ſit fiducia, ex e-
uangelio quoque in Hæmorrhoiſſa intelligi poteſt,
dicebat (inquit) intra ſe, ſi tetigero tantum, veſtimen-
tum eius, ſalua ero hæc erat fides, cui dominus teſtimo-

nium tribuit, cum dixit, fides tua te ſaluam fecit. Cogitare enim, quòd eſſet ſananda, tacta fimbria veſtis domini, & in hac aſſenſione fixam eſſe, antequam ſe ſanatam videret, nihil aliud erat, quam credere hoc: ſed quia metum quendam, vt ait Theophylactus, conceperat, quaſi furata eſſet donum, qui quidem metus fidē eius debilitabat, iuſſit ei Dominus habere fiduciam. fiducia enim, quę pars fortitudinis eſt, metum, qui quodammodo, ſicut S. Thomas ait, ſpei contrarius eſt, expellit. quod ſi fides, & fiducia idē erant, quid opus erat, habenti fidem iubere habere fiduciam? aut quid aliud fuiſſet hoc, quàm habenti fidem iubere, habere fidem? Præterea fides poteſt eſſe cum hæſitatione quadam, cū beatus Iacobus ei, qui indiget ſapientia, præcipiat, vt poſtulet eam, cum fide nihil hæſitans, fiduciam verò conſequendi id quod creditur futurum, nō poteſt habere, qui hæſitat, ergo fides non poteſt eſſe fiducia. Sed quia noui hæretici epiſtolam Iacobi negāt, probemus hoc ipſum auctoritate Pauli, cum in epiſt. ad Rom. fidem Abrahæ explicat, cum enim dictū eſſet ei, ſic erit ſemen tuum, & quæ ſequuntur, ſubiungit apoſt. & nō eſt infirmatus fide, neque cōſiderauit corpus ſuū emortuum, cum iam eſſet ferè centum annorum, & emortuam vuluam Saræ: in repromiſſione autem Dei non hæſitauit diffidentia, (eodem verbo vſus eſt hic Paulus διεκρίθη, quo Iacobus) ſed confortatus eſt fide. Si non potuiſſet fides Abrahæ eſſe infirma, & habere admiſtā hæſitationem iſtam, quam dicit, quæ ad diffidentiam pertinet, qualis erat fides Petri, cum ei dixit dominus, modicæ fidei, quare dubitaſti, non erat, cur ſic Paulus fidem Abrahæ laudaret, quam exemplum fidei noſtræ eſſe volebat: neque cur dominus modicam fidem & dubitationem Petri notaret. vbi.n. ſimul cum fide fiducia eſt, non eſt iſta dubitatio, ſiue hæſitatio non quidē in credendo, alioqui fides nō eſſet, ſed nec in ſperādo: quæ hæſitatio non ſinit firmum, & fortem eſſe in fide, ſed potius fidem debilitat, & infirmam ac paruam efficit, qualis in Abraham fuiſſet, ſi credens alioqui quod ei dictum ac promiſſum erat de ſemine multiplicando inſtar ſtellarum, & arenæ, ad corpus tamen ſuum iam emor-

Demonſtratio diſtinctionis fidei & fiduciæ contra hæreticos.

emortuum reſpexiſſet: ſic enim fiduciam, ac ſpem certam non habuiſſet, ſed potius metum qui eſt, vt dixi, quodammodo ſpei contrarius. at non ad hoc reſpexit, ſed potius ad infinitam Dei poteſtatem, fidelitatem πληροφορηθεὶς, id eſt, pleniſſimè ſciens, credens, inquã, & fiduciam habens, quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere. hæc eſt illa plenitudo fidei, cum qua iubet apoſto. accedere ad dominum in epiſt. ad Heb. non enim dixit, accedamus cum fide, ſed cum plenitudine fidei, vt planè intelligamus, nõ quicunque fidem habet, habere fidei πληροφορίαν, quia neque quicunque fidem habet promiſſioni, id eſt, promiſſionem credit, veram eſſe, fiduciam promiſſionis habet, & ſpẽ certam, dum aliquid conſiderat, vnde metus exiſtat.

Interpretatio teſtimonii Eſaiæ. Niſi credideritis, non intelligetis] quod citauit Clemens in doctrina Petri, quo redarguitur, quod finxerunt Magdeburgẽſes, fidem eſſe ſolam notitiam Symboli, in epiſtola Clementis. Item demonſtratio ex duobus locis Pauli & Salomonis, quod fides ſine dilectione vim iuſtificandi non habeat, & qui talem vim ſoli fidei tribuit, negare eum gratiam domini noſtri, & ad legem ſeruitutis redire.

Caput 6.

SEd veniamus ad extremum teſtimonium ſcripturæ ſanctæ in doctrina Petri in fide, citatum in epiſto. Clementis, quod eſt Eſa. cap. 7. Niſi credideritis (inquit) non intelligetis. quod quidem cum non de ſola notitia eorum, quæ credenda erant, accipi poſſit, conſequens eſt, vt neque fides in doctrina Petri notitiam ſolam ſymboli ſignificet, vt Magdeburgenſes fingunt. Imò illud etiã hoc teſtimonio confirmabimus, non fidem ſolam eſſe, quæ iuſtificet, ſed fidem credẽtis cum dilectione. Ergo poſtquam Raſin victo Achaz, multos Iudæos tranſtulit Damaſcum, & Phaceas rex Iſrael magnam multitudinem Iudæorum occidit, & ducenta millia mulierum duxit captiua, vt eſt in 2. Par. c. 28. poſthæc, inquam, elati ſuperbia vterque Rex, coniuratis animis,

Eſ. 7.

Redarguitur Commentum Magde.

2. Paral. 28. venerunt Hieruſalem animo eam expugnandi, & funditus delendi. Quare cũ in hoc ſecundo bello rex Iuda in maximo metu eſſet, nec vlla ratione intelligeret, quemadmodum periculum impendẽs effugere poſſet, adiit eum Eſaias iuſſu Dei, vt metu eũ liberaret modo fidem verbis Dei habere vellet. at Rex noluit Prophetæ obedire, vt metum deponeret, & Deo crederet inopinatam liberationem promittenti. Cum ergo ſignum

Eſ. 7. ſimulatione religionis, quamuis iuſſus, rex Achaz petere nollet, dixit propheta, Audite ergo domus Dauid nunquid parum eſt vobis, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis, & deo meo? Propter hoc dabit dominus ipſe vobis ſignũ, Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Scilicet ad hoc ſignum, quod eſt pars ſymboli de filio Dei ex Virgine nato, retulit propheta, quod prius quaſi procœmij loco dixerat, antequã ſignũ hoc, cuius fidẽ poſtulabat, daret, niſi credideritis, nõ intelligetis: fides. n. ea, quæ naturalem intelligentiam ſuperant, aſſequitur. hæc autem fides, quam hoc loco propheta poſcebat, & quæ in doctrina Petri citata, eſt, quod non conſiſteret in ſola notitia illius ſigni dati, quod, vt dixi, pars ſymboli eſt, vel ex eo conſtat, quod exprobrauit regi propheta, quod moleſtus eſſet nõ ſolùm hominibus, ſed Deo ſcilicet non credendo, nemo autem moleſtus eſt ei, quẽ diligit. erat igitur fides, quæ poſcebatur, non ſola fides, quam Lutherani profitentur, ſed fides cum dilectione. neque enim ſatis erat credere futurum eſſe, vt filius Dei ex virgine naſceretur. niſi ſimul diligeretur, quia propter nos ex virgine naſci vellet. vnde Proclus ille conſt. vir excellenti doctrina, ac ſanctitate in epiſtola ad epiſcopos, & preſbyteros Armeniæ loquens de fide, & dilectione, vtraq; (inquit) alteram adiuuat. fides eſt ſpeculum charitatis: charitas firmamentum fidei. credimus, quod verbum incarnatum eſt ἀπαθῶς, & diligimus eum, qui propter nos formam ſerui accepit &c. illud præterea aduertẽdum eſt, ſolere accipi in ſcriptura intelligere pro eo, ac diceretur, intelligere ad faciendum, ſicut ſcriptum eſt, noluit intelligere, vt bene ageret. Sic autem intelligere ad faciendum quod creditur, dicitur etiam in ſcriptu-

rā ſancta intelligere corde. vnde Eſaias: Ne fortè videant oculis & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. In hoc igitur conſiſtit conuerſio peccatoris, & ſalus animæ, ſi quis auribus quidem audiat verbum Dei: Fides enim ex auditu eſt, & auditus per verbum Dei: corde autē intelligat, ſcilicet vt faciat illud: hic eſt. n. qui bene intelligit quod credit, ſicut ſcriptum eſt: Intellectus bonus omnibus facientibus eam, ſcilicet ſapientiam. Ergo qui ſapientiam verbi, cui credunt, non exercent in dilectione, horum intellectus, quem per fidē ſolam habent, non eſt perfectè bonus, neque eorum fides Deo ad æternam gloriam placet. Itaq; ſicut veteres philoſophi, id quod vel ex ſacris litteris, vt pleraq; alia ſine fide didicerūt, vel per ſe ratione naturali magiſtrā cognouerunt, tradunt, quæ diſcuntur, vt fiant, diſci illa quidē faciendo: item faciendo propriè, & ſimpliciter ſciri, ac iudicari: ita vt qui nō faciat, neque ſcire quidem propriè dicatur: neq; perfectè aſſentiatur, aut iudicet faciendū eſſe: pendeatque practica aſſenſio ex voluntate operādi ſecūdum illā, vt ex 27. & 10 libro Ariſtotelis de moribus intelligi poteſt: Sic qui credunt, id eſt, qui ſciunt per fidem, vt ſecundū fidem viuant, & operētur, niſi accedat voluntas perfecta eadem faciēdi (quod ſine dilectione fieri non poteſt) nondum perfectè credūt. Itaque ſicut qui adulter eſt, nondum perfectè ac propriè ſcit, aut iudicat nō eſſe adulterandū: ſi qui credit, ſiue per fidem ſcit, Deum eſſe, & remuneratorē eſſe, neq; tamē ita viuit, vt vita eius remuneratione digna ſit: nondum ille quidē, ſicut debet, rectè aut credit, aut intelligit, quod ſe dicit credere, & intelligere. Itē qui ſe dicit, & putat per fidem apprehendere, & applicare ſibi Chriſtū pro nobis paſſum, & ſuſcitatum, vt iſti loqui ſolent, nondū rectè apprehendit, niſi ſimul ita viuat, vt tanquā Chriſto cōmortuus in nouitate vitæ ambulet. Quorſum. n. neceſſe eſt, & à nobis exigitur, vt credamus Deū & eſſe, & remuneratorē eſſe, niſi vt vitā agamus remuneratione dignā? quorſum itē, vt apprehendamus per fidem Chriſtū pro nobis paſſum, niſi vt circumferamus, ſicut Apoſt. ait, mortificationem Ieſu Chriſti in corporibus

Eſa. 6.

Pſal. 110.

Sicut qui adulter eſt, imperfectè, & fruſtra ſecundū Philoſophos ſcit, & iudicat non eſſe adulterandū, ſic qui per fidē apprehendit Chriſtum pro nobis paſſum imperfectè, & fruſtra ſecundū literas ſacras apprehēdit, niſi viuat Chriſto compatiens & cōmoriens.

2. Cor. 4.

noſtris, vt vita eius manifeſtetur in nobis? Quod ſi ita eſt, an non conſequens eſt, vt eiuſmodi apprehẽſio, ac fides ſola non ſit recta? Non enim Chriſtus credentibus tantum, ſed obtemperantibus, ſicut Apoſtolus ait, factus eſt cauſa ſalutis æternæ. Dicant ergo iſti, an apprehendere per ſolam fidẽ Chriſtum paſſum, ſit illi obtẽperare? Si igitur natura philoſophos docuit, perfectionem aſſenſus practici in voluntate operãdi pendere an vos Christianos natura; & ſcriptura non docebunt ſimiliter perfectionem fidei ex dilectione, quæ voluntatem operandi perficit, pendere? Prætermiſſis ergo nunc reliquis ſcripturæ ſanctæ locis, qui infiniti ſunt, vt hunc tandem locũ finiamus, confirmemus ſuperiora duobus teſtimoniis, altero Pauli, altero Salomonis. Paulus igitur, poſtquã dixit, ad Tim. ſcribens. Lex non eſt iuſto poſita, ſed iniuſtis, & nõ ſubditis, impiis & peccatoribus, & quæ ſequũtur: ſubiungit paulò poſt: ſuperabũdauit autem gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cũ fide, & dilectione. in quo quidẽ docuit differentiam legis & euãgelij, ſiue præſtantiã potius Euãgelij ſupra legem in eo, quod commune alioqui erat legis & Euangelij, id eſt, quantum ad decalogum, de quo loquebatur. Lex enim decalogi Moſaici iubebat, & vetabat, vita & morte propoſitis: quæ ratio iubendi bona erat, & vtilis, ſolùm tamen cõueniebat iniquis; & non ſubditis. nunc autẽ (inquit) ſuperabundauit gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cũ fide, & dilectione: eadẽ, n. iubet, & cõtraria vetat Euangeliũ non quidẽ operãs iram, & ſtatim occidens, vt lex vetus: ſed, vt Clemens Romanus in lib. 6. de apoſtolicis conſtitutionibus ait, reiiciens iudiciũ mortis in alterũ ſæculũ, & hic gratiã, ac veniam tribuens operanti non ſecundum legẽ ſeruitutis ex timore, ſed operanti ſecundum legem libertatis ex fide, & dilectione. De hac ſuperabundantia gratiæ loquebatur Dominus in euãgelio, cum aiebat: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & Pharifæorum &c. Itaque nõ dixit Apoſtolus ſuperabundauit gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cum fide, ne de fide ſola malè Lutherani interpretarentur, vt tu aliis locis fecerunt: ſed dixit, ſuperabundauit cum

Heb. 5.

Quod ſicut natura docuit philoſophos perfectionẽ aſſenſus practici ex voluntate operandi pendere, ſic natura & ſcriptura chriſtianos docet perfectionem fidei ex dilectione, quæ voluntatẽ operandi perficit, pendere.

1. Tim. 1.

Matth 5.

ſide & dilectione. quo in loco ſatis nos Paulus admonuit, quod in aliis locis ſuarum epiſtolarum de fide iuſtificante dicit, id de fide recta, id eſt, de fide viua, per dilectionem intelligendum eſſe. Quod ſi gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, qua iuſtificamur, abundauit ſupra iuſtitiam ex lege, hoc enim ſignificat, Superabundauit, ergo gratia Dei cum fide ſola non abundauit ſupra iuſtitiam ex lege: ac proinde ex fide ſola non iuſtificamur: quia iuſtitia ex fide ſola non ſuperat iuſtitiã ex lege. Quare gratiam domini noſtri negat, quiſquis ſoli fidei, & non potius fidei, ſimul cum dilectione fidẽ perficiente, vim iuſtificandi tribuit. Et dominum gratię Ieſum negat, qui iuſſit ſuperabundare iuſtitiam noſtram pluſquam ſcribarum & Phariſæorum, illorum enim iuſtitia ex fide, ac timore erat: noſtra verò & fide, ac dilectione. Ex quo fit, vt Lutherani, dum de lege libertatis gloriantur, & ſe patronos eius ac defenſores eſſe putant, aſſignantes ſoli fidei rationem iuſtificationis & non potius fidei cum dilectione, ad legem ſeruitutis, neſcientes, & nolentes, ſe reuocent. Alterum teſtimonium eſt Salomonis in Prouerb. capit. tertio. Miſericordiæ (inquit) & fides ne deſint tibi: Liga autem eas in collo tuo, ſic enim eſt apud ſeptuaginta, & ſcribe eas in tabula cordis tui, & inuenies gratiam. Si, vt inueniamus gratiam, ligandæ ſunt fides, & charitas, (hãc enim ſignificant miſericordiæ) quomodo ſola fides iuſtificat? Rurſus ſi ſola fides iuſtitiam conſequitur, malè præcepit Salomon ligare fidem, & miſericordias. imò verò, vos Magdeburgenſes & cæteri Lutherani, peruerſè in ratione iuſtificationis illa diſiungitis ac diuellitis, quæ ſpiritus ſanctus per ſapientiam Salomonis, ad inueniendam gratiam iuſtitiæ copulare iuſſit. Præcipit itaque Salomon ligare fidem & charitatem in collo animæ, id eſt. præcipit fidei, & charitati, tanquam diuino iugo ſubiicere τὸ πρακτικὸν, quod ſymbolicè vocat collum, vt Procopius Gazæus in commentariis Prouer. Salomonis notauit. Sequitur in Salomone, & ſcribe eas in tabula cordis tui. Tabulam vocat, vt idem auctor ait, τὸ παθητικὸν animæ, ſiue τὰς παθητικὰς δυνάμεις, id eſt, partem iraſcendi, & partem concu-

Quod iuſtitia ex fide ſola, quã Magd. fingunt, non ſuperet iuſtitiam ex lege.

Quomodo Lutherani magiſtri, qui de lege libertatis vanè gloriantur, ad legem ſeruitutis ſe reuocent.

Prou. 3.

Quod Magde. cum cæteris Lutheranis contra ſcripturã diſiũgant, quæ ſcriptura iubet cõiungere.

Procopius Gazæus.

piſcendi, quæ cum ratione & voluntate rationali velut digiti cum manu pariter ad operandum feruntur. Itaque præcipit, vt fidē in operibus miſericordiæ, quæ ſunt opera charitatis, vtraque harum partium animæ exerceamus, vt gratiā iuſtitiæ inueniamus. ergo fides ſola ſine adiumento charitatis, non valet ad inueniendam gratiā: alioqui nō præciperet Salomon ligari eas ad inueniendam gratiam. Ex quo intelligi poteſt, cum ſcriptura fidem laudat, fidē viuam per dilectionē laudare, ſine qua fides quidem eſſe poteſt, ſed ad vitā, qua iuſtus ex fide viuit, ſufficere non poteſt. Sed pergamus ad ea, quæ ſequuntur, refellamuſque deinceps reliqua, quæ huc pertinēt, ab eiſdē Magdeburgēſibus obiecta.

Quoties ſcriptura fidē commendat, fidē cū dilectione commendat.

Defenſio eius, quod Petrus in epiſtola Clementis ſcripſit, fidē eſſe initium, & fundamentum ſalutis, quod Magdeburgenſes reprehendunt, & explicatio, quam vim habeat hoc fundamentum fidei ad rationem iuſtificationis ex variis parabolis à magnis auctoribus notatis. Item, quod quidē antiqui patres fidem ſolam laudarunt, quomodo ſolam intellexerint, ex eorum verbis conſtare. Cap. 7.

Reprehendunt præterea, quod in doctrina Petri dicatur fides tantum initium, & fundamentum ſalutis.] Quanquam in doctrina Petri non hoc ſcriptū eſt, ſed illud potius, præclarum fidei teſtimonium, & fundamentum in prima fronte (ſymboli ſcilicet, de hoc enim loquebatur) mōſtratur, Quia ſaluus eſſe poterit, qui rectè crediderit, credere enim oportet accedentē ad Deum, & quæ ſequuntur, quæ ſatis ſupra explanauimus, nuſquā.n. hic dictū eſt, eſſe tantum initium, & fundamentū ſalutis fidē, vt iſti finxerunt, Vt tamen intelligant, ſi Dominus dederit eis intellectum, quomodo & quando ſit fides initium ſalutis, ac fundamentū, & quibus exemplis vis eius in iuſtificatione declaretur, & qualis fides in ſcriptura ſancta commendetur, non pigebit repetere hic, quæ ex libro quinto Magnetis contra Theoſtenem in Dogmatico noſtro de iuſtificatione latinè interpretatus ſum,

Magnetes.

cum de fide Abrahæ diſſererem. Si quis Græca conferre voluerit, inde petat. Scripſit hic auctor ante mille quadringẽtos annos libros quinque apologeticos pro Euãgelio, qui vſque in hodiernũ diem in bibliotheca Veneta ſeruantur. Cum (inquit) Abraham credidit, per bona opera placuit Deo: hinc factus eſt Dei amicus, qui operando effecit, vt fides ſupra ſolem ſplenderet: & rurſus credendo effecit, vt pulchrè operaretur: quãobrem amicus Dei honorificè appellatus eſt. Cũ enim intelligeret, fundamentum virtutis eſſe fidem, radices eius defixit altè, ædificans ſuper eam multa opera miſericordiæ. copulans, enim vtrumque, fidem dico, & opera. vinculo quodam neceſſitudinis, & cognationis, celſam turrim ex vtriſque extruxit, neque fidem ſolã, ſine teſtimonio operum, neque opera ſola ſine teſtimonio fidei relinquens. imò cum ſciret fidem eſſe ſemen fœcundum, adhibuit ſemini omnia accommoda, & opportuna, terram, boues, peram, iugum, aratrum, & quæcunque ars agriculturæ docuit. Vt enim ſine his non ſeritur ſemen, neque niſi cauſa ſeminis quicquam iſtorum, quæ diximus, ſecundum rationem efficitur: ſic fides, quæ quodammodo ſemen myſticum eſt, niſi germinarit per opera bona, ſed ſola potius remaneat, expers fructus, & germinis iuſtitiæ eſt. Similiter bona opera niſi fidem habeant ſecum connexam & implicatam, otioſa ſunt, & prorſus imperfecta. Ex quo ſacra ſcriptura vt demonſtraret Abraham, per fidem protuliſſe bonorum operum ſplẽdorem, ait, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Vides quẽadmodum fecit fides, vt ſuperiora opera bona reputarentur ad iuſtitiam? ſicuti ſemen facit, vt ager ferat frugem? Vt enim lampas facit, vt oleum lychno infuſum ſplendeat, ſic fides Abrahæ fecit, vt virtutes operum inſtar olei lychno infuſi, ſplenderent, Seruabat quidam Abraham, magiſtra natura, æquitatem in vita communi, eratque vtilis proximis, & à dolo, ac fraude alienus, tum dando & accipiendo nemini nocens: egentibus benignè faciens, & in ſimplicitate tribuens, deinde à prauis ſtudiis ſe abſtinens. Quæ tametſi pulchra & honeſta hominibus viderentur:

Quibus exemplis magni, & vetuſtiſſimi auctores conueniẽter ſcripturæ ſanctæ docuerint, quòd fides, & opera ſi diſiũgãtur, nihil per ſe valeant diſiũcta ad iuſtificationem.

nemo tamen in iuſtitiam ea computabat: nemo in virtutibus cum ratione ponebat, quia neque ponere quidem vllus poterat, niſi ſolus Deus. Verum nondum credebat. Cum verò Abraham credidit Deo, hæ atque aliæ huiuſmodi actiones, & virtutes computatæ ſunt Abrahæ in iuſtitiam. Hæc hactenus Magnetes, in quibus tres illas parabolas ad fidem & opera ſpectantes, diuino ingenio notauit, fundamenti, & ſuperædificationis: ſeminis, & eorum, quæ ſunt inſtrumenta, & adiumenta, vt ſemen germinet: lampadis, & olei, quæ ita colligata ſunt: vt qui ea diuellat, inutilia ad habitandum, ad germinandũ, & lucendũ reddat. ad has autem parabolas, quæ fides, ſimul & operum charitatis neceſſitatẽ ad iuſtificandum, mirè declarãt, addidi ego aliã parabolã ex epiſt. beati Ignatij ad Epheſios ſumptam. Vt.n. nihil prodeſt eſſe, qui alterũ per viam ducat, niſi ſit via ad ducendũ per eam, neque rurſus prodeſt via, niſi ſit qui ignorantẽ ducat, quo tendit via: ſic fides eſt (inquit Ignatius) ἀναγωγὸς ἡμῶν, id eſt, quæ nos ducit ſurſum, ad ea ſcilicet, quæ per fidẽ videmus. dilectio verò eſt ὁδὸς ἡ ἀναφέρουσα εἰς θεὸν, id eſt, qua ducimur ſurſum ad Deũ. Itẽ S. Proclus Conſtantinopolitanus, auctor grauiſſimus, in epiſtola ad epiſcopos & presbyteros Armeniæ, fidẽ ait eſſe ſpeculum charitatis: quæ eſt alia, & quidẽ aptiſſima parabola, vt iã ſine hoc ſpeculo impoſſibile ſit ita ornari, vt Deo per opera placeamus: & rurſus fruſtra adhibeatur hoc ſpeculũ fidei, niſi adſint opera, quæ per ſpeculũ ipſum ornentur. Hoc mihi ſumpſiſſe videtur ſanctus Proclus tum ex Paulo, cum ait: Videmus nũc per ſpeculũ, ſcilicet fidei in ænigmate, &c. tũ ex epiſt. beati Iacobi, vbi eũ, qui eſt auditor tãtùm, id eſt, qui ſolam fidem habet (fides enim ex auditu eſt) cum eo cõparat, qui conſiderat vultũ ſuũ in ſpeculo, & abiit, & ſtãtim oblitus eſt, qualis fuerit. Sic enim eſt, qui ſpeculũ fidei fruſtra habet, niſi illud ad ornandum ſe per dilectionẽ adhibeat: quod cum factum eſt, quis iam tã præpoſterè, & corruptè iudicet, vt propter ſpeculum ſolum, & nõ ſimul propter ornatũ dilectionis & bonorũ operũ dari gratiam iuſtitiæ dicat? quid per ſe tantum valet ſpeculum, aut quis eius honor &

Qui tradunt valere fidem ad iuſtitiam, ſine operibus, perinde faciunt, vt ſi dicant valere fundamentum ad habitationem, ſine ſuperædificatione, aut lampadẽ ad illuminandũ ſine oleo, ſemẽ ad germinandũ ſine agricultura, ducem adducendũ, ſine via, ſpeculum ad ornandum, ſine ornamento.

Ignatius.

Proclus Conſt.

1.Cor.13.

Iac.1.

Rom.12.

vſus,niſi cum ἐνεργεῖται διὰ κοσμήσεως, id eſt, niſi cũ adhibetur ad ornandum,quod eſt exerceri ſpeculum per ornatum,ſicut apoſtolus dixit, nihil valere in Chriſto niſi fidem δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένην, id eſt,quæ per charitatem exercetur. Sic enim accipiendum eſſe illud participium hoc loco,id eſt,modo patiendi,ita in dogmatico noſtro docuimus,vt qui id neget,neque grammaticam linguæ Græcæ ſciat, neque ſcripturam κατὰ λέξιν interpretandam eſſe putet. Poſtremò quod beatus Petrus in doctrina,quam in epiſto. Clementis Magdeburgenſes perperam accuſant, fidem vocauit fundamentum,an non ſic intellexit Iudas apoſtolus,cum ait in epiſtola ſua, Vos autem chariſſimi,ſuperædificãtes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei in ſpiritu ſancto,orãtes voſmetipſos in dilectione Dei ſeruate, an non habet rationem fundamenti id, cui primùm ſuperædificatur? Deinde cum ſubiungit idem apoſtolus Iudas: Seruate vos in dilectione:an non ſatis apertè docet, ne quis erret, non ſufficere ad ſalutem iacere fundamentum fidei,niſi dilectionem ſuperædificemus? Quare cũ dixit beatus Petrus,cuſtodiri nos in ſalutem per fidem, non de fide tantùm,ſiue de fide ſola intellexiſſe, ſed de fide cum dilectione, perſpici poteſt ex epiſtola beati Iudæ,qui non dixit,Cuſtodite vos in fide, ne vos malè, vt illud Petri interpretemini,ſed dixit, Cuſtodite vos in dilectione,vt nõ per fidem tantùm, ſed per fidem cum dilectione cuſtodiri nos in ſalutem intelligamus. Vnus eſt enim ſpiritus epiſtolæ Petri & Iudæ,qui non eſt ſpiritus diſſenſionis, ſed pacis:non ſpiritus diſcrepantiæ, ſed concordiæ,& vnum corpus eſt ſcriptura ſancta, in cuius vniuerſas partes intueri oportet,vt quod in vna explicatiùs eſt, ad alterius intelligentiam adhibeatur. Cum igitur ſatis docuerim,collatis locis ſcripturæ ſanctæ,fidem non ſolam,ſed fidem cum dilectione Dei in ſcripturis ſanctis commendari. conſequens eſt, vt ſi quando ſancti patres fidem tantùm, ſiue fidem ſolam commendant, & ad iuſtificationem valere dicunt, de fide non credentis tantum,ſed credentis cum dilectione intelligant, quæ eſt viua & germana fides, & Deo placẽtis propria. Sic Auguſtinus Serm. 68. de tempore:

Iud. 1.

Iud. c. 1.

1. Pet. 1.

Quod vnus ſit ſpiritus ſcripturæ, & vnũ corpus eius, cuius partes omnes intueri oporteat.

Credidit Abraham Deo,& reputatum eſt ei ad iuſtitiã, Ille(inquit)ſine opere iuſtificatur ex fide:ſine opere dixit,id eſt,ſine opere antecedente fidem,quod ſtatim declarat,ſubiungens; Et quicquid illi legali poſſet obſeruatione conferri, id totum credulitas ſola donauit: id eſt, quicquid conſequi poſſet per opera legis naturalis ſcriptæ in corde,ſi ea ſcilicet accepta eſſent Deo,quę ſine fide quidem accepta non erant,id totum inquit,ſola fides donauit, ſola, inquam ſine illis operibus legis naturalis,quibus ante fidem Abraham abundabat, ſed nondum deo placebat; vt paulò antè dixit Magnetes, quibus laudem quidem apud homines, ſed non apud Deum inuenit, ſicut Apoſtolus in epiſtola ad Roman. de eodem dixit:non autem ſola, id eſt. ſine dilectione, abſit:fide enim & dilectione conſecutus eſt gratiam iuſtitiæ, ſicut Apoſtolus ait ſuperabundaſſe in nobis gratiam cum fide & dilectione. Similiter intelligendum eſt, quod beatus Hilarius cap. 8. in Matth. fides enim (inquit)ſola iuſtificat,id eſt,fides ſine lege, vel ſine operibus legis,vt ex antecedẽtibus perſpici poteſt: ſic enim ait.Mouet ſcribas remiſſum ab homine peccatum: hominem enim tantum in Ieſu Chriſto contuebantur, & remiſſum ab eo, quod lex laxare non poterat:Fides enim ſola iuſtificat,id eſt,fides ſine lege, de qua dixerat, quod lex laxare non poterat. quis ſanæ mentis, & vel minuſculi ingenij non ſic intelligendum eſſe affirmet? Item beatus Cyprianus libr.3. ad Quirinum cap.52. fidem tantum prodeſſe, & tantum nos poſſe, quantum credimus. deinde ſubiicit multa exempla ſcripturæ, in quibus quæ fides tantùm intelligenda eſſet, ex proximo capite intelligitur. In Geneſi: Credidit Abraham Deo,& deputatum eſt ei ad iuſtitiam, item apud Eſa. Etſi non credideritis,non intelligetis. In euangelio ſecundum Matth. Modicæ fidei, quare dubitaſti? Et iterum, Si habueritis fidem ſicut granum Sinapis, diceris monti huic,tranſi hinc,& tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis:Item ſecundum Marcum:Quæcunque oratis & petitis,credite quia accipietis,& erit vobis.Item rurſus,omnia poſſibilia credenti, item apud Abacuch, Iuſtus autem ex fide mea viuit. Item in Daniele Ana-

Auguſt. Quid auctores qui fidem ſolam laudaſſe videntur,fidẽ ſolam intellexerunt, id eſt,ſine lege & operibus naturæ, id quod ex ipſorum verbis demonſtratur.

Rom.4.
1.Tim. 1.
Hilarius.
Cyprianus.
Gen.15.
Eſa.7.
Matt.14.
Matt.17.
Mar.11.
Mar.9.
Abac.2.
Dan.3.

nias, Azarias, Miſchel credentes liberati ſunt de flamma. Hi ſunt loci ſcripturæ, ex quibus fidem prodeſſe Cyprianus probauit, id eſt, fidem credentis cum dilectione: hæc enim tantummodo fides, tantùm valet in Chriſto, quæ quidem viua fides eſt: Fides enim non diligentis Deum, non eſt viua fides. Sic autem Cyprianū intellexiſſe ex cap. proximo ſequenti perſpicitur. ait enim loquens de eadem fide tantùm, poſſe eam ſtatim conſequi, qui verè crediderit. Sed quia fides ſine dilectione fides quoque vera eſt, quemadmodum accipiendum eſſet, quod dixit hoc loco, qui verè crediderit, ſtatim explicauit ſubiungens, in Actib. Apoſtolorum: Ecce aqua, quid eſt, quod me impediat tingi? Tunc dixit Philippus, ſi credis ex toto corde, licet. Hactenus Cyprianus. At non omnes, qui credunt, ex toto corde credunt, ſed ij tantùm qui cū dilectione credunt: quos Cyprianus dixit hic, verè id eſt, viuè & non mortuè credere. Ad alios locos de ſola fide ex Ambroſio, falſo ab hæreticis obiectos iampridem Ioannes Hofmeiſterus eruditè reſpondit, docens clarè, Ambroſio ipſo interprete, nuſquam in libris eius fidem ſine dilectione, vocari fidem ſolam, ſed fidem ſimul cum dilectione: hæc enim fides tantùm, ſiue ſola, eſt fides viua.

Defenſio adhuc doctrinæ Petri de iuſtificatione ex operibus in epiſtola Clementis. Quomodo eadem doctrina in ſcriptura Petri & Pauli contineatur: & quæ opera ſint ſecundum ſcripturam, ex quibus homo iuſtificatur, & quæ ſint, ex quibus non. Et locus Pauli ex epiſt. ad Roman. cap. 3. copioſè explicatus, & collatus cum iis, quæ à Magdeburgenſibus in doctrina Petri apud Clementem reprehendūtur. item reſponſio ad ea, quæ in tertia, & quarta epiſtola Clementis iidem reprehendunt de iuſtificatione ex operibus, & eorum collatio cum doctrina beati Petri in epiſtola eius ſecunda, cap. 1. Cap. 8.

SEd veniamus ad reliqua, quę iſti in doctrina » beati Petri, quæ in eadem epiſto. Clementis » expoſita eſt, de iuſtificatione adhuc repre- » hendunt. Sic enim aiunt reprehendendo. »

Deinde non gratis propter Chriſtum abſque operibus ſola fide nobis ſalutem contingere docet Petrus. Ait enim per temporalia officia nos æterna gaudia mereri, & fide ac bonis operibus æterni ignis nos pœnas effugere. Notant deinceps alios ſimiles locos; quos poſteà recitabo, ne ſæpe ſint mihi repetendi. Poſtremò addũt, contrarium docuiſſe Petrum in Actis cap. 2. & 10. & 1. Petri c. 1. Quia ergo iſti bona opera naturæ, ſiue bona opera ſecundum carnem ab operibus fidei, ſiue operibus ſecundum ſpiritum nunquam ex ſanctis ſcripturis diſtinguere didicerunt, idcirco cum Apoſtolus ſcripſit ad Roman. Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus: & rurſus. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia, & ſi qui alij loci ſimiles ſunt, de omni genere operum accipiendos eſſe falſò putauerunt. qui quidem ſi beato Petro crederent, cum ait eſſe quædam in epiſtolis Pauli difficilia ad intelligendum, quæ indocti, & inſtabiles ad ſuã ipſorum perditionem deprauant, profectò vel ipſa eorum facilitas intelligendi, qua in iſtis ipſis locis vtuntur, de quibus tanta cum eis nobis contentio eſt, ſuſpecta eis eſſe deberet. Quid enim faciliùs intellectu eſſe poteſt, quam vt iſti hos locos intelligunt, omne genus operum excludentes, nihil diſtinguentes, aut inquirentes, niſi quod in promptu, & in primo aſpectu eſt? quomodo, inquam, ſunt iſta δυσνόητα, id eſt, difficilia intellectu, ſi tam facilè ipſi ea expediunt? aut ſi non ſunt ex numero δυσνοήτων, id eſt, difficilium intellectu, vnde tanta inter nos, & eos de iſtis altercatio? An non eſt teſtis idoneus obſcuritatis loci, & difficultatis intelligendi ipſa varietas interpretantium? Sed doceamus iam, quæ nam opera excludat Apoſtolus à iuſtificatione, cũ ait. Arbitramur autem hominem iuſtificari per fidem abſque operibus legis. Si verba Pauli diligenti ſtudiò Magdeburgenſes & reliqui Lutheranorum magiſtri obſeruarent, idem Paulus eſſet eis huius loci, & ſimilium interpres. ait enim cap. 9. Iſrael ſectando legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit: ſubiungit deinde rationem, Quia (inquit) non ex fide, ſed quaſi ex operibus, ſcilicet legis. non dixit, non ex fide, ſed ex operi-

Nunquã Mag. cũ cæteris Luth. ex ſcript. didicerunt diſtinguere opera ſecundum carnẽ, ſiue ſecũdum naturã ab operibus fidei, ſiue ſecundum ſpiritum.

Rom. 5.

Roma. 11.

2. Pet. 3.

Loci ſcripturæ Pauli de iuſtificatione quos aliter nos, aliter Luth. interpretãtur, ex numero ſunt eorum, quæ ait B. Petrus difficilia eſſe intellectu in epiſt. Pauli, quorum locorum idem Paulus eſt interpres.

bus legis,ſed dixit,quaſi ex operibus legis.Vt intelligamus.aliud eſſe ex operibus legis:aliud, quaſi ex operibus legis,ſicut aliud eſt,quod dicitur ex nobis, & aliud à nobis quaſi ex nobis,vt idem Paulus docuit. Satis itaque admonuit nos, dupliciter conſiderare hæc opera legis,ſcilicet aut ſimpliciter, aut quaſi opera legis: ac duplici illa quidem ratione fieri poſſe, aut quaſi opera legis,aut ſimpliciter,& non quaſi opera legis. opera enim legis,vt non concupiſcere, non mœchari, & reliqua decalogi Moſaici,quæ ſunt ſcripta in cordibus, fiunt quidem quaſi opera legis,cum fiunt,vt erant in lege Moyſis ſancita, vt ſcilicet,qui faceret ea, viueret in eis:& qui non faceret,non viueret,ſed potius ſine miſericordia ſub duobus, aut tribus teſtibus, vt Apoſtolus ait,tanquam præuaricator moreretur. Lex enim iram operabatur.Quare ex operibus legis,vt erant pœnis legitimis ſancita, quæ ſic quidem propria erant Iudæorum,quibus ſolis lex Moyſis data erat,ex operibus, inquam,legis,quaſi ex operibus legis,id eſt,factis non ex fide,ſed ex timore,ſicut ſcriptum erat, Qui fecerit ea, viuet in eis non iuſtificatur homo. imò ſic accipiēdum eſſe,quod Apoſtolus dixit,Arbitramur hominem iuſtificari abſque operibus legis pro eo,quod eſt abſque operibus legis, quaſi ex operibus legis, quæ vt ſic propria, vt dixi,Iudæorum erant & non gentium communia, ex eodem ipſo Pauli loco perſpici poteſt: alioqui poſtquam dixit,Arbitramur hominem iuſtificari per fidem abſque operibus legis, quorſum ſubiungeret: an Iudæorum tantum Deus? non etiam & gentium? imò & gentium: niſi quia ſi ex operibus legis quaſi ex operibus legis,id eſt, vt ad Iudæos tantùm pertinebant, homo iuſtificaretur. iam Iudæorum tantùm Deus eſſet, & non gentium,nō enim eſſet Deus eorum, quos à iuſtitia excluderet. Deinde quia, vt diximus, dupliciter conſiderantur opera legis decalogi,aut quaſi opera legis,ſine quibus homo per fidem iuſtificatur, vt Apoſtolus docuit, & probauit: aut ſimpliciter, vt ſunt opera naturæ, ſic etiam per fidem ſine huiuſmodi operibus legis ſecundum naturam conſideratis, docet & probat proximo capite idem Apoſtolus, hominem iuſtificari

Aliud eſſe apud Paulum ex operibus legis, aliud quaſi ex operibus legis.
2.Cor.3.
Opera decalogi quæ eadem ſunt opera legis, fieri poſſunt ſecundū apoſtolum, aut quaſi opera legis, vel ſecundū carnem ſiue ſecūdum naturā, aut ſecundum ſpiritū ex fide.
Heb.10.
Gal.3.
Ezech.20.
Rom.4.
Gal.3.
Rom.3.

Rom. 4. exemplo Abrahæ. Quid enim (inquit) inueniſſe dicemus, ſecundum carnem, id eſt, ſecundum naturam, Abraham patrem noſtrum? (ſic enim intelligendum eſt per hyperbaton Apoſtolo familiare, vt Theodoretus & alij veteres obſeruarunt) an fortaſſe dicemus, iuſtificatū eſſe ex operibus ſecundum carnem, qualia erant opera, quæ φυσικῶς, id eſt, naturaliter, antequam crederet, faciebat? erat enim antè fidem, vt paulo antè Magnetes vetuſtiſſimus, & eccleſiaſticus auctor aiebat, benignus, continens, iuſtus, & aliis virtutibus præditus. ſanè (inquit) ſi ex operibus ſcilicet ſecundum carnem, vt iterū repetamus, ἀπὸ κοινοῦ, quæ eſt in ſcripturis ſanctis frequens figura, iuſtitiæ laudem inuenit, apud homines inuenit, qui vident ea, quæ apparent, non autem apud Deum, qui fidem cordis intuetur: nec iudicat ſecundū faciem, vt homines ſolent. Quod verò ſecundum ſpiritum laudem apud Deum Abraham inuenerit, teſtatur ſcriptura, quæ dicit. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Fides enim non eſt opus ſecundum carnem, id eſt, nō eſt opus à nobis, quaſi ex nobis, ſed eſt donum ſpiritus. Deinde reddit cauſam, cur iuſtitia, & laus Abrahæ ex operibus ſecundum carnem, ſiue ſecūdum naturam iuſtitia, & laus eſſet apud homines, non apud Deum, quia operanti ſcilicet ſecundum carnem, rurſus repetēdo ἀπὸ κοινοῦ, id eſt, à communi, Merces (inquit) imputatur non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. homo enim homini debere poteſt, non autem Deus. Quare iuſtitia ex operibus ſecūdum carnem, apud homines tantùm imputatur: non operāti autem ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum Dei, id eſt, credenti & fidem per dilectionem operanti iuſtitia imputatur apud Deum ſecundum gratiam. Negat itaque Apoſt. iuſtificari hominē ex operibus legis, quaſi ex operibus legis, & ex operibus legis ſecundum carnem: non autem negat iuſtificati ex operibus legis ſecundum ſpiritum ex fide, ex quibus qui iuſtificatur gratis iuſtificatur. Quare? quia huiuſmodi opera non ſunt iā à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſunt ex Deo, cuius dono & gratia fit, vt ſint bona & beneplacentia Deo. Vnde huiuſmodi opera idē Apoſt. appellat charifmata Dei,

Theodoretus.

Negat Apoſt. iuſtificari hominē ex operibus legis, & ex operibus ſecundum naturam, non autem negat iuſtificari ex operibus ſecundum ſpiritum ex fide, quæ nō ſunt ex

& dona Dei. Sed vnuſquiſque (inquit) proprium chariſma, ſiue donum habet ex Deo, alius ſic: alius verò ſic. Chariſma enim vocauit τὸ χάρισμα, id eſt, virtutem, vt continentiæ, caſtitatis, & ſimilium, & vt beatus Chryſ. in lib. de Virginitate notauit. Et rurſus ſine pœnitentia enim (inquit) ſunt dona, & vocatio Dei. Chariſmata, ſiue dona Dei vocauit illa omnia, ex quibus vocat Deus ad gratiam iuſtificantem quæ ſunt fides & opera ſpiritus ex fide. Et beatus Petrus 2. cap. 1. Deum ait donaſſe, quæ ad vitam, & pietatem pertinēt, hæc autem ſunt fides, & opera ſpiritus ex fide. Et idem Paulus ad Epheſ. Gratia (inquit) ſaluati eſtis per fidē, & hoc nō ex vobis, donum enim Dei eſt. Quod quidem nō propter fidem tantùm dixit, ſed etiam propter opera bona, quæ dona item Dei ſunt. ipſe enim operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Vnde dicuntur etiam opera Dei, & virtutes Dei, Hoc eſt enim (inquit) opus Dei, vt credatis in eū, qui miſit me, opus Dei dixit, non credere tantùm, ſed voci eius obedire. i. fidem in mandatis per dilectionem operari, quæ eſt fides εὐδοκίας, id eſt, fides beneplaciti, vt eccleſiaſticus cap. 15. vocauit. Et beatus Petrus, vt virtutes, inquit, annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumē ſuum. ἀρετὰς Dei, id eſt, virtutes diuinas, appellat opera bona & beneplacentia, quæ oſtendere debemus, poſtquam ſemel ſumus per baptiſmum illuminati, quæ Deus operatur in nobis, ſi eum ſecundum electionem ſequamur: ex quo ἀρεταὶ dictæ ſunt, quaſi hæretæ, id eſt eligendæ. De iſtis Dei virtutibus ait Apoſt. Creati creatione ſcilicet ſpirituali per baptiſmū in bonis operibus, vt in illis ambulemus. Dilectio enim Dei & proximi, quæ à fide & ſpe ſeiuncta eſſe non poteſt, omne genus virtutum Dei, ſiue bonorum operū, ac Deo placētium complectitur, quæ etiam dicūtur fructus ſpiritus. Si igitur opera iſta bona & beneplacentia Deo, non à nobis tanquam ex nobis ſunt, ſed ex Deo, ſi, inquam, ſunt dona Dei, qui ex eis iuſtificatur, gratis profectò iuſtificatur: ex donis enim Dei iuſtificari, gratis iuſtificari eſt: hoc enim ſignificat δωρεὰν δικαιοῦσθαι, quaſi dicatur, ex dono, ſiue ex donis iuſtificari, hoc eſt, gratis, vt interpres vetus vertit: non

nobis, ſed ex dono dei, ex quibus gratis iuſtificamur.

1. Cor. 7.

Rom. 11.

2. Pet. 1.

Eph. 2.

Opera fidei ex quibus iuſtificatur homo ſecundum apoſt. vocantur in ſcript. virtutes Dei. opera Dei, dona Dei, opera bona, fructus ſpiritus.

Ioan. 6.

Eccl. 15.

1. Pet. 2.

Eph. 2.

quidem ſecundum debitum. quaſi hoc donum debeat, qui eſt dominus omnium & creator, ac proinde creaturæ debere nō poſſit: ſed, vt ſubiungit, per gratiam ipſius. Cum igitur ait beatus Petrus, quæ Magdeburg. ignoranter, & hæreticè notarunt, ſcilicet per temporalia officia nos æterna gaudia mereri, & confeſſione, quæ ſacerdoti fit, fide ac bonis operibus æterni ignis pœnas nos effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia nos peruenire. & rurſus. Salutem animarum, & vitam bonis actionibus præparari, Et iterum, repletos bonis operibus, hæredes vitæ æternæ effici, & propriis geſtis hæredem bonorum cœleſtium pro bonis actibus baptizandum fieri, & hominem bonis operibus, ac viatico abundanti repletum, ad regnum Dei peruenire debere, hæc inquam omnia opera, quibus ſalutem animæ, & vitam parari dicit beatus Petrus, non ſunt bona opera legis, quaſi opera legis, id eſt, ex timore tēporalis mortis facta ſecundum legem ſeruitutis: neque ſunt bona opera ſecundum carnem, & ex ſolis facultatibus naturæ noſtræ profecta, qualia erant illa bona opera Abrahæ ante fidem, ſed ſunt bona opera ſpiritus ex fide, quę Dei dona ſunt, ex quibus gratis per gratiam dei in hoc tempore iuſtificamur, vnde temporalia officia vocauit, & non ex fide tantùm, ſine operibus, vt Hæretici tradunt ignorantes ſcripturas, & virtutem earum. Sed oſtendamus iam hanc doctrinam Petri, quam Magdeburgenſes in epiſtola Clementis accuſant: oſtēdamus, inquam, in ſcriptura Pauli, vt eam quoque ſi libet, accuſent. cum Paulus in epiſt. ad Roman. ait: Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius: iis, quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, obediunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, an non ſatis clarè, imò clariſſimè dicit hic Apoſtolus Paulus idem, quod beatus Petrus in epiſtola Clementis, bonis operibus æterni ignis pœnas nos effugere, id eſt, iram & indignationem, ac tribulationem, vt Paulus ait, & ad perpetuæ vitæ præmia nos peruenire,

Oſtenditur in ſcriptura Pauli doctrina B. Petri in epiſt. Clemen. à Magd. reprehenſa.
Roma. 2.

nire, id eſt, ad gloriam, & honorem, & incorruptionem, ac vitam æternam? Si ſecundum patientiam boni operis, datur vita æterna, id eſt, ſecundum menſuram patientiæ boni operis, hoc enim ſignificat κατὰ præpoſitio, id eſt, proportionem, & paulò ſuprà dixit, Reddet vnicuique ſecundum opera eius, ergo bonis operibus præparatur ſalus animarum & vita: & vitæ æternæ efficimur hæredes, & ad regnum Dei peruenitur, vt eſt in doctrina Petri, quæ in epiſtola Clementis poſita eſt. An malè docuit Paulus, cum dixit, iis, qui ſecundum patientiam boni operis quærunt gloriam & honorem, & incorruptionem, dari vitam æternam, & non dixit, iis qui ſecundum fidem quærunt? Quis veſtrum Magdeburgenſes, hoc dicere audeat? niſi Paulum quoque per ſpiritum Dei loquentem, reprehendere vultis. Ac potuiſſet quidem Paulus dicere, iis qui ſecundum fidem quærunt gloriam & honorem, & incorruptionem, vitam æternam, quis neget? Sed cur ita dicere potuiſſet, niſi quia fides perfecta eſſe non poteſt ſine patientia boni operis, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt: ſicuti rurſus patientia, ſi opus perfectum habeat, vt ait beatus Iacobus, non poteſt eſſe ſine fide: at ne vos Magdeburgenſes ad fidem ſolam veſtri dogmatis confugeretis, non dixit Apoſtolus, iis qui ſecundum fidem quærunt gloriam, & honorem, & incorruptionem, vitam æternam: ſed dixit, iis qui ſecundum patientiam boni operis, vt intelligatis tandem, ſi fortè credere vultis (niſi enim credideritis, non intelligetis) per fidem ſolam, quam prædicatis, non vos gloriam & honorem, & incorruptionem quærere, ſed indignationem, & tribulationem, & anguſtiam, qui eſtis ex contentione, non acquieſcentes veritati, obedientes autem iniquitati. Ac rurſus, ſi promittit nunc Deus in Euangelio, id quod ſemper ſine acceptione perſonarum ante aduentum ſuum in carne Iudæis, & gentibus promiſit, gratiam ſcilicet iuſtitiæ ex operibus bonis, hoc enim ſignificat, quod Paulus ait in eodem loco epiſtol. ad Rom. Gloria, honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco, non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum: & quod idem beatus Petrus in actis Apo-

Iac. 1.

Rom. 2.

Act. 10.

ſ

ſtolorum dixit, In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gẽte, qui timet Deum, acceptus eſt illi (timere enim eũ dixit pro eo, quod Paulus, operari bonum, vt intelligamus timorem non credentis tantùm, ſed credentis cum dilectione, ſiue operantis bonum opus dilectionis, quod ad timorem Dei filialem, vt vocant, pertinet.) Si inquam, teſtimonio Petri & Pauli, honor & gloria, ac pax, & gratia diuinæ acceptationis præparata ſunt omnibus bene operantibus in Euangelio, vbi ſunt, qui doctrinam B. Petri in epiſt. Clementis contra ſcripturas calumniantur, quod dixerit, ſalutem animarum, & vitam bonis actionibus præparari? Sed proſequamur deinceps locum Apoſtoli. Quicunque enim, inquit, ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, ἀνόμως, id eſt, ſine lege vocat, vt beatus Baſil. in commenta. Eſai. cap. 1. obſeruauit, eos, qui vel omnino leges diuinas non audierunt, vel ab eis receſſerunt: vel qui audierunt quidem, ſed nondum ad eas acceſſerunt, ſic enim ait Eſaias: Incendentur, qui ſine lege, & peccatores, id eſt, legis violatores. Subiungit poſteà Apoſt. de iis, qui legem diuinam acceperunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, id eſt, comparatis operibus eorum cum mente, & voluntate legis: vnde aiebat Dominus, Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die, hoc eſt, iudicari per legem, vt idem quoque Baſili. in comment. Eſa. capit. tertio, notauit. deinde ſubiungit, Non enim auditores iuſti ſunt apud Deum. auditores legis vocat eos, qui non operantur, ſiquidem eos Paulus opponit factoribus legis: habent tamen fidem, fides enim ex auditu eſt, id eſt, ex reuelatione: auditus autem per verbum Dei, id eſt, reuelatio fidei per diuinam virtutem, ſicut ait Abdias propheta. Auditũ audiui à Domino, id eſt, accepi à Domino reuelationẽ, & Eſa. Domine, quis credidit auditui noſtro? id eſt, reuelationi rerum nobis per fidem oſtenſarum. Sic enim Theodorus Antiochenus in principio comment. Abdiæ prophetæ interpretatur. Quod ſi auditores legis, id eſt, qui fidem ſolam ſine operibus habent, nõ ſunt iuſti apud Deum: factores autem iuſtificabũtur, quemadmodum Petrus

Roma. 2. *Eſa. 1.* *Ioan. 12.* *Abd. 1.* *Eſa. 15.* *Apprehendere per fidem ſolã Chriſtum paſ-*

malè de iuſtificatione docet, quia non docet, ſola fide hominem iuſtificari? aut quid aliud eſt, apprehendere Chriſtum pro nobis paſſum per fidem tantùm, quam habere auditum tantum, id eſt, nudam reuelationē ſolius fidei in Chriſtū paſſum, ſine dilectione eius? quod eſt, eſſe auditorem legis euangelicæ, & non factorem. Sequitur deinde in Paulo: Cum enim gentes, quæ legē non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex. Demōſtrat exemplo gentium, quod proximè dixerat, iuſtificādos eſſe factores legis, quales inquit, ſunt gentes naturaliter facientes, quæ legis ſunt, quæ oſtendunt operando opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Quis iam veſtrum eſt, Magdeburgenſes, & cæteri Lutherani, tam ſine intellectu, vt non intelligat huiuſmodi gentes ex operibus iuſtificari? an non hoc clariſſimè dicit Apoſtolus? poteſt ne hic vllus tergiuerſari? cur igitur doctrinam Petri in epiſtola Clementis damnatis? & totam epiſtolam Clementis, tanquā falſam reiicitis, ac negatis, quia non doceat in ea Petrus, ſola fide abſque operibus hominem iuſtificari? Improbate etiam hanc doctrinam Pauli in epiſt. ad Rom. cur non hoc audetis? etſi enim non eſt par auctoritas epiſt. Clementis, & epiſt. Pauli: doctrina tamen de iuſtificatione cum vna ſit, qui hanc in epiſtola Clementis damnat, idem hanc ipſam in epiſtola Pauli damnat. Sed & illud verbū naturæ, quo hic vſus eſt Apoſtolus, cum ait, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, quia eſt ex numero eorum, quæ in epiſtolis Pauli δυσνόητα vocat beatus Petrus, id eſt, difficilia intellectu, ne quis iſtorum, vel neget aliquando Pauli eſſe hoc verbum, vel illud malè interpretādo, Pelagianum faciat Paulum, viſum eſt obiter interpretari & admonere, naturam vocari hoc loco non rationem inſitam nobis ſecundum potentiam tantùm, ſed etiam ſecundū Dei gratiam. De hac ratione dixit beatus Iacobus, ſuſcipite ἔμφυτον λόγον, id eſt, inſitam rationem, quæ poteſt (inquit) ſaluare animas veſtras. ſuſcipite dixit, quia opus eſt aſſenſu voluntatis noſtrę non quidem ad recipiendū, quod naturaliter potētiæ noſtræ inſitum eſt, ſed ad recipiendum, quod inſuper ex Dei gratia eſt. Hanc

ſum, nihil aliud eſt, quàm eſſe auditorem tātum, id eſt habere nudam reuelationem ſolius fidei de Chriſto paſſo ſine dilectione eius, quod eſt eſſe auditorē tantùm & non factorem, qui ſecundum Apoſtol. non iuſtificabitur.

Expreſſè dicit Paulus gentes facientes naturaliter quæ legis ſunt iuſtificari ex operibus.

Qui doctrinam Petri in epiſt. Clem. negant, doctrinam quoque Pauli negare coguntur.

Iac. 1.

duplicem rationem naturalem, quam vocat Iuſtinus ſemen, diſtinxit idem in priore apologia. Itaque cum Paulus dixit, natura ſiue naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, gratiam Dei, quæ naturam ſanat & adiuuat, ſimul intelligi voluit: ſicut Eccleſiaſticus quoque cum ait capit. 32. In omni opere crede animæ tuæ, id eſt, crede ſecundum gratiam Dei legi ſcriptæ in anima.

Eccl. 32.

Iam quod ſimiliter accuſant iſti, quæ ait idem Petrus in epiſt. 3. Clementis, hominem bonis operibus tanquã viatico abundanti repletum ad regnum Dei peruenire debere, & rurſus in epiſt. 4. Repletos bonis operibus hæredes vitæ æternæ effici] vt alios locos epiſtolarum Petri nunc omittam, in quibus virtutem, ac ſentẽtiam horum, quæ accuſant, demonſtrare poſſem: ille vnus ſatis nunc ſit, quem paulò antè iterum attigi ex epiſtola eiuſdem. Cùm enim dixiſſet, Vos autem curam omnẽ ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem: in virtute autem ſcientiam: in ſcientia autem abſtinentiam: in abſtinentia autem patientiam, in patiẽtia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis charitatem. deinde ſubiungit: hæc autem ſi vobis adſint, non vacuos, neque ſine fructu (ἀκάρπους enim legit vetus interpres) conſtituent vos in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. an non eſt hoc ipſum, quod idem Petrus in doctrina ſua, apud Clementem dixit, hominem bonis operibus, & abundanti viatico repletum, id eſt, eum, cui iſta adſunt, quæ in ſua epiſtola dixit, ad regnum Dei peruenire debere. Ille enim eſt, qui in cognitione domini noſtri Ieſu Chriſti non eſt vacuus, neque ſine fructu, qui ad regnum Dei peruenire debet. Quid rurſus intereſt dicere, Hæc autẽ opera ſcilicet bona numerata fidei, virtutis, abſtinẽtiæ, patientiæ, pietatis, charitatis, ſi vobis adſint, non vacuos, neque ſine fructu vos conſtituent in cognitione domini noſtri Ieſu Chriſti: an dicere illud in epiſt. Clem. repletos bonis operibus hæredes vitæ æternæ effici? nónne quibus iſta adſunt, repleti ſunt bonis operibus? & iſtis repletos non conſtitui vacuos, neque ſine fructu in cognitione domini noſtri Ieſu Chriſti, an non eſt, effici eos hæredes vitæ eternæ. Illud iterum hic admo-

2. Pet. 1.

Doctrina Petri in epiſt. Cle. 3. & 4. à Mag. reprehenſa eadem in epiſt. ipſius Petri demonſtratur.

nebo Magdeburgenſes, ſi quando tandem intelligant, clariſſimè hic docuiſſe beatum Petrum in deſcriptione huius ædificij ſpiritualis virtutum, eo ſpectare fidem, vt omni ſtudio & diligentia superędificemus ei opera bona, alioqui fruſtra eſſe fidem, & vacuos, ac ſine fructu reperiendos in ea eſſe, qui non ſuperædificauerint, ac neceſſariò debere eſſe ſubſtructam dilectioni fidem, ſi quid valere debeat. Quæro enim à vobis Magdeburgenſes, quorſum ſpectat iſta veſtra apprehenſio Chriſti pro nobis paſſi? an non ſpectat, vt eum ſic per fidem apprehenſum diligatis? & diligendo ei confidatis? ridiculum enim eſt, & vanum ei confidere, quem non diligas. Ergo in iſta apprehenſione domini noſtri Ieſu Chriſti per fidem ſolam, vacuus eſt, & ſine fructu, qui fidem ipſam habet, ſine dilectione.

Reſponſio ad locos ſcripturæ, quibus Magdeburgenſes conātur probare hominem iuſtificari per ſolam fidem cum contraria demonſtratione euidenti ex eiſdem locis non ex fide ſola iuſtificari. Item ſecundum ſcripturam, fidem eſſe mortuam, & infructuoſam ſine dilectione.

Cap. 9.

SEd quia ſcribunt Magdeburgenſes in centuria ſua, contra docuiſſe Petrum in actis Apoſt. cap. 2 4. & 10. & in epiſt. 1. cap. 1. Videamus an ita ſit, an potius nō ita. Act. inquiūt, 2. interrogatus Petrus à Iudæis, quid facere deberent, vt effugerent iram Dei: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum. Hic tradunt docuiſſe Petrum gratis abſque operibus ſola fide peccatores pœnitentes iuſtificari. Quis non intelligat pugnare ſecum iſtos, ſibique contradicere, cum aiunt ſola fide peccatores pœnitentes iuſtificari in baptiſmo, cum ſit pœnitentia opus quoddam, quod ad fidem accedat, vt ipſi ſponte confitentur, neceſſe ſit. an fortè dicturi ſunt, nihil aliud eſſe pœnitentiam, quàm deſiſtere à peccatis vitæ ſuperioris, atque ita non opus, ſed ceſſationem po-

Repugnant ſibi Magd. tradētes ſola fide iuſtificatos eſſe eos, quibus Petrus dixit interrogatus, pœnitētiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.

tius operum eſſe? At redarguet eos, ſi id dixerint, pœnitentia eorum, qui ad Ioannem veniebant, vt ab eo baptizarentur. talem enim pœnitentiam in prima centuria iidem centuriatores probant, & requiri, ac ſatis eſſe volunt. de illa verò pœnitentia ſic ſcriptum eſt: Et baptizabantur ab eo, confitentes peccata ſua. Et beatus Lucas: Dicebat ergo, inquit iis, qui exibant, & baptizabantur ab ipſo, Quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Quis verò ita amens ſit, & à ſenſu communi alienus, vt neget confiteri actus ſuos Deo, & facere fructus dignos pœnitentiæ, eſſe genus operis? Quod ſi ita eſt, quomodo ſola fide abſque operibus iuſtificantur peccatores pœnitentes? quemadmodum abſque vllo opere pœnitẽtes ſunt? quod iſtud prophanum vaniloquium repugnantiæ plenum? Quid eſt, quod beatus Petrus dicit: Agite pœnitentiam, ſi nihil agere præcipit? Cùm enim agere pœnitentiam præcipit, neceſſe eſt, vt pœnitentia aliquod opus ſit, non igitur abſque operibus ſola fide iuſtificatio fit. Prætereà etiam, cum præcipit idem Petrus baptizari, nullumne opus fieri præcipit? Velle ergo baptizari nihil eſt, ſi nullum opus eſt. Quod ſi eſt, velle baptizari, actus in quo fides per dilectionem exercetur, igitur nõ ſola fide abſque operibus iuſtificatur homo. Alius locus, quam Magdeburgenſes citant, eſt ex act. cap.4. & non eſt in alio aliquo ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. hoc quoque loco tradunt iidem docuiſſe Petrum ſola fide abſque operibus hominem iuſtificari: ſed doceamus nos rurſus non ita eſſe, & contrarium potius Petrum docuiſſe. Citauit beatus Petrus teſtimonium Dauid ex Pſal. 117. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. deinde ſubiungit ſtatim: & non eſt in alio aliquo ſalus, quam in hoc. ſcilicet lapide angulari probato, electo, & pretioſo, & ab hominibus reprobato. Quomodo verò ſit in hoc ſolo lapide ſalus, docuit idem Petrus, cum ait de hoc lapide loquens: & ipſi tanquam lapides viui, ſuperædificamini. Superædificari igitur nos oportet, huic fidei ſanctæ in hunc lapidem angularem, qui

Act.4.

Pſal 117.

Ex eiſdem locis ſcripturæ, quot Magd. citãt ad probandum iuſtificari hominẽ per fidẽ ſine operib. euidenter contrarium demonſtratur.

1. Pet. 2.

eſt Chriſtus, ſicut Iudas apoſtolus ait: ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimę veſtræ fidei, ſuperædificari inquam, oportet nos lapides viuos: viui autem lapides ſuperædificari non poſſumus ſine dilectione, quia qui non diligit, ait beatus Ioannes, manet in morte. Igitur ex ſola fide ſine dilectione non poteſt effici ſuperædificatio ſalutaris, ac proinde ex fide ſola abſque operibus non poteſt homo iuſtificari, ſed ex fide, quæ per dilectionem exercetur. Alius locus, quem citant, eſt cap. 10. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. hoc quoque de ſola fide interpretantur, quaſi diceret, qui credunt tantùm, quod nunquam dixit, neque dicere potuit: qui enim credunt tantum, hi Chriſtum non diligunt. nam ſi diligunt, iam nō credunt tantùm: qui autem non diligunt, manent in morte, ait Ioannes. Igitur non poteſt ex fide viuere, niſi qui credit cum dilectione, quod eſt perfectè credere, ſicut accipi voluit beatus Petrus, cum dixit, remiſſionem accipere omnes, qui credunt, ſcilicet perfectè. Quis enim tam expers communis ſenſus eſt, qui exiſtimet, cum ſcriptura fidem commendat, fidem imperfectam & mortuam, ac non potius perfectam, & viuam commendare? dilectio verò eo, quæ fidem perficit, ſicut anima corpus. Quod apertè alio etiam loco dixit Apoſtolus, cum ait: Finis præcepti, ſiue perfectio (vtrumque enim ſignificat τέλος) eſt charitas. Quid eſt, ait Auguſtinus in præfatione pſalm. 31. finis præcepti? quo perficiuntur præcepta: ſicut dicimus, finita eſt tunica, quæ texebatur, finitur, vt perfecta ſit. Si igitur præceptum eſt, credere, & perfectio præcepti eſt charitas, ergo perfectio fidei eſt charitas. Citant poſtremò locum epiſtolæ Petri 1. cap. 1. In virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem. Sed hunc quoque locum de fide viua accipiendum eſſe, ex eodem loco facilè demonſtrabimus, ſi paulò ſuperiora repetamus. dixerat enim. Benedictus Deus, & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuā, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis. cū dixit, ſpem viuam, profecto ſi-

Iud. 1. *Ioan. 3.* *Act. 10.* *1. Tim. 1.* *1. Pet. 1.*

Quod beatus Petrus fidem mortuam in homine poſuerit, quā poſuit quo-

que B. Iacobus, quam in ſolis dæmonib. falſò ponũt Luther.

mul docuit, eſſe ſpem aliquam mortuam: etenim ſi eſt vnum contrariorum & reliquum neceſſe eſt eſſe, contraria enim ſunt ſimul natura. Quod ſi eſt ſpes viua, & ſpes mortua, fidem quoque viuam neceſſe eſt eſſe, & fidem mortuam. Siquidem neceſſariò ſpem antecedit fides: ſpem viuam fides viua: ſpem mortuã fides mortua. Sed doceamus, quæ ſit ſpes viua, quod quidem ex Paulo intelligi poteſt, cum ait in epiſtola ad Rom. Si mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis, fratres, quod quicunque baptizati ſumus in Chriſto in mortem ipſius baptizati ſumus? cõſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmũ in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, quod quidem tunc fit, vt ait ſanctus Maximus in reſponſis ad Thalaſſium, cum mortificamus voluntatẽ peccato, ſimul & reſurrectionis erimus, quid tunc fit, ut idem ait, cũ iuſtitiæ ſuſcitamus voluntatem. Si igitur regenerati ſumus ad diuinam & æternã vitam habẽdam, vt hic in nouitate vitæ ambulare debeamus, mortificati peccatis, & ſuſcitati iuſtitiæ, conſequens eſt, vt qui ſic ambulando, vitam illam diuinam & æternam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ſperet, is quidem ſpem viuam habeat, quæ illũ non confundet: contra verò, qui nõ ſic ambulat in nouitate vitæ mortuus peccato, ſpem mortuã. Ergo fides, quæ cum ſpe iſta viua copulata eſt, neceſſe eſt, vt in nouitate etiam vitæ ſimiliter verſetur, & exerceatur. Vitæ verò nouitas cũ ſuccedat vetuſtati ac morti, & qui non diligit, maneat in morte, rurſus conſequẽs eſt, vt neceſſaria ſit dilectio, ad nouitatem vitæ ac proinde neceſſaria itẽ ſit dilectio, vt ſit fides viua. Vnde idẽ apoſt. ſimili gratiarum actione epiſt. ad Epheſ. exordiens. Benedictus, inquit, Deus &c. & paulò pòſt: ſicut elegit nos, inquit, ante conſtitutionem mundi, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate: non dixit, in conſpectu eius in fide, ne vos de ſola fide, vt alios ſimiles locos accipere ſoletis, hunc quoque locũ acciperetis: ſed dixit, in charitate, quod charitas ſine fide eſſe nõ poſſit, vt quidem poteſt fides eſſe ſine charitate,

Rom. 6.

Euidens demõſtratio ex ſcriptura, quòd fides poſſit eſſe in homine mortua, & neceſſariò ſit viua per dilectionem. Eph. 1.

cuiuſmodi eſt fides illa, quæ cum hypocriſi eſt, quæ ſi in nullo homine eſſe poteſt , vt vos falsò tradere ſoletis,quomodo dicit Apoſto. charitas de corde puro,cōſciẽtia bona,fide nō ficta. Erga ſine charitate vt nō eſt cor purū neque cōſcientia bona,ita neq; fides eſt non ficta:erit igitur ſine charitate vt cor impurū, & cōſciētia mala,ita & fides ficta.i.cū hypocriſi,cū alioqui verā fides ſit.ſed ſatis hactenus reſpōſum ſit ad ea,quæ Centuriatores in epiſtolis Clementis contra doctrinā beati Petri de iuſtificatione ex fide & operibus obiecerūt: ſatiſque demonſtratum,eandem doctrinam in ſcripturis à ſanctis Apoſtolis & Prophetis traditam eſſe. Ac potuiſſem quidem copioſiùs adhuc & prolixiùs idem demonſtrare,ſi tempus,aut locus eſſet:aliud.n. eſt ſuſceptum argumentum proprio opere tractare:aliud reſpōdere,defendēdo quod accuſatur : defenſioni nanq; modum imponit ratio eorū,quæ accuſantur.Sed pergamus ad ea , quæ ſequuntur in accuſatione Magdeburgenſium in capite de doctrina.

1.Tim.1.

Quod ſecundū Apoſt. fides poſſit eſſe ſine charitate.

Defenſio doctrinæ de exauditione orationis per fidem cum bonis operibus,quam Magdebur.in epiſtola Clementis & Alexandri accuſant,& demonſtratio ex ſcripturis , non exaudiri eum, qui cum ſola fide orat , & quomodo latro in cruce non ex fide tātum orauerit,& exauditus fuerit.

Caput 10.

QVinto (inquiunt) exauditio orationis non „ in fide & nomine Ieſu,ſed in bonis moribus & operibus.Clemens 1. & in oblationibus & dignitate ſacerdotum,Alexander „ 2.collocatur &c.] Si ita docuiſſet Clemens, vt iſti impiè , & impudenter finxerunt, non eſſe orandum in fide,& nomine Ieſu, aut nō exaudiri orationes in fide, & nomine Ieſu adhibitas, meritò accuſaſſent.ſed an ſic docuerit,iudicent ipſi Magdeburgenſes, aut eorum diſcipuli & auditores. recitemus ergo verba epiſtolæ Clementis,quæ iſti more ſuo corruperunt, addentes quæ nullus niſi eorum ſimilis ſomniaret.Sic ergo ait Clemens. Ita Deo precem fundere cōuenit nauigantes,vt mereamur audiri : audiri autem à

Deprehenſio Magd in manifeſta calūnia.

Deo ita demum meretur quis, ſi orationes ipſæ bonis moribus & bonis operibus adiuuẽtur. An qui hæc dicit, negat exaudiri orationem in fide, & nomine Ieſu? aut qui in fide, & nomine Ieſu exauditur, poteſtne bonis operibus carere? Sed videor hic mihi audire Magdeburgenſes reſpondentes, poſſe carere: idque fortaſſe exemplo latronis in cruce probari dicent, quaſi ille in fide ſola, & nomine Ieſu exauditus fuerit. Sed priuſquã id falſum eſſe demonſtremus, doceamus ex ſcripturis, orationem, vt ad ſalutem animæ exaudiatur, oportere perfici opere charitatis, quæ eſt forma omnium virtututum. Multum enim, inquit beatus Iacobus valet oratio iuſti, ἐνεργουμένη, id eſt, oratio, quæ operibus exercetur. Sed quia Lutherani hanc epiſtolam negare audẽt, probemus quod beatus Iacobus dicit, auctoritate Eſaiæ, cum enim populo Iudæorum propheticis prædictionibus futurorum malorum commoto & perterrito, religioſiores quidam alioqui legem Moyſis negligentes, & ſuorum criminum obliti, ieiuniis tamen & orationibus Deum placare ſtuderẽt, quaſi ſola ieiunia & precationes ſatis eſſent ad ſanctitatem & iuſtitiã eorum vt exaudirentur: iuſſit Deus Prophetę, vt admoneret eos, idcirco non exaudiri, quia nõ eſſent iuſti, id eſt, quia orationes ſuas cum vitæ & morum ſanctitate nõ coniungerent. Me enim (inquit) de die in diem quærunt, & vias meas ſcire volunt, quaſi populus qui iuſtitiam fecerit. Quærunt, inquit, me quotidie, ſcilicet per orationem, quaſi populus iuſtitiam faciens, cum tamẽ non faciant iuſtitiam: ergo ad bene orandum, & vt exaudiatur, qui orat, neceſſe eſt opera iuſtitiæ facere. rogant me, inquit, iudicia iuſtitiæ, & appropinquare Deo volunt. Ecce orationem, quæ non merebatur exaudiri, quia non erat ἐνεργουμένη, vt dixit beatus Iacobus, id eſt, quia erat ſine operibus bonis. Et paulò poſt idem Eſaias: Frange (inquit) eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Et ſubiungit tunc erumpet quaſi manè lumen tuum: tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adſum. Acuſate ergo, Magdeburgenſes, eadem licẽtia, &

Iac.5.

Eſ.58.

Quod doctrina de exauditione orationis nõ per fidem ſolam, aut tãtùm in nomine Ieſu, ſed per fidem cũ bonis operibus, quæ à Magd. in epiſt. Clem. & Alexan. accuſatur, in ſcripturis ſanctis tradita ſit.

Matth.7.

impia temeritate Eſaiam, qui ſine bonis operibus negat exaudiẽdos eſſe Iudæos illos in fide ſola: nec enim ſine vlla fide orabant quis hoc dicat, niſi ſenſu cõmuni careat? quomodo enim appropinquare Deo volebant, ſi nullam Dei fidem habebant? credebant igitur, ſed non cum dilectione. Rurſus ſi in fide ſola ſine bonis operibus ſatis eſt orare, quomodo legitis Euangelium, cum ait Dominus, Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei? an diceris fortaſſe, qui dicit, Domine, Domine, orare ſine fide? quis rurſus hoc dicat, niſi amens aliquis? ergo oratio in ſola fide non exauditur ad ſalutẽ animæ. Præterea quis dubitet, quin ſicut dixit Euangelium. Non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorũ, ita dicere potuerit, nõ omnis, qui dicit, Domine Ieſu, Domine Ieſu, intrabit in regnum cælorum. Quod ſi ita eſt, quod nõ omnis qui dicit, Domine, Domine, ſiue Domine Ieſu, Domine Ieſu, intraturus ſit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris, qui in cœlis eſt, quæro à vobis, Magd. quid differt, qui ſic dicit, Domine, Domine, Domine, ſiue Domine Ieſu, Domine Ieſu, quod ſine fide quidẽ aliqua dicere nõ poteſt, qui tamẽ nõ intrabit in regnũ cœlorũ ſecundum ſentẽtiam Domini, quid inquã differt ab eo, qui dicit, Domine Ieſu in ſpiritu ſancto, ſicut Apoſtolus ait: Vterque. n. horum fidẽ habet, & in fide orat, & alter exauditur, & intrabit in regnum cœlorũ, aliter nõ exauditur, nec intrabit: nẽpe differt, quod illius fides ſola eſt: Sic enim Leontius Aetolius in commentariis Matth. cap. 7. interpretatus eſt, illos in die iudicij dicturos eſſe, Domine, Domine, & quæ dicuntur, qui fidem (inquit) ſine operibus habuerũt. idem dixit Theophylactus Leontium ſecutus: huius verò, qui orat dicẽs in ſpiritu ſancto, Domine Ieſu, fides eſt non ſola, ſed cum operibus: non enim credit tantùm, ſed credit, & diligit, quod eſt facere voluntatẽ Dei, qui non dixit, plenitudo legis, fides eſt, ne vos de ſola fide acciperitis, ſed dilectio eſt, quæ eſt forma fidei & ſpei, imò omnium virtutum. Sic autem accipiẽdum eſſe illud Apoſtoli, id eſt, dicere, Domine Ieſu

1. Cor. 12.

Quis ſit, qui orat dicens domine, domine, qui non intrabit in regnum cælorũ & quis, qui orat dicens in ſpiritu S. dominus Ieſus.

Rom. 13.

1. Cor. 12.

in ſpiritu ſancto, non de dicente ſola fide. ſed de dicēte fide, & operibus, intelligi poteſt ex ſancti Diadochi epiſcopi Photices in Epiro. cap. 59. de perfectione ſpirituali: oportet, inquit, dare animæ tuæ illud, domine Ieſu εἰς ὁλόκληρον πραγματείαν τοῦ σκοποῦ. id eſt. ad integram & ſolidam tractationem propoſiti vel finis. quæ perinde ſunt, quaſi diceret, ſic oportet dicere apud te, domine Ieſu, vt hoc ſit tibi omnino propoſitum, quomodo ſecundum dominum Ieſum viuas. Is itaque dicit propriè ac perfectè, dominus Ieſus, non qui hoc dicit ore, id eſt, qui in eum credit tantùm, nondum tamē facit voluntatem eius, vt illi. de quibus aiebat Dominus Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me, non enim loquebatur de non habentibus fidem, ſed de habentibus fidem tantùm. hic ergo dicit plenè, domine Ieſu, qui per fidem & obediētiam Domini operatur ſalutem ſuam, hic enim facit voluntatem patris, qui in cœlis eſt, quod non poteſt fieri niſi in ſpiritu ſancto, ſicut apoſtolus ait, & hic orat in ſpiritu ſancto, ſicut Iudas Apoſtolus in epiſtola ſua præcipit. Obſeruauit quoque hoc genus dicendi πρακτικῶς καὶ κατὰ διάθεσιν quod eſt dicere, re & veritate, beatus Hieronymus in comment. Eſa. cap. 66. inquiēs, dicere non ſermone, quæ res facilis eſt, ſed affectu, & opere comprobatur: idem poſt eum obſeruauit Iunilius auctor valde eruditus, & in litteris ſanctis bene exercitatus. Ille. n. inquit, propriè dicit, qui voluntatem & mentem ſono vocis enunciat. Sic quoque accipiendū eſt illud apud Malach. Et dixiſtis, vanus eſt, qui ſeruit Deo: id eſt, ita affecti fuiſtis, & ita vixiſtis, vt ſi vanum eſſet ſeruire Deo: & Dauid. Dixit inſipiēs in corde ſuo, non eſt Deus: id eſt, ſic animatus fuit erga Deum, & ſic vixit, vt ſi non eſſet Deus. Vtrumque notauit Theodorus Antiochenus. Occaſione oblata, nō grauatè ad vtilitatem legentium obſeruationes ſcripturarum adhibeo. Satis iam oſtenſum eſt, in fide ſola, & in nomine Ieſu, ſine operibus non exaudiri orationem: neque plenè, & in corde ſuo dicere, dominus Ieſus, eum qui credit tantùm, id eſt, cuius fides non exercetur in opere dilectionis. Latronem verò in cruce ſi exiſtimetis ex-

Eſ. 29. Marc. 7. *Iud. 1.* *Hieron.* *Malach. 3.* *Pſal. 52.* *Theodoretus Antiochenus.* *Latro in cruce orans non in ſola fide orauit, nec in ſola fide exauditus eſt.*

auditum eſſe in ſola fide, & ſolo nomine Ieſu. quæſo vos Magdeburgenſes, an credidit latro de Chriſto, quod Deus eſſet, & quod remunerator eſſet? certè credidit, alioqui non dixiſſet, domine, meměto mei, cum veneris in regnum tuum. Deinde, nónne hanc fidem exercuit increpando alterius latronis impietatem, & confitendo peccata ſua digna morte, & innocentiam Chriſti, cum dixit, neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iuſtè, nam digna factis recepimus: hic verò nihil mali geſſit. Quemadmodũ ergo audebitis dicere, in fide & nomine Ieſu ſine vllis prorſus operibus exauditum eſſe? an non eſt ex operibus fides eius in euangelio oſtenſa? Præterea, non putatis eum, qui perfectè credidit, quod Chriſtus eſſet Deus, & remunerator, ſe Chriſto ex tota anima, & ex toto corde obtuliſſe? iſta verò oblatio, an nõ fuit opus excellens ex fide? quomodo igitur ſine vllis operibus per ſolam fidem exauditus eſt?

Reſponſio ad ea, quæ Magd. obiiciunt contra doctrinam Alexandri epiſt. 2 de exauditione orationis per oblationes, & dignitatem ſacerdotis, & demonſtratio euidens, quod hæc doctrina ſecundum ſcripturas ſit: contra verò quod tradunt Magd. exaudiri orationem in ſola fide, cõtra ſcripturam eſſe. *Caput* II.

OBiiciunt deinde cõtra doctrinã harũ epiſtolarum quod exauditio orationis in oblationibus, & dignitate ſacerdotũ in epiſt. Alex. 2. collocatur.] Sed recitemus quæ Alex ſcripſit. Ipſi enim inquit, pro populo interpellãt, & populi peccata comedunt, quia precibus ſuis & oblationibus ea delent, atque conſumunt, qui quanto digniores fuerint, tanto faciliùs pro neceſſitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. Multum enim vt ait Iacobus apoſtolus, valet deprecatio iuſti aſſidua, &c. Si hæc quæ Alexan. Pont. ſcripſit, ſecundum ſcripturas ſcripta eſſe demonſtrauero, conſequens erit, vt qui hunc locum epiſt. Alex. accuſant, non

Quod doctrina Alex. Pont. à Magd. reprehĕſa de exauditione orationis per oblationes, de dignitate ſacerdotum ſecūdum ſcripturas tradita ſit.

Athanaſius.

Leu. 10.

iam epiſtolam hanc, ſed ſcripturam ſanctam accuſent, quam ad libidinem & arbitrium corrumpunt, anteponentes doctrinæ, & verbis ſpiritus ſuū proprium ſenſum, & affectum, ſicut de ſimilibus ſcripſit Magnus Athanaſius in theſauro de Trinitate ad Nemeſinū, quos idem Athanaſius ait, nō dicere dominum Ieſum in ſpiritu ſancto, ſed dicere in Belzebuch anathema Ieſu. Videamus ergo, an vos Magdeburgenſes tales ſitis, quales illi, quos ſanctus Athanaſius notauit, qui veſtrū ſenſum, & affectum ſcripturis, & verbis ſpiritus ſancti anteponatis. Dixit Moyſes in Leuiti. expoſtulans iratè cū Eleazar & Ithamar ſacerdotibus, cur non comediſtis hoſtiā pro peccato in loco ſancto quę ſancta ſanctorū eſt, & data eſt vobis, vt auferatis peccata multitudinis (ſic enim eſt apud 70.) & rogetis pro ea? an non collocatur hic ex parte priuatæ ipſorū deuotionis, ac dignitatis exauditio orationis in ſanctis precibus & piis oblationibus ſacerdotum hoc eſt, in ſpiritu ex fide factis? Moyſem ergo, imò Deum & ſcripturas eius reprehendunt, qui hanc doctrinā epiſtolæ Alexandri reprehendunt. Deinde intuens in hunc locū Leuitici Oſeas propheta, & loquens de ſacerdotibus, qui nō erant, quales eſſe debebant ad propitiandū Deum pro populi peccatis, ad hoc enim inſtituti erant: Peccata, inquit, populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas ſuas, ſiue, vt eſt apud 70. in eandē ſententiam, in iniquitatibus eorum accipient animas ſuas, & erit ſicut populus, ſic & ſacerdos: & vlciſcar ſuper eum vias eius, quem locum his verbis interpretatur beatus Cyrillus in commen. huius prophetæ: deſcribā hic totam interpretationē ex Gręco tranſlatam. Facit, inquit, ad hoc intelligendum illud de hirco pro peccato ſcriptū, quando iratus eſt Moyſes cōtra Ithamar & Eleazar, dicens. Cur non comediſtis hoſtiā pro peccato in loco ſancto, (fuerat autē cōbuſtus hircus) quia ſancta ſanctorum eſt? hoc dedit vobis comedere, vt auferatis peccata multitudinis, & propitietis pro eis coram Domino. deinde ſubiungit Cyrillus: Erant ergo medij inter Deū & populū comedentes pro peccatis, & precibus irā Dei placantes, & velut proprias animas offerē-

Oſe. 4.

Cyrillus.

tes in odorẽ ſuauitatis pro peccatis. hoc enim, inquit, ſignificat aliquando in ſcriptura, accipere, quod enim erat paratum ad ſacrificandũ, & offerebatur, dicebatur accipi, vt in libro Num. cum de vacca ruffa præcipit Dominus, Præcipe, inquit, filiis Iſrael, vt accipiant ad te vaccam ruffam, pro eo, quod eſt, offerant, ſiue adducãt, vt beatus Hieronym. interpretatus eſt, & de leproſo mundando, Præcipiet, inquit, ſacerdos, & accipient mundationi duas aues. Sic igitur hoc loco: Cum erũt, inquit, peccata populi, accipient ſacerdotes animas ſuas, id eſt, offerent eas in ſacrificium ſpirituale, ſcilicet viuentes rectè, vt ſacerdotes decet. Verùm, qui ad hoc, inquit, erant aſſumpti, vna cum aliis peccabãt, idcirco minatur illis Deus captiuitatem, ac ſeruitutem, ablaturumque ſe eorum gloriam, ita vt nihil interſit inter ſacerdotes, & populum. Hactenus Cyrillus. An non collocatur hic quoque ab Oſea propheta exauditio orationis ſacerdotum pro peccatis populi, quod ad ipſos pertinebat, in deuotis precibus, & piis oblationibus eorum, cum ait, peccata populi mei comedent? & in iniquitatibus eorum accipiẽt animas ſuas? id eſt, auferent peccata populi, ſicut dixit Moyſes in Leuitico, ſacrificantes, ſcilicet dignè pro eis: (dixit autem comedent, quia qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt) & offerentes animas ſuas in ſacrificiũ ſpirituale, ſcilicet viuentes rectè, vt beatus Cyrillus, ſicut dixi, interpretatus eſt. Quorſum verò minaretur Deus per Prophetã ſacerdotibus, qui turpiter viuebant, quos alioqui neceſſe erat pro populi delictis offerre, ſi ad facilius exaudiendas orationes eorum non erat eorum ſanctitas, ac probitas neceſſaria? ſi inquam (vt iſtorum verbis vtar) exauditio orationis in eorum oblationibus ſanctis ſcilicet, & exaudiri dignis nullo modo collocabatur? Põt ergo Alex. quod eſſet officium ſacerdotũ, & quales eſſe deberẽt, vt magis exaudirẽtur, optimè, ac propriis verbis Oſeæ prophetæ docuit, neq; tamen potuit calũniã Magdeburgẽſium effugere. Deniq;, quã verũ ſit, quod ſanctus Pont. Alex. ſecundũ ſcripturas in epiſt. ſua, quã vos Mag. accuſatis, & tãquã falſam reiicitis, ſcripſit, quanto digniores fuerint ſacerdotes, tanto

Num. 19.

Leui. 14.

1. Cor. 9.

faciliùs pro neceſſitatibus, pro quibus clamant, exaudiri: & quod facilior exauditio orationis ex maiore dignitate orantis ſacerdotis pendeat, quæ eſt alioqui Dei donum, multis exemplis ſcripturæ ſanctæ demõſtrari poteſt, quæ ſtatim commemorabimus. Cõſiſtit autem hæc maior eorum dignitas, in orando ſpiritu, & veritate, quod eſt ex gratia Dei. De hac enim maiore dignitate intellexit Alexãder, quod dixit, ſacerdotes quãto digniores fuerint, tanto faciliùs exaudiri. Quod vt ſuo more Magdeburgenſes malè interpretarentur, ad oblationem nudam, & ad dignitatem ſolam exteriorẽ ſacerdotum totam exauditionẽ retulerunt, id eſt, quatenus ſunt ſacerdotes tantùm, quod bonorum & malorum commune eſſe poteſt: qui quatenus ſacerdotes ſunt, non eſt alius alio dignior, quare nõ de hac dignitate loquitur Alexãder, qui ait, quanto digniores ſunt, tanto faciliùs exaudiuntur. & ſi enim orationes ipſas ſacerdotum, vt ſunt miniſtri Chriſti ad offerendum in eccleſia poſiti, chariſma miniſterij ſacerdotalis quantũ decet, commedent, ſitque ſacrificium eorum, quod ab eis offertur, ſemper nomine eccleſiæ Deo acceptum, tamen quod ad eos ex gratia Dei pertinet, faciliùs exaudiuntur, cùm ad ſacerdotalem dignitatem ex ordinatione, dignitas interior ex ſpirituali meritò accedit, cui ante cæteros tum propter ſe, tum propter populũ ſtudere debent. In eiuſmodi ergo oblationibus in ſpiritu & dignitate interiori ſacerdotũ inuocantiũ in veritate Dominũ conſiſtit facilior iſta, de qua Alexã. Põt. loquebatur, exauditio orationis, quales oblationes fuerunt, quæ Deo ſecundum ſcripturam placuerunt, quas Clemẽs lib. 7. commemorat, ſic enim ait, Suſcipe preces populi tui te in veritate inuocantium, ſicut ſuſcepiſti dona iuſtorum in generationibus eorum, Abelis primum, Noe poſt egreſſum ex arca, Abraham poſt exitum ex Chaldæa, Iſaac ad puteum iuramenti, Iacob in Bethel, Moyſis in Eremo, Aaronis in medio viuentium, & mortuorum, Ieſu Naue in Galgalis, Gedeonis in Petra, & quæ ſequuntur, ne omnes illas oblationes enumerem. Quod ſi ij, qui in ſola fide Deum inuocant, omnes exaudiuntur, vt Magdeburgenſes contra

In quo conſiſtat dignitas ſacerdotis, ex qua pendet exauditio orationis in epiſt. Alex. quod Magd. malè intellexerunt.

Dignitatẽ orãdi in ſpiritu & veritate, ad dignitatem ſacerdotis externam referri ab Alexan. per calumniam finxerunt Magd.

contra ſcripturæ ſanctæ auctoritatem tradunt, cur dixit Dauid. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritatem? aut ſi is qui in ſola fide inuocat, in veritate inuocat: cur Apoſtolus non ſatis habuit dicere, vt accederemus in fide ad deprecandum ſacerdotē magnum ſuper domum Dei, qui eſt Chriſtus? quod quidem ſi dixiſſet, facilè erat iſtis de ſola fide more ſuo interpretari: ſed dixit, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, vt intelligeremus, non continuò vbi fides eſt, eſſe plenitudinem fidei cum verò corde, quæ eſſe non poteſt ſine charitate: quæ fidei ſuperædificata eãdem fidem format, & implet, & ſine qua fides nõ eſt plena, & perfecta. Rurſus ſi in ſola fide exauditio orationis collocanda eſt, & non in dignitate etiam orantis, cur dixit Dominus per Ezechielem, Tres viri iſti, ſcilicet Noe, Daniel & Iob ſi fuerint in ea ciuitate, neque filios, neque filias ſuas liberabunt, ſed ipſi ſoli liberabuntur? cur iſtos tres potius nominauit? quænam alia maior dignitas, quam fides ſola in iſtis erat? aut ſi ſola fides ſufficiebat, cur fides aliorum non ſatis fuit, vt exaudirentur in liberatione ſua? nec enim, ſi non habuiſſent fidem, filios, aut filias Danielis vocaſſet, qui filios ſecundum carnem nullos habuit, ſed ſecundũ ſpiritum, quos prophetia eius genuit. Sed perſequamur iam ea, quæ deinceps ab iſtis notata ſunt, & reprehēſa.

Contra ſcripturas tradũt Magdeb. exaudiri eos, qui in ſola fide deum inuocant.

Heb. 10.

Ez. 14.

Defenſio doctrinæ beati Petri in epiſtola Clementis de orando pro mortuis, & de exequiis mortuorum, quam Magdeburgenſes accuſant contra ſcripturam epiſtolæ prioris eiuſdem Petri, collatis teſtimoniis Zachariæ, & Eſaiæ ad interpretationem eius. *Caput* 12.

ET quidem (inquiunt) pro mortuis orare, eleemoſynáſque dare, & exequias peragere, Petrus iuſſiſſe dicitur I. Clemētis. Sed hæc à ſana doctrina de oratione diſſonare, & à Petro nuſquã tradita eſſe quis eſt, qui ignoret? cum nihil horum in Petri litteris, nec alibi vſquam in ſcriptura præcipiatur, &c.] Priuſquam ad hoc reſpondeã, quia

Quædam nobiſcum tenēt Lut. in quibus cultū adhibent ſine ſcriptura, quæ ipſos redarguūt de contemptu traditionum.

nihil niſi ſcriptum ſit, recipitis, & quæ ſcripta ſunt, veſtro ſenſu, & auctoritate, ſpretis ſanctorum patrum interpretationibus interpretamini: venit mihi in mentē, vt quærā à vobis hoc loco, quod vos ipſi cruce ſignatis, iidémque veſtros pueros docetis, vt frontes ſuas ſimiliter ſignent, vbi in ſcripturis legiſtis? aut ſi nuſquā legiſtis, cur contra ſcripturā facitis, qua vos probibitū dicitis, ne vllus cultus ſine auctoritate ſcripturę ſanctę Deo adhibeatur? Rurſus quod ad appellationem nominis Ieſu, ſublatis pileis, caput detegitis, ex qua ſcriptura didiciſtis? aut cur ſonū vocis huius ſacræ, quem ſenſu auriū percipiits, honorandū eſſe putatis, & quidē apertione capitis. de qua tamen nihil eſt in ſcripturis, niſi cum vir orat in eccleſia, Ieſum verò crucifixum, quem in imagine ſua oculorum ſenſu percipitis, non putatis: an qui imaginem crucifixi videt, nō videt crucifixum in imagine? nō dico propriè re ipſa, & veritate, ſed χσίσι, id eſt, habitudine, ſeu repreſentatione: alioqui quomodo dixit, Apoſtolus Galatis, Ante quorum oculos Chriſtus proſcriptus, ſiue vt vis verbi græci eſt, depictus eſt? hoc enim ſignificat verbum Græcum

Gal. 3.

προγράφειν depingere antè. Cur igitur naturæ, & ſcripturæ repugnatis? Sed de hoc aliàs. Si ergo vos iſta facitis, quæ & nos ſanctè, ac religioſè facimus, ſi inquā, nobiſcum ſine vlla ſcriptura ſignatis frontes ſigno crucis, & audito nomine Ieſu, & cum recitatur euangeliū caput etiā detegitis, quæ nos per ſucceſſionem eccleſiaſticæ traditionis iā inde à principio apoſtolicæ prædicationis vſque ad nos profectæ ſine ſcripto accepimus cur tanta importunitate, & intemperie ſcripturā de omnibus, quæ in eccleſiis Catholicorū, vbique fiūt, & ſemper facta ſunt, exigitis? Eſto, nihil de orando pro mortuis ſcriptum eſſet, an non æquum erat, audire nos, cum vobis contentioſis reſpondemus, ſicuti Paulus reſpondere docuit, ſi contendere vultis, & ſcriptum exigere, nos talem conſuetudinē non orandi pro mortuis, non habemus, nec eccleſia Dei. Sed grauius adhuc eſt, quod quæcunque nō ſunt ita apertè ſcripta, vt quiuis de vulgo idiota ſine vllo etiam ſtudio, aut ingenio intelligere poſſit, ſcripta negatis, & vel paſſioni Chri-

Quod repugnātia ſit abſurda, appellationem nominis Ieſu honorare, audiendo, & non imaginem crucifixi, videndo cū is qui imaginem videt, & ſi non re ipſa habitudine tamen ſeu repreſentatione pro otypum videat.

1. Cor. 11.

ſti, vel euangelicæ libertati derogare fingitis. Aggrediamur ergo prius, quæ hic ab hæreticis obiiciuntur, refellere non quidem omnia, ſed quibus ſe illi magis iactant, & nos premi putãt, vt poſtea ex ſcripturis ſanctis rationem pro mortuis orandi facilius demonſtremus. obiicit ex Apocalypſi beati Ioannis Caluinus, cũ quo eſt hic Lutheranorum communis error, illud, Apoc. 14. Scribe beati mortui, qui in domino moriuntur, quia amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, id eſt, ex ipſo nunc, inquit Caluinus, requieſcant, quare nõ eſt purgatorium nec opus eſt precibus, cum iam nunc fruantur poſt mortem ipſa beata vita. Malè verò Caluinus legit, & peius interpretatus eſt, non intelligens quid ſignificaret illud aduerbium temporale ἀπάρτι, quod interpres vertit amodo, differt enim ἀυτίκα, ſiue παραυτίκα, id eſt ſtatim, quod coniungit futurum tempus cum hoc nunc: ἄρτι verò, ſiue ἀπάρτι, id eſt, modo, coniungit præteritum tempus cũ hoc nunc, notauit hanc ſignificationẽ, & differentiam Photius in ſuo lexico manu ſcripto. Exempla verò plurima ſunt in ſcriptura ipſa: A diebus, inquit, Ioannis Baptiſtæ vſq; nunc ἕως ἄρτι: & pater meus, vſque modo operatur, itẽ ἕως ἄρτι. Denique vbicunq; interpres vertit, vſque nunc, aut vſque modo, ibi eſt hoc aduerbium tẽporale, quod, vt dixi, cũ tempus præteritũ cum præſenti nunc coniungat, non poteſt accipi pro eo quod eſt, ſtatim, quod ad proximũ tempus futurũ cum hoc nunc coniunctum pertinet: quare non poteſt intelligi, vt Caluinus interpretatus eſt, vt amodo requieſcant, id eſt, ſtatim requieſcant, ſiue iam nunc, vt coniungat, hoc aduerbium futurum tempus, cum hoc nunc: hoc enim non ἄρτι, ſiue ἀπάρτι facit, ſed ἀυτίκα. Quare neceſſe eſt ſic legere: Beati mortui, qui in domino moriũtur amodo, id eſt, nunc, ſcilicet ex quo Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, & aſcendit in cœlũ, & nos conreſuſcitauit, & cõſedere fecit in cœleſtibus, beati qui ſanctè, & piè moriũtur: etiã dicit ſpiritus, id eſt, teſtimoniũ hoc ſpiritus Dei eſt. Declarat deinde ſpiritus, qui hoc beato Ioãni reuelauit, quorſum ſpectet nũc illa beata in Domino mors nẽpe vt piè mortui tãdem requieſcãt

Apoc. 14.

Locus Apocalypſis cõtra purgatorium obiectus propter ignorantiam vnius aduerbii.

Quid differant amodo, & ſtatim, ſecundum græcas voces ἀπάρτι, & ἀυτίκα.

à laboribus ſuis, & præmium eorum ferant, quiſque ſecundum opera ſua: idcirco enim ſubiungit, opera autem eorum ſequũtur eos, illa enim opera dicit, de quibus Paulus apoſtolus eodem ſpiritu ſcripſit: ſi cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Perinde itaque eſt, ac ſi diceret, opera autẽ eorum manentia, quæ ſuperædificauerunt adinſtar auri, & argenti, & lapidũ pretioſorũ, ſequuntur eos ad accipiẽdum, ſcilicet mercedem, ita vt ipſi ſalui fiant, tranſeundo quaſi per ignem ad repugnandas, & detergendas ſordiculas admiſtas. Etenim ſi idẽ ſpiritus eſt qui beato Ioanni hæc reuelauit, & qui illa, quę ſupra interpretati ſumus, in beato Paulo locutus eſt, conſequens neceſſario eſt, vt nulla ſit vtrobique diſcrepantia: eſſet autem diſcrepantia, imò repugnãtia, ſi ſpiritus, qui in D. Paulo loquebatur, diceret, mortuos in Domino (hi enim ſunt, qui ſuperædificauerunt aurũ, argentũ, lapides pretioſos) ſaluos fieri tranſeundo quaſi per ignem: ſpiritus verò, qui in Ioanne, diceret ſaluos fieri, & iam nunc frui vita beata, vt Caluinus vult. Alterum, quod hæretici obiiciũt eſt, Quomodo ſcriptura Pauli ſtabit, quæ ait, omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum, ſi eſt extra hanc vitam merendi ratio, & locus? aut quomodo non eſt, ſi mortui in Chriſto noſtris precibus iuuari poſſunt? hoc olim hæretici obiiciebãt: & hodie noui hæretici obiiciunt, qui veterem hæreſim iam olim damnatã renouaré voluerunt. Quod ergo illis veteribus pater Aug. reſpondit, iſtis nouis reſpõſum ſit. ſcilicet nõ tunc animas piè mortuorum hoc in purgatorio mereri, ſed dũ in hac vita piè vixerunt, & piè mortui ſunt, vt illic poſt mortem iuuari poſſent, meruiſſe. Legant noui hæretici in Aug. ipſo ſi fortè auctoritati tanti viri cedendũ putent, reſponſi huius ſententiam tom. 2. c. 110. item tom. 4. de cura pro mortuis. c. 1. & eodem tom. quæſtio 11. ad Dulci. rurſus tõ. 10. de verbis apoſtoli 34. Sed quia traditioni, quæ huius cõſuetudinis orandi pro mortuis cauſa eſt, & conſuetudini, quæ traditionem confirmat, & fidei, quæ conſuetudinem omniũ eccleſiarũ ſeruat,

Quid & quibus in locis Aug. pro purgatorio hæreticis reſpõderit.

ratio patrocinatur, vt Tertullianus de alia traditione in libro de corona militis ſcripſit, explicandũ eſt, nunc, quæ ſit ratio huius conſuetudinis à ſanctis apoſtolis traditæ orationibus piè mortuos adiuuãdi: vt iam hæc conſuetudo, ſcriptura, de qua paulò poſt diſſeram, & ratione ſimul conſiſtat. Explicemus ergo, quomodo, & qua ratione fiat, vt in hac vita mereamur, vt cum ab ea receſſerimus, orationibus viuẽtium adiuuemur: ſcilicet hic eſt modus & ratio promerendi in hac vita, vt poſt mortem orationibus adiuuemur, ſi dum hic viuimus, orationes eccleſiaſticas ſacerdotũ, & illas in primis, quarũ vtilitas, & fructus cæteras omnes vtilitates ſuperat, non ſolùm nõ repudiemus, & reſpuamus, ſed potius ſtudioſè, & piè, ac reuerenter & dignè ab eis petamus. Quomodo enim digni ſint, vt orationibus fidelium in altera vita adiuuentur, qui eccleſiaſticis, & ſacerdotalibus orationibus, quæ maximæ omnium vtilitatis cauſa ſunt, adiuuari noluerunt? is autem oratione ſacerdotis, aut aliorũ fideliũ illic adiuuari nõ vult, qui, dum hîc viuit, & à vita recedit, orationẽ ſacerdotis abſoluentem, vel omnino non petit: vel non petit dignè, & idoneè: ſacerdos enim à Chriſto cuius auctoritate pœnitentem abſoluit, gratiam remiſſionis petit, quam abſoluendo adminiſtrat pœnitẽti, & veniã orãti. idcirco abſolutio, quam facit, oratio quædã eſt δραστικὴ καὶ ἐνεργητικὴ id eſt, efficax & operatoria, quæ dici poteſt oratio λυτικὴ, id eſt ſoluens: aliorum enim fidelium oratio non λυτικὴ, ſed συλληπτικὴ, id eſt, non ſoluens, ſed adiuuans eſt. Contra verò qui cum pietate, & deſiderio gratiæ dei, & idonea diſpoſitione aut hoc petit: aut ſi petere nõ poteſt, ſic optat, ac deſiderat, vt voto petiſſe videatur, huic inquam, quia piè vixit, & piè mortuus eſt, orationes ſacerdotum, & aliorum fideliũ quibus ſe hic dignum præbuit, prodeſſe poterunt. non eſt hæc mea interpretatio, ſed magni Dionyſij, qui in eccl. Hier. c. de piè mortuis poſtquam ſententiam apoſtoli de futura vniuſcuiuſque remuneratione ſecundũ vitæ huius merita, confirmauit, & exemplo Hieremiæ, ac Samuelis, qui ſacerdotes fuerunt, docuit, nihil orationes pro alio adhibitas prodeſſe, ſi ille indignus ſit, qui

eis adiuuetur, explicans deinceps, quomodo tum in hac vita, tum in altera aliquis ad ſalutẽ precibus aliorũ fidelium adiuuari poſſet, ſi quis (inquit) ſacrorum donorum cupidus, & ad ea participãda ſanctè depoſitus, tanquã qui ſit paruitatis ſuæ, & memor & cõſcius, aliquẽ ex ſanctis viris adeat: ſacerdotes dicit, hoc enim ſignificat verbũ ὅπως ὁπαδικῶς περὶ τὰ θεῖα, ἑαυτὸν καθιερώσας θεῷ, id eſt, qui rebus diuinis operam dat, & ſe Deo cõſecrauit, ſic interpretatus eſt hoc verbũ eruditiſſimus auctor Photius Conſtantinopolitanus in eodẽ Lexico ſuo, quod Paulo ante dixi: ſequitur, & ab eo petat, vt ſit adiutor ſuus. & cõprecator: hoc facit ſacerdos, cum remittit peccata, ſimul.n. precatur cũ pœnitente, cum eũ abſoluit. reſpexit hic Dionyſius & ad epiſtolã beati Iacobi, cũ ait de oratione λυτικῇ, id eſt, ſoluente presbyterorum. & inducant presbyteros, & orent ſuper eũ, & paulò poſt ſubiungit. & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei: & ad locũ euangelij Matth. 18. cũ loquẽs de abſoluendo, & ligãdo, ſubiungit, ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram. de omni re, id eſt, de omni peccato in quacunque re, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt. Sic S. Pacianus antiquiſſimus auctor, & grauiſſimus in parænesi ad pœnitentiã hunc locũ euangelij intellexit de duobus ſcilicet confitente, & ſacerdote confeſſionẽ audiente. Sequitur deinceps, inde certè iſte vtilitatem, quæ omnes vtilitates ſuperat, reportabit. Quis non videt non conuenire hæc in preces, ſiue orationes aliorum fidelium præterquàm ſacerdotũ? ſiquidẽ maxima omnium vtilitatum, quæ ab vllo ex fidelibus peti poteſt, & ab eo per orationẽ præſtari, eſt ſalus animæ per remiſſionem peccatorum, quam ſacerdos per poteſtatem, quã à Deo accepit, ab eo impetrat: & adminiſtrat pœnitenti: quod idem Dionyſius declarat ſtatim enim ſubiungit, quam vtilitatem maximam dicat. cõſequetur enim inquit, diuina dona. ſcilicet remiſſionem peccatorum. iuſtitiam, & ſalutem animæ. ſed quæ cauſa & ratio conſequendi hæc dona comprecante ſacerdote? diuina (inquit) bonitas, quæ hunc ſupplicem recipit: & ipſius, qui recipitur, pietas in Deum, & reuerentia erga diuina dona, ac deſiderium laudabile petitionum quas

petiuit, & idonea ſanctáq; diſpoſitio. Docuit hoc loco Dionyſius, quæ ſint, quæ afferre debet, qui à ſacerdote petit, vt petat ei à domino, & adminiſtret dona iſta, quæ diximus quæ afferre, inquam debet, ne obſtet petitioni ſacerdotali, qua petit, quod à theologis ſcholaſticis dici ſolet, obiicem ponere. Deinde: ne quis iam dubitet, de hoc genere orationis, quod iudicio ſacerdotali ad tribunal conſcientiæ adhibetur, Dionyſium loqui, ſubiungit, eſt enim hoc diuinis ſancitum iudiciis, vt diuina dona ordine, & vt Deum decet, participent, qui digni ſunt, vt participẽt: & illa tribuant, qui digni item ſunt, vt tribuant, & impertiant. tribuere autem, ſiue impartire diuina ſacerdotibus miniſtris Chriſti conuenit propter chariſma, quod in eccleſia acceperunt. Rurſus poſtquam Dionyſius docuit, qui ſint, qui poſt mortem precibus viuentium iuuari poſſint, declarat, qui non poſſint, quod quia ex antecedentibus planè ſequitur, ſubiungit: Hunc igitur ordinem ſanctũ qui contemnat, & miſera inflatus elatione ſufficere ſe ad conciliandum ſibi Deum exiſtimet, & ὁσίους, id eſt, ſacerdotes deſpiciat, imò ſi quæ Deo indigna ſunt, & non potius quæ digna, petat, ac vehemens & ſibi conueniẽs deſiderium donorum Dei non habeat, ipſe per ſe imprudenti petitione fruſtrabitur. Hactenus Dionyſius. Hunc locum Dionyſij Thomas quoq; Vualdẽſis auctor ſui temporis doctiſſimus obſeruauit ad reſpõdendum hæreticis, qui piè mortuos orationibus viuẽtium iuuari ſententiæ Pauli, quam diximus, aduerſari exiſtimabant. Sed dicis (inquit) qualiter iudicabit eum Deus ſecundum opera, ſi iuuabitur precibus ſanctorũ? quia (inquit) hoc meruit, dum viueret, ſanctorum precibus adiuuari, & hoc etiã (inquit) dicit Dionyſi. quod vnuſquiſque habebit retributionem, quam in hoc ſæculo promeruit. Deinde interpretãs, quomodo efficiatur dignus, dum viuit, vt poſt mortem adiuuetur, rurſus citat Dionyſium, inquiens. & ſubdit Dionyſius huius primam dignitatem, ſi humiliter ſe ſubdiderit precibus ſanctorum, credens ſe poſſe iuuari eis: qui autem repulerit, nunquam inueniet eas vtiles poſt mortem, hæc eſt prima indignitas, repellere officiũ orãtis.

hactenus ille. Qui verò ſint intelligendi ſancti iſti, quos Dionyſius dicit, & quorum orantium officiũ nõ ſit repellendum, vt Vualdenſis dixit, iam eſt à nobis explicatũ. vt igitur ſuperiora ſummatim repetamus, qui in hac vita ſacramentalem orationem ſacerdotis, quæ maximam omnium vtilitatẽ affert, petit, eaque dignus efficitur, idem vt æquum ac decens eſt ſimul efficitur dignus, qui poſt hanc vitam precibus ſacerdotum, & cuiuſque fidelis adiuuetur. fundamentum enim vtilitatis ſpiritualis ex oratione aliorũ fidelium, ſiue in hac vita, ſiue poſt hanc vitam, eſt vtilitas hic participata ex oratione ſacerdotali, quia qui remiſſionem peccatorũ in hac vita à ſacerdote non petit, non eſt dignus, vt ab vllo ex fidelibus, precibus aut aliis officiis pietatis adiuuari ad ſalutem petat, ſiue in hac vita, ſiue poſt eam. Denique quia qui ab hac vita receſſerunt abſoluti ſiue actu, ſiue voto à peccatis ſuis per miniſteriũ orationis λυτικῆς, id eſt ſoluentis ſacerdotum, in quibus dominus poſuit, ſicut apoſto ait, verbum reconciliationis, ij ſunt in Chriſto mortui, ac proinde in communione ſanctorum, qui in cœlo, & in terra ſunt, cuius communionis participationem vſque ad finem firmam retinuerunt. conſequens neceſſario eſt, vt à communione & ſocietate ſanctorum, quam in eccleſia eſſe confitemur, id eſt, ab ipſa eccleſia, & membris eius per orationes, & alia officia charitatis, & à ſanctis, qui in cœlo ſunt, ſi poſt hanc vitã ope indigẽt adiuuentur. Hactenus de huius apoſtolicæ traditionis ratione, quæ ſententiam Pauli de futura eorũ, quæ in hac vita tantùm geſſimus remuneratione, cõfirmat, & explicat: & quod hæretici ex ea ſententia obiiciebant, quaſi nos poſt hãc vitam merita poneremus, apertè refellit: & falſum eſſe cõuincit Deinceps verò, tametſi nihil referat, vt doctus Tertull. in libro de corona militis ait, vtrum conſuetudo apoſtolicæ traditionis ſcriptura, an ratione conſiſtat, tamen quia hæretici ſemper nos ad verbum Dei prouocant, non contenti ſola ratione, age, demõſtremus etiam ex ſcripturis ſanctis, nõ diſſonare, vt Magd. dicunt, hanc traditionem à ſana doctrina de oratione: cõuincerique vim eius traditionis in litteris beati Petri:

Vnde exiſtat, vt quis dignus ſit, qui poſt mortem precibus viuentium adiuuetur.

quod iidem Magdeburgen. negant, imò & in aliis ſcripturis. Petrus igitur proponens pœnas diuini iudicij impiis qui reddent, inquit, rationem ei, qui paratus eſt iudicare viuos, & mortuos: vt ſeueritatem illius iudicij demonſtraret, meminit iudicij, quod Dominus in diluuio exercuit, in quo multi propter peccata correpti ſunt, ne ſicut Apoſtolus in epiſt ad Cor. de quibuſdam ſcripſit, cum hoc mundo damnarentur, qui in carcerem inferni inſuper detruſi pœnas etiam ibi ſoluerunt: vt iam dicere liceat hic: ſi iuſtus vix ſaluatur, impius & peccator vbi apparebunt? Itaque ſubiungit, paulò pòſt idem beatus Petrus: Propter hoc & mortuis euangelizatum eſt, vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu. Proximo capite antecedenti, id eſt, tertio explicauit, de quibus nunc loquatur, nempe de iis, qui increduli (inquit) aliquando fuerant, quando expectabant Dei patientiā in diebus Noë, cum fabricaretur arca. Dicite ergo nobis, Magdeburgenſes, qui Purgatorium cum reliquis Lutheranis negatis, quis ille carcer ſit, in quo Dominus deſcendens ad inferos, prędicauit? an fuit locus dānatorum? non credo diceris, cum ſcriptum ſit: in inferno nulla eſt redemptio. Deinde, quis dubitat, quin inter damnatos pleríque imò infiniti eſſent, qui non quidem aliquando, ſed ſemper increduli fuiſſent, at his de quibus loquitur beatus Petrus, non ſemper, ſed qui aliquando (inquit) fuerant increduli. Præterea damnati non fuerunt iudicati ſecundum homines per carnem in illo diluuio, vt viuerent ſecundum Deum in ſpiritu, ſicut de illis dicit Apoſtolus, qui corripiuntur morte corporis, quod eſt iudicari in carne, ne cum hoc mundo damnentur, quod eſt viuere ſecūdum Deum in ſpiritu. Iudicari enim dicit, ſecundum homines in carne, quando more hominum, qui non poſſunt occidere, niſi corpus ſolum, fit interitus carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. ſi igitur ille carcer, & locus tenebrarum, vnde iuxta propheciam Eſaiæ vincti, & qui in tenebris erant, poſt prædicationem, ſiue euangelizationem illam Domini exiuerunt, non erat locus damnatorum, neque ſinus Patriarcharum, qui non in tenebris, nec in crucia-

1. Pet. 3. *1. Cor. 11.* *1. Pet. 4.* *Locus epiſtolæ beati Petri de purgatorio.* *1. Pet. 3.* *1. Cor. 11.* *Eſa. 49.*

Quod neceſſariò ſecundum ſcripturas præter ſinum patriarcharum, & locũ damnatorũ, ponendus ſit tertius locus, qui dicitur purgatorius.

tu,ſed in luce & refrigerio erant.conſequens eſt,vt fuerit alius locus tertius, quem nos Purgatorium nunc appellamus,ſicut Patres noſtri appellauerunt. Quod ſi deletus eſt ille locus per paſſionem Chriſti, hoc enim fortaſſe dicetis, quia Chriſtus pro omnibus ſatisfecit, qui lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo,purgationem peccatorum faciens,hac igitur ratione, nec ante aduentum Chriſti fuit ille tertius locus quia quicunque pœnitentiam tunc egerunt, & pro peccatis ſatisfecerunt, non niſi in fide Chriſti venturi pœnitentiam egerunt,aut ſatisfecerunt. Quare ſi nos ſatisfaciendo derogamus paſſioni Chriſti præteritæ, & illi ſatisfaciendo derogabant paſſioni Chriſti futuræ: eadem enim eſt noſtra, & illorum fides. igitur neque locus ille deletus eſt,neque illi aut nos ſatisfaciendo,paſſioni Chriſti derogamus.ille enim ſatisfecit morte ſua, pro quo nos ſatisfacere non poteramus,id eſt, pro morte æterna,cuius nos eramus debitores: & perfecit ſua ſatisfactione,vt noſtra pro temporali pœna debita ſatisfactio in virtute ſatisfactionis eius valeret. An hæc parua ſunt? vt fruſtra pro nobis illum ſatisfeciſſe putemus, ſi vllo modo nobis ſatisfaciendum ſit, vt nobis obiicitis?

Locus Zachariæ de purgatorio.

Sed de illo carcere ad purgandum præter auctoritatem beati Petri, habemus etiam teſtimonium Zachariæ prophetæ,fuiſſe apud inferos ante aduentum Chriſti, qui eſſent non in ſinu Abrahæ, nec vbi erat ille diues ſepultus in inferno,inter quem,& Abraham,& Lazarum magnum chaos firmatum erat:ſed qui eſſent in lacu non habente aquam, vincti ſpei, vt ait Propheta, id eſt,quibus eſſet ſpes exeundi,poſtquam eſſent ibi ſatis purgati,quod ipſum in vita per fidem,& charitatem meruerant. Probat autem hoc, quod dicimus ipſa etiam vniuerſa eccleſia, quæ in officio funebrium exequiarum,vbique canit, libera me Domine de viis inferni,qui portas æreas confregiſti,& viſitaſti infernum: dediſti eis lumen vt viderent te, qui erant in pœnis tenebrarum clamantes,& dicentes,aduenisti redemptor noſter.His ergo dixit, iuxta Eſaiæ propheriam. Exite qui in vinculis,& qui in tenebris, reuelamini. Atque hæc quidem fuit Chriſti in carcere prædicatio,ſiue euã-

Luc.16.
Zach.9.
Eſa.49.

gelizatio, quam beatus Petrus dicit. Si igitur eſt carcer poſt Chriſti aduentum, vt erat anteà, in quo erant vincti ſpei, id eſt, quibus erat vt dixi, ſpes exeundi aliquando ex vinculis ac tenebris, ſiue vincti congregationis, vt eſt apud ſeptuaginta, id eſt, ex numero eorum, qui erant communione charitatis copulati, qui erant omnes tandem in regno cœlorum congregandi. qui enim perierant, non dicuntur à Propheta vincti congregationis, qui cum omnibus, & ſecum ipſi pugnant, ſi inquam, eſt carcer nunc, ſicut a principio, in quo tenentur vincti, qui in charitate Dei & proximi mortui ſunt, qua ſunt nobiſcum coniuncti, cum ope indigeant, vt inde, perſolutis debitis, exeant, nónne charitas poſtulat, vt eos orationibus & eleemoſynis adiuuemus, ſicut viuos adiuuare & poſſumus, & ſolemus? imò eò magis, eóque ſtudioſiùs, quò magis illi indigent, qui à vita receſſerunt quàm qui in ea adhuc ſunt, adiuuare debemus. Rurſus ſi euangelizatio illa Chriſti, quā beatus Petrus dicit, profuit vinctis illis in virtute mortis Deo patri pro eiſdem oblatæ, an non conſequens eſt, vt hymni lectiones & preces, quæ in exequiis mortuorum ſecundum apoſtolicam traditionem in libro octauo Clementis de apoſtolicis conſtitutionibus ſcriptam pro ipſis in virtute eiuſdem paſſionis Chriſti offeruntur, eiſdem, proſint ſiue ad relaxationem ſupplicij, ſiue ad integram liberationem, vt Dominus nouit iuſtum eſſe, qui iuſtus eſt, & iuſtitias dilexit: & æquitatem vidit vultus eius? hactenus de loco epiſtolæ beati Petri. Sed quia Magdeburgenſes nihil horum in epiſtola Petri eſſe, temerè affirmant, ſed nec alibi vſquam (inquiunt) in ſcriptura præcipitur: doceamus nos contrarium. Quæro enim, cum obſecrat Apoſtolus ſcribēs ad Timotheum, fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, an non præcipit orare pro particularibus? niſi fortè renouare vultis hæreſim VVbiclef, qui negabat, licere orationes vni perſonæ applicare contra auctoritatem ſcripturæ ſacræ, & Chriſti atque Apoſtolorum exemplum, cum ſcriptum ſit: oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab eccleſia ad Deum pro eo, ſcilicet Pe-

Apoſtolica cōſtitutio de orādo pro mortuis.
Pſal. 10.

Locus Pauli ad Tim. de orando pro mortuis.
1. Tim. 2.
Act. 12.

Coloſſ. 4. ce pro ſe orauit,& exauditus eſt, & Dominus pro La-
1. Theſſ. 5. zaro mortuo orauit,& infinita alia. Si igitur cum bea-
Heb. 13. tus Paulus præcipit orare pro omnibus hominibus,
Luc. 23. non excipit mortuos,non enim dixit, pro omnibus vi-
Ioan. 11. uentibus in hoc ſæculo, ſed pro omnibus vt non exciperet piè mortuos, viuunt enim & ſi non in hoc ſæculo,qui in Chriſto mortui ſunt,quorum eſt Deus. Deus autem non eſt mortuorum ſed viuentiũ: omnes enim animæ iuſtorum illi viuunt, ſicut ait apoſtolica conſtitutio huius loci euãgelici interpres: Præcipit ergo pro

Lib. 8. Clem. his,& illis,atque aliis in Chriſto mortuis,qui ad carcerem illum paulò ante ſecundum ſcripturas demonſtratum deducti ſunt. Sed dicetis fortaſſe,ſi Paulus doceret Purgatorium eſſe, facilè vos conceſſuros præcipere Paulum, vt pro omnibus hominibus etiam mortuis oremus, quia iam eſſet certum egere illas animas noſtris apud Deũ precibus,ſicut inter nos in hoc mundo alij aliorum precibus apud Deum indigemus. Videamus igitur, an hoc doceat Paulus, primo Corinth. cap. tertio,tritus quidem eſt locus, ſed interpretatio eius germana & propria non eſt hæreticis nota.

Explicatio loci Pauli 1. Cor. 3. de Purgatorio ſecundum proprietatem verborum, & idioma ſcripturæ, & rationem conſequentiæ,& collationem ſimilium locorum Eſaiæ,& Zachariæ: & quomodo illos paulus imitatus, & interpretatus eſt: & de Conſtitutione Apoſtolica accedente etiã conſuetudine omnium Eccleſiarum exequias mortuorum ſemper, & vbique, etiam in Germania ante octingentos annos celebrantium.

Cap. 13.

SI quis (inquit) ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum,argentum,lapides pretioſos,lignum,fœnum,& ſtipulas, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit,dies enim declarabit,quia in igne reuelabitur: vniuſcuiuſque enim opus quale ſit,ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedẽ accipiet: ſi cuius opus arſerit,detrimentum patietur,ipſe autem ſaluus erit,ſic

tamen quaſi per ignem. Dixerat paulò ſuprà, vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, docet deinde, quam mercedem accipiet, ſi quidem bona opera fecerit, accipiet mercedem ſalutis æternæ, tametſi tranſeundo per ignem ad purgandũ, ſi quas minutas ſordes admiſtas cum illis bonis operibus habuerit, quæ ſunt inſtar auri, argenti, aut lapidum pretioſorum: ſin verò mala opera fecerit, accipiet mercedem detrimenti animæ ſentiendo ignem inextinguibilem. Duos itaque ordines ponit eorum ſcilicet, qui damnantur, & eorum qui ſaluantur: item duos ignes, vnum qui detrimentum adfert animæ, qui vret ſemper, quia non purgabit: alterum purgantem, per quem tranſitur ſine detrimento ad ſalutem. Sed excutiamus ſingula loci huius, vt ita eſſe quod dicimus, ex ipſis Pauli verbis doceamus. Si quis, inquit, ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ſignificare hæc varias ſpecies virtutum, ac bonorum operum, quia nemo dubitat, non opus eſt per ſcripturas probare: quod verò lignum, fœnum & ſtipula, varia malorum genera ſignificant, quæ ſunt opera combuſtibilia, id eſt, digna gehenna ignis æterni, ex multis locis ſcripturæ ſanctæ licet intelligere. vt Eſa. c. 1. de idolorum cultu loquens. Fortitudo (inquit) illorum vt ſtipula ſtuppæ. Fortitudinem vocat idola, quibus Iſraelitæ confidebant, & in quibus ſpem victoriæ collocabant. illorum itaque idololatriam dicit eſſe ſtipulam ſignificans arſuros eſſe igne æterno propter illud peccatum. Sic beatus Cyrillus in commẽta. Prophetæ huius interpretatus eſt, quo in loco ait ſignificare lignum τὸ κατάπρησον, id eſt inflammabile: fœnum verò & ſtipulam, τὸ ἀκάθεκτον, id eſt, nõ poſſe cohiberi flammam, & extingui, quod in euangelio dicitur ἄσβεστον, id eſt, inextinguibile. Rurſus beatus Baſilius in commenta. eiuſdem prophetæ in eodem loco ſtipulam ait ſignificare vitam inflammabilem, & incendio dignam. Nemo autem non intelligit, quæ talem faciunt vitam, id eſt, incendio dignam, peccata eſſe mortalia. Item Malachias capit. quarto. Erunt, inquit, omnes ſuperbi, & facientes impietatem, ſtipula: & inflammabit eos dies

Locus Pauli ad Cor. de purgatorio cũ pluribus locis ſcripturæ collatus.

Lignum, fœnũ, ſtipula ſecundũ ſcripturam varia peccata digna gehenna ignis ſignificant, Eſ. 1.

Cyrillus.

Malach. 4.

ueniens, dicit Dominus omnipotens. quem locum explanãs ſanctus Theophanes epiſcopus Nicææ, in ſymphonia veteris & noui teſtamenti, ſtipulam, inquit, vocat τὸ ἄχρηστον καὶ τὸ εὔπρηστον operum eorum: id eſt, inutile & inflammabile operum. Denique in euangelio iuxta eundem tropum, & paleas, inquit, comburet igni inextinguibili, & in euangelio Ioannis cum ſicco palmite, qui facilè comburitur, comparat eum, qui æterno igni traditur, mittetur (inquit) foras, ſicut palmes: & areſcit, & colligent eum: & in ignem mittent, & ardet. & beatus Hieronym. in commenta. Eſa. cap. 65. ſic etiam intellexit, cum interpretans illum locum, opera eorum veteraſcent, ſic ait, vel certè hoc dicendum, quod opera eorum veteraſcent, quorum domus fundata ſuper petram permanet in æternum, & qui ædificauerunt ſuper fundamentum apoſtoli aurum, argentum, & lapides pretioſos, & è contrariò eorum opera diſpereant, quorum domus fundata ſuper arenam ſubita tempeſtate ſubuertitur: & qui ædificauerunt ſuper fundamentum Chriſti lignum, fœnum, & ſtipulam. Redeamus ergo ad locum Apoſtoli: Vniuſcuiuſque, inquit, opus maniſeſtum erit, dies enim declarabit, ſcilicet dies extremus mortis: ſic enim vocat euangelium, vt cum ait: Vigilate, quia neſcitis diem nec horam. Sequitur deinde, quia in igne reuelabitur, infinitè, & vt ita dicam, indeterminatè dixit, ſine articulo Græco ἐν πυρί, id eſt, in hoc, aut illo igne, ſcilicet opus bonum reuelabitur in igne, nempe temporali: opus malum in igne, ſcilicet æterno, idcirco ſubiungit: Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit, ignis, inquam, ille dictus: ideo enim articulum addidit hic. opus inquam bonum, quod Paulus vocat, opus manens, probabit ignis ſalutaris, per quem tranſitur ad mercedem ſalutis, de hoc enim opere ſubiũgit, ſi cuius, ſiue alicuius opus mãſerit, quod opus idem ſuperædificauit, iſte mercedem accipiet: opus verò malum probabit ignis detrimentum afferens, de quo opere ruſſus ſubiungit, ſi cuius opus arſerit, quod aliquis ſuperædificauit (repetẽdum enim eſt hoc à communi, ſiue per Zeugma) ille detrimentum patietur. pati autem detrimentum ad detrimentum ſalutis

Theophanes.

Matt. 3.

Ioan. 15.

Matt. 24.

Loqui Paulum de duplici genere peccatorum leuium, & grauium, & de duplici igne eterno, & temporali ex proprietate verborũ, & idiomate ſcripturæ, & conſequentia verborum.

æternæ pertinet ſecundum idioma ſcripturæ.hoc quoque ipſius verbi Græci etymologia declarat, dicitur enim ζημιοῦσθαι, id eſt,detrimentum pati, quod verbum Græcum interpres Græcus Matthæi, ſiue beatus Ioan. ſiue alius fuerit, tum Marcus & Lucas ad æternam iacturam animæ retulerunt,dicitur,inquam,quaſi ζωὴν μειοῦσθαι, id eſt,minui vitam:ei autē qui temporali ſupplicio afficitur in purgatorio,vt purgat⁹, vita ſempiterna poſteà fruatur, conſtat, non minui vitam. Quod ſi vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit, ſcilicet bonum opus probabit ignis eo dignus: rurſus malum opus probabit ignis item eò dignus, Quis enim dicat, eandem conditionem ignis conuenire in opus malum,& in opus bonum? Conſequens eſt, vt non loquatur Apoſtolus hōc loco de igne æterno tantùm. Si enim poſt hanc vitam ignis tantum æternus eſſet, qui longè differt ab igne temporali,& de illo igne æterno, & inextinguibili ſolùm hic loqueretur,nunquam Apoſtolus de vniuſcuiuſque opere infinitè dixiſſet, ἐν πυρὶ, id eſt,in igne reuelabitur,ſed dixiſſet,ἐν τῷ πυρὶ cum articulo:ſicut ſtatim cum articulo dixit,ἡ ἡμέρα,id eſt,dies illa declarabit,quia non de vna qualibet die vitæ huius loquebatur,ſed de illa vna extrema. Sequitur,ipſe autē ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. quia dixerat, ſi cuius opus manſerit,mercedem accipiet: declarat modo quam mercedem,& quomodo, ſcilicet mercedem ſaluti ,ſicut dixerat prius,ſi cuius opus arſerit,accipere eum mercedem detrimēti.Quomodo enim veriſimile ſit,quod Apoſtolus dicat, quam mercedem accipiatis, cuius opus arſerit,ſcilicet mercedem detrimenti,& nō dicat, quam mercedem accipiat is, cuius opus manſerit?nempe accipiet mercedem ſalutis, quæ eſt oppoſita detrimento. eſt itaque hyperbaton, componendáque ſunt, ſiue conſtruenda verba ſic: ſi alicuius opus manſerit,mercedem accipiet:ipſe tamen qui mercedem ſcilicet accipiet,ſaluus erit,quaſi per ignē:& hæc erit merces eius, ſcilicet ſalus quaſi per ignem tranſeuntis ſine detrimento inſtar auri.Obſeruauit quoque hoc hyperbaton Oecumenius.Quod verò aurū, argentū,& lapides pretioſi,hoc eſt,opera bona,aliquas interdū ſordes

Matt.16. Mar.8. Luc.9.

Oecumenius.

Collatio loci Pauli de auro

argento cum loco Malachiæ
Malach. 3.
Paulus Eſaiam imitatus, & interpretatus in loco de purgatorio.

habeant admiſtas, à quibus repurgari debeant, ſiue per ignem pœnitentiæ in hac vita, qui eſt ignis metaphoricus, ſiue per verum ignem in altera, docet etiam propheta Malachias cuius tropum Paulus hoc loco imitatus eſt cùm opera bona, quæ ſine detrimento à ſordibus igne purgantur, vocauit aurum, argentum, lapides pretioſos: ait enim Propheta de aduentu Domini in carne prophetans: Ecce venit, dicit Dominus, &c. & paulò pòſt: Sedebit conflans, & emundans argentum, & colabit eos tanquam aurum, & argentum, id eſt, eorum opera bona aliquas maculas leuiorum peccatorum habentia admiſtas, à quibus repurgari ea oportet. itaque quod prædixit Propheta de purgatione auri & argenti in hac vita per ignem pœnitentiæ in aduentu Chriſti facienda, ſimile aliquid dicit Paulus de purgatione poſt diem cuiuſque extremum in altera vita non iam per ignem pœnitētiæ, quæ tunc ſera erit, & intempeſtiua, ſed per ignem verum, de purgatione, inquam, eius, qui ædificauit aurum argentum: & lapides pretioſos, de quo ait, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Ne verò Magdeburgenſes ac cæteri Lutherani nouum & inauditum eſſe putent, & ab ſcripturis ſanctis alienum, accipere mercedem ſalutis tranſeundo per ignem ad purgandum ſordiculas: oſtendamus ſimile exemplum in Eſa. cap. 9. quod Paulus hoc loco imitatus eſt, ſimúlque interpretatus in figura ignis æterni & purgatorij illud contigiſſe. Loquēte igitur Propheta de illo igne Hieroſolymitanæ calamitatis, interpretans locum Cyrillus Alexandrinus Alij, inquit, perierunt ab impietate ſua, & de his prædixit Propheta, Ardebit peccatum eorum, vt ignis. hoc ſcilicet contigit in figura eorum, de quibus nunc ait Paulus ſi cuius opus arſerit, detrimētum patietur. &c. alij, inquit idem Cyrillus, non perierunt, ſed tranſierunt per illam calamitatem, tanquam per ignem, de quibus ſubiungit in eodem loco idem propheta. Et erit populus quaſi ab igne combuſtus homo. quaſi ab igne dixit, quia, vt ait beatus Baſilius hunc locum de Purgatorio interpretans, non minatur interitum, ſed purgatorium. Similiter Apoſtolus dixit, Saluus erit quaſi per ignem, ne intelligeretur

Eſa. 9.

Baſilius.

telligeretur de illo igne æterno detrimentum adferente, & in ſempiternum vrente, quia ſcilicet non purgat, vt poſt conſumptas ſordes deſinat vrere purgatum inſtar ignis purgatorij: ſed intelligeretur de igne ad tempus vrente: & quidem ſecundum qualitatem ſordium, quibus conſumptis ſaluus euadat, qui purgatus eſt. id enim ſignificat διὰ πυρὸς, tranſitum ſcilicet per ignem hunc aut illum temporalem: nõ enim omnis ignis purgatorius eſt æquè vrens, ac crucians, idcirco ſine articulo Græco dixit hoc loco. Eodem pertinet locus alius Zachariæ prophetæ. cap. 13. quem imitatus quoque eſt idem Paulus. Prophetans enim ſicut beatus Cyrillus in commentariis huius prophetæ interpretatur, de bello quoque Romanorum, quo populus Iudaicus deletus fuit, vix tertia parte relicta, quæ miſericorditer ſeruata eſt: Et erit (inquit) in die illa, dicit Dominus, duæ partes peribunt, & deficient, & tertia relinquetur in illa. & traducam tertiam partem per ignem, & vram eos, ſicut vritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurũ. & ſubiungit: Ipſe inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. ipſe, inquam, ſic probatus, & per ignem traiectus inſtar auri & argenti, inuocabit nomen Domini, & exaudiam eum, quod quidem ſignificat, ſaluũ fieri: ſic dixit hoc loco Paulus, Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi ignẽ. Quod igitur Zacharias dixit propheticè de paucis illis piis Iſraëlitis miſericorditer ſeruatis tranſeundo per ignem illum calamitatis, ac deuaſtationis Iudaicæ, in figura illis contigit, ſicut cætera alia. Vnde Paulus apoſt. diuinè ad eos trãſtulit, qui poſt hanc vitam ſalui fiunt tranſeundo ſcilicet per purgatorium ignem, qui ſunt pauciores præ illis, qui damnabũtur ad ignem æternum, & vix tertia pars. Si quo ſtudio Magdeb. & reliqui Lutherani ſcripturas ſanctas conferendi, ſcrutandi, & intelligendi tenerentur, ſcio non diſpliceret eis hæc noſtra mediocris in iis ipſis ſcripturis diligẽtia, præſertim cum omnium veterum patrum iudicio tam difficiles ſint, vt magnum laborem, & vehemens ſtudium, & in primis ſpiritum Dei requirãt ad ſpiritualiter examinandũ, quæ ſancti Dei homines per ſpiritũ eius locuti ſunt. at vos ſic ſcripturas ſanctas legi

Zach. 13.

Paulus Zachariam imitatus & interpretatus in loco de purg.

Lutheranorum magiſtri nullo ſtudio tenentur ſcripturas ſcrutandi, cõferẽdi, & intelligendi.

Quæ ſint, quæ Lutheranorum magiſtri, & Magde. centuriatores in ſtudio ſcripturarũ negligant.

tis, vt hiſtorias mundi, aut etiam fabulas, ſiquidem multa in eis fingitis. Et quod vobis ſine vlla de dogmatibus conquiſitione viſum eſt, hoc ſpiritui ſancto & vobis viſum eſſe putatis: neque repugnantia, neque conſequentia, neque dictorum cauſas, neque naturas rerum, neque proprietates verborum, neque ſcripturarũ idiomata, & figuras, neque œconomias ſcribentiũ, neque locorum cum locis collationes, neque interpretationes maiorum conſideratis. Quare ſi in vos tantùm intuerer, fortaſſe metuerem ne fruſtrà laborarẽ: ſed quia hæc in aliorum manus ventura ſunt, qui vel non ſunt decepti, vel à vobis ſeducti cupient, adiuuante Deo, à veſtris erroribus & fallaciis extricari, libẽter ad eorum vtilitatem hæc laboramus. Vt autem ad propoſitũ reuertamur, ſi vllum in vobis iudicium eſſet, vel hoc ſolũ vos mouere deberet, ſi iuſtus eſt Dominus, & iuſtitias dilexit, & æquitatem vidit vultus eius, quomodo æquũ ſit, vt idem genus ignis probet poſt hanc vitam bona & mala opera, quæ Apoſtolus vocat ardentia & manentia? dies enim (inquit) declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.

Impii, & crudeles, qui tradunt non eſſe orandũ pro mortuis.

Quod ſi per ignem tranſeundum eſt iis, qui aliquas leuiores maculas purgandas habẽt, quis erit ita crudelis, vt non ſolùm opem non ferat, ſed ferẽdam eſſe neget? vt vos negatis, qui impiè & crudeliter contra ſacram ſcripturam traditis non eſſe orandum pro mortuis, cũ, vt ſupra docui, iubeat ſcriptura orare pro omnibus hominibus, ſcilicet qui ope indigent, & adiuuari poſſunt. (nullos enim dicam iterum, excepit, qui pro omnibus dixit,) ſunt autem huiuſmodi, qui cum leuioribus maculis mortui ſunt in Domino: pro quibus Apoſtolorũ

Apoſtolica cõſtitutio de orãdo pro mortuis.

conſtitutio, quam Clemens Romanus litteris mandauit, ſic in lib. 8. cap. 41. orare iubet. Oremus pro fratribus noſtris, qui in Chriſto requieuerunt, vt Deus ſummæ erga homines charitatis, qui animam defuncti ſuſcepit, remittat ei omne peccatum voluntarium & inuoluntarium: & propitius ei factus collocet eum in regione piorum τῶν ἀνειμένων, id eſt, ſolutorum. An non ſatis clarè teſtatur eccleſia, cum ſic orat, in carcere eſſe animam, pro qua orat, vt ſoluatur? orat enim, vt ſol-

uatur, cum orat, vt adducatur ad regionem eorum, qui ſoluti ſunt. eſt igitur poſt hanc vitam carcer leuiorum macularũ purgatorius: & pro iis orare, qui in eo ſunt, ſancti Apoſtoli in omnibus eccleſiis docuerunt, ab eis enim proceſſit hoc verbum de orando pro mortuis, non à nobis, nec ad nos ſolos peruenit, id eſt, ad totum occidentem, ſed ad totum etiam orientem. Siquidem in omnibus eccleſiis non ſolùm occidentis, ſed Orientis officia mortuorum orando, pſallendo, ſacrificando vſque in hodiernum diem celebrantur. imò & in Germania ante octingentos annos celebrabantur à maioribus veſtris, quorum vos progeniem eſſe, negare non poteſtis. Teſtis eſt Bugabilis monialis, quæ ad Bonifacium Germanicum Apoſtolũ tempore Zachariç Pontificis his verbis ſcripſit Similiter depoſco, vt oblationes Miſſarum offerre digneris pro anima mei propinqui. idem in alia epiſtola rogat Leobguda monialis: rogo, inquit, vt pro anima illius preces offerre non renuas: necnon & matris meæ memoriam commendo tibi, quæ cognominata eſt Ebbel. Scribit Magnus Athanaſ. in lib. de Synodis Arimini. & Seleuciæ aduerſus Arianos, qui nouam fidem condebãt. Si ſecundum ipſos, inquit, ab iſtis conſulibus principium ſuum fides accepit, quid facient Patres, & beati martyres? aut quid faciẽt illi, qui ab eis Chriſtiana religione inſtituti ſunt, & ante conſules iſtos dormierunt? quomodo illos excitabunt, vt quod didicerint, obliteretur? & quod iſti ſcribendo inuenerũt, in eos inſerãt? ſimiliter in vos Magd. & Luther. omnes dicere licet, ſi à Martino Luthero cœpit verus cultus orandi nõ pro mortuis, quid faciẽt Patres, & S. Martyres? aut quid illi, qui ab eis in Chriſtiana religione inſtituti ſunt, & ante Lutherũ dormierũt? quomodo illos à mortuis excitabitis, vt quod malè didicerunt, dedoceãtur, & quod Lutherus inuenit, eis tradatur?

Per vniuerſas eccleſias oriẽtis, & occidentis exequiæ mortuorum orãdo, pſallendo, & ſacrificando ſecũdum traditiõnẽ apoſtolorum celebrantur.

Orationes & ſacrificia pro mortuis in Germania ante annos octingẽtos.

Si orare pro mortuis eſt cultus falſus, quid maiores & patres Germanorum, & ſancti martyres eorũ facient qui pro mortuis orauerunt.

De aliis locis ſcripturæ pro ſacrificiis, & orationibus mortuorum in epiſt. ad Romanos, in Tobia, in Macab. in epiſt. ſecunda ad Cor. in Eccle. in Apocalypſi nõ repetitis, quæ ab aliis ſcripta ſunt de iis, ſed adiectis potius, quæ ſunt prætermiſſa. Cap. 13.

Rom. 12.

SEd veniamus iam ad alium locum ſcripturæ. Ait enim Apoſtolus in epiſto. ad Romanos. Orationi inſtantes: memoriis ſanctorum communicantes. ſic enim legit B. Hilarius in libello de ſynodis contra Conſtantium, Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum cap. 21. ſanctus Epiphanius hæreſi 57. Optatus Afer Mileuitanus libro 2. contra Parmenianum, beatus Ambroſius in epiſt. ad Roman. cap. 12. Sic item legit vſque in hodiernum diem eccleſia Mediolanenſis in ſuo Miſſali. Origenes in commenta. epiſt. ad Romanos vtrumque legi obſeruauit, ſiue memoriis, ſiue neceſſitatibus. Memoriis quoque legit Euſtrathius Conſtantinopolitanus vetus auctor in libro de operatione animæ poſt mortem, cuius meminit etiam Photius in bibliotheca ſua. Sic etiam legiſſe videtur Clemens Rom. Præcipit enim in perſona Apoſtolorum celebrare exequias mortuorum hymnis, precibus, & lectionibus ſacris, deinde præcipit tribuere pauperibus ex bonis defuncti in memoriam ipſius, vt iam hoc ſit communicare memoriis ſanctorum, orare pro piè defunctis (hos enim vocat hic ſanctos) & eleemoſynas pro eis facere. Prætereà eſſe ſic legendum, ex eo quoque apparet, quod paulò ſupra dixerat idem Apoſtolus: qui tribuit, in ſimplicitate, quod quidem ad communicandum neceſſitatibus ſanctorum pertinet: vt non opus eſſe videatur dicere iterum, neceſſitatibus ſanctorum communicantes, quod perinde eſſet, quaſi diceret, pauperibus tribuentes: quod, vt dixi, ſatis iam dixerat, dicendo, Qui tribuit, in ſimplicitate, pauperibus enim tribuendum eſt. Non improbo lectionem, quæ nunc in libris noſtris fertur: neceſſitatibus ſanctorum communicantes, ſed hoc dicimus, alteram lectionem, alterius eſſe interpretationem. cum enim legimus neceſſitatibus ſanctorum communicantes, quas neceſſitates dicat, ex altera lectione intelligimus, quæ dicit, memoriis ſanctorũ communicantes, nẽpe quas patiuntur poſt hanc vitã, qui ſanctè mortui ſunt, ſed cum leuibus quibuſdã maculis. Rurſus cũ legimus memoriis ſanctorũ cõmunicantes, quid ſit hoc loco memoriis

Qui auctores antiqui legant in epiſt. ad Ro. memoriis ſanctorum communicantes.

Quod vtraque lectio ſit alteri' interpretatio.

ſanctorũ cõmunicare, ex altera lectione intelligimus, quæ dicit neceſſitatibus ſanctorũ communicantes, eſſe ſcilicet neceſſitates eorũ, qui piè mortui ſunt, quos oporteat adiuuare orãdo, & eleemoſynas pro eis faciẽdo. Deinde cũ ſanctus vir Tobias filio præcipiebat, vt poneret panẽ, & vinum ſuper ſepulturam iuſti, an exiſtimabat mortuos indigere cibo, aut potu? quis hoc dicat, niſi Gentilis aliquis delirus? aut nunquid ſecundũ legẽ ſymbolicè hoc fieri iuſſit? ne id quidẽ: nihil enim Moyſes de hoc præcepit. quid ergo ſibi voluit? aut vnde hoc didicit? ſcilicet ſpiritus charitatis eũ docuit, iuſtos & ſanctos, qui cum peccatis leuioribus per humanam infirmitatem commiſſis mori ſolerent, quæ poſt hanc vitã expiare oporteret, precationibus & eleemoſynis eorum, qui cum ipſis charitate iuncti eſſent, adiuuandos eſſe. Ad hoc ergo iuſſit panem & vinum ſuper ſepulturam iuſti ponere, vt qui ex eo ederent, pro mortuo iuſto orarent. Vnde ſtatim ſubiungit (& noli eum comedere & bibere cũ peccatoribus) admonens vt iis impartiatur panis pro mortuo oblatus, qui ſint Deũ timentes, ac religioſi, vt eorum orationes pro mortuo exaudiantur. Durat vſque in hodiernum diẽ per multas Catholicorum eccleſias in Hiſpaniis ac Galliis hæc religio & pietas ponendi ſuper ſepulturas panẽ & vinum in vſum ſacerdotum, vt pro mortuis orẽt. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo, ſicut Dominus dixit. Huc etiam pertinet, quod Apoſtoli conſtituerũt, quæ etiam traditio vſque in hodiernum diem durat, vt inuitarentur homines ad conuiuium, vt cibum ſumerent in memoriam defuncti, vt pro eo precentur: quibus præcipit apoſt. conſtitutio ſobriè comedere: & in primis presbyteris, & Diac. vt poſſint eſſe aliis exẽplo, & monere alios, ſi qui erunt modũ tranſgreſſi. ita enim fit, vt ſicut ſanctus Tobias præcipit, non comedatur panis ſuper ſepulturam defuncti poſitus, neq; bibatur cũ peccatoribus. An ſunt Magdeb. & cæteri Lutherani ſapientiores, quam Tobias & ſancti Apoſtoli, & omnes eccleſiæ catholicorum, quæ hũc morem, & hanc pietatẽ, quam adhuc frequentant & colunt, à ſanctis Apoſt. auctore & teſte Clemente Romano, acceperunt? aut etiam ſan-

Tob. 4.

Vnde didicerit Tobias ponere panem & vinũ ſuper ſepulturã, & quid ſibi velit.

Apoſtolica cõſtitutio de comprandendo in exequiis in memoriam piè defuncti, vt pro eo orent.

2 *Mac.* 12. ctiores, & magis eruditi in lege Moyſis, quam Iudas Maccabæus? qui facta collatione, miſit, ſicut ſcriptum eſt, duodecim millia drachmas Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene & religioſè de reſurrectione cogitans: niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum & vanum videretur orare pro mortuis, & quia ſperabat, quod ij, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sed quia ſoletis, cum vos ſcriptura ſancta premit, negare canonicã eſſe: tametſi hos libros ab eccleſia receptos eſſe inter canonicas ſcripturas teſtes ſunt Clemens Rom. beatus Hierony. in prologo, Aug. lib. 18. de ciuita. Dei c. 36. lib. 2. contra epiſt. Gaudentij c. 23. lib. 2. de doctr. Chriſti c. 8. lib. de cura pro mor. c. 1. item Synodus Romana Damaſi, Synodus Carth Synodus Afric. Synodus alia Romana Gelaſij, & Synodus Floren. ac Triden. tamen ſeponamus interim horum librorum auctoritatem ſi non valent apud vos ad auctoritatẽ, at valeant ſaltem ad antiquitatem. Reſpondete mihi, vnde didicit Iudas Maccabæus, quem vos ſaltem virum bonum, ſanctum, & in lege Moyſis eruditum, & feciſſe hoc, non credo negabitis, & ſi ſequendum eſſe non putetis, vnde, inquam, didicit pro mortuorum quoque peccatis fieri ſacrificia, niſi vnde Paulus quoque didicit, fieri pro mortuorum peccatis baptiſmata, quæ ad iuſtificationes culturæ, ſicut idem Apoſtolus vocat pertinebant: Si mortui, inquit, non reſurgunt, vt quid baptizantur pro mortuis? ex eo, quod ritu ſolenni ſecundum legẽ fiebat, probat reſurrectionem eſſe. Scriptum enim erat in Num. Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus, aſpergetur ex hac aqua die 3. & 7. ſi die 3. aſperſus non fuerit, 7 non poterit emũdari. deinde ſubiungit: omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinium, & mortuus erit ſine hac mundatione, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Iſrael, id eſt, propter hoc peccatum morietur: quia, inquit, aqua expiationis non eſt aſperſus, immundus erit, & manebit ſpurcitia eius ſuper eum. pro peccatis ergo eorum, qui cum pietate alioqui mortui erant, ſed ſine huiuſmodi baptiſ-

Iude didicit Iudas Macab. pro peccatis mortuorum fieri ſacrificia, vnde Paulus fieri in vetere teſtam. pro peccatis mortuorũ baptiſmata.

1. *Cor.* 15.
Num. 19.

matibus, ſiue aſperſionibus: alij poſteà, qui de eis ſolici-
ti erant, baptizabantur, id eſt, aſperſiones illas, ſine qui-
bus illi à vita receſſerant, ſibi per ſacerdotes legis ad-
hiberi curabant ad ſatisfaciendum pro illis, quod qui-
dem nunquam feciſſent, niſi iam crederent, quod poſt-
eà Apoſtolus ſcripſit: Omnes nos manifeſtari oportere *2. Cor. 5.*
ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria *Gal. 3.*
corporis, pro vt geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. In
hanc enim fidem reſurrectionis, & remunerationis,
quæ reuelanda erat, concluſi in illis ſymbolis, & vm-
bris, ſub lege cuſtodiebãtur. Vt quid ergo, inquit Apo-
ſtolus, baptizantur pro mortuis, id eſt, mundantur à
ſacerdotibus ſecundum legem pro peccatis eorum,
qui mortui ſunt ſine mundatione, ſi mortui non reſur-
gunt, ad hoc ſcilicet vt referat vnuſquiſque propria
corporis, pro vt geſſit, ſiue bonum, ſiue malũ? ſic enim
(ne ſine auctore, & quidem magno, & antiquo patre
loquamur, vt ſemper facere ſolent Magdeburgenſes)
ſanctus Ephræn Syrus in teſtamento ſuo, ſiue in ſermo
ne de morte ſua hunc Pauli locum interpretatus eſt. Si
(inquit) mortui non reſurgunt, ait Apoſtolus, vt quid
baptizantur pro mortuis, οἱ γὰρ τῷ νόμῳ ἐπὶ προσδοκίᾳ τῆς *1. Cor. 15.*
ἀναστάσεως ἐν μυστηρίῳ συγκεκλεισμένοι δαπτίζοντο εἰς τὴν
μέλλουσαν πίστιν ἀνακαλυφθῆναι καθὼς ἀνέγνωτε, ὅτι ἐν προσ-
φοραῖς λατρειῶν περιεκάθαιρον οἱ ἐν νόμῳ ἱερεῖς. interprete-
mur latinè. Qui enim inquit, in lege erant, propter ſpẽ
reſurrectionis in myſterio tenebantur concluſi in eã fi-
dem, quę reuelanda erat, ſicuti legiſtis, quod ſacerdotes
legis in oblationibus culturæ mundabant. Deinde con
cludit idem ſanctus Ephræn, ſi hoc illi poterant, multò
magis poſſe ſacerdotes noui teſtamenti debitum mor-
tuorum ſanctis oblationibus & precibus diſſoluere.
Quanta verò ſit huius patris in eccleſia catholica au-
ctoritas, teſtatur grauiſſimus auctor Hieronymus. ad
tantam enim ait veniſſe illum claritudinem, vt poſt le-
ctionem ſcripturarũ publicè in quibuſdã eccleſiis eius
ſcripta recitarentur. Audetis ergo comparare vos cum
ſancto Ephræn? Sed vt in ore duorum, vel trium ſtet o-
mnę verbum, ſic quoque hunc locum Pauli interpre-
tatus eſt Ephren ſyrũ ſecutus Euſtratius presbyter Cõ-

Explicatio loci Pauli obſcuri, vt quid baptizantur pro mortuis, ducta ex ſcriptura, & antiquis eius interpretibus.

ſtantinopol. in lib. de immortalitate animæ & operatione eius poſt libri mortem, cuius vt antea dixi, meminit etiam Photius Conſtan. in bibliotheca ſua. accedat etiam auctoritas Apollinaris veteris interpretis ſcripturarum. is enim interpretans illum locũ libri Numer. Si mortuus fuerit ſine hæc mundatione, polluetur, & immunditia eius manebit ſuper eum, hæc (inquit ille) validiſſima ratio eſt cõtra Samaritanos. Etenim niſi eſſet poſt mortem ratio munditiæ, & immunditiæ, nunquam legiſlator de mortuo dixiſſet. Si mortuus fuerit ſine hac mundatione, immũditia manebit ſuper eum. Hactenus Apollinaris. Scripturam ergo negat, & cum Samaritanis facit reſurrectionẽ negantibus, qui negat mortuos ſine mundatione leuiorũ macularũ, non poſſe poſt mortẽ mundari, vt mundati reſurgant, tandem recepturi propria corporis, prout geſſerunt bonũ, ſicut Apoſtolus ait. Prætereà cum Eccleſiaſticus præcipit inquiens: Mortuo ne prohibeas gratiã, dicant nobis Magdeburg. de qua gratia hic præcipi exiſtimãt, niſi de gratia dati? Sic enim idem Eccleſiaſticus proximè dixerat, Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua. Deinde, quia ſubiunxerat, Gratia dati in conſpectu omnis viuentis, quo præcipiebat omñi petenti dare, ſicut eſt in euangelio, ne quis exiſtimaret, viuis tantùm, qui petere poſſunt, & quos videmus coram petentes benefaciendum eſſe, ſubiũgit ſtatim, Et mortuo ne prohibeas gratiam, ſcilicet dati. Dari ergo aliquid poteſt mortuo, quod ei opus ſit, & eum iuuet. Hoc autem, quod mortuo dare ſcriptura ſancta præcipit, cum aliud eſſe non poſſit, quam orationes, ſacrificia & eleemoſynæ, quæ pro eo fiunt ad emundationem ſordicularum in Purgatorio, conſequens neceſſario eſt, vt qui & locum Purgatorij, & huiuſmodi gratiam dati mortuis neget, & prohibeat, vt Lutherani prohibent, idem ſcripturæ ſanctæ contradicat. Hactenus ex ſcripturis ſanctis pro Purgatorio, & pro iis animis defunctorum pietate noſtræ beneficentiæ in eo adiuuandis. Teſtimonia, verò veterum patrum prætermittam, nunc. quæ partim ex aliorum libris, partim ex meis de dogmaticis characteribus

Num. 19.

2. Cor. 5.

Eccl. 7.

Luc. 6.

Qui purgatoriũ & orandũ eſſe pro mortuis negant, ſcripturis contradicunt.

peti poſſunt, ne eadem ſæpius repetantur. vnus tantum ad illos ipſos teſtes nunc accedat Euſebius Alexandrinus, quem in libris noſtris tum propter eius antiquitatem, ac ſanctitatem, tum propter auctoritatem, quam ei Antherus pontifex in epiſtola ſua tribuit, libenter citare ſoleo. is igitur in homilia εἰς τὴν κυριακὴν μνήσθητι (inquit) ἐν τῇ προσκομιδῇ καὶ τῶν προαπελθόντων γονέων καὶ ἀδελφῶν. τοῦτο γὰρ ποιῶν, μεγάλην ἀνάπαυσιν παρέχεις τοῖς προαπελθοῦσι. πλήρωσόν σου τὴν εὐχήν. Memento (inquit) in oblatione ſanctæ ſcilicet Euchariſtię, parentum, ac fratrum, qui iam de vita deceſſerunt: hoc ſi feceris, magnam eis requiem præbes, comple preces tuas. cum hoc vltimum addidit, inchoatas & quaſi dimidiatas preces eas mihi indicaſſe hic auctor videtur, quæ pro viuis, & non etiam pro mortuis adhibeantur. Sed tempus eſt ad alia pergẽdi: nec enim propoſitum eſt mihi omnia dicere, ſed quæ magis neceſſaria ſunt, quæque ab aliis, qui ante me de eiſdem rebus ſcripſerunt, prætermiſſa ſunt, quia nec illi omnia dicere aut potuerunt aut voluerunt. Quod ſi adhuc Magdeburgen. non crediderint, doctrinam Petri, quæ eſt in epiſt. Clem. de exequiis mortuorum, & precibus, atque eleemoſynis pro eis faciendis, conſonam eſſe ſcripturis ſanctis, in eiſque hanc religionem, & pietatem mortuos adiuuandi, contineri, obiiciant, ſi quid præterea aduerſus hæc habent vt ad vtilitatem ſiue ipſorum, ſiue aliorum adhuc reſpõdeamus, quod quidem ſcio non facient, ne magis ac magis de inſcitia, & errore redarguantur.

Reſponſio ad illud in epiſtola Clementis 3. neminem iudicandum pro eo, quod ignorauit, cum videatur contradicere euangelio, de ſeruo ignorante voluntatem domini, & crapulante. Item reſponſio ad illud, quod in eadem epiſtola reprehenſum eſt, quod merita Apoſtolorum Dæmonia eiicerent, quódque neutrum eorum Magdeburg. intellexerint, ex verbis ipſius epiſtolæ demonſtrari.

Caput 15.

“ REргunt deinde Magdeb. accuſare do-
“ ctrinam harum epiſtolarum. His (in-
“ quiũt) ſimile eſt, quod Clem. 3. dicitur,
“ neminẽ pro eo, quod ignorauit, iudi-
“ catum iri, ſed tãtùm pro eo, quod quis
“ ſciuit, & nõ fecit, cum tamen Chriſtus
“ dicat: ſeruus ignorans voluntatẽ Domini, vapulabit.]
Sed recitemus, quæ Clemens ſcripſit, vt intelligant, qui hæc lucturi ſunt, neque Clementẽ, nec euangeliũ iſtos intellexiſſe: Si quis, inquit, ſanè audiẽs ſermonem veri prophetæ velit recipere, aut nolit &c. & paulò poſt: igitur priuſquam audiat quis, quod ei expedit, certum eſt, quia ignoret: & ignorãs vult, & deſiderat, quod nõ expedit agere. propter quod pro hoc non iudicatur. de eo loquitur, vt vos videtis Magdeburgenſes, qui ideo ignorat, quod facere expediat, quia non prius audiuit, ſcilicet ſermonem veri prophetæ. de quo proximè dixerat, ſi quis ſanè audiens ſermonẽ veri prophetæ, &c. hic, inquit, non iudicatur propter hoc, quod ignorat, quomodo.n ſecundũ Apoſtolũ, credere poteſt, niſi audiat? aut quomodo audiet ſine dicente, vel prædicante verbum? Fides.n.ex auditu eſt, vt idem Apoſt. ait, auditus autẽ per verbum Dei. Auditũ enim vocat hic ſcriptura, vt ſupra iterũ dixi, reuelationẽ, quæ fit per ſpiritum Dei, ex qua fides exiſtit, ſicut ait Abdias propheta: Auditũ audiui à Domino: & Eſai. Quis credidit auditui noſtro? id eſt, reuelationi nobis factæ, ſiue cognitioni rerũ nobis oſtenſarũ? Sic igitur ſecundũ hanc conſuetudinem loquendi in ſcripturis dixit Clemẽs. Priuſquam audiat quis, quod ei expedit, id eſt, priuſquã reueletur ei veritas, certum eſt, quia ignoret, & ignorans vult, & deſiderat, quod non expedit agere: & quia hic ignorat, non iudicatur pro hoc. Si enim Cornelius non audiſſet, quid oporteret ſe facere, id eſt, baptizari, an eſſet pro hoc iudicatus? id eſt, punitus? minimè. quomodo enim audire ſine prædicãte potuiſſet? Quare quicunque iudicantur, prius audiunt, quod verum eſt, & quod eis expedit agere. Subiungit deinde Clemens: Cum verò audierit cauſas erroris ſui, & rationem veritatis acceperit, tunc ſi permanſerit in his er-

Rom.10.

Abd.1.
Eſ.53.

roribus,quibus dudum fuerat prçuētus,rectè iam vocabitur ad iudicium, daturus pœnas, quia vitæ huius ſpacium,quod ad bene viuendum accepit, in ludibriis conſumpſerit errorum. Qui verò audiens hæc, libēter accipit, & gratulatur, bonorum ſibi doctrinam fuiſſe delatam,requirat intentus,& diſcere non deſinat, vſq; quo cognoſcat,ſi eſt verè aliud ſæculum,in quo bonis præmia præparata ſint. Hactenus Clemēs eum deſcripſit,qui iam per fidem à Deo ſibi reuelatam cognouit Deum eſſe, & remuneratorem eſſe. Deinde ſubiungit: Et cū certus de hoc fuerit, gratias agat Deo, quod ſibi veritatis lumen oſtenderit, ac de cætero dirigat actus ſuos in omnibus operibus bonis, quorum ſibi in futuro mercedem certus eſt præparatam eſſe. Hoc verò ſubiunxit cōuenienter ſcripturis ſanctis. ne quis falsò, vt Lutherani tradunt, exiſtimaret, poſſe hanc fidem, de qua loquebatur, eſſe perfectam, aut ſatis ſine charitate, per quam fides in operatione mandatorum Dei exercetur. Deinde paulò poſt:Nam ſi me docente,inquit, ea quæ ad ſalutē pertinent, recipere quis abnuit, & animo prauis opinionibus occupato obſiſtere nititur, non ex nobis, ſed ex ſemetipſo habebit pereundi cauſam.debet enim iuſto iudicio examinare quæ dicimus, & intelligere, quia verba loquimur veritatis, vt cognitis iis,quæ ſunt, vt ſunt, in bonis actibus dirigat viam ſuam.Huiuſmodi ergo eſt ſeruus ille, de quo ait Dominus in euangelio: ſeruus neſciens voluntatem Domini.vapulabit paucis: de eo enim loquitur,qui alio docente voluntatem Domini, eam neſcit,neſcit inquam, quia ſcire non curauit, aut noluit. itaque cum ſeruum vocat ſcriptura, ſatis clarè ſignificat, ſcire eū, habere ſe Dominum, qui autem audit habere ſe Dominū,ſimul audit, quod ſibi expediat, ſcire voluntatē Domini:quod quidē ſi non faciat,ſed potius per ignorantiam peccet, vapulabit quidem, tametſi paucis, ſi cum eo comparetur, qui ſcit voluntatem Domini, & non facit: ac Clemens quidem de ignorante loquitur priuſquam audiat, quod ſi expedit. Notarunt præterea Magdeburgenſes in eadem epiſtola 3. Clementis,quod Apoſtolorum meritis attribuatur Dæmonum

eiectio, cum tamen (inquiunt) ſcriptura verbo Dei, fidei, & nomini Chriſti eam vim adſcribat, Matthæ. 16. In nomine meo Dæmonia eiicient. Hic quoque verbis ipſius Clementis in eodem loco poſitis, eoſdem Magdeburgēſes redarguemus. planúmque faciemus, aut ipſos non intellexiſſe, quod Clemens ſatis alioqui perſpicuè ſcripſit: aut malitioſè deprauaſſe. Recitemus ergo Clementis locum: Amen (inquit) dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit. deinde ſubiungit: huius vocis etiam vos ipſi documenta cepiſtis: & iam facta quædam per magiſtros noſtros, ipſos videlicet Apoſtolos non ignoratis. quia aſtantibus nobis eorum meritis dæmones cum paſſionibus, quas hominibus inuexerunt, tranſierunt, & fugati ſunt. quæ verò merita Apoſtolorum dicat, id eſt, quomodo meruerint eiicere dæmones, ſatis ex eo, quod proximè dixerat, perſpicitur, ſiquidem recitato, quod Dominus dixit, Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti. tranſi hinc, & tranſibit, ſtatim ſubiungit Clemens, huius vocis, vos ipſi documenta cepiſtis, id eſt, huius fidei virtutem in Apoſtolis experti eſtis, ſcilicet cùm ex huius fidei meritis dæmonia eiiciebant: vnde ſtatim ſubiungit, & iam facta quædam per magiſtros noſtros, ipſos videlicet Apoſtolos, non ignoratis. quia aſtantibus nobis. eorum meritis dæmones tranſierunt, & fugati ſunt. Quomodo. n. ſi propriis meritis dæmonia eiiciebant Apoſtoli, illius vocis, qua Dominus dixit habentibus fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic mōti, tranſi hinc, & tranſibit, documenta ipſi præbuerunt eiiciendo dæmonia? an non ſunt hæc repugnantia? ſanè ſunt. non igitur merita Apoſtolorū dixit, ſed merita fidei, quæ in Apoſtolis erat, & in eis merebatur, hoc eſt, digna erat eiicere & fugare dæmones. Si fidem non habuiſſent Apoſtoli, quam Chriſtus dixit habere oportere ad fugandos dæmones, non meruiſſent, ſiue non digni fuiſſent, qui fugarent eos. Iſta ergo merita Apoſtolorum Clemens dixit, fidem inquam, quam habebant munere Dei, quod iterum atque iterum repetit Clemens, ſubiungit enim: Quia enim alij quidem ho-

mines patiuntur,alij patientes ſanant,cauſa ſine dubio vel patiendi, vel curandi noſcenda eſt, quæ non alia eſſe quam patientibus quidem infidelitatis,curantibus verò fidei demonſtratur. An non tribuitur hic apertè fidei tanquam cauſæ, dæmoniaci curatio? Deinde ſubiungit: Infidelitas enim dum non credit futurum Dei iudicium, peccandi licentiam præbet. peccatum verò,hominem paſſionibus obnoxium facit: fides autem futurum Dei iudicium eſſe credens, continet homines à peccato: non peccantes verò, non ſolum liberi ſunt à dæmonibus,& paſſionibus, verùm & aliorum Dæmones & paſſiones fugare poſſunt. Hic rurſus fidei tribuitur, non ſolùm continere hominem à peccato, & non peccantem liberare à dæmone, ſed alios à dæmonibus liberare. Si in vobis Magdeburg. fides iſta eſſet, quam hic Clemens dicit,quæ viua perfectè crederet futurum Dei iudicium,non ſic homines manifeſtis mendaciis deciperetis. Sed hoc nõ creditis, niſi fide infirma,& mortua,quæ caret energia charitatis. Vnde fit, vt omnia cœco odio acti ad calumniã rapiatis, nihil veriti,ne poſtea erubeſcendum ſit in mendacio depræhenſis.Poſtquam ad hunc locum de fugatis dæmonibus meritis Apoſtolorum reſponſum erat, contuli has epiſtolas Romæ cum vetuſtiſſimo exemplari bibliothecæ Vaticanæ, in quo ſic ſcriptum reperi,eorum meritis trinæ beatitudinis.Etſi enim ex antecedentibus, & conſequentibus,vt docui,ſatis intelligi poteſt, merita Apoſtolorum, quibus dæmones fugabantur, merita fidei, quæ in Apoſtolis erat, Clementem intellexiſſe: tamen cum ita, vt dixi, ſcriptum in antiquis reperiamus, non eſt amplius in hoc loco laborandum, ſi quidem expreſſa ſint merita fidei Trinitatis, quibus Dæmones fugabantur. non enim meritum proprium apoſtolorum, ſed meritum fidei Apoſtolorum in Ieſum, & in patrem & in ſpiritum dæmonia ex corporibus obſeſſis expellebat. Sed reſpondeamus iam ad alia, quæ in accuſatione Magdeburg. ſequuntur.

Locus epiſtolæ Clementis de vetuſto codice emendatus.

De conſtitutionibus eccleſiaſticis, in vniuerſum: & quomodo eas hæretici, ad legem ſeruitutis pertinere falſo credant, & de lege libertatis, quid ſit ſecundum doctrinam ſcripturæ ſanctæ, & quid lex ſeruitutis, & quomodo hæc Lutherus ignorauit. *Caput 16.*

" SExto (inquiũt) ſana etiã doctrina de liberta-
" te Chriſtiana multis modis deprauatur. Va-
" riæ enim traditiones humanæ coaceruan-
" tur, quibus conſcientiis laquei ponuntur, &
" opinio cultus & meriti affingitur, cuiuſmodi ſunt de
" confeſſione articulari 1. Clementis: de reliquiis fra-
" gmentorum poſt cœnam Domini, de ſacris vaſis, de
" palla, ac velo, & aliis, vbi tranſgreſſoribus pœna ana-
" thematis etiam à Petro ſtatuta dicitur, Clementis 2. de
" vitanda menſtruata, & de purificatione Clemen. 4. & quæ ſequuntur, quæ ſuis locis recitabimus.] Hæc omnia à ſanctis Apoſtolis tradita, quæ in ſanctis ſcripturis non expreſſè legunt, traditiones humanas vocant iſti: nullúmque exemplum nobis relictum eſſe volunt ex eorum numero, de quibus Apoſtolus Paulus ad Theſſal. ſcripſit: Tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram: neque volunt, vt illa Corinthiorum laus nobiſcum communicetur, cum ait. Laudo vos, quod ſicut tradidi vobis, traditiones meas tenetis: neque ea, quæ in eccleſia Corinthiorum diſpoſuit, ſicut promiſerat, cùm ad eos reuerſus eſt, ad vllam aliam eccleſiam catholicorum perueniſſe volunt ſi quidem quaſcunque in eccleſiis noſtris diſputationes per manus ab antiquis patribus acceptas & ſumma religione & cultu ab ipſis Apoſtolorũ temporibus ſeruatas retinemus, omnia ad humanas traditiones referunt: hiſque tradunt, doctrinam de libertate Chriſtiana deprauari, de quo prius diſſeram aduerſus iſtos: poſtea ſigillatim de iis, quæ notarunt ad hunc locum pertinentia. Illud tamen prius hic dicam, videri mihi Magdeburgenſes, & reliquos magiſtros Lutheranorum ſimiles eſſe illius Iudæ Galilæi ſeditioſi, cui erat, vt Ioſephus lib. 18. antiquitatum Iudaicarum cap. 2. ſcribit, immutabilis amor libertatis, ita vt profi-

2. Theſſ. 3.

1. Cor. 11.
Nolunt Magd. communicari nobiſcũ laudẽ, quã tribuit apoſtol. Corinthiis, quod tenerent traditiones.

Mag. & cæteri Luthe. ſimiles Iudæ Galilæi.

teretur, quæuis potius tormenta ſubeunda eſſe, quam vllum hominem appellandum dominum, cui conſequens erat, vt nullis hominum legibus, aut cõſtitutionibus parendum eſſe traderet. ac fortaſſe huius hæreſis illa erat, de qua beatus Petrus in epiſtola ſua ſecunda, Dominum (inquit) contemnunt, audaces, ſibi placentes, & quæ ſequuntur. Sed excutiamus quod in primis quaſi huc pertinẽs ex epiſtola beati Pauli ad ſuam perditionem iſti deprauant: Pretio (inquit Apoſtolus) empti eſtis, no lite fieri ſerui hominum. Docuit Apoſtolus, omnes in Chriſto tum liberos, tũ ſeruos æquales eſſe, qua libertate, ſicut idem ad Galatas ſcripſit, liberauit nos Chriſtus: itaque & ſeruos liberatos eſſe Chriſti: & liberos ſeruos eiuſdem, & vtroſque cõſeruos pretio redemptoris noſtri emptos: quamobrem cauendum eſſe, ne propter ſeruitutem humanam non ſimus ſerui Chriſti, in quo admonuit, quod idem ad Epheſi. ſcripſit, oportere inuicem ſubiectos eſſe in timore Chriſti. Sed quia illud, Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum, ex eorum numero eſt, quæ beatus Petrus dixit difficilia eſſe intellectu in epiſtolis Pauli, quæ indocti (inquit) & inſtabiles ad ſuam perditionem deprauant, erant enim, qui malè illud interpretantes, exiſtimarent non eſſe parendum Principibus Gentilibus, ex quo fiebat, vt euangelium vituperaretur, quaſi doceret, non debere eſſe ſubditos Chriſtianos dominis non Chriſtianis, idcirco beatus Petrus: ſubiecti (inquit) eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi quaſi præcellẽti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorũ, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, vt obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. deinde ſubiungit: Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatẽ, ſed ſicut ſerui Dei. Interpretatus eſt, vt mihi quidẽ videtur, quod Paulus dixit: Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominũ perinde enim hoc eſſe puto, ac ſi diceret: ſubiecti eſtote iis, qui vobis præſunt, ita vt liberi ſitis à peccato, qua libertate Chriſtus nos liberauit, quod eſt ſubiectos eſſe, & ſeruire in Domino. Cauete autẽ, ne prætextu libertatis

2. Pet. 2. *1. Cor. 7.* *Gal. 3.* *Eph. 5.* *2. Pet. 3.* *1. Pet. 2.* *Gal. 4.*

Chriſtianæ, ſanctiones ac leges humanæ poteſtatis detrectetis. Itaque cum Paulus vetat fieri ſeruos hominũ, non vetat fieri ſeruos hominum propter Deum, & placere illis in bonum ad ædificationem, vt idem Apoſtolus ad Roman. ſcripſit, facientes voluntatem eorũ, hoc enim eſt, quaſi liberos eſſe, ſed vetuit fieri ſeruos hominum ad peccatum, & in contumeliam redemptoris noſtri. Qui ergo obſeruatione eorum, quæ religioſe in eccleſia ordinata ſunt, doctrinam de Chriſtiana libertate deprauari tradunt, hi poteſtatibus obediẽtiam negant, quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, vt beatus Petrus de ſimilibus dixit, id eſt, falſam ſpeciem libertatis Chriſtianæ, licentiæ ſuæ malitioſè prætexentes. quid enim peccati exprobare, aut obiicere poſſunt iſti in iis, quæ à præpoſitis eccleſiarum, ſanctis pontificibus, & conciliis conſtituta & præcepta ſunt ad reuerentiam, religionem, decorum, & ordinem in diuinis rebus pertinentia, quod propter peccatum cum libertate Chriſtiana conuenire non poſſit? Si Magdeburgẽſes intelligerent, quæ ſit lex libertatis, quam ſcriptura ſancta dicit, & in quo ſita ſit libertas, qua Chriſtus nos liberauit, & quæ rurſus ſeruitus illa legis, qua liberati ſumus, nunquam iſta dicerent, quę nunc dicunt. Explicemus ergo nos hoc ſecundum ſcripturas ſanctas, doceamúſque non magis ſanam doctrinam de Chriſtiana libertate conſtitutionibus eccleſiaſticis deprauari, quam decalogo deprauetur. Cum igitur euangeliũ eadem alioqui prohibeat, quæ lex Moſaici decalogi: hoc tamen præſtat euangelium, quod lex iram operatur, occidens ſtatim tranſgreſſores ſine vlla miſericordia, & neminem iuſtificans, qui ex lege ſit, ſicut Apoſtolus docet, id eſt, qui faciat opera legis timore carnali ſupplicij legis: hi.n. ſunt, & dicuntur ab Apoſtolo eſſe ex operibus legis: euangelium verò non occidit peccatores, ſed parcit, iudicium futuro iudicio reſeruans: iuſtificátque eos qui ex fide ſunt: id eſt, qui non ſecundum legem ſeruitutis ex timore carnali, ſed ex charitate in Deum faciunt opera legis, hoc. n. eſt eſſe ex fide ſicut idem Apoſtolus loquitur. qui.n. perfectè & vt oportet credit, idem etiam diligit: & qui diligit, ſermones eius, quem

Rom. 15.

2. Pet. c. 2.

In conſtitutionibus eccleſiaſticis nihil obiici poteſt contra libertatem chriſtianam.

Lutherani magiſtri, neque quid ſit lex libertatis, neque quid lex ſeruitutis, à qua liberati ſumus, intelligunt.

Lex libertatis nõ magis deprauatur cõſtitutionibus eccleſiaſticis, quem lege decalogi.

Rom. 4.
Heb. 10.

Gal. 3.

quem diligit, ſponte facit, vnde lex non eſt, vt Apoſtolus ait, poſita iuſtis, quia ſcilicet fidē habent cum dilectione, ex qua fide viuunt, & operantur per charitatem opera illa legis grauiora, quæ euangelium dicit, non autē operantur, quaſi ex lege, id eſt ex timore ſupplicij mortis, ſicut ſcriptū eſt. Irritā quis faciēs legē Moyſis, ſub duobus, aut tribus teſtibus, ſine miſericordia moritur, iuſtis (inquam) non eſt poſita lex ſeruitutis. Vt enim ait Clemens Romanus in lib. vi. de conſtitutionibus apoſtolicis, loquens de lege libertatis. Voluntatē hominis rurſus liberam reliquit Dominus non præſenti, eadémque breui morte mulctans, vt ſub lege, ſed iudicium in alterum ſæculum reiiciens. hactenus Clemens. Hoc autem magis adhuc idem Apoſtolus paulò poſt declarat. cum enim dixiſſet: & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur, quæ eſt ſecundū euangeliū gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi interpoſuiſſetque ea, quæ proximè ſequuntur ad hanc diſpenſationem ſibi creditam pertinentia, rurſus more ſuo redit ad continuandum propoſitum, ſubiungens: ſuperabundauit autem gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cū fide & dilectione, vt perinde ſit, quaſi diceret, ſublata parentheſi, quæ obſcuritatem periodo adfert, ſcientes hoc, quia lex non eſt poſita iuſto, ſed iniuſtis & nō ſubditis: ſuperabundauit autem gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum fide & dilectione, in quo quidem docet differentiam legis & euangelij, ſiue præſtantiā potius euangelij ſupra legem, in eo ſcilicet, quod commune erat legis, & euangelij, id eſt, quantū ad decalogū. lex enim decalogi Moſaici iubebat, & vetabat, vita & morte propoſitis: quæ ratio iubendi & vetandi bona erat & vtilis iis, qui terrore, & ſupplicio præſenti indigebāt, nūc verò inquit, ſuperabundauit gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cum fide & dilectione. eadem enim iubet, & eorum contraria vetat euangelium, ſed non operās iram & ſtatim occidens, vt lex illa ſeruitutis antiqua: imò, vt Clemens ait, reiiciens iudicium mortis in alterum ſæculum, & hic gratiam tribuens, operanti ſecundum legem libertatis, ſiue ſecundum legē gratiæ. id eſt, operanti ex fide ac dilectione. Hæc eſt, vt hoc

1. Tim. 1.

Matth. 23.

Heb. 10.

De lege libertatis in conſtitutionibus apoſtolicis lib. 6.

1. Tim. 1.

In qua præſtet euangeliū legi quātum ad decalogū alioqui communem legis & euāgelii ſecundū apoſt.

Quæ ſit ſuperabundantia illa iuſtitiæ, quam dominus ſupra iuſtitiam ſcribarum & Phariſæorum requirit.

Quod in epiſt. ad Tim. de lege ſeruitutis ſcriptum erat, ad legem libertatis Lutherus retulit.

obiter obſeruetur, illa, quã Dominus à nobis in euangelio requirit, ſuperabundantia iuſtitiæ noſtræ ex fide ſcilicet, & dilectione ſupra iuſtitiam ſcribarum & Phariſæorũ, qui ex lege erant, quod ergo à Paulo de lege ſeruitutis dictum eſt, non eſſe poſitam iuſto, hoc pater & magiſter veſter Martinus Lutherus dux euangelicorum primus ad legẽ libertatis pertinere voluit: & quod de operibus ſecundum legem ſeruitutis ab Apoſtolo ſcriptum erat, ad opera ſecundum fidem & dilectionem retulit: ita vt doceret, nõ eſſe opera neceſſaria, neque neceſſariam legem ad operandum, ſed tantùm ad oſtendendum peccatum. vnde hunc vos magiſtrum & ducem ſequentes traditis, omnes leges eccleſiaſticas cum euangelica libertate pugnare, quas tamen neceſſe eſt non magis pugnare, quam decalogum, cum æquè illarum legum, ſeu conſtitutionum opera, atq; opera decalogi ex fide & dilectione facere oporteat, ſi iuſtitia noſtra pluſquam ſcribarum & Phariſæorum abundare debeat: & vtraque ſi negligantur, ſupplicio mortis, in altero ſæculo ſubeundæ ſancita ſunt. imò illud etiam dicendum eſt, quo magis Lutheranos magiſtri & prophetæ ſui pudeat, legem, quæ non iuſto, ſed iniuſtis, & non ſubditis poſita eſt, cuiuſmodi ſit, ſi hoc feceris, aut illud non feceris, has, aut illas pœnas dabis, legem illam eſſe, quæ duros, & obedire nolentes terroribus, & ſuppliciorum minis impellit: non autem, quæ iis, qui rectè viuere volunt, quæ facienda ſunt & quę vitanda, declarat, & de eis admonet, ad eaque inuitat, & ducit non ſolùm ex ſcriptura ſancta, vt iam demonſtratum eſt, intelligimus, ſed ipſa etiã ratio naturalis hoc docet. Hinc enim Plato in libro de legibus ix. turpe eſt (inquit) quodãmodo, legibus ſancire, quæcunque in huiuſmodi ciuitate facturi ſumus, cuius ciues bonos futuros dicimus, & ad ſtudium virtutis rectè ſe habituros. velle enim vt quis in tali ciuitate bene morata natus ſit, qui ita nequitiæ aliorum turpiſſimorum particeps ſit futurus, vt oporteat legibus, & minis præcauere, ſi quis eiuſmodi exiſtat, turpe eſt quodammodo, vt dixit. ſed quia non vt antiqui illi legiſlatores, qui ipſi ex diis nati, filiis deorum leges ſcribe-

bant, ſed vt homines generi hominum nũc leges ſcribimus, nõ eſt inuidioſum metuere, ne quis ciuis ſit inflexibilis, qui adeò durus natura exiſtat, vt non magis animus eius molliatur, quã ſemina illa, quæ in cornu ſata, ita dureſcunt, vt nec igni molliantur: hi igitur legibus, quamuis ita validæ ſint, non flectuntur quorũ cauſa legem de ſacrificio & ſi non gratè primum ſcribimus, ſi quis hoc committere audeat. Deinde ſubiungit alioqui ciuem bene educatũ, nõ eſt, quòd velimus, aut ſperemus, hoc morbo vllo vnquam tẽpore laboraturum. verum famuli iſtorum, aut peregrini, & peregrinorum miniſtri multa huiuſmodi aggredi queant. maximè ergo propter hos, tametſi vniuerſæ generis humani infirmitati metuã, legem de ſacrilegis dictabo & de aliis huiuſmodi, quæ ad curãdum difficilia ſunt, aut ſanari non poſſunt. hæc Plato quæ quia vera ſunt, noſtra ſunt, vt ait Iuſtinus in priore apologia. Platonẽ ergo non ſcriptura diuina, ſed natura ſolùm docuit, legem ſcilicet timoris, quam nos legem ſeruitutis vocamus, iniuſtis ſcribi ad cogendum eos metu pœnæ, nõ autẽ iis qui naturaliter ſicut apoſtolus ait, ea quæ legis ſunt, faciunt, qui ſibiipſi ſunt lex non ſcripta, ſed nata, qui oſtendunt ſicut idem apoſt. ait, opus legis ſcriptũ in cordibus ſuis, at Lutherum neque ſcriptura docere hoc potuit, quia non legis libertatis patronus eſſe voluit ſed licentiæ, quæ facit, vt idẽ Plato lib. 3. de legibus ait, ne legibus ſubiecti eſſe velimus. ſed illud præterea non minus fatuum eſt, quod Philippus Melancthon princeps diſcipul⁹ Lutheri in viſitatione Saxonica his verbis ſcripſit, cum vellet eſſe corrector, & moderator doctrinæ magiſtri ſui, qui liberum arbitrium prorſus tollebat, voluntas humana vis eſt libera, vt facere poſſit iuſtitiam carnis, ſeu iuſtitiam ciuilem, vbi lege, & vi cogitur, vt non furari, non occidere. Deinde ſubiungit rationem. quia Paulus (inquit) docet eſſe quandam iuſtitiæ partem, quam caro coactis ſuis viribus faciat. Rom. c. 2. gentes natura faciunt, quæ legis ſunt. Quid autẽ faciunt, niſi ciuilem iuſtitiam? exigit autem Deus iuſtitiam hanc. 1. Tim. c. 1. lex eſt in iuſtis poſita. Hæc ille. qui ſi duos verſus Pauli antecedẽtes contuliſſet, &

Neque natura neque ſcriptura Lutherũ docuit, quod Platonem ſola natura.

Quomodo Philippus Melancthon voluit eſſe corrector Lutheri in libero arbitrio.

conſideraſſet, quibus planè cõuincitur, nõ intellexiſſe, quæ hic ſcripſit, & de quibus affirmauit, nunquam ea ſcripſiſſet: neque ſic opinatus eſſet. Dixerat ergo apoſt. non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur, ſcilicet apud Deum, hoc enim neceſſario repetendum eſt ἀπὸ κοινοῦ. deinde ſubiungit ſtatim exemplum eorũ, qui in lege naturæ ſine vlla lege foris ſcripta iuſtè coram Deo viuentes, apud Deum iuſtificati ſunt, qualis erat Iob, cũ enim inquit, gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Docet itaque hic Paulus, quemadmodum gentes in lege naturæ iuſtificari poterant apud Deum, facientes ſcilicet, quæ legis ſunt, vt eis natura inſitũ erat. Deus enim ad hoc & excitabat, & adiuuabat, cum non reſiſtebant. Philippus verò nõ intelligens quid diceret, & epiſtolæ Pauli antecedentibus, & conſequentibus repugnans, ſic ait. Paulus docet eſſe quandam iuſtitiæ partem, quam caro coacta ſuis viribus faciat Rom. 2. gentes natura faciunt, quæ legis ſunt. ſi enim de iuſtitia carnis hic locutus eſt Paulus, quorſum cum dixiſſet in Iudæos, qui de lege ſcripta gloriabantur, non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur, ſtatim ſubiecit ad demonſtrandum exemplo quod dixerat de iis, qui facientes legem iuſtificantur apud Deũ, cum enim gentes, &c. ex hoc ergo loco dogma peruerſum Melancthonis de libero arbitrio, ab ipſomet auctore redarguitur. Etenim ſi ex loco iſto prauè intellecto, de iuſtitia carnis, quæ meretur laudẽ ſolùm apud homines, concluditur ſecundũ Philippũ libertas voluntatis ad faciendam iuſtitiam carnis, ergo multo magis ex eodem loco neceſſario intelligẽdo de iuſtitia ſpiritus, quæ laudẽ habet apud Deum, concluditur ſecundum apoſtolum libertas voluntatis ad faciendam iuſtitiam ſpiritus, ex qua homo iuſtificetur. Deinde quo magis intelligatur abſurda Philippi repugnãtia, ſi illud quod Paulus ait. 1. Tim. c. 1. lex eſt iniuſtis poſita, ad hoc quod Paulus dixit in epiſt. ad Rom. c. 2. de gentibus, quæ natura faciunt, quæ legis ſunt, pertinet, vt Philippus affir-

mat, ergo iniuſtæ erant iſtæ gentes, de quibus Paul. ait, cum enim gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis ſunt, faciunt, &c. Præterea ſi iuſtitia iſta carnis ad deum relata, licet ex timore ac per vim facta, bona eſt, ergo non poteſt fieri ſolis viribus naturæ, vt Philipp. exiſtimat: aut ſi dicit, poſſe iam ſe Pellagianum faciet. quod ſi nō vult Pelagianus eſſe, & concedat, opus eſſe gratia Dei ad faciēdum iuſtitiā iſtam carnis, ſi iſta gratia Dei quæ ad naturā accedit adiutrix, non priuat voluntatem libertate, cur maior gratia, quæ accedit ad operandā iuſtitiam ſpiritus. quæ laudem meretur apud Deū, libertate naturali priuet? quaſi maior gratia magis ſit inimica naturæ. in has difficultates, & abſurditates, ac repugnantias ſe coniecit Philip. quia exiſtimauit, cum Paul. dixit, natura quæ legis ſunt, faciunt, ſolū vires naturales dicere, idcirco poſtquam citauit Paulū dicētem, natura quæ legis ſunt faciunt, ſubiungit ipſe, quid autem faciunt, niſi iuſtitiam ciuilem? quaſi iuſtitia ciuilis, quæ ad Deum referatur, viribus tantùm naturæ fieri poſſit. Quanto melius Philon Iudæus, & ſi Paulum fortaſſe non legit, intellexit, quam iuſtitiam, & quomodo natura illam facerent gentes illæ, quæ rectè viuebant, quas Paulus dicit apud Deū iuſtificari, quanto inquā melius quam Melancthon, qui Paulum legit? ſic enim Philon ait in extrema parte libri de præmiis. αὗται μὲν αἱ ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων τῶν ἀγαθῶν εἰσὶν εὐχαὶ καὶ τοὺς νόμους ἔργοις ἐπιτελούντων χάριτι τοῦ θεοῦ τὰ καλὰ διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητα σεμνοποιοῦντος καὶ γεραίροντος. id eſt, hę ſunt preces pro bonis hominibus, qui quæ legis ſunt, faciunt gratia Dei, qui ea, quæ honeſta ſunt, propter ſimilitudinem, quam cum ipſo habent, honore, & præmio afficit. hæc ergo ſunt opera, qua ait ſcriptura perficienda eſſe gratia Dei. Sed de his hactenus. faxit Deus, vt ſi qui ex diſcipulis iſtorum hæc legerint, intelligant, tādem, in quanto errore de libero arbitrio magiſtri ſui verſentur. Atque hactenus de humanis cōſtitutionibus in vniuerſum. Exempla verò traditionū humanarū, quibus ponuntur, vt iſti aiunt, laquei conſcientiis, & opinio cultus & meriti affingitur, poſuerūt præceptum de confeſſione auriculari 1. Clemen. & de

reliquiis fragmẽtorum poſt cœnam, de vaſis ſacris, de palla & aliis, vbi (inquiunt) pœna anathematis etiam à Petro ſtatuta dicitur, Clem. 2. reſpondeamus ergo de his prius, poſtea de aliis.

Defenſio doctrinæ beati Petri in epiſt. Clemen. de confeßione auriculari, & collatio eius doctrinæ, cum epiſtola 2. eiuſdẽ beati Petri, & cum loco Salomonis in Prouerbiis, & cum epiſtola prima beati Ioannis, & explanatio horum locorũ, & quod confiteri in genere ſe peccatorem, non facit erubeſcere, & quomodo beatus Ioannes in epiſtola ſua omnino loquatur de cõfeßione peccatorum in ſpecie, & quomodo hæc non ſit impoßibilis neque ardua. Cap. 17.

AC primum quidem de confeſſione auriculari, de qua non diſſeram prolixè, quod lib. 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei iam feci, videamus quã vim habeat, & quid in nobis efficiat, vt intelligamus non iniici per eam conſcientiis laqueos, ſed conſcientias potius laqueis ſolui, neque Chriſtianam libertatẽ deprauari, ſed ſeruitutem peccati tolli. Elegantiſſima igitur ſimilitudine expreſſit beatus Petrus in doctrina ſua, quam Clemens recitat in hac epiſtola, quam vtilitatem confeſſio adferat peccatori. cum. n. dixiſſet, ſimilem eſſe omnem ſtatum eccleſiæ magnę naui, quæ per vndoſum pelagus diuerſis è locis ac regionibus viros portat ad vnam potentis regni vrbem properare cupiẽtes, deſcripſiſſetq́; quis nauarchus, quis nauclerus, qui nautæ, qui vectores, quæ tempeſtates maris, quæ ſyrtes, quæ promontoria, qui ſcopuli, qui piratæ, qui fluctus, qui venti: ad extremũ dixit, qui eſſent, qui in naui nauſeantes vomerent, eos videlicet qui peccata inſtabilis noxiæ confiterentur. ἀπερῶντες, inquit, τουτέστιν ἐξομολογούμενοι τὰ παραπτώματα ὥσπερ νοσοποιοὺς χολὰς τὰς ἐκ πικρίας ἁμαρτίας λέγω, καὶ τὰς ἐξ ἐπιθυμιῶν ἀτάκτων, συρρευθέντα κακὰ ἅτινα τῷ ὁμολογῆσαι ὥσπερ ἀπερῶντες κουφισθεῖς τῆς νόσου. προθέμενοι πλὴν ἐκ τῆς ἐπιμελείας σωτήριον ὑγείαν. Interpretemur latinè: Vomentes (inquit) id eſt, confitentes lapſus, qui ſunt tanquam bilis quædam,

quæ morbum adfert, peccata dico amara, & mala ex cupiditatibus immoderatis collecta: quæ cum confitẽdo vomueritis, alleuabitur ægritudo, accedẽte inſuper bona valetudine ex ſtudio, atque cura. Confeſſione igitur conſcientia onere peccatorum depreſſa alleuatur, vt corpus vomitione. Sed quia hanc doctrinã beati Petri negatis, conferamus hunc locum cum epiſtola beati Petri ſecunda, cum ait de iam baptizatis. Si enim paulum, id eſt, ad breue tempus refugientes coinquinationes mundi in cognitione domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora peiora prioribus. Melius. n. erat illis non cognoſcere viã veritatis, quã poſtquam cognouerũt, retrorſum cõuerti ab eo, quod illis traditũ eſt ſancto mãdato. Deinde ſubiungit: cõtingit. n. eis illud veri prouerbij. Canis reuerſus ad vomitũ. ἐξέραμα vocauit beatus Petrus in epiſt. ſua vomitum à verbo ἐράω cum ἐξ præpoſitione, quo etiam verbo cum ἀπὸ præpoſitione vſus eſt Clemens, recitans doctrinam Petri. Reſpondete ergo mihi Magde. cur beatus Petrus in epiſt. ſua vocat vomitum peccata? aut quid eſt vomere peccata propter nauſeam, quam mouent? explicate nobis tranſlationẽ verbi: aut qua parte alia vomere ſoliti ſimus, niſi ore? & cur vomere niſi vt purgemur? Aut ergo cõcedite purgari animam occulta quadã ceu vomitione peccatorum, quæ ore fit, id eſt, confeſſione ſecreta: aut accuſate beatũ Petrum. Deniq; ſi natura docet, vt vomitionẽ facturi ſecretũ locũ petamus, niſi Cynici eſſe velimus. idque vt liberius vomamus, & alios horrore & nauſea ne offendamus: an nõ erit naturæ quoq; cõſentaneũ vt fœtidas ſpecies noſtrorũ ſcelerum ſecreto vomamus, id eſt, ore cõfiteamur? Videte quid leo ille, quem totus Oriens & Occidens cognomento Magnũ appellat, ad epiſcopos per Campaniã & Piſcenam ſcripſerit, rationem naturæ inſitam, & apoſtolicæ doctrinæ regulam ſequens, Illam etiam contra apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnoui à quibuſdã illicita vſurpatione cõmitti, modis omnibus cõſtituto ſubmoueri, ne de ſingulorum peccatorũ genere libellis cõſcripta profeſſio publicè recitetur, cũ reatus

Anima cõfeſſione peccatorũ ſecreta tanquã vomitione quadam ſpirituali purgatur.

2. Pet. 2.

Collatio doctrinæ Petri in epiſt. clem de confeſſione ſecreta cũ doctrina eiuſdẽ Petri in epiſt. 2. edem.

Natura conſentaneum ſecreto peccata per confeſſionem veluti vomere.

conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari cō-feſſione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere, non veretur, tamen quia nō omniū eiuſmodi ſunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiā poſcunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceātur: dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit. n. illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit: Tunc. n. demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus nō publicetur conſcientia confitentis. hactenus Leo. & beatus Hierony. in regula ad Euſtochium virginem, poſtquā docuit, quæ peccata, virgines debeant in cœnobio publicè confiteri, ſubiunxit, quod ad ſecretā, & auricularem confeſſionē pertinet. Neque tamen, propter hoc ſecreta cogitamina cordiū prodāt, nec occulta peccata, quæ ſolis ſacerdotibus debent confiteri. & Magnus Baſilius in regula monachorum c. 21. Cōfeſſio (inquit) peccatorum hāc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis, vel paſſio, quæ medico monſtranda eſt: ita confeſſio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo, qui curare hæc præualent, & emendare. cū dixit apud eos tantummodo, de ſecreta, & auriculari confeſſione planè intellexit, quam cum oſtenſione ſecreta vulneris, quę fieri ſolet medico, comparauit. quis enim palam, & non potius ſecreto, & occultè vulnus in iis locis præſertim, quæ Paul. inhoneſta vocat, medico oſtendit? Sed excutiamus locum Salomonis, quē beatus Petrus in epiſtola ſua citauit, quo magis pateat locutum eſſe beatum Petrum de vomitione ſpirituali, quæ ſit per confeſſionem ſecretam peccatorum, Sicut canis (inquit) cum reuertitur ad ſuum vomitū, & odioſus fit: ſic imprudēs, qui malitia ſua reuerſus eſt ad peccatum ſuum. Quem locum interpretans Procopius Gazæus, vt inquit, canis ſi ad eum cibum redeat, quem prius comederat, & poſtea vomuit, iis, qui vident horrorem & nauſeam mouet: ſic qui ſine ratione viuit, &

1 Cor. 12.

Pro. 26.

Explanatio loci Salom. de cōfeſſione citati in epiſto. beati Petri.

conſuetudine peccandi ad malitiam redit, à qua propoſitum fuit recedere, odioſus Deo & Angelis efficitur. intelligebat ſapiens interpres oportere interpretari accommodatè ad tranſlationem verbi, & ſimilitudinem canini vomitus, qui ore fit, idcirco cum reditu canis ad vomitum interpretatur comparari impudentiam peccatoris redeuntis ad peccatum, à quo propoſitum fuerat abſtinere, vt in confeſſione peccatorum fit. Deinde quia confeſſio tunc fit, cum peccator propter Dei timorem erubeſcere non veretur, idcirco accommodatiſſimè ſubiungit Salomon in ſpiritu prophetante de myſterio noſtræ confeſſionis ſecretæ eſt, pudor inducens peccatum: & eſt pudor gloria & gratia: ſic enim eſt apud ſeptuaginta, ſcilicet tunc pudor inducit peccatum, cum propter pudorem nolumus confiteri peccata: tunc verò pudor eſt gloria & gratia cum propter metum Dei non veremur erubeſcere confitentes, vt paulò antè dicebat. Leo. At quis veſtrũ Magdeburg. erubeſcit, cum confitetur ſe peccatorem, ſi nihil præterea in ſpecie & ſigillatim confiteatur? an non eſt ſanctorum illa vox, peccauimus? & illud in perſona populi, iniquè egimus? vos igitur gloriam & gratiam huius pudoris repudiatis, qui traditis non eſſe in ſpecie confitenda crimina: erubeſcere enim contingit, non cum in genere, ſed cum in ſpecie & ſigillatim confitemur. Præterea ſcribit beatus Ioannes Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate: ergo qui mundantur à peccatis, per confeſſionem mundantur ſecundum epiſtolam beati Ioannis: ex quo rurſus fit, vt de quibus beatus Petrus loquitur, quos dicit prius à peccatis mundatos, ad vomitum poſteà reuerti, per cõfeſſionem dicat mundatos fuiſſe, quia ſine confeſſione non fit mundatio in iis, quos ſanguis Chriſti prius mũdauit, & poſteà inquinati ſunt. ergo ad vomitum reuerti quos beatus Petrus dixit, eſt redire ad peccata, quæ iam per confeſſionem oris veluti per nauſeam & pœnitentiam vomendo eiecerant. Sed repetamus a capite locum beati Ioannis, dixerat enim, ſi autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habe-

Non erubeſcit qui ſe peccatorẽ in genere confitetur, ſed qui in ſpecie. Dan 3. 1. Ioan. 1.

Explanatio loci epiſt. Ioan. de confeſſione collati cum doctrina Petri.

mus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. at ſi emundat nos ab omni peccato, quid eſt, quod ſequitur: ſi dixerimus. quia peccatum nō habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt? qui enim ab omni peccato mundatus eſt, peccatum non habet. nunquid poſſumus carere per totam vitam omni peccato? minimè, non enim humiliter ſolùm, ſed etiam veraciter quiuis ſanctus in terra dicit orans, dimitte nobis debita noſtra; vt ſancta ſynodus Mileuitana, cap. 7. contra Pelagianos iudicauit. ſanctus enim, inquit, & iuſtus erat Iacobus frater Domini, qui dixit: in multis offendimus omnes: & Salomon: Non eſt, inquit, homo, qui non peccet. Quid igitur dicemus? nunquid beatus Ioannes ſibi contradicit? abſit: ſed potius de duplici emundatione locutus eſt, & de ea, quæ fit per baptiſmum, quo illuminamur: quæ repeti non poteſt, poſtquam ſemel facta eſt qua omnia peccata mūdantur, & fit prorſus noua creatura, de qua emundatione beatus Paulus in epiſtola ad Heb. impoſſibile eſſe dicit ſemel illuminatos rurſus renouari ad pœnitentiā, & de altera emundatione, quæ fit poſt baptiſmum per lachrymas pœnitentiæ mundantis in ſanguine Chriſti, quam ſanctus Anaſtaſius Antiochenus ſecundum baptiſmum ex aqua & ſpiritu ſancto vocat. & in lib. Paſtoris, pœnitentia mundans vocatur, vt Clemens quoque Alexādrinus in 2. lib. Stromatum obſeruauit. hæc, ſi poſt baptiſmum peccemus, repetitur de qua idem Paulus in eodem loco admonuit: ne quis falſò exiſtimaret, nullam renouationem, nullumque pœnitentiæ locum in eccleſia lapſis poſt baptiſmum, vt Nouatiani ſenſerunt, relinqui idcirco enim ſubiungit. Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Quando verò ſæpe quis imbrem ſuper ſe venientem bibit, & ſæpe item benedictionem à Deo accipit, niſi quando ſæpe peccatori pœnitenti per huius myſterij miniſtros, qui ſunt velut nubes quædam iuxta tropum Scripturæ ſanctæ, donatur per gratiā Dei remiſſio peccatorū, quę apud Eſaiā, dicitur benedictio, cū ait: Et hæc eſt benedictio eius, cū abſtulero peccata

Synod. Mile. *Iac. 3.* *Eccl. 7.* *Hebr. 6.* *Anaſtaſius Antiochenus.* *Clemens Ale.* *Hebr. 6.* *Eſa. 27.*

rorum. De hac ergo ſecunda emundatione, quæ non poteſt facere, vt dicere poſſimus, peccatum non habemus loquitur beatus Ioannes, cum poſt illam primam emundationem, qua mūdamur ab omni peccato, ſubiungit, ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra. cum enim dixit, fidelis, & iuſtus, ſatis ſignificauit beatus Ioannes de ea remiſſione ſe loqui. quam Dominus, qui fidelis eſt, & non mentitur, promiſit in euangelio per miniſtros huius ſacramenti, cum dixit. Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta erūt. addidit autem, Et emundet nos ab omni iniquitate, vt planè iam prioris illius emundationis excellentiam ac præſtantiam intelligeremus. Per baptiſmum enim mūdatur homo ab omni peccato, ſiue paruo, ſiue magno: confiteri verò omnia peccata etiam minuta non omnino neceſſe eſt ad ſalutem. At verò iniquitates & iniurias, quæ ſunt grauiora peccata, & confiteri poſſumus, & omnino debemus, quantum recordari poſſumus: ab hiſque omnibus mundamur. An enim putatis Magdeburgenſes temerè, aut indifferenter dixiſſe hic beatum Ioannem de confeſſione loquentem, & emundat nos ab omni iniquitate? & paulò ſuprà, de priore poſt baptiſmum emundatione emundat nos ab omni peccato cur ergo vos, qui ſemper verbum Dei iactatis, tam negligenter illud tractatis, vt nullam verborum ſcripturæ ſanctæ rationem habeatis? Quorſum contra confeſſionem, qua in eccleſia catholica ſecundum legem Chriſti omnes Chriſtiani vtimur, obiicere ſoletis, impoſſibile eſſe omnia peccata confiteri? quare laqueos conſcientiis iniici, & Chriſtianam libertatem tolli? quaſi nos traderemus, neceſſarium eſſe omnia peccata leuia & minuta confiteri, quod quidem minimè tradimus, aut, quaſi non concederemus, grauiora etiam aliqua, quæ meminiſſe non potuimus, remitti ſimul cum iis, quæ cōfeſſi ſumus: ſatiſque eſſe, ſi quando in memoriā venerint, ea confiteri, quis hic laqueus eſt? aut quid hic impoſſibile, aut ſaltem magnæ difficultatis? Et cum vos Magdeburgenſes, & veſtri Lutherani ſecundum formulam veſtrā confitemini, an impoſſibi-

De duplici mūdatione animæ in epiſt. Ioan. Ioan. 20.

Quare dixerit Ioan. loquēs de confeſſione, emūdat nos ab omni iniquitate, & non dixerit, ab omni peccato.

Nihil laquei, neque magnæ difficultatis in confeſſione ſe-

creta, & neceſſaria grauium peccatorum.

Quod nec ipſi Lutherani dicturi ſunt, tam multa eſſe peccata ſua mortalia, vt eorum recordari ſit impoſsibile.

le eſt vobis recordari, quæ in Deum commiſiſtis? quæ in corpus veſtrum peccaſtis? iniurias, quas proximo feciſtis? non credo dicetis, impoſſibile eſſe, nec enim hæc tam leuia fortaſſe vobis videntur, vt negligatis, neque tam multa eſſe dicetis, vt numerare non poſſitis. cur igitur illa in ſpecie non confitemini? cum tam apertè dicat beatus Ioannes: ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate, ſiue iniuria. ἀδικία enim quam interpres Latinus rectè interpretatus eſt, iniquitatem, nõ eſt leue peccatum, quod veniale vocamus: ſed grauè & mortiferum, quod charitati aduerſatur. Si non neceſſe erat confiteri in ſpecie, & ſingula peccata grauia, quorum meminiſſe poſſumus, quid opus erat ſic loqui? cur poſtquam dixit fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, omnia peccata, tum magna, tum parua complexus, de quibus dixerat prius ἀοριστῶς, id eſt infinitè, ſi dixerimus, quod ἁμαρτίαν non habemus, id eſt, caremus quocunque peccato, ipſi nos ſe ducimus, cur inquam ſpeciem peccati notauit Ioannes? iniquitas enim ſubter genus peccati eſt, peccatum namque latiùs patet. Prætereà, cum dixit beatus Ioannes hortans ad peccatorum confeſſionem quæ in nouo teſtamento pars eſt ſacramenti pœnitentiæ, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate, videtur etiã, admonuiſſe nos, licet paulò obſcuriùs, vt ſcriptura ſolet, quò diligentiùs eam perſcrutemur, de loco Ezechielis cap. 18. vbi dominus Iſraëlitas reprehendit, quod prouerbium illud falſum iniquè in Deum alioqui iuſtum & miſericordem vſurparent, dicentes, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, quaſi dominus, aliis peccantibus, alios puniret, quæ fuiſſet iniuſtitia, docuit quæ neminem fore aliorum peccatorum reum præterquam eorum omnium, quæ ipſe committeret: nec aliorum pœnitẽtiam debere, quàm horum, deinde ſubiungit, ſi autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiã, vita viuet, & non morietur. vt autem intelligerent pœ-

nitendum eſſe omnium in ſpecie,& ſingulorum,ſpecies ſingulas, grauium peccatorum paulò ſuprà enumerauerat, & cum dixiſſet, pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis,addidit,quæ operatus eſt,ſingularia enim ſunt,quæ operamur:ad extremum ſubiecit, & dixiſtis, non eſt æqua via mea: audite ergo domus Iſraël, nunquid via mea non eſt æqua? & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt? & rurſus paulò pòſt, & dicunt filij Iſraël, non eſt æqua via domini: nunquid viæ meæ non ſunt æquæ, & non magis viæ veſtræ prauæ? idcircò vnumquemque iuxta vias ſuas iudicabo domus Iſraël: ait dominus deus, conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras,in quibus præuaricati eſtis: & facite cor nouum,& ſpiritum nouum, quia nolo mortem peccatoris,dicit dominus. Si hæc non tantùm propter illos ſcripta ſunt,ſed etiam propter nos,quod credo non negabunt Magd.cum cęteris Lutheranis,ergo quorum fuit tunc pœnitendum,id eſt in ſpecie, & ſingulorum,de eis dicit beatus Ioannes hic,quaſi prophetiam de pœnitentia, vt pertinet ad nouum teſtamẽtum interpretans,ſi confiteamur peccata noſtra, id eſt, quæ nos operati ſumus, fidelis eſt,& iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra,& emundet nos ab omni iniquitate. hæc enim eſt illa via æqua domini, quæ dicta eſt prophetia Ezechielis propter nos, vt ſi confiteamur peccata,& omnes iniquitates noſtras,ab eis quidem mundemur:ſin verò non confiteamur,non mundemur. ſic enim vnumquemque noſtrum iuſtè iuxta vias ſuas iudicabit per pœnitentiam, & per confeſſionem ſcilicet peccatorum,& iniquitatum, in quibus ambulauimus, & iſtis ipſis promiſit propheticè remiſſionem: inquiẽs, viuo ego dicit dominus Adonai,nõ volo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur impius à via ſua mala, & viuat: & fidelis eſt,ut præſtet quod promiſit:id eſt,vt iis remittat,qui ſic peccata & iniquitates ſuas, quas operati ſunt,confitentur,nempe in ſpecie,& ſigillatim.niſi poſt conuenientem diligentiam obliuio excuſet. ſic enim id eſt,in ſpecie & ſigillatim pœnitentiam iniqui-

Ez.18.& 33.

tatum requirebat ab illis deus:& quorum ab illis pœni-tentiam,eorum à nobis,vt perfectionibus, & pœnitentiam & confeſſionem. vt Ioannes nobis interpretatus eſt,requirit.confiteri enim oportet,quorum pœnitet:& ſic confitentibus fidelis eſt & iuſtus, vt remittat. ad hanc itaque iuſtitiam Chriſti,quam Ioannes ait, pertinet illa via æqua domini in Ezechiele, vt paulò antè dixi:& ad hanc fidelitatem Dei, quam idem Ioannes ait, pertinet illud in eodem Ezechiele, viuo ego dicit dominus. &c. eſt enim iuſiurandum, quod dominus interpoſuit,ſicut Apoſtolus ait, vt oſtenderet immobilitatem conſilij ſui,quia impoſſibile erat mẽtiri deum. reſpexit itaque Ioannes,cum dixit,ſi confiteamur peccata noſtra,fidelis eſt & iuſtus, vt remittat peccata noſtra, non ſolùm ad illud quod dominus in euangelio dixit,quorum remiſeritis,peccata, &c. ſed etiam ad illud,quod per Ezechielem dixit,vt iam explicatum eſt. Deinde quemadmodum qui abſoluit,vt iudex,ſiue abſolutum pronunciat,vt vos ſecundũ diſciplinam vobis à propheta veſtro Marti. Luth. traditam loqui ſoletis, ab ſpecie peccati abſoluit,aut abſolutum pronunciat, ſi ſpeciem peccati nõ audiuit? confitetur ne apud vos reus pœnitens ſe peccatorem,an iniquum?peccatorem enim ſe quiuis quamlibet innocens,confiteri poteſt & debet, quia ſi dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis : iniquum vero poteſt ſe aliquis negare & quidem verè,ac iuſtè,vt alter Samuel,aut Iob, qui dixit alioqui cap.37. In manu omnis hominis ſignat, vt ſciat omnis homo infirmitatem ſuam:quod quidem Synodus Mileuitana cap. 7. de peccatis paruis interpretata eſt,quibus nullus homo caret,tanta eſt noſtra infirmitas,Deo ita ad vtilitatem noſtram permittente. Quod ſi neceſſe eſt, vt ſe reus pœnitens iniquum confiteatur, cum ſe iniquum agnoſcit, conſcientia eum arguente, an non neceſſe erit, vt confiteatur ſpeciem iniquitatis, vt iudex aliam ſententiam de peccato leui, aliam de iniquitate pronunciet?Quomodo enim ſi peccata non ſunt confitẽda in ſpecie & ſingula,ſacerdos remittere, aut non remittere ea poterit? quod ad iudicium ſacer-

Heb. 6.

Nemo poteſt ſe negare peccatorem, iniquum ſiue iniuſtum ſæpe poteſt.
Iob. 37.

dotale pertinere dominus voluit, cum dixit, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quomodo, inquam, facere poterit, quod apoſtolica conſtitutio interpres illius legis euangelicæ ad exemplum iuſti iudicij, quod ſecundum legem de peccatis fiebat, præcepit? vt non omnia vno modo ſed alia aliter punirentur? ſed recitemus conſtitutionem, quæ in lib. 2. Clemen. Rom. de conſt. apoſt. c 48 ſcripta eſt. Ne (inquit) de omni peccato idem iudicium pronuncietis, ſed de vnoquoque ſuum, ſingulis delictis tum paruis, tum magnis multa prudentia iudicatis: aliter inquam, facto, aliter ſermone, rurſus aliter propoſito, alio modo conuitio, alio ſuſpitione, atque etiam alios quidem minis tantum, & terroribus ſubiicies: alios mulctatione largiēdi pauperibus: item alios ieiuniis comprimetis: alios ex eccleſia eiicietis pro magnitudine & grauitate criminis: ſi quidem lex non omne delictum eodem ſupplicio afficiebat, quinimo alio atque alio commiſſa in Deum, in ſacerdotem, in templum, in hoſtiam, in regem, in ducem, in militem, in ſubditum, in æqualem, in famulum, in poſſeſſionem, in iumentum, ſiue in pecus: rurſus ſecus peccata in parentes, & propinquos: aliter peccata ex aggreſſione, aliter non voluntaria puniebat. atque alios quidem morte afficiebat vel cruci affigendo vel lapidādo: alios verò mulcta pecuniæ, vel verberibus, vel talione. deinde ſubiungit, ergo vos quoque diuerſa delicta diuerſis pœnis plectite, ne qua iniuria accidat, quæ iram Dei prouocet. cuius enim iudicij eritis adminiſtri, eius mercedem feretis, ſiquidem quo iudicio iudicatis, eo iudicabimini. hactenus conſtitutio. ſed vos Magdeb. quia non exiſtimatis referre ſcire, quæ ſpecies ſit, qua quis affectus eſt, aut quæ non ſit, neque quo iudicio iudicetur, idcirco neque ſpecies grauium peccatorum oſtendi vultis. vnde morem, quem patres & maiores veſtri à ſancta Romana eccleſia per Bonifacium Germaniæ apoſtolum, acceperant ſpecies peccatorum confitendi, veſtra diſciplina prætextu libertatis, ſuſtulit. Quod ſi ad iugum ſeruitutis pertinere vultis, & Chriſtianæ libertati aduerſari laborem ac pude-

Conſtitutio Apoſtolica de vario, & multiplici iudicio variorum peccatorū proportione culpæ.

Laborem, & pudorem confitendi in ſpecie iniquitates contra ſcripturas putat Luth. aduerſari Chriſtianæ libertati.

Lex confitendi contra libertatem eſt non ſpiritus, ſed carnis.

Iud. 1.

2. Pet. 2.

rem confitendi in ſpecie iniquitates, quas meminiſſe poſſumus, de iugo ergo ac ſeruitute gratulabatur Apoſtolus Corinthiis, cum eis gratulabatur de ſolicitudine, de indignatione, de timore, & de vindicta, quam de ſe ipſis ſumpſerant propter ſpeciem peccati grauis, in quo inceſtum illum non vitauerant. eſt quidem, fateor, hæc lex euangelica & apoſtolica confitendi iniquitates in ſpecie contra libertatem: ſed quam libertatem? carnis ſcilicet, quam vos Lutherani amatis, qui ſicut Iudas apoſtolus de aliis veſtris ſimilibus ſcripſit, gratiam in luxuriam tranſtuliſtis. Videamus ergo, an hoc tacuerit beatus Petrus, vbi de illis quoque veſtri ſimilibus ſcripſit, quorum ſermone & hortatu ad vitia priſtina redibant, qui illa prius veluti per vomitionem confeſſionis ſecretæ purgauerant. Sic enim ait: Superba vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore cõuerſantur, libertatem illis promittentes, cum ipſi ſint ſerui corruptionis.

Reſponſio ad ea quæ Magdeburg. obiiciunt contra doctrinã de confeſſione ſecreta. De loco Pſal. Delicta quis intelligit, quomodo eum veteres interpretati, & quomodo Paulus imitatus, & interpretatus ſit. Item de interpretatione loci Pauli. Quod enim operor, non intelligo, ex Methodio Martyre. Cpa. 18.

SEd quoniam quod vos Magdeburgenſes in Centuria veſtra ſecunda ſcripſiſtis, laqueum conſcientiis iniici lege ſecretæ confeſſionis, neque tamẽ, quomodo laqueus iniiceretur, explicaſtis, id autem alij ex veſtris condiſcipulis ita probant, quia dicat Propheta, Delicta quis intelligit? quod tum in libris ſuis, tum apud auditores, quos decipiunt, inculcare ſolent, neceſſe eſt, vt hunc locum non prætereamus. errant enim magiſtri Lutheranorũ, non intelligentes ſcripturam, neque virtutem eius, ſiquidem alia ſunt peccata, quæ confiteri neceſſe eſt, quæ cognoſci poſſunt: & alia quæ non poſſunt, & ideo neque

Hierony.

Quomodo illud Pſal. delicta quis intelligit? veteres interpretati ſint, tum de non peccatis leuib. Pſal. 18.

que confiteri neceſſe eſt. παραπτώματα ergo, quæ interpres latinus delicta vertit, nos lapſus dicere ſolemus, aiunt, inquit Hieronymus in epiſt. ad Ephe. cap. 2. eſſe initia peccatorum, cum cogitatio tacita ſubrepit, & ex aliqua parte conniuentibus nobis, nondum tamen nos impulit ad ruinam. Delicta itaque ait Propheta, quis intelligit? quia ſcilicet, vt ait idem Hieronym. difficilè ſit, initia & radices peccatorum intelligere. peccatum verò aiunt eſſe (ait idem) cum quid opere conſummatum peruenit ad finem. Et Theodoretus eundem locũ Prophetæ interpretans delicta, inquit, quis intelligit? Etſi enim vehementer ſtuduero mandata Dei ſeruare, ad multa tamen præter voluntatem naturali infirmitate trahor: & alia per ignorantiam committo, aut propter circunſtantiam alicuius neceſſitatis. Et quamuis, inquit, peccata ipſa, turpéſque actiones declinem: cogitationes tamen me polluunt, idcirco te imploro, qui purgare potes. Item Auguſt. Rogo, inquit, te Domine, quoniã delicta quis intelligit? ne mihi vt homini quædam ſurrepant: & quibuſdam vt homo præoccuper. Rurſus Caſſiodorus explanans, quæ ſint illa occulta & latentia, quæ dicit Propheta non poſſe intelligi, quæ (inquit) ita pullulant, atque ſurrepũt, vt ante effectum rei multis cælata videantur, monente ſcriptura: Ne eas poſt concupiſcentias tuas. Sic igitur tum hi, tum reliqui veteres interpretes tam Græci, quàm latini, ne omnes enumerem, delicta, quæ Propheta dixit non poſſe intelligi, interpretati ſunt, vt ſint hoc loco παραπτώματα, iuxta etymologiam verbi quaſi ἀποπτώματα νόμου παρὰ γνώμην, id eſt, lapſus à lege præter voluntatem, vt iam neceſſe ſit, aut omni culpa vacare iſta, vt ſunt tum cogitationes, quæ interdum, nobis etiam nolentibus, excitantur, tum naturales concupiſcentiæ, quibus vnuſquiſque tentatur, aut maculas eſſe humanæ infirmitatis, (quæ peccata venialia vocant) ex illis cogitationibus citra conſenſum perfectum per improuiſam ſurreptionem natis: quibus vt nemo ſemper carere poteſt, ita non neceſſe eſt iſta confiteri, tametſi vtile eſſe negare non licet. hæc enim ſunt, de quibus beatus Aug. in Enchiridio c. 71 ait, de quotidianis autem breuibus,

Theodoretus.

Auguſt.

Caßiodorus.

Eccl. 18.

leuibúſque peccatis ſine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfecit. eorum eſt enim dicere, pater noſter, qui es in cœlis, qui iam patri tali regenerati ſunt ex aqua, & ſpiritu ſancto delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata. hæc pater Auguſt. de iis loquitur, qui gratiam regenerationis retinent, quorum oratio dominica, qua petunt ſibi dimitti peccata ſecundum inſtitutionem domini, ex ea charitate proficiſcitur, vt quodcunque ex leuibus, & quotidianis commiſſis peccatis in mentem veniret, eos pœniteret. hæc enim ſunt, quæ illis tunc ſic orando remittuntur. alia ſunt præter orationem dominicam, & præter confeſſionem leuium peccatorum remedia, de quibus non eſt nunc differendi locus. Hæc tantùm aduerſus eos attigi, qui vt confeſſionem tollant, illud prophetæ, delicta quis intelligit, de peccatis mortalibus, quæ neceſſariò confitenda ſunt, falsò interpretantur. Sed ne quis veſtrum iam dicere audeat, non eſſe ſic intelligendum Prophetæ locum, quem vos de peccatis maioribus malè interpretamini, habemus Apoſtolum, qui hunc Prophetæ locum imitatus, huiuſmodi cogitationes, & naturales cupiditates mala & peccata vocat, quæ ſe ait non poſſe intelligere, cum ait in epiſt. ad Rom. Quod enim operor, non intelligo: deinde ſubiungit: non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. notauit autem hunc locum Apoſtoli cum propheta collatum, & interpretatus eſt Magnus Methodius diſputans contra Aglaophontem Origeniſtam in lib. 2. Eiph. tom. 1. hæreſi 63. Nam quod dictum eſt, inquit, quod operor, non intelligo, & facio quid non volo, non de eo, quod operati ſumus, ac perfecimus malum, accipiendum eſt, ſed de eo, quod ſolùm cogitauimus, cogitationibus, quæ non conueniunt, ſæpè nobis aduolantibus, ludificantibuſque nos in iis, quæ nolumus, dum anima cogitationibus circa multa circumducitur. non enim in nobis ſitum eſt cogitare, aut non cogitare abſurda, ſed vti, aut non vti cogitatis. Prohibere enim nõ poſſumus, quin incidãt nobis cogitationes, quæ ad probationem noſtri extrinſecus afflantur: non aſſentiri autem, ſiue

Quomodo Apoſto. in epiſ. ad Rom. imitatus ſit & interpretatus locũ pſal. delicta quis intelligit.
Rom 7.
Methodius in locum Pauli, quod enim operor. non intelligo.

non vti ipſis, poſſumus. Quomodo enim Apoſtolus malum, quod diſplicebat, feciſſet? & bonum, quod placebat, minimè? niſi loqueretur de cogitationibus non legitimis, quas cogitamus interdum etiam nolentes, & vnde ortas, neſcientes, quas euertere, & reprimere oportet, ne propagatæ terminos animæ occupent. fieri enim non poteſt, vt in nobis ortum capiat virtus: ſi iſtis opportunum tempus detur. Rectè igitur dicebat, quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo, facio, ſed quod odi, hoc ago. volumus enim non cogitare ea quæ non conueniunt, & quæ fas non eſt: quandoquidem hoc eſt perfectum bonum, non ſolùm à faciendo abſtinere, ſed à cogitando: & quod volumus, hoc bonum, non efficitur, ſed quod nolumus, malum. Veniunt enim in cor noſtrum ſæpe, etiam nobis inuitis, infinitæ de rebus infinitis cogitationes, quæ nos curioſitate vana implent. Quamobrem velle quidem cogitare iſta, adiacet: efficere autem, vt deleantur, & non rurſus redeant, non eſt in noſtra poteſtate, vt dixi, ſed vti ipſis, aut non vti: vt ſit hic ſenſus eorum, quæ Paulus dixit. Non enim quid volo bonum, facio, ſiquidem volo non cogitare, quæ nocent mihi: hoc enim bonum eſt, & omnis reprehenſionis expers, & quid prouerbio dicitur, quadrangulum manu, & mente factum, quod ex nulla parte reprehendi poſſit. atque hoc quidem bonum, quod volo, non facio, quod autem nolo, malum ago: nolo cogitare, & cogito, quæ nolo. Ac conſiderandum eſt vtrumne precaretur Dauid Dominum propter huiuſmodi cogitata? quod & ipſi moleſtum eſſet cogitare quæ nollet, cum aiebat. Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto magno, & ipſe Apoſtolus in alio loco: Cogitationes, inquit, deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & captiuantes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Si verò quis huic ſermoni cominus occurrere auſus, reſponderit, docere Apoſtolum, non ſo-

lum in cogitando eſſe malum, quid odimus, & quid nolumus, ſed in faciendo, quia dictum ſit: non enim quid volo, facio bonum, ſed quid nolo malum, hoc ago. Si vera dicit, qui hæc dicit rogabimus eum, vt explicet, quid mali erat, quid Apoſtolus oderat: quid facere quidem nolebat, faciebat tamen: & bonum, quid volebat facere, & non faciebat: ſed contra potius, quoties volebat facere bonum, non bonum, quid volebat, ſed malum, quid nolebat, faciebat. nunquid cum nollet idola colere, ſed Deum, hoc quid volebat, id eſt, Deum colere, non poterat? quid verò nolebat, id eſt, idola colere, hoc poterat? aut caſtus eſſe, quid volebat, non poterat? & impudicus eſſe, à quo abhorrebat, poterat? & denique vt ſummatim dicam, crapulæ, luxuriæ, iræ, iniuriæ, & reliquis maleficiis, quæ nolebat operam dabat: quibus autem volebat, iuſtitiæ, ſanctitati non dabat? Atqui ipſe in eccleſiis cunctos ad non violandam legem hortatoriè excitans, non ſolùm eos, qui turpia committunt, & faciunt, ad interitum, & iram ſeruari affirmat, ſed eos etiam, qui illis aſſentiuntur: contendens iuſtitiam ſine admixtione peccati exerceri, omne enim peccatum, & peccati ſtudium carne perficitur. Hæc Methodius, & quæ ſequuntur, ne omnia è Græco conuertam. quæ ſatis declarãt, quæ ſint illa delicta, quæ Dauid propheta ait, non poſſe intelligi, de quibus ſubiungit idem propheta, ab occultis meis munda me domine: occulta enim & latentia vocat, quæ prius dixerat non poſſe intelligi, vt Paulus quoque dixit Prophetam imitatus. Quæ ſi non dominata fuerint: dominantur autem, cum illis malis cogitationibus vtimur aſſentiendo, tunc inquit, emundabor ἀπὸ μεγάλης ἁμαρτίας, id eſt, à peccato magno. magnum enim peccatum vocauit, quod nos mortale dicimus. Vt iam hæc ſint, quæ & intelligi poſſunt ad declinandum: & ſi admiſſa fuerint, intelligi debent ad confitendum. qualia ſunt, quæ proximè ex epiſtola Pauli recitauimus, quæ aditum regni cœleſtis prohibent, & quæ Dominus in euangelio dixit ex corde exire, & inquinare hominem, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemias. quæ ſi

Doctrinæ Apoſtolicæ de confeſſione multi alii cum Clemẽte ſunt teſtes, Diony. Areop. in eccl. hier. c. de piè defunctis, in epiſ. ad Demophilum.

non neceſſe eſſet confiteri in ſpecie, nec cognoſci, & niſi de de eiuſmodi confeſſione peccatorum in ſpecie Apoſtolorum Ioannes dixiſſet, cum dixit, ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate, nunquam profectò Dominus in euangelio ſpecies peccatorum enumeraſſet: neque Apoſtolus Paulus idem in epiſtolis ſuis feciſſet: Hactenus de apoſtolica doctrina confeſſionis in epiſtolas. Clementis quàm doctrinam ęcclesia catholica percunctum Orientem & Occidentem profitetur, cuius doctrinæ Apoſtolicæ multi alij cum Clemente teſtes ſunt.

Ireneus lib. 3. c. 4. & lib. 4. c. 9. Tertull. in li. de pœnit. [redacted] *Cypr. ſermo. 5. de lapſis & lib. 3. epiſt. epiſt. 18. ad clerum. Athanaſ in ſerm. Super illud, ite in Caſtell.*

Reſponſio ad reprehenſionem de reliquiis corporis Dominici ſumma religione cuſtodiendis, & de anathemate beati Petri in cuſtodientes eas negligenter: & in eos, qui pallam, quæ corpus Domini tetigit, ad alios vſus transferunt: & quomodo iſta contra ſcripturam Magd. reprehendant.

Cap. 19.

SEd tranſeamus ad alia, quæ deinceps in eodem loco Magdeburg. ad traditiones quoque humanas, quas fingunt, retulerunt, vt de reliquiis, inquiunt, fragmentorum poſt cœnam domini.]

Si iſti nobiſcum, & cum vniuerſa eccleſia Orientis crederent, eſſe extra vſum ſacramenti Euchariſtiæ corpus Chriſti, vt patres & maiores eorum ſemper crediderunt, quicquid ad corporis Chriſti honorem, & cultum, ac religionem pertinere videretur, æquè piè, ac libenter amplecterentur. neque dubitaſſent vnquam, quin eccleſiaſtica conſuetudo reliquias corporis Dominici in ſacrario ſumma religione, & diligentia cuſtodiendi apoſtolorum inſtitutione digna eſſet, cui non

ſolùm in hac epiſtola, quam iſti negant, teſtimonium Clemens tribuit, ſed in 8. libro de conſtitutionibus apoſtolorum, quas litteris mandauit. poſtquam enim, cum ſacrum ſit, ordine, qui interfuerunt, cum metu, & reuerentia communicarunt, diaconi, inquit, reliquias inferant εἰς παστοφόρια. id eſt, in thalamum, ſic enim vocat ſacrarium, in quo collocatur verus ſponſus animarum noſtrarum, idémque panis viuus, & conuiuium nuptiale myſticum, cuius communione diuinæ naturæ participes efficimur. Nunc verò cum hoc Lutherani non credant, conſequens eſt, vt culturam panis communis, vt ipſi ſentiunt, & cuſtodiam eius religioſam anathemate ſancitam ad traditiones hominum, quæ cum ſcripturis ſanctis non conſentiunt, referant. Quorſum enim, inquiunt, panis cibarius, qui in peram, & arcam, & in ſinum condi poteſt & ſolet, & in popina, & in ſtabulo edi, in ſacrario ſeruandus ſit? Quæ iſtæc religio, vel potius ſuperſtitio? conuenit itaque in iſtos, quod idem Clemens in lib. 2. hiſtoriarum de diſputationibus Petri cum Simone Mago ſcribit dixiſſe beatum Petrum de Philoſophis Græcorum. πολλὰ καὶ διάφορα ἐδογμάτισαν τὴν οἰκείαν τῶν ὑποθέσεων ἀκολουθίαν ἀλήθειαν εἶναι νομίσαντες, οὐκ εἰδότες ὅτι αὐτῶν ψευδεῖς ἀρχὰς ἑαυτοῖς ὁρισαμένων, τῇ ἀρχῇ αὐτῶν τὸ τέλος συμφωνίαν εἴληφεν. ὅθεν δεῖ τὰ πάντα παρελομένους μόνῳ τῷ τῆς ἀληθείας πιστεῦσαι ἑαυτὸν προφήτῃ. Interpretemur latinè, multa, inquit, & varia tradiderunt, arbitrati id verum eſſe, quod erat materiæ ſiue argumenti conſequẽs. latuítque eos, quia falſa principia ſibi ſtatuiſſent, extremum cum illorum principio conueniſſe. Quare oportet, omnibus ſublatis, ſoli vero prophetæ ſe ipſum committere, & concredere. Sic igitur Magdeburgenſi. euenit, quia hoc principium cum reliquis Lutheranis ſibi conſtituerunt, non eſſe corpus Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ extra vſum eius, quod conſequens erat, id verum eſſe putauerunt: id eſt, non eſſe in ſacrario ſeruandas reliquias fragmentorum, neque qui non ſeruaret, puniendum, non intelligentes, quia falſum principium ſumpſerunt, eius principij conſequens eſſe hoc extremum, quod veritati repugnat. quare oportet eos ſcripturis ſanctis cre

Ex altera editione librorum Clementis, de qua Rufinus in prologo meminit.

dere, quæ corpus Chriſti extra vſum communionis eſſe, docent: ex quo efficiatur, vt ad ſalutem animarum, qua decet religione neceſſariò ſeruandum ſit, ne vllum cum decedendi de vita tempus inſtat, extremo viatico, & maximè omnium neceſſariò priuetur, vt Synodus Nicena canone 13. ſtatuit. cum ſæpe accidat, vt propter tempus, vel locum, vel ægrotum ipſum, fieri ſacrificium non poſſit, vt tunc ægrotus communicet, niſi ex ecclesia viaticum afferatur. Prophetás ergo Eſaias de hoſtiis noui teſtamenti, & filios, inquit, aduenas, ſiue alienigenas, vt eſt apud ſeptuaginta qui adhærent Domino vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos, & omnem cuſtodientem ſabbatum adducam illum in montem ſanctum: & lætificabo eos in domo orationis meæ. & ſubiungit: holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gẽtibus: ſic enim eſt apud ſeptuaginta. Quem locum ita interpretatur beatus Cyrillus, vt probet neceſſariò hæc ad tempus noui teſtamenti, & ad eccleſiam noſtram pertinere, & de ea hoc loco Eſaiam propheta ſſe. Loquitur enim (inquit) cum gentibus, quæ per fidem coniunctione ſpirituali cum Deo copulantur, qui gloriam ſuam in obſequio, ac ſeruitio Dei ſitam eſſe volunt: & nomen Dei ita amant, vt iugum regni eius omni obedientia ſubeant, nec amplius Deos alienos ſequantur: qui ita ſeruant ſabbata eius, ſcilicet Chriſti, vt non prophanent ea: ſabbatizant enim ſpiritualiter, quia ingreſſi ſunt in requiem Chriſti. Huiuſmodi ergo alienigenas promittit introducere in montem ſanctum, id eſt in eccleſiam noui teſtamenti, cum alioqui, inquit, prohiberet lex alienigenis ingreſſum in templum, non ingrediatur, inquiens, Ammanites, & Moabites in eccleſiam Domini. At Chriſtus, qui in nouitatem ſpiritualem omnia tranſtulit, in montem ſanctum, id eſt, in eccleſiam introducit alienigenas. hæc ille. Cum igitur de domo ſenſibili orationis, id eſt, de eccleſia noui teſtamenti prophetet Eſaias, in quam omnes gentes per fidẽ vocatæ, ſenſibiliter ingreſſuræ erant, ſicut Dominus in euangelio de domo quoque ſenſibili interpretatus

Eſa. 56.

Cyrillus.

Deut. 23.

Matt. 21.

Sicut prophetauit Eſa. de domo orationis ſenſibili in nouo teſtamento, ſic in eodem loco de hoſtia corporis Chriſti poſita ſuper altare ante vſum communionis.

eſt, cum aduerſus eos, qui templum prophanabant, hunc Eſaiæ locum citauit. quod non ſolùm propter templum vetus Prophetam dixiſſe, ſed etiam propter templum noui teſtamenti idem Dominus expoſuit, conſequens neceſſariò eſt, vt altare quoque, de quo hic prophetat Eſaias, non ſit intelligendum altare cordis ſpirituale, ſed eccleſiæ altare ſenſibile, ſuper quod holocauſta & victimæ impoſitæ placebunt Deo. Deinde, cum hæc, quæ ſunt ſuper altare, & placent Deo, iubeat Propheta comedere, conſequens neceſſariò eſt, ſi corpus Chriſti comedunt, qui de altari communicant, corpus Chriſti fuiſſe ſuper altare extra vſum communionis, id eſt, antequam communicarent: aut ſi non fuit, neque tunc eſt, cum communicant, ſiquidem ad comedendum ea, quæ poſita ſuper altare iam placebant Deo, inuitantur à Propheta, cum ſubiungit omnes beſtiæ agri venite: comedite omnes beſtiæ ſyluæ. Sic enim appellat Gentiles, de quorum vocatione prophetat. Sic etiam hunc locum idem grauiſſimus auctor Cyrillus in comment. ſuis in Eſaiam interpretatus eſt. Interpretemur latinè. Quod ſi gentes, inquit, nomine beſtiarum deſignat, & meminit, dicamus, dictum eſſe iis à Deo, venite, & comedite, quod quidem, inquit, ſignificat tribuiſſe eis omnem copiam ſacrorum chariſmatum, & viuiſicam menſam appoſuiſſe. Comedunt enim panem vitæ effecti participes Chriſti, & concorporales ſacramentis euchariſtiæ, vt lætè dicant, Dominus paſcit me, & quæ ſequuntur. Quia verò dixerat Propheta de pane illo cœleſti, id eſt, de corpore Chriſti, venite, & comedite: rurſus de vino myſtico prophetans, id eſt, de calice ſanguinis, ſubiungit: ſumamus vinum, & impleamur ebrietate. Significat hæc diuina ebrietas, vt Gregorius Nyſſenus in commenta. Cantic. Cantic. cap. quinto, ait, ecſtaſim, id eſt, mutationem in meliorem ſtatũ, & myſteriorum cognitionẽ: hæc enim iis, qui digni ſunt, ille cœleſtis potus cõfert. aut ſignificat, vt diuinus Dionyſius in epiſtola ad Titum notauit, infinitam omnium bonorum diuinorum affluentiam: & ecſtaſim, ſiue exceſſum intelligendi excellentiam Dei quæ omnem ſuperat intelligentiam: huiuſmodi ebrietatem efficit præ-

Pſal. 22.

Greg. Nyſſ.

Dion. Areop.

clarus ille calix. Sequitur deinde: Et erit ſicut hodie ſic & cras, ſignificat non conſumi, aut mutari hunc cibũ & potum myſticum inſtar terreni cibi & potus. non enim eſt cibus, aut potus, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternã, vt Dominus dixit. Videtur mihi mirificè hũc locũ explicare, quod ait beatus Cyrillus in epiſt. *Cyrillus.* quã ad Caloſyrium ſcripſit, μαίνονται γε μὴν οἱ λέγοντες ἄπρακτον εἰς ἁγιασμὸν τὴν μυστικὴν εὐλογίαν εἰς ἀπομεῖναι λείψανον αὐτῆς εἰς ἑτέραν ἡμέραν, οὐ γὰρ ἀλλοιοῦται ὁ Χριστὸς οὐδὲ τὸ ἅγιον αὐτοῦ σῶμα μεταβληθήσεται, ἀλλ' ἡ τῆς εὐλογίας δύναμις καὶ ἡ ζωοποιὸς χάρις διηνεκής ἐστιν ἐν αὐτῷ. Interpretemur latinè. Inſaniunt, inquit, qui aiunt, myſticam benedictionem non valere ad conſecrationem, vt remaneant reliquię eius benedictionis in alterum diẽ: non enim alteratur Chriſtus: neque ſanctum eius corpus mutabitur: quin potius virtus benedictionis, & viuifica gratia perpetua eſt in eo. Sed demonſtremus adhuc ex euangelio ipſo, eſſe corpus Chriſti in hoc myſterio extra vſum. ait enim Lucas: & accepto calice gra- *Luc. 22.* tias egit, & dixit, accipite, & diuidite inter vos: nõ hoc *Corpus Chriſti* dixit de calice typico, & legali, ſed de myſtico, quod *extra vſum cõ-* ſatis declarat Euangeliſta illis verbis: gratias egit, & *munionis ex* dixit, accipite & diuidite inter vos: calicem enim bene- *euangelio.* dictionis dedit diſcipulis. Et de hoc eodem calice dixit Matthæus: Et accipiens calicẽ, gratias egit, & dedit illis *Matth. 26.* dicens, Bibite ex hoc omnes. Et Marcus ſimiliter: gra- *Mar. 14.* tias agens, dedit eis, pro quo Lucas dixit, accipite, & diuidite inter vos. quare cum iterum dicit Lucas. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens, Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis funderur, de eodem calice dixiſſe, de quo paulo ſupra. ſatis ſignificauit articulo, quo vſus eſt, dicens τὸ ποτήριον, cum tamen primo loco dixiſſet ποτήριον ſine articulo, ſicut dixerat ἄρτον item ſine articulo. Notauit hoc etiam Leontius Etholius in commentariis huius euangelij his verbis. καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τοῦ ἄρθρου ἐμφατικῶς, ἵνα τὸ προειρημένον νοήσῃς οὐ μὴν ἄλλο παρὰ τὸ πρῶτον, οὗπερ ἐπιτρέπει μεταλαβεῖν μετὰ τὴν τοῦ ἄρτου μετάληψιν, ὃ καὶ λαβὼν εἶπε τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.

Igitur quia prius dixerat Lucas de hoc calice myſtico gratias egiſſe Dominum, & dixiſſe, accipite & diuidite inter vos, idcirco cum ſecũdo loco iterum de eodem calice dicit: Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens, &c. non dicit amplius, gratias agẽs, nec accipite, neque dedit, ſicut alij duo euangeliſtę dixerunt, quia iã dixerat prius. De cœna enim illa legali nullus euangeliſta ſic locutus eſt, vt diceret, dediſſe Dominũ diſcipulis, aut gratias agentem dixiſſe, accipite, ſed mãducantibus illis. &c. Cum ergo de calice myſtico dixerit, accipite, & diuidite inter vos, conſequẽs neceſſario eſt, vt extra vſum bibitionis ſit myſterium ſanguinis Chriſti, ſi quidem prius eſt diuidere, & poſtea bibere id, quod diuiditur ei, qui bibit: ſicut prius eſt dare, quàm accipere quod datur. Quare ſi dedit corpus ſuum diſcipulis, ſimiliter neceſſe eſt, vt ante vſum, id eſt, antequam acciperetur à diſcipulis, & comederetur, eſſet corpus Chriſti. quod ſi non erat neceſſe ſic intelligere, vt ſcilicet cum calix diuiditur bibendus ab his & illis, iam tunc ſit calix ſanguinis, quomodo Paulus Samoſatenſis ex eo quod legebat apud Lucam, & diuidite inter vos, & illud, qui pro vobis fundetur, concludebat, ſanguinem Chriſti in myſterio eſſe paſſibilem, & corruptibilem, vt hominis tãtum, quaſi hic diuidi ſanguinem, eſſet corrumpi? in quo quidem etſi hæreticè errabat, illud tamen melius, quam Lutherus intellexit, eſſe calicem ſanguinis antequam bibatur, ſcilicet ex quo myſticè benedictus eſt, vt diuidatur cõmunicatnris. Ac rurſus, ſi tunc, cum diuiditur calix ante bibitionem, nondum eſt ſanguis Chriſti, quomodo Dionyſius Alexand. confutans hunc Pauli Samoſatẽſis errorem in epiſtola illa eruditiſſima, de qua Hieronymus quoque in libro de eccleſiaſticis ſcriptoribus cum ſumma laude meminit, non negauit corrumpi, quia nondum ſit ſanguis Chriſti, cum diuiditur, aut effunditur ante bibitionẽ? ſed negauit corrumpi, quia ſit (inquit) ſanguis Dei viui, qui non magis corrumpatur, quam ſpiritus ſanctus, de quo ſcriptũ ſit in actis: & apparuerunt diſpertitæ linguæ: & Propheta, effundam, inquit, de ſpiritu meo. hæc Diony. illud etiam (vt

Diuidere, ſiue diſtribuere prius natura & tempore quàm bibere id quod diuiditur, ſiue diſtribuitur: ſicut dare prius item quàm accipere quod datur.

Error Pauli Samoſatenſis de ſanguine Chriſti myſtico corruptibili.

Hoc ſaltem melius Paulus Samo. quam Lut. quod calicẽ ſanguinis conſitebatur antequã biberetur.

hoc obiter obſeruetur) quod anteceſſit. Dico.n.quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. de Paſcha quoque myſtico dictum eſt, ſi quidem de hoc dixerat: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar nec enim de ſolo paſcha typico & vmbratili Iudæorũ ſic locutus eſſet, vt diceret deſiderio deſideraſſe manducare illud antequam pateretur, ſed potius de illo, in quo noſtra ſalus continebatur, quã tãto deſiderio deſiderauit, vt pro ea mortem ſubire deſideraret: & in ipſius mortis commemorationẽ hoc deſiderabiliſſimũ paſcha nobis in fine relinqueret. Denique hoc paſcha dicit, de quo Paulus: paſcha, inquit, noſtrum immolatus eſt Chriſtus: ſic quoque intellexit beatus Chryſoſtomus in homilia de ieiunio primi paſchæ: paſcha, inquit, non eſt ieiuniũ, ſed eſt ἡ θυσία ἡ καθ' ἑκάστην γινομένη σύναξιν. id eſt, eſt ſacrificium, quod ſit in vnaquaque ſynaxi, ſic vocat conuentum ad Miſſam, & ſubiungit, ſicut Paulus ait, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, idcirco idem Apoſtolus poſtquam Corinthios propter inceſtum illum, de quo gloriabantur, reprehenderat, & poſtquam illum excommunicauerat, hortans eos ad expurgandũ fermentum malitiæ, id eſt, deponendam corruptionẽ peccatorũ, & ad faciendã mundam conſcientiã, vt dignè paſcha myſticum manducarent opportunè & accommodatè ad propoſitũ meminit de azymo, in quo conſecrauit Dominus, expurgate, inquiens, vetus fermentũ, vt ſitis noua cõſperſio, ſicut eſtis azymi: etenim paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus, itaq; epulamini in azymis ſynceritatis, & veritatis. immolatio enim cruenta in cruce non habuit azymos, ſicut habuit immolatio incruenta in menſa, de qua dicit nunc Apoſtolus, Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus epulamini in azymis, &c. Dominũ imitatus, eſt cũ ait in euãgelio de hoc ipſo Paſcha: Deſiderio deſideraui hoc paſcha mãducare vobiſcum, antequam patiar. de quo ſubiungit ſtatim: dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud ſignificans, vt ait Leõtius Etholius, ſe non paſſurum eſſe iterum, ſed ſemel paſſum ſe ſemel tradidiſſe nobis hoc myſteriũ. illud verò: donec in

Act. 2.
Ioel. 2.
1. Cor. 5.

tatum requirebat ab illis deus:& quorum ab illis pœni tentiam,eorum à nobis,vt perfectionibus, & pœnitentiam & confeſſionem. vt Ioannes nobis interpretatus eſt,requirit.confiteri enim oportet,quorum pœnitet:& ſic confitentibus fidelis eſt & iuſtus, vt remittat. ad hanc itaque iuſtitiam Chriſti,quam Ioannes ait, pertinet illa via æqua domini in Ezechiele, vt paulò antè dixi:& ad hanc fidelitatem Dei, quam idem Ioannes ait, pertinet illud in eodem Ezechiele, viuo ego dicit dominus. &c. eſt enim iuſiurandum, quod dominus interpoſuit,ſicut Apoſtolus ait, vt oſtenderet immobilitatem conſilij ſui,quia impoſſibile erat mẽtiri deum. reſpexit itaque Ioannes,cum dixit,ſi confiteamur peccata noſtra,fidelis eſt & iuſtus, vt remittat peccata noſtra, non ſolùm ad illud quod dominus in euangelio dixit,quorum remiſeritis,peccata, &c. ſed etiam ad illud,quod per Ezechielem dixit,vt iam explicatum eſt. Deinde quemadmodum qui abſoluit,vt iudex,ſiue abſolutum pronunciat,vt vos ſecundũ diſciplinam vobis à propheta veſtro Marti. Luth. traditam loqui ſoletis, ab ſpecie peccati abſoluit,aut abſolutum pronunciat, ſi ſpeciem peccati nõ audiuit? confitetur ne apud vos reus pœnitens ſe peccatorem,an iniquum?peccatorem enim ſe quiuis quamlibet innocens,confiteri poteſt & debet, quia ſi dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis: iniquum vero poteſt ſe aliquis negare & quidem verè,ac iuſtè,vt alter Samuel aut Iob, qui dixit alioqui cap.37. In manu omnis hominis ſignat, vt ſciat omnis homo infirmitatem ſuam:quod quidem Synodus Mileuitana cap. 7. de peccatis paruis interpretata eſt,quibus nullus homo caret,tanta eſt noſtra infirmitas, Deo ita ad vtilitatem noſtram permittente. Quod ſi neceſſe eſt, vt ſe reus pœnitens iniquum confiteatur, cum ſe iniquum agnoſcit, conſcientia eum arguente, an non neceſſe erit, vt confiteatur ſpeciem iniquitatis, vt iudex aliam ſententiam de peccato leui, aliam de iniquitate pronunciet? Quomodo enim ſi peccata non ſunt confitẽda in ſpecie & ſingula,ſacerdos remittere, aut non remittere ea poterit? quod ad iudicium ſacer-

Heb. 6.

Nemo poteſt ſe negare peccatorem, iniquum ſiue iniuſtum ſæpe poteſt. Iob. 37.

dotale pertinere dominus voluit, cum dixit, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quomodo, inquam, facere poterit, quod apoſtolica conſtitutio interpres illius legis euangelicæ ad exemplum iuſti iudicij, quod ſecundum legem de peccatis fiebat, præcepit? vt non omnia vno modo ſed alia aliter punirentur? ſed recitemus conſtitutionem, quæ in lib. 2. Clemen. Rom. de conſt. apoſt. c 48 ſcripta eſt. Ne (inquit) de omni peccato idem iudicium pronuncietis. ſed de vnoquoque ſuum, ſingulis delictis tum paruis, tum magnis multa prudentia iudicatis: aliter inquam, facto, aliter ſermone, rurſus aliter propoſito, alio modo conuitio, alio ſuſpitione. atque etiam alios quidem minis tantum, & terroribus ſubiicies: alios mulctatione largiēdi pauperibus: item alios ieiuniis comprimetis: alios ex eccleſia eiicietis pro magnitudine & grauitate criminis: ſi quidem lex non omne delictum eodem ſupplicio afficiebat, quinimo alio atque alio commiſſa in Deum, in ſacerdotem, in templum, in hoſtiam, in regem, in ducem, in militem, in ſubditum, in æqualem, in famulum, in poſſeſſionem, in iumentum, ſiue in pecus: rurſus ſecus peccata in parentes, & propinquos: aliter peccata ex aggreſſione, aliter non voluntaria puniebat. atque alios quidem morte afficiebat vel cruci affigendo vel lapidādo: alios verò mulcta pecuniæ, vel verberibus, vel talione. deinde ſubiungit, ergo vos quoque diuerſa delicta diuerſis pœnis plectite, ne qua iniuria accidat, quæ iram Dei prouocet. cuius enim iudicij eritis adminiſtri, eius mercedem feretis, ſiquidem quo iudicio iudicatis, eo iudicabimini. hactenus conſtitutio. ſed vos Magdeb. quia non exiſtimatis referre ſcire, quæ ſpecies ſit, qua quis affectus eſt, aut quæ non ſit, neque quo iudicio iudicetur. idcirco neque ſpecies grauium peccatorum oſtendi vultis. vnde morem, quem patres & maiores veſtri à ſancta Romana eccleſia per Bonifacium Germaniæ apoſtolum, acceperant ſpecies peccatorum confitendi, veſtra diſciplina prætextu libertatis, ſuſtulit. Quod ſi ad iugum ſeruitutis pertinere vultis, & Chriſtianæ libertati aduerſari laborem ac pude-

Conſtitutio Apoſtolica de vario, & multiplici iudicio variorum peccatorū proportione culpa.

Laborem, & pudorem confitendi in ſpecie iniquitates contra ſcripturas putat Luth. aduerſari Chriſtianæ libertati.
Lex confitendi contra libertatem eſt non ſpiritus, ſed carnis.
Iud. 1.
2. Pet. 2.

rem confitendi in ſpecie iniquitates, quas meminiſſe poſſumus, de iugo ergo ac ſeruitute gratulabatur Apoſtolus Corinthiis, cum eis gratulabatur de ſolicitudine, de indignatione, de timore, & de vindicta, quam de ſe ipſis ſumpſerant propter ſpeciem peccati grauis, in quo inceſtum illum non vitauerant. eſt quidem, fateor, hæc lex euangelica & apoſtolica confitendi iniquitates in ſpecie contra libertatem: ſed quam libertatem? carnis ſcilicet, quam vos Lutherani amatis, qui ſicut Iudas apoſtolus de aliis veſtris ſimilibus ſcripſit, gratiam in luxuriam tranſtuliſtis. Videamus ergo, an hoc tacuerit beatus Petrus, vbi de illis quoque veſtri ſimilibus ſcripſit, quorum ſermone & hortatu ad vitia priſtina redibant, qui illa prius veluti per vomitionem confeſſionis ſecretæ purgauerant. Sic enim ait: Superba vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore cõuerſantur, libertatem illis promittentes, cum ipſi ſint ſerui corruptionis.

Reſponſio ad ea quæ Magdeburg. obiiciunt contra doctrinã de confeſſione ſecreta. De loco Pſal. Delicta quis intelligit, quomodo eum veteres interpretati, & quomodo Paulus imitatus, & interpretatus ſit. Item de interpretatione loci Pauli. Quod enim operor, non intelligo, ex Methodio Martyre. Cpa. 18.

SEd quoniam quod vos Magdeburgenſes in Centuria veſtra ſecunda ſcripſiſtis, laqueum conſcientiis iniici lege ſecretæ confeſſionis, neque tamẽ, quomodo laqueus iniiceretur, explicaſtis, id autem alij ex veſtris condiſcipulis ita probant, quia dicat Propheta, Delicta quis intelligit? quod tum in libris ſuis, tum apud auditores, quos decipiunt, inculcare ſolent, neceſſe eſt, vt hunc locum non prætereamus. errant enim magiſtri Lutheranorũ, non intelligentes ſcripturam, neque virtutem eius, ſiquidem alia ſunt peccata, quæ confiteri neceſſe eſt, quæ cognoſci poſſunt: & alia quæ non poſſunt, & ideo neque

que confiteri neceſſe eſt. παραπτώματα ergo, quæ interpres latinus delicta vertit, nos lapſus dicere ſolemus, aiunt, inquit Hieronymus in epiſt. ad Ephe. cap. 2. eſſe initia peccatorum, cum cogitatio tacita ſubrepit, & ex aliqua parte conniuentibus nobis, nondum tamen nos impulit ad ruinam. Delicta itaque ait Propheta, quis intelligit? quia ſcilicet, vt ait idem Hieronym. difficilè ſit, initia & radices peccatorum intelligere. peccatum verò aiunt eſſe (ait idem) cum quid opere conſummatum peruenit ad finem. Et Theodoretus eundem locũ Prophetæ interpretans delicta, inquit, quis intelligit? Etſi enim vehementer ſtuduero mandata Dei ſeruare, ad multa tamen præter voluntatem naturali infirmitate trahor: & alia per ignorantiam committo, aut propter circunſtantiam alicuius neceſſitatis. Et quamuis, inquit, peccata ipſa, turpéſque actiones declinem: cogitationes tamen me polluunt, idcirco te imploro, qui purgare potes. Item Auguſt. Rogo, inquit, te Domine, quoniã delicta quis intelligit? ne mihi vt homini quædam ſurrepant: & quibuſdam vt homo præoccuper. Rurſus Caſſiodorus explanans, quæ ſint illa occulta & latentia, quæ dicit Propheta non poſſe intelligi, quæ (inquit) ita pullulant, atque ſurrepũt, vt ante effectum rei multis cælata videantur, monente ſcriptura: Ne eas poſt concupiſcentias tuas. Sic igitur tum hi, tum reliqui veteres interpretes tam Græci, quàm latini, ne omnes enumerem, delicta. quæ Propheta dixit non poſſe intelligi, interpretati ſunt, vt ſint hoc loco παραπτώματα. iuxta etymologiam verbi quaſi ἀποπτώματα νόμου παρὰ γνώμην, id eſt, lapſus à lege præter voluntatem, vt iam neceſſe ſit, aut omni culpa vacare iſta, vt ſunt tum cogitationes, quæ interdum, nobis etiam nolentibus, excitantur, tum naturales concupiſcentiæ, quibus vnuſquiſque tentatur, aut maculas eſſe humanæ infirmitatis, (quæ peccata venialia vocant) ex illis cogitationibus citra conſenſum perfectum per improuiſam ſurreptionem natis: quibus vt nemo ſemper carere poteſt, ita non neceſſe eſt iſta confiteri, tametſi vtile eſſe negare non licet. hæc enim ſunt, de quibus beatus Aug. in Enchiridio c. 71 ait, de quotidianis autem breuibus,

Hierony. Quomodo illud Pſal. delicta quis intelligit? veteres interpretati ſint, tum de non peccatis leuib. Pſal. 18.

Theodoretus.

Auguſt.

Caſſiodorus.

Eccl. 18.

leuibúſque peccatis ſine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfecit. eorum eſt. enim dicere, pater noſter, qui es in cœlis, qui iam patri tali regenerati ſunt ex aqua, & ſpiritu ſancto delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata. hæc pater Auguſt. de iis loquitur, qui gratiam regenerationis retinent, quorum oratio dominica, qua petunt ſibi dimitti peccata ſecundum inſtitutionem domini, ex ea charitate proficiſcitur, vt quodcunque ex leuibus, & quotidianis commiſſis peccatis in mentem veniret, eos pœniteret, hæc enim ſunt, quæ illis tunc ſic orando remittuntur. alia ſunt præter orationem dominicam, & præter confeſſionem leuium peccatorum remedia, de quibus non eſt nunc diſſerendi locus. Hæc tantùm aduerſus eos attigi, qui vt confeſſionem tollant, illud prophetæ, delicta quis intelligit, de peccatis mortalibus, quæ neceſſariò confitenda ſunt, falſò interpretantur. Sed ne quis veſtrum iam dicere audeat, non eſſe ſic intelligendum Prophetæ locum, quem vos de peccatis maioribus malè interpretamini, habemus Apoſtolum, qui hunc Prophetæ locum imitatus, huiuſmodi cogitationes, & naturales cupiditates mala & peccata vocat, quæ ſe ait non poſſe intelligere, cum ait in epiſt. ad Rom. Quod enim operor, non intelligo: deinde ſubiungit: non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. notauit autem hunc locum Apoſtoli cum propheta collatum, & interpretatus eſt Magnus Methodius diſputans contra Aglaophontem Origeniſtam in lib. 2. Epiph. tom. 1. hæreſi 63. Nam quod dictum eſt, inquit, quod operor, non intelligo, & facio quid non volo, non de eo, quod operati ſumus, ac perfecimus malum, accipiendum eſt, ſed de eo, quod ſolùm cogitauimus, cogitationibus, quæ non conueniunt, ſæpè nobis aduolantibus, ludificantibuſque nos in iis, quæ nolumus, dum anima cogitationibus circa multa circumducitur. non enim in nobis ſitum eſt cogitare, aut non cogitare abſurda, ſed vti, aut non vti cogitatis. Prohibere enim nõ poſſumus, quin incidãt nobis cogitationes, quæ ad probationem noſtri extrinſecus afflantur: non aſſentiri autem, ſiue

Quomodo Apoſto. in epiſ. ad Rom. imitatus ſit & interpretatus locũ pſal. delicta quis intelligit.

Rom 7.

Methodius in locum Pauli, quod enim operor. non intelligo.

non vti ipſis, poſſumus. Quomodo enim Apoſtolus malum, quod diſplicebat, feciſſet? & bonum, quod placebat, minimè? niſi loqueretur de cogitationibus non legitimis, quas cogitamus interdum etiam nolentes, & vnde ortas, neſcientes, quas euertere, & reprimere oportet, ne propagatæ terminos animæ occupent. fieri enim non poteſt, vt in nobis ortum capiat virtus: ſi iſtis opportunum tempus detur. Rectè igitur dicebat, quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo, facio, ſed quod odi, hoc ago. volumus enim non cogitare ea quæ non conueniunt, & quæ fas non eſt: quandoquidem hoc eſt perfectum bonum, non ſolùm à faciendo abſtinere, ſed à cogitando: & quod volumus, hoc bonum, non efficitur, ſed quod nolumus, malum. Veniunt enim in cor noſtrum ſæpe, etiam nobis inuitis, infinitæ de rebus infinitis cogitationes, quæ nos curioſitate vana implent. Quamobrem velle quidem cogitare iſta, adiacet: efficere autem, vt deleantur, & non rurſus redeant, non eſt in noſtra poteſtate, vt dixi, ſed vti ipſis, aut non vti: vt ſit hic ſenſus eorum, quæ Paulus dixit. Non enim quid volo bonum, facio, ſiquidem volo non cogitare, quæ nocent mihi: hoc enim bonum eſt, & omnis reprehenſionis expers, & quid prouerbio dicitur, quadrangulum manu, & mente factum, quod ex nulla parte reprehendi poſſit. atque hoc quidem bonum, quod volo, non facio, quod autem nolo, malum ago: nolo cogitare, & cogito, quæ nolo. Ac conſiderandum eſt vtrumne precaretur Dauid Dominum propter huiuſmodi cogitata? quod & ipſi moleſtum eſſet cogitare quæ nollet, cum aiebat. Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto magno, & ipſe Apoſtolus in alio loco: Cogitationes, inquit, deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & captiuantes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Si verò quis huic ſermoni cominus occurrere auſus, reſponderit, docere Apoſtolum, non ſo-

lum in cogitando eſſe malum, quid odimus, & quid nolumus, ſed in faciendo, quia dictum ſit: non enim quid volo, facio bonum, ſed quid nolo malum, hoc ago. Si vera dicit, qui hæc dicit rogabimus eum, vt explicet, quid mali erat, quid Apoſtolus oderat: quid facere quidem nolebat, faciebat tamen: & bonum, quid volebat facere, & non faciebat: ſed contra potius, quoties volebat facere bonum, non bonum, quid volebat, ſed malum, quid nolebat, faciebat. nunquid cum nollet idola colere, ſed Deum, hoc quid volebat, id eſt, Deum colere, non poterat? quid verò nolebat, id eſt, idola colere, hoc poterat? aut caſtus eſſe, quid volebat, non poterat? & impudicus eſſe, à quo abhorrebat, poterat? & denique vt ſummatim dicam, crapulæ, luxuriæ, iræ, iniuriæ, & reliquis maleficiis, quæ nolebat operam dabat: quibus autem volebat, iuſtitiæ, ſanctitati non dabat? Atqui ipſe in eccleſiis cunctos ad non violandam legem hortatoriè excitans, non ſolùm eos, qui turpia committunt, & faciunt, ad interitum, & iram ſeruari affirmat, ſed eos etiam, qui illis aſſentiuntur: contendens iuſtitiam ſine admixtione peccati exerceri, omne enim peccatum, & peccati ſtudium carne perficitur. Hæc Methodius, & quæ ſequuntur, ne omnia è Græco conuertam. quæ ſatis declarāt, quæ ſint illa delicta, quæ Dauid propheta ait, non poſſe intelligi, de quibus ſubiungit idem propheta, ab occultis meis munda me domine: occulta enim & latentia vocat, quæ prius dixerat non poſſe intelligi, vt Paulus quoque dixit Prophetam imitatus. Quæ ſi non dominata fuerint: dominantur autem, cum illis malis cogitationibus vtimur aſſentiendo, tunc inquit, emundabor ἀπὸ μεγάλης ἁμαρτίας, id eſt, à peccato magno. magnum enim peccatum vocauit, quod nos mortale dicimus. Vt iam hæc ſint, quæ & intelligi poſſunt ad declinandum: & ſi admiſſa fuerint, intelligi debent ad confitendum. qualia ſunt, quæ proximè ex epiſtola Pauli recitauimus, quæ aditum regni cœleſtis prohibent, & quæ Dominus in euangelio dixit ex corde exire, & inquinare hominem, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemias. quæ ſi

Doctrinæ Apoſtolicæ de confeſſione multi alii cum Clemēte ſunt teſtes, Diony. Areop. in eccl. hier. c. de piè defunctis, in epiſ. ad Demophilum.

non neceſſe eſſet confiteri in ſpecie, nec cognoſci, & niſi de de eiuſmodi confeſſione peccatorum in ſpecie Apoſtolorum Ioannes dixiſſet, cum dixit, ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate, nunquam profectò Dominus in euangelio ſpecies peccatorum enumeraſſet: neque Apoſtolus Paulus idem in epiſtolis ſuis feciſſet: Hactenus de apoſtolica doctrina confeſſionis in epiſtolas. Clementis quàm doctrinam eccleſia catholica percunctum Orientem & Occidentem profitetur, cuius doctrinæ Apoſtolicæ multi alij cum Clemente teſtes ſunt.

Ireneus lib. 3. c. 4. & lib. 4. c. 9. Tertull. in li. de pœnit. [redacted] *Cypr. ſermo. 5. de lapſis & lib. 3. epiſt. epiſt. 18. ad clerum. Athanaſ in ſerm. Super illud, ite in Caſtell.*

Reſponſio ad reprehenſionem de reliquiis corporis Dominici ſumma religione cuſtodiendis, & de anathemate beati Petri in cuſtodientes eas negligenter: & in eos, qui pallam, quæ corpus Domini tetigit, ad alios vſus transferunt: & quomodo iſta contra ſcripturam Magd. reprehendant.

Cap. 19.

SEd tranſeamus ad alia, quæ deinceps in eodem loco Magdeburg. ad traditiones quoque humanas, quas fingunt, retulerunt, vt de reliquiis, inquiunt, fragmentorum poſt cœnam domini.]

Si iſti nobiſcum, & cum vniuerſa eccleſia Orientis crederent, eſſe extra vſum ſacramenti Euchariſtiæ corpus Chriſti, vt patres & maiores eorum ſemper crediderunt, quicquid ad corporis Chriſti honorem, & cultum, ac religionem pertinere videretur, æquè piè, ac libenter amplecterentur. neque dubitaſſent vnquam, quin eccleſiaſtica conſuetudo reliquias corporis Dominici in ſacrario ſumma religione, & diligentia cuſtodiendi apoſtolorum inſtitutione digna eſſet, cui non

ſolùm in hac epiſtola, quam iſti negant, teſtimonium Clemens tribuit, ſed in 8. libro de conſtitutionibus apoſtolorum, quas litteris mandauit. poſtquam enim, cum ſacrum fit, ordine, qui interfuerunt, cum metu, & reuerentia communicarunt, diaconi, inquit, reliquias inferant εἰς παστοφόρια. id eſt, in thalamum, ſic enim vocat ſacrarium, in quo collocatur verus ſponſus animarum noſtrarum, idémque panis viuus, & conuiuium nuptiale myſticum, cuius communione diuinæ naturæ participes efficimur. Nunc verò cum hoc Lutherani non credant, conſequens eſt, vt culturam panis communis, vt ipſi ſentiunt, & cuſtodiam eius religioſam anathemate ſancitam ad traditiones hominum, quæ cum ſcripturis ſanctis non conſentiunt, referant. Quorſum enim, inquiunt, panis cibarius, qui in peram, & arcam, & in ſinum condi poteſt & ſolet, & in popina, & in ſtabulo edi, in ſacrario ſeruandus ſit? Quæ iſtæc religio, vel potius ſuperſtitio? conuenit itaque in iſtos, quod idem Clemens in lib. 2. hiſtoriarum de diſputationibus Petri cum Simone Mago ſcribit dixiſſe beatum Petrum de Philoſophis Græcorum. πολλὰ καὶ διάφορα ἐδογμάτισαν τὴν ἀκολουθίαν τῶν ὑποθέσεων ἀκολουθίαν ἀλήθειαν εἶναι νομίσαντες, οὐκ εἰδότες ὅτι αὐτῶν ψευδεῖς ἀρχὰς ἑαυτοῖς ὡρισαμένων, τῇ ἀρχῇ αὐτῶν τὸ τέλος συμφωνίαν ἐλ-φεν. ὅθεν δεῖ τὰ πάντα παρελομένους μόνῳ τῷ τῆς ἀληθείας πιστεῦσαι ἑαυτὸν προφήτῃ. Interpretemur latinè, multa, inquit, & varia tradiderunt, arbitrati id verum eſſe, quod erat materiæ ſiue argumenti conſequēs. latuítque eos, quia falſa principia ſibi ſtatuiſſent, extremum cum illorum principio conueniſſe. Quare oportet, omnibus ſublatis, ſoli vero prophetæ ſe ipſum committere, & concredere. Sic igitur Magdeburgenſi. euenit, quia hoc principium cum reliquis Lutheranis ſibi conſtituerunt, non eſſe corpus Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ extra vſum eius, quod conſequens erat, id verum eſſe putauerunt: id eſt, non eſſe in ſacrario ſeruandas reliquias fragmentorum, neque qui non ſeruaret, puniendum, non intelligentes, quia falſum principium ſumpſerunt, eius principij conſequens eſſe hoc extremum, quod veritati repugnat. quare oportet eos ſcripturis ſanctis cre

Ex altera editione librorum Clementis, de qua Rufinus in prologo meminit.

dere, quæ corpus Chriſti extra vſum communionis eſſe, docent: ex quo efficiatur, vt ad ſalutem animarum, qua decet religione neceſſariò ſeruandum ſit, ne vllum cum decedendi de vita tempus inſtat, extremo viatico, & maximè omnium neceſſariò priuetur, vt Synodus Nicena canone 13. ſtatuit. cum ſæpe accidat, vt propter tempus, vel locum, vel ægrotum ipſum, fieri ſacrificium non poſſit, vt tunc ægrotus communicet, niſi ex eccleſia viaticum afferatur. Prophetās ergo Eſaias de hoſtiis noui teſtamenti, & filios, inquit, aduenas, ſiue alienigenas, vt eſt apud ſeptuaginta qui adhærent Domino vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos, & omnem cuſtodientem ſabbatum adducam illum in montem ſanctum: & lætificabo eos in domo orationis meæ. & ſubiungit: holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gẽtibus: ſic enim eſt apud ſeptuaginta. Quem locum ita interpretatur beatus Cyrillus, vt probet neceſſariò hæc ad tempus noui teſtamenti, & ad eccleſiam noſtram pertinere, & de ea hoc loco Eſaiam prophetaſſe. Loquitur enim (inquit) cum gentibus, quæ per fidem coniunctione ſpirituali cum Deo copulantur, qui gloriam ſuam in obſequio, ac ſeruitio Dei ſitam eſſe volunt: & nomen Dei ita amant, vt iugum regni eius omni obedientia ſubeant, nec amplius Deos alienos ſequantur: qui ita ſeruant ſabbata eius, ſcilicet Chriſti, vt non prophanent ea: ſabbatizant enim ſpiritualiter, quia ingreſſi ſunt in requiem Chriſti. Huiuſmodi ergo alienigenas promittit introducere in montem ſanctum, id eſt in eccleſiam noui teſtamenti, cum alioqui, inquit, prohiberet lex alienigenis ingreſſum in templum, non ingrediatur, inquiens, Ammanites, & Moabites in eccleſiam Domini. At Chriſtus, qui in nouitatem ſpiritualem omnia tranſtulit, in montem ſanctum, id eſt, in eccleſiam introducit alienigenas. hæc ille. Cum igitur de domo ſenſibili orationis, id eſt, de eccleſia noui teſtamenti prophetet Eſaias, in quam omnes gentes per fidẽ vocatæ, ſenſibiliter ingreſſuræ erant, ſicut Dominus in euangelio de domo quoque ſenſibili interpretatus

Eſa. 56.

Cyrillus.

Deut. 23.

Matt. 21.

Sicut prophetauit Eſa. de domo orationis ſenſibili in nouo teſtamento, ſic in eodem loco de hoſtia corporis Chriſti poſita ſuper altare ante vſum communionis.

eſt, cum aduerſus eos, qui templum prophanabant, hunc Eſaiæ locum citauit. quod non ſolùm propter templum vetus Prophetam dixiſſe, ſed etiam propter templum noui teſtamenti idem Dominus expoſuit, conſequens neceſſariò eſt, vt altare quoque, de quo hic prophetat Eſaias, non ſit intelligendum altare cordis ſpirituale, ſed eccleſiæ altare ſenſibile, ſuper quod holocauſta & victimæ impoſitæ placebunt Deo. Deinde, cum hæc, quæ ſunt ſuper altare, & placent Deo, iubeat Propheta comedere, conſequens neceſſariò eſt, ſi corpus Chriſti comedunt, qui de altari communicant, corpus Chriſti fuiſſe ſuper altare extra vſum communionis, id eſt, antequam communicarent: aut ſi non fuit, neque tunc eſt, cum communicant, ſiquidem ad comedendum ea, quæ poſita ſuper altare iam placebant Deo, inuitantur à Propheta, cum ſubiungit omnes beſtiæ agri venite: comedite omnes beſtiæ ſyluæ. Sic enim appellat Gentiles, de quorum vocatione prophetat. Sic etiam hunc locum idem grauiſſimus auctor Cyrillus in comment. ſuis in Eſaiam interpretatus eſt. Interpretemur latinè. Quod ſi gentes, inquit, nomine beſtiarum deſignat, & meminit, dicamus, dictum eſſe iis à Deo, venite, & comedite, quod quidem, inquit, ſignificat tribuiſſe eis omnem copiam ſacrorum chariſmatum, & viuificam menſam appoſuiſſe. Comedunt enim panem vitæ effecti participes Chriſti, & concorporales ſacramentis eucharistiæ, vt lætè dicant, Dominus paſcit me, & quæ ſequuntur. Quia verò dixerat Propheta de pane illo cœleſti, id eſt, de corpore Chriſti, venite, & comedite: rurſus de vino myſtico prophetans, id eſt, de calice ſanguinis, ſubiungit: ſumamus vinum, & impleamur ebrietate. Significat hæc diuina ebrietas, vt Gregorius Nyſſenus in commenta. Cantic. Cantic cap. quinto, ait, ecſtaſim, id eſt, mutationem in meliorem ſtatũ, & myſteriorum cognitionẽ: hæc enim iis, qui digni ſunt, ille cœleſtis potus cõfert. aut ſignificat, vt diuinus Dionyſius in epiſtola ad Titum notauit infinitam omnium bonorum diuinorum affluentiam: & ecſtaſim, ſiue exceſſum intelligendi excellentiam Dei quæ omnem ſuperat intelligentiam: huiuſmodi ebrietatem efficit præ-

Pſal. 22.

Greg. Nyſſ.

Dion. Areop.

clarus ille calix. Sequitur deinde: Et erit ſicut hodie, ſic & cras, ſignificat non conſumi, aut mutari hunc cibũ & potum myſticum inſtar terreni cibi & potus. non enim eſt cibus, aut potus, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternã, vt Dominus dixit. Videtur mihi mirificè hũc locũ explicare, quod ait beatus Cyrillus in epiſt. *Cyrillus.* quã ad Caloſyrium ſcripſit, *μαίνονται γοῦν οἱ λέγοντες ἄπρακτον εἰς ἁγιασμὸν τὴν μυστικὴν εὐλογίαν εἰς ἀπομένοι λείψανον αὐτῆς εἰς ἑτέραν ἡμέραν, οὐ γὰρ ἀλλοιοῦται ὁ χριστὸς οὐδὲ τὸ ἅγιον αὐτοῦ σῶμα μεταβληθήσεται, ἀλλ' ἡ τῆς εὐλογίας δύναμις καὶ ἡ ζωοποιὸς χάρις διηνεκής ἐστιν ἐν αὐτῷ.* Interpretemur latinè. Inſaniunt, inquit, qui aiunt, myſticam benedictionem non valere ad conſecrationem, vt remaneant reliquię eius benedictionis in alterum diẽ: non enim alteratur Chriſtus: neque ſanctum eius corpus mutabitur: quin potius virtus benedictionis, & viuifica gratia perpetua eſt in eo. Sed demonſtremus adhuc ex euangelio ipſo, eſſe corpus Chriſti in hoc myſterio extra vſum. ait enim Lucas: & accepto calice gratias egit, & dixit, accipite, & diuidite inter vos: nõ hoc dixit de calice typico, & legali, ſed de myſtico, quod ſatis declarat Euangeliſta illis verbis: gratias egit, & dixit, accipite & diuidite inter vos: calicem enim benedictionis dedit diſcipulis. Et de hoc eodem calice dixit Matthæus: Et accipiens calicẽ, gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Et Marcus ſimiliter: gratias agens, dedit eis, pro quo Lucas dixit, accipite, & diuidite inter vos. quare cum iterum dicit Lucas. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens, Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur, de eodem calice dixiſſe, de quo paulo ſupra, ſatis ſignificauit articulo, quo vſus eſt, dicens *τὸ ποτήριον*, cum tamen primo loco dixiſſet *ποτήριον* ſine articulo, ſicut dixerat *ἄρτον* item ſine articulo. Notauit hoc etiam Leontius Etholius in commentariis huius euangelij his verbis. *καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τοῦ ἄρθρου ἐμφατικῶς, ἵνα τὸ προειρημένον νοήσῃς οὐ μὴν ἄλλο παρὰ τὸ πρῶτον, οὗπερ ἐπιτρέπει μεταλαβεῖν μετὰ τὴν τοῦ ἄρτου μετάληψιν, ὃ καὶ λαβὼν εἶπε τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.*

Luc. 22.

Corpus Chriſti extra vſum cõmunionis ex euangelio.

Matth. 26.

Mar. 14.

hoc obiter obſeruetur) quod anteceſſit. Dico .n. quia ex *Act.2.*
hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno *Ioel.2.*
Dei. de Paſcha quoque myſtico dictum eſt, ſi quidem
de hoc dixerat: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare
vobiſcum, antequam patiar nec enim de ſolo
paſcha typico & vmbratili Iudæorũ ſic locutus eſſet,
vt diceret deſiderio deſideraſſe manducare illud antequam
pateretur, ſed potius de illo, in quo noſtra ſalus
continebatur, quã tãto deſiderio deſiderauit, vt pro ea
mortem ſubire deſideraret: & in ipſius mortis commemorationẽ
hoc deſiderabiliſſimũ paſcha nobis in fine
relinqueret. Denique hoc paſcha dicit, de quo Paulus: *1. Cor. 5.*
paſcha, inquit, noſtrum immolatus eſt Chriſtus: ſic
quoque intellexit beatus Chryſoſtomus in homilia de
ieiunio primi paſchæ: paſcha, inquit, non eſt ieiuniũ,
ſed eſt ἡ θυσία ἡ καθ' ἑκάστην γινομένη σύναξιν. id eſt, eſt ſacrificium,
quod fit in vnaquaque ſynaxi, ſic vocat conuentum
ad Miſſam, & ſubiungit, ſicut Paulus ait,
Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, idcirco idem
Apoſtolus poſtquam Corinthios propter inceſtum illum,
de quo gloriabantur, reprehenderat, & poſtquam
illum excommunicauerat, hortans eos ad expurgandũ
fermentum malitiæ, id eſt, deponendam corruptionẽ
peccatorũ, & ad faciendã mundam conſcientiã, vt dignè
paſchãmyſticum manducarent opportunè & accommodatè
ad propoſitũ meminit de azymo, in quo
conſecrauit Dominus, expurgate, inquiens, vetus fermentũ,
vt ſitis noua cõſperſio, ſicut eſtis azymi: etenim
paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus, itaq; epulamini
in azymis ſynceritatis, & veritatis. immolatio enim
cruenta in cruce non habuit azymos, ſicut habuit immolatio
incruenta in menſa, de qua dicit nunc Apoſtolus,
Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus
epulamini in azymis, &c. Dominũ imitatus, eſt cũ
ait in euãgelio de hoc ipſo Paſcha: Deſiderio deſideraui
hoc paſcha mãducare vobiſcum, antequam patiar.
de quo ſubiungit ſtatim: dico enim vobis, quia ex hoc
non manducabo illud ſignificans, vt ait Leõtius Etholius,
ſe non paſſurum eſſe iterum, ſed ſemel paſſum ſe
mel tradidiſſe nobis hoc myſteriũ. illud verò: donec im

pleatur in regno Dei ſatis declarat non de typico ſolo paſcha, ſed de myſtico eum loqui. Vt enim vmbra nō impletur, ſed euacuatur, vt ita dicam, ſuccedente veritate corporis: ſic typicum paſcha non eſt impletum, ſed euacuatum potius in euangelio. Ac rurſus, ſicut iuſtitia non occidendi, vt lex iubebat, impletur in euangelio per iuſtitiam non iraſcendi, vt iubet euangelium, quia ad illam accedit hæc, & iuſtitia diligendi proximū fit maior, & impletur per iuſtitiam diligendi inimicos, ſimilia enim ſimilibus comparantur, & augentur, & rurſus iuſtitia diligendi hic ſecundum euangelium, implenda eſt adhuc in cœlo per iuſtitiam diligendi ſecundum charitatem beatorum, quia charitas non excidit, ſicut Apoſtolus ait, ſic hoc myſticum paſcha implendū eſſe dicit in regno Dei quia ſcilicet qui in hoc myſterio nunc ſub aliena ſpecie videtur, videbitur in regno Dei ſicuti eſt, vt beatus Ioannes ait: & qui hic vix & à paucis guſtatur, quam ſuauis ſit, in regno Dei ab omnibus, inexplicabili ſuauitate & modo, ſine vllo velamento, & in propria ſpecie, ac gloria videbitur, & guſtabitur. Accedet itaque illa tūc in in regno Dei reuelatio gloriæ cœleſtis, quæ nobis implebit, quod hic propter ſtatū infirmitatis noſtræ capere nō poſſumus. Item, ſicut de hoc myſterio ſub ſpecie panis dixerat, ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei: ſic etiam de eodē myſterio ſub altera ſpecie, id eſt, vini loquens, poſtquam dixit repetens per recapitulationē, quod paulò ſupra in calice prætermiſſum erat, ſcilicet: Et accepto calice, gratias agens dixit, accipite, & diuidite inter vos, ſubiungit. Dico enim vobis, quia non bibam de generatione viris huius, donec regnum Dei veniat: quod quidem eodē pertinet, quo illud ſuperius, ex hoc non māducabo illud, donec impleatur in regno Dei, vt admoneret, ſcilicet, ſemel ſe paſſurum: & ſemel antequam pateretur, in memoriam paſſionis ſuæ ſe hoc nobis myſteriū tradere, quod nos quotidie in commemorationem eius celebramus. nobis enim noui teſtamenti miniſtris dixit, hæc quotieſcunque feceritis, quæ ipſe ſcilicet in nocte illa fecit. genimen itaque vitis vocauit vinum illud myſticum.

1.Cor.13.

1.Ioan.3.

Vt enim dicitur vinum propter ſpeciem tantum vini, ſiue imaginem, vel ſignum, quod relictum eſt in odore, colore, & ſapore, & aliis qualitatibus vini, ſic eadem ratione eſt, & dicitur genimen vitis, quod quidem genimen cum ſit ſubſtantialiter ſanguis Chriſti, ipſo Domino dicente, hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, non enim dixit hic ſanguis meus, & hoc vinum meũ noui teſtamenti, conſequens neceſſario eſt, non eſſe ibi ſubſtantiam vini. Sed hactenus ex ſcripturis demonſtratũ ſit eſſe corpus Domini in myſterio extra vſum: demonſtratũ item ex apoſtolica conſtitutione quæ in lib. 8. Cle. conſti, apoſt. ſcripta eſt de reliquiis myſticis corporis Dominici in ſacrarium inferendis ad cuſtodiendum, ſic enim ait, vt iterum repetam, poſtquã omnes communicauerint, inferant, inquit, diaconi reliquias, quæ ſuperſunt in paſtophorion, nunc vocant tabernaculum, in quo aſſeruantur reliquiæ iſtæ ſacroſanctæ. Synodus quoq; Nicena, quam vos Magd. ſcio in honore habetis, teſtimonium dicit contra iſtud veſtrum dogma, in quo traditis non eſſe corpus Chriſti extra vſum, & manducationem, iubet enim inter diatypoſes, quæ in fragmentis eius Synodi græcè feruntur, vt cogitatione noſtra ſurſum erecta, fide intelligamus. κἀνθαῦθα ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ αἷμα. Id eſt, vt credamus, inquam, poſitum eſſe in illa ſacra menſa agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui ſine mactatione ſacerdotibus immolatur, at cum eſt ſuper altare, nondum ſumitur, eſt igitur corpus Domini, extra vſum in ſacramento. Non latuit Caluinum hic locus, quem in ſuis inſtitutionibus deprauare voluit, decurtando partem, id eſt, reticendo, vt à nobis libro tertio de dogmaticis characteribus verbi Dei iterum notatum eſt. Item Sanctus Nilus Chryſoſtomi diſcipulus. μετὰ δὲ, inquit, τὰς φοβερὰς ἐκείνας ἐπικλήσεις καὶ τὴν ἐπιφοίτησιν τοῦ ζωοποιοῦ πνεύματος οὐκ ἔτι ψιλὸν ἄρτον καὶ κοινὸν οἶνον τὰ ἐπιτιθέμενα τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ πιστεύομεν εἶναι ἀλλὰ σῶμα καὶ αἷμα τίμιον χριστοῦ καθαρίζον φόβῳ καὶ πόθῳ μεταλαμβάνοντας καὶ ζωῆς αἰωνίου κληρονόμους ἐργαζόμενον. id eſt, poſt inuocationē

Cõſtitutio apoſtolica de reliquiis S. Euchariſtiæ ſeruãdis.

illam tremendam, & aduentum ſpiritus ſancti viuifici non iam nudum panem, & commune vinum ſancta illa menſæ impoſita credimus eſſe, ſed corpus & ſanguinem pretioſum Chriſti, quæ eos purgant, & hæredes vitæ ſempiternæ faciunt, qui cum timore, & deſiderio communicant. Præterea beatus Auguſt. in pſal. 98. De carne Mariæ, inquit, carnem accepit: & ipſam carnem ad manducandum in ſalutem dedit nemo autem illam carnem manducat niſi prius adorauerit, &c. Deinde eſt in concilijs Vormacienſi, Aurelianenſi, Matiſconenſi ſecundo renouata hæc de reliquiis corporis Domini diligenter cuſtodiendis conſtitutio. Cũ ergo tum ſcriptura ſancta, tum apoſtolica conſtitutio nõ ſolùm in epiſtola Clementis, quam iſti negant, ſed in 8. libro de apoſtolicis conſtitu. ſcripta, qua vſque in hodiernum diem eccleſia totius Orientis & Occidentis ſumma religione vtitur, tum ſancti patres & eccleſiæ catholicæ doctores, tum eccleſiaſtica concilia, peractà conſecratione venerabile corpus Chriſti in ſacro altari eſſe, & à ſanctis Angelis, ac fidelibus Chriſtianis adorari, & peracta item communione, idem corpus remanere, & ſeruari vno ſpiritu teſtentur, quis hunc locum epiſtolæ Clementis de reliquiis Dominici corporis diligenter cuſtodiendis reprehendere poterat præterquam Magdeburgenſes, qui fidem eccleſiæ catholicæ negauerunt? cum hanc interim neque Dæmones ipſi negare audeant, quos quotidie in noſtris energumenis ad altare adductis ſentimus horribili fremitu, ac vlulatu confiteri tremefactos, præſentiam corporis Domini in altari poſiti. Iam verò quod tranſgreſſoribus huius conſtitutionis de reliquiis iſtis diligẽter cuſtodiendis pœnam anathematis à beato Petro conſtitutam eſſe Magdeburgenſes accuſant, non ſolum hoc faciunt, vt iterum dicam, quid non credunt eſſe ibi corpus Chriſti, ſed quia vt etiam ſupra dixi, non intelligunt iſti quorſum apud nos, qui credimus excommunicatio iſta, ſiue anathema pertineat: eodem enim pertinet, quo excõmunicatio illa canone apoſt. 8. ſancita in eum, qui non communicat, ſi quis, inquit, epiſcopus aut presbyter, aut diaconus, aut vllus ex Clero,

Conc. vormacien. Aurelian. Matiſcon. de reliquiis corporis domini diligenter ſeruandis.

Quod ſcriptura, conſtitutio apoſtolica S. patres, concilio vno ſpiritu teſtentur eſſe corpus Chriſti in myſterio. S. Euchariſtiæ ante vſum communionis.

Quotidie dæmones in noſtris energumenis horribili fremitu præſentiam corporis Chriſti in altari poſiti confitentur.

facta oblatione, nõ communicauerit, dicat cauſam, vt ſi idonea ſit, veniam ferat: ſi non dicat, excommunicetur, tanquam qui noceat populo, & quod ſuſpicionem iniecerit contra eum, qui obtulit. hactenus canon. eadem ratione intelligimus nos ſtatutum eſſe à beato Petro anathema preſbyteris, & diaconis, ſi negligenter ſanctam eucharistiam ſeruauerint, vel diſpenſauerint, quod huiuſmodi negligentia ad detrimentum populi ſpectet: præbetur etiam ſuſpicio, quod non credãt eſſe ibi corpus Christi, qui ita negligẽter & indecorè illud tractẽt. Idem dicendum eſt de ratione anathematis in eos miniſtros eccleſiæ, qui palla, quæ ſuper altare poſita corpus Domini tetigit, ad tegẽdum mortuum, aut ad induendum abutantur. Etenim ſi caro victimæ veteris teſtamenti veſtem tangens, eã ſanctificabat iuxta quæſtionem poſitam ſacerdotibus apud Aggæũ prophetã, & fimbria veſtis dominicę propter corpus, quod illa veſtis tangebat tantæ ſanctitatis erat, vt Hæmorrhoiſſam per fidẽ ſanaret, carebit ne ſanctificata palla ſuper altare poſita, quã caro domini noſtri ſub ſpecie panis tangit? Quod ſi ita ſanctificata eſt palla propter corpus Domini, an nõ præbebit ſuſpicionẽ cõtra corpus ipſum Domini ad detrimentũ populi, qui illa ipſa palla ad alios vſus abutatur? Rurſus ſi palla quãuis nõ tetigerit corpus Domini, tamẽ iã ad hoc per preces, & benedictiones dedicata eſt, ac cætera etiã vaſa ad miniſteriũ ſacri altaris per ſacras itẽ benedictiones deputata, ſanctificata ſunt, & dicũtur ſecundũ idioma ſcripturæ, vt cum ait. ſanctifica mihi omne primogenitũ maſculinum, pro eo quod eſt ἀνάγραψον καὶ ἀνάθες, id eſt. deputa, ſiue, adſcribe, & dedica mihi: ſic enim ſancti patres verbũ ἁγιάζειν hoc loco interpretantur, an non docet ratio honeſtatis eccleſiaſticæ, vt quæ ſic ad miniſterium eccleſiæ iã deputata ſunt, non niſi à deputatis ad idem miniſterium liceat tractari? Quod ſi ita eſt, qui contra facit, aut faciendum eſſe iudicat, nónne contra Paulum apoſtolum facit, & iudicat, qui dixit, omnia honeſtè & ſecũdum ordinem eccleſiæ fiant? quod quidẽ quia latè patet, nõ debuit ſigillatim de vno aut alio genere dicere, ſed maluit in vniuerſis, quæ in eccleſia fiunt.

Matth. 9.

Exod. 13.

Contra ſcripturam faciũt, qui quæ ad miniſterium eccleſiæ deputata ſunt, & dedicata, ad alios vſus trãſferunt.

fiunt, honeſtatem & decorum vno verbo ſancire, vt quicquid huiuſmodi vos & alij veſtri ſimiles ſigillatim reprehenderitis, nos Pauli regulam generalẽ obiicere-mus cũ ait: Omnia honeſtè, & ſecundũ ordinẽ fiant in vobis Corinthiis, id eſt in eccleſia Dei. Cur igitur, qui ſemper verbum Dei iactatis, hoc verbum Dei negligitis, & contemnitis, imò quod grauius adhuc eſt, accuſatis? Accuſatis enim dum quod ſecundum illud ipſum verbum fit, reprehenditis. Bene de vobis dixit beatus Petrus, audaces, vobis placentes, qui ſectas non metuitis introducere blaſphemantes. Dicite mihi, quos nec illi digiti quaſi manus hominis ſcribentis, nec illa interpretatio Danielis de vaſis domus Domini non prophanè tangendis, nec à quibus non decet, tractandis & vtendis, nec interitus Baltaſaris regis Babylonis quicquam mouent: Quis apud vos, qui ſit mediocriter Oeconomicus, omnia domus ſuæ vaſa ab omnibus tractari, vbique poni, aut ſeruari patiatur? Quod ergo ratio œconomici decori domi tuę nõ patitur, in domo Dei patiatur? ſeueritatem verò pœnæ anathematis, quã hic quoque iſti accuſant, defendit etiam ratio ſcandali grauis ad detrimentum populi pertinẽtis, tum propter exemplum, quo populus ad cõtemptum rerum ſacrarum inuitatur: tum propter ſuſpitionem, in quam venit, qui hoc committit. accedit huc, quod eo tempore, cum hæc ſanciri cœperunt, ea ſupplicij ſeueritate opus erat, qua fieret, quod de ſeueriſſimo illo ſupplicio Ananiæ, & Sapphiræ in Actis Apoſtolorum ſcriptum eſt, vt eſſet eccleſiæ ad cauẽdum, propoſitum exemplum, & factus eſt, inquit, timor magnus in vniuerſa eccleſia, & in omnes, qui audierunt. Sed ſatis hæc ſint, quæ hactenus hoc lib. quarto executi ſumus, vt libri magnitudo, modum non excedat. & nos aliquantum interquieſcentes in quintum ingrediamur.

Scripturam accuſat, qui quod ſecundum ſcripturam fit, accuſat.
1. Pet. 2.
Dan. 5.

FRAN-

Franciſci Turriani Societatis IESV,

Aduerſus Magdeburgenſes Centuriatores pro Epiſtolis decretalibus Pontificum Apoſtolicorum,

LIBER QVINTVS.

LEgimus in actis apoſtolorum Illuſtriſſime & Reuerẽdiſſime Staniſlae Hoſi, multos fuiſſe Epheſi ex eis, qui fuerant curioſa ſectati (erant autem inter curioſa illa, vt magni auctores teſtantur, in primis magica, & diuinationes) qui contulerunt, inquit, libros ſuos, & combuſſerunt eos coram omnibus. Horum ſimiles ſunt multi ex Germanis, qui & ſi diſciplina Lutheri tanquam magica quædam ars eos aliquando dementaſſet, is enim velut alter Simon dixit ſe eſſe aliquem magnum, & ſicut de illo ſcriptum eſt, in multis locis Germaniæ omnes ei auſcultabant à minimo vſque ad magnum, tamen quia erant ex nobis, vt beatus Ioannes ait, vt nobiſcum permanerent, damnata hæreſi, & praua, atque hæretica ſua curioſitate, ac combuſtis libris ad eccleſiam catholicam propitio Deo iam redierunt & vt quotidie plures redeant, plurimi ex noſtris vt boni operarij, quanto poſſunt ſtudio curant, alij ſermonibus, alij ſcriptionibus librorum, alij aſſidua ad Deum

precatione, ali, vita, facti, ſicut apoſt. Timotheo præcepit, exemplum fidelium in verbo. in conuerſatione. in charitate. in fide, & caſtitate. Qui verò in Lutheranis adhuc permanent, & doctrina, ac libris flamma dignis Lutheranorum vti pergunt, quorũ conſumatio, vt idẽ apoſtolus ait, in combuſtionem, hi ſunt ſimiles Epheſiorum illius deæ cultorum, quippe qui vult Dianam quandam multimamam, quam Græci πολύμαθον vocant, hæreſim Lutheranam colunt, quæ miſera. & execrabili fœcũditate tam multas iam peperit, & aluit ſectas. Hi repudiata doctrina quam patres, ac maiores eorum, ſicut ab initio acceperant, ſemper profeſſi fuerunt. nouam diſciplinam prauè curioſi ſuſceperunt, & ſectantur. Curioſum enim eſt, ad nihil aliud vacare, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui, vt de Athenienſibus illis beatus Lucas ſcribit. Hinc tot iam apud Lutheranos hæreſes, quot apud illos philoſophorũ ſectę. Perductum quæ eſt ad exitum in nouis iſtis hæreticis, quod Apoſtolus presbyteris Epheſi prædixit, Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipſis ſurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Hi ſunt Lutherus pater omniũ Lutheranorũ, qui ſunt πολυχικεις, interpretemur nos multiſectos: Thomas Munzerus pater Anabaptiſtarũ, qui ſunt itẽ varij: Carolſtadius, & Zuinglius genitores ſacramentariorum, & eorũ quoque multipliciũ: Melancthon ſator Confeſſioniſtarum, qui ſunt etiam multiformes. & reliqui, ne omnes enumerem. Hi omnes poſt ſe diſcipulos abduxerunt, & vt vim verbi græci, quo vſus eſt Lucas, exprimam, de ſinu eccleſiæ catholicæ, quaſi de matris cõplexu vi auulſerunt, & abſtraxerũt: hoc enim ſignificat ἀποσπᾶν. Sed quomodo abſtraxerunt? loquẽtes, inquit Apoſtolus, peruerſa, & deprauata, hoc enim ſignificat verbũ διεστραμμένα: peruerſa autẽ eſſe nõ poterant, niſi à verbo Dei auerſa eſſent. Vnde tamdiu non poteſt quis διεστραμμένα, id eſt, peruerſa, & deprauata loqui, dum verbum Dei prauè, & peruerſè non intelligit: nec interpretatur. Quare aut iſti noui hæretici verbum Dei peruerſè intelligẽdo & interpretando deprauant,

ſi nobis hæretici ſunt:aut nos hoc facimus,ſi eis hæretici ſumus.rectè enim Hilarius in 2.libro de Trinit.ait, de intelligẽtia hæreſis,nõ de ſcriptura eſt:& ſenſus,nõ ſermo fit crimen.ex quo fit, vt de interpretatione ſcripturarum,licet iſti negent,tota ipſorum,& noſtra contentio ſit:neq; fieri poſſit,vt verbum Dei purũ,ſine interpretatione vlla à Lutheranis,vt iactare ſolent,tradatur.quod ſi de interpretatione verbi Dei omnis cõtrouerſia vtriuſq; partis eſt,nihil aliud ſupereſt, niſi vt vel argumenta ſine teſtibus:vel teſtes ſine argumentis:vel potius vtrumq;,cum vtrumque habeamus,controuerſiã dirimat. Sed rurſus, quia nos argumenta ex ſcripturis ſanctis ducimus, & iſti ſcripturas peruerſè loquẽdo id eſt,malè intelligendo, & interpretando deprauant, reliquum eſt tandẽ , vt neceſſario fiat, quod Paulus ad Timoth.ſcripſit, quæ audiſti , inquit, à me per multos teſtes,hæc commẽda fidelibus hominibus, qui idonei erunt,& alios docere. Hoc eſt igitur, quod noſtri catholici ſcriptores ab initio hæreſis Lutheranę more & exemplo veterũ patrũ ſemper, vt neceſſe erat,fecerunt, & adhuc faciunt.ea ſcilicet quæ per teſtes omniũ ſæculorũ,& eccleſiarũ,& vtriuſq; linguæ Græcæ: & latinæ ex ſanctis Apoſtolis didicerunt , & tradita ſunt nobis, hæc productis teſtibus , & recitatis teſtimoniis die , & nocte ſcribũt:hæc epiſcopi eccleſiæ catholicæ , doctr, & aliis,qui ſunt ad docendũ idonei, ac fideles,vt doceant,cõmittunt. Cõtra verò Lutherani magiſtri quia nullos teſtes habẽt præter eos, qui ex domo eorũ prodierunt,per quos,ea quæ tradũt,ab Apoſtolis accepiſſe probare poſſint, ad improbandos teſtes noſtros totum ſtudiũ ſuum, & vigilias conuerterunt. in quo vna iam pridem ſudant Magdeb. Centuriatores, quãta poſſunt in perferendo labore induſtria,ſi induſtria dicenda eſt, quæ impiè & peſtiferè ponitur.ſudant,dico,laborãtes, quomodo quibus poſſint,ſuadeant,nullos nos habere teſtes,neſcio quas inclinationes doctrinæ, vt ipſi vocãt & corruptelas in teſtimoniis noſtrorum per calumniã & malitiam obiicientes. Quam autem verum ſit,nullum iſtos habere teſtem,præterquam quod res ipſa loquitur , illi ipſi teſtantur , qui ex hæreticis ad nos , ex

quibus erãt, nobiſcũ vt permanerẽt, frequenter reuerſi ſunt ex quibus, vt cæteros nunc taceam, nobilis quidã Salernitanus ex principis Salernitani familiaribus, cũ diu fuiſſet Caluinianus, & ſi illibenter, vt affirmabat, ante annos paucos in ſe reuerſus, & filium prodigum imitatus, ad fidem eccleſiæ catholicæ in conſpectu legati Pontificis Romani & multorum optimatum Auinione rediit, ædito libello confeſſionis ſuæ: in quo cũ cauſas amplius triginta numeraſſet, quæ ad redeundũ coegiſſent, vna ex illis erat, quod cum permulti veteres auctores, ex quo hæreſis Lutheri ortum cepiſſet, in lucem in Gallia, Germania, Italia exiſſent, à quibus grauiſſima in Lutheranorum doctrinam teſtimonia dicerentur, nullum tamen vnquam teſtem ex veteribus ſua iſta nimia diligentia, & curioſitate, ac labore aſſiduo, & ardenti deſiderio reperire, & producere potuiſſent. ſatis hoc ipſum Magdeburgenſes Centuriatores Lutheranorum ſcribæ, & aduocati probant, qui omnes alioqui bibliothecas Germaniæ & Galliæ ſcrutati, & multitudine librorum conquiſita, & in gymnaſiũ ſuũ cõportata, ac multiplici lectione diurna, & nocturna inter operas Centurialis officinæ partita, nullũ tamen teſtem in epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum, cõtra quas coniurauerant, inuenire potuerunt, præter vnum ignotum, quem vocãt Calcheiſem ante annos ſeptuaginta, vt ipſi dicunt, natum. quam verò idonea ſit tantula ætas ad dicendum teſtimonium contra tantã antiquitatem epiſtolarum, id eſt, contra ſcripta ſecundi ſæculi Centuriarum, iudicent ipſi. Sed de teſte iſto reſpondebo ſuo loco in quinto eodémque extremo libro. Redeo ad Epheſios illos, apud quos erant quoq; qui exorciſmis non ex ſcriptura ſancta rectè ſumptis, vt S. Athanaſius ad Marcellinum ſcripſit, ſed à ſe malè compoſitis, & ornatis dæmones expellere conarentur, ex quibus ſeptem illi filij Scæuæ Iudæi principis ſacerdotum fuerunt, qui cum inciperent, vt Lucas narrat, inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomẽ domini Ieſu dicentes, adiuro vos per Ieſum, quẽ Paulus prædicat, reſpondens ſpiritus nequam dixit eis, Ieſum noui, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? & inſi-

liens homo in eos,in quo erat dæmonium peſſimum, dominatus inualuit in eos,ita vt nudi, & vulnerati effugerēt. Horum etiam ſimiles ſunt Lutherani, hi enim inter ſe de præcipuis rebus fidei, & vt quidam ex eis Nicolaus Gallus in Theſibus ſuis teſtatur de ſublimibus doctrinæ Chriſtianæ articulis contendunt. qui dū ſuis falſis dogmatibus veluti quibuſdam exorciſmis à ſe factis, quod verbum Dei vocant alij alios increpare, & redarguere tentant, euenire ſolet, vt homo in quo eſt ſpiritus nequam in eos inuectus eoſdem damnet, & anathema faciat. & vt vnum, aut alterum exempli gratia nominemus, fecit iā hoc Nicolaus Amſdorffius ex Confeſſioniſtis in libro, quem de publica confeſſione puræ doctrinæ euangelij & confutatione præſentiū Suermerorum, vel factioſorum inſcripſit, res, inquit, nihilo fit melior, ſed in dies deterior: omnia nihil præ ſe ferunt aliud, quàm euangelium apud nos peſſum iturum: & loco euangelij non niſi meros eoſdémq; egregios errores nos habituros, nō quidem aliam ob cauſam, quam quod humanæ rationis, prudentiæque, nō autem ipſius veritatis ſtudioſi ſumus. Dum dicit hic in ipſius libri fronte cōfiteri ſe purā doctrinā euāgelij, & confutare hæreticos, dicere videtur, Ieſum ſcio, & Paulum noui: Zuinglio autem, & Oſiandro, atq; aliis hæreticis illud dicit, vos autem qui eſtis? & inſiliens in eos, ſic in eodem libro de confeſſione puræ doctrinæ euangelij ait, Primo igitur damnamus nos Gaſparum Suencfeldium, & Anabaptiſtas, qui eam, quæ ore fit, euangelij prædicationem non modo contemnunt, & reiiciunt, ſed etiam condemnant. Secundo etiā Oſiandrinam damnamus factionem, quippe quæ nō minus craſſa, & impudens hæreſis eſt. &c. Tertio Sacramētarios Zuinglium & eius ſectatores condemnamus, &c. Quarto Adiaphoriſtas propterea, quod præter euāgeliū etiam humanas traditiones in ſuis eccleſiis ſeruari iuſſerunt. Si quidem euangelium nulla hominū mandata ſecum in eccleſiis obſeruari patitur. &c. Sic iſte homo, in quo erat dæmoniū peſſimum Lutheri, & Lutheranæ confeſſionis Auguſtanæ inſiluit in illos alios hęreticos exorciſtas. Itē Saxoniæ principes, & Comites

Mansfeldenſes libris magnis æditis 11. ſectas Lutheranorũ tanquã execrabiles condẽnarunt. Taceo Nicolaũ Gallum ſuperintendentẽ Lutheranũ, qui in libro ſuo Theſeon & Hypotypoſeon plures alios Lutheranos condẽnat: prætereo etiã Illyricũ, qui in Melancthonicos, & Adiaphoriſtas atrociter incurrit. Sed videamus iam quemadmodum Paulus Apoſtolus tum presbyteros eccleſiæ Epheſi, tum Timotheũ Epheſiorũ epiſcopum aduerſus curioſos illos inſtruxit, qui libris igne dignis, quos poſtea combuſſerũt, vtebantur: & aduerſus illos, qui nomine Ieſu, & nomine Pauli ſuis illis deprauatis exorciſmis abutebantur, & contra hæreticos, quos idem apoſtolus prædixit ibi futuros, qui peruerſa loquerẽtur. vt inde diſcamus, quemadmodũ nos quoque inſtructi, & parati eſſe debeamus contra curioſos iſtos nouos hæreticos diſciplinæ Lutheranæ ſectatores, qui tam multos iã libros incendio dignos ſcripſerunt, & quotidie ſcribunt: quique falſis ſuorum dogmatũ veluti exorciſmis nomine verbi Dei, quod falſo iactant, tranſuertere volũt euangeliũ, vt de Galatis illis Apoſtolus dixit. Ergo poſtquam dixit Paulus, vt Lucas narrat. & ex vobis ipſis ſurgent viri loquentes peruerſa, vt abducãt diſcipulos poſt ſe, ſubiũgit, propter quod vigilate memoria retinẽtes, quoniam per trienniũ nocte, & die non ceſſaui cum lachrymis monere vnumquemque veſtrum. Monet igitur hic Apoſtolus, vt cũ ſurrexerint, qui peruerſa loquantur, quod eſt hæreticorum in eo primum vigilemus, ac primam curã ponamus, vt meminerimus, quid à primis patribus, & magiſtris à principio per tot ſæculorũ curricula didicerimus, ac moniti ſimus, ſicuti Epheſij ab Apoſtolo per trienniũ eruditi, & moniti fuerant. Quare ſi cũ in Germania Lutherus, & alij poſt eũ loquẽtes, prauè, & peruerſè verbum Dei ſurrexerunt, tunc Germani vigilaſſent memoria retinẽtes, quid die, & nocte catholici prædicatores patrum, ac maiorũ ſuorum memoria per Germaniæ eccleſias, ex quo Bonifaciũ Apoſtolũ Germania recepiſſet, ſemper docuiſſent, ac monuiſſent nũquã lupi ingreſſi populos mactaſſent, & perdidiſſent. Sed quia iuxta parabolam euangelij dormierunt ho-

mines, id eſt, ceperunt, obliuionem doctrinæ à principio ſeminatæ, venit inimicus eius, qui ſeminauerat bonum ſemen in agro ſuo, & superſeminauit zizania in medio tritici, & abiit. Hinc ſatio zizaniorum. diſcrimẽ autem boni, & mali ſeminis, id eſt, verorum, ac falſorũ dogmatũ docet ſtatim eadẽ parabola, vt rectè à quodã vetere interprete animaduerſum eſt, ſubiungit enim cum autem creuiſſet herba, & fructũ feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Scilicet quale ſit euangeliũ, quod Lutherus prædicauit, ex fructu, quem attulit, perſpicitur, ſi cum eo cõparatur, quem antiqua euãgelij Chriſti prædicatio in Germania ante eum attulerat. imò ipſe primus huius ſementis zizaniorum ſator Martinus Lutherus, cogente conſcientia, teſtimonium non rogatus dedit, cum in poſtilla ſua magna in euangeliũ dominicæ primæ aduentus ſtomachoſè conqueritur, ex ſuo euangelio homines longè deteriores euaſiſſe, quam in papatu. vnquam fuerint adeò enim vitia & flagitia ſub hoc ſuo euãgelio creuiſſe, vt in ipſum malum dæmonẽ trãſierint. Hæc Lutheri de zizaniis euãgelij ſui teſtificatio. Deinde Paulus poſtquã presbyteros Epheſi rogauit, vt quæ per triennium monuiſſet, meminiſſent, ſubiungit. & nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius. Hæc demum fuit ſumma, & caput vniuerſæ inſtructionis, commendare eos Deo, & verbo gratiæ ipſius, id eſt. euangelio, quod potens eſt, inquit, ſuperædificare, & dare hæreditatẽ in ſanctificatis omnibus. Quare ſi quod Luther⁹ prædicare cœpit, verbum gratiæ Dei fuiſſet, quod de ſpiritu Chriſti proceſſiſſet, ea, quæ verbũ dei à primo apoſtolo Germanię VVbinfredo cognomento Bonifacio natione Anglo prædicatum, & ſemper in eccleſiis cunctæ Germaniæ, tanquã depoſitũ fideliter cuſtoditũ, fidei credentiũ ſuperædificauerat, nũquã deſtruxiſſet. Inter cætera verò, quæ illud verbũ gratiæ ſuperædificauerat, obedientia erat Romanæ eccleſiæ, quã primũ, vt facilior eſſet reliqua demolitio, euãgelium Lutheri ſuſtulit. Sic. n ſanctus Bonifacius in epiſt. ad Gudbertũ archiepiſcopum Angliæ ſcripſit. decreuimus in noſtro ſynodali cõuentu, & cõfeſſi ſumus catholicam fidem, & vnitatem, ac

ſubiectionem Romanæ eccleſiæ fine tenus vitæ noſtræ velle ſeruare: ſancto Petro, & Vicario eius velle ſubiici. &c. Ad hũc igitur modũ Apoſtolus preſbyteros Epheſiorum cõtra curioſos librorũ peſtiferorũ auctores, & lectores, ac falſos exorciſtas, & futuros hæreticos inſtruxit, & monuit. Timotheum verò Epheſi epiſcopũ aduerſus eoſdẽ his etiã monitis quaſi armis quibuſdam muniuit. Tu autẽ, inquit, permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: permanere præcepit in doctrina ab Apoſtolo tradita, & eam inſtar depoſiti fideliter ſeruare: hæreticorũ enim eſt, nõ permanere in eo, quod ab initio audierunt, vt beatus Ioan. ait, imò ipſorum quoque eſt. vt idem Apoſtolus Paulus ad eoſdem Epheſios ſcripſit, tanquam paruulos fluctuare, & omni vento doctrinæ circumferri, quod iſtis ipſis nouis hæreticis nemo eſt, quin euenisſe ſciat. Hinc enim Lutherana hæreſis tam multiiugis facta eſt. hinc Confeſſioniſtæ, Oſiandrini, Zuingliani, Adiaphoriſtæ, Melancthonici Maioriſtæ, & reliqui manarunt. Deinde ſubiũgit Apoſtolus, ſciens à quo didiceris, ſcilicet didicerat Timotheus à Paulo, qui, vt idẽ Galatis teſtatus eſt, nõ ab homine euãgelium accepit, neq; didicit, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. itaque auctoritatẽ magiſtri commendauit apoſtolus, quo magis ſtudium diſcipuli ad conſeruandam doctrinã perceptã excitaret. vt ſicut idem ad Hebræos ſcripſit, abundantius obſeruaret ea, quæ audiſſet, ne forte perflueret. Hoc autem Martinus Lutherus cum alioqui ſuperbiſſimus eſſet, & prophetã ſe vocare auſus, nunquam tamen auſus eſt dicere, non ab homine accepiſſe, neque didiciſſe euãgelium, quod prædicabat, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Hoc ergo Martinum Lutherũ, & reliquos ab eo ſatos peruerſa loqui fecit, vt de futuris illis hæreticis Paulus prædixit, quod neſcierunt, vel potius obliti ſunt, à quo euangeliũ accepiſſent, illud dico, quod euangelio ſuo nouo μεταςρέψαι, vt verbo apoſtoli vtar, id eſt, trãſuertere voluerũt. Nos igitur Reuerẽdiſſime Staniſlae Hoſi, vt propoſitũ nobis perſequamur, permanentes, ſicut ſãcti apoſtoli patres noſtri monuerũt, in iis, quę didicimus, & credita ſunt nobis, ſcientes ex quibus, ſcilicet

ſanctis apoſtolis, & apoſtolicis patribus ea didiceri-
mus, pergemus deinceps reliquam doctrinam epiſtolarum Pontificum Apoſtolicorum ab iſtis reprehenſam auctoritate verbi Dei defendere, & ad cætera omnia, quæ in eam obiiciunt, vt hactenus fecimus, reſpōdere.

Defenſio doctrinæ de non accedendo ad menſtruatam in epiſtola Clementis quarta. Quod eam reprehendant Magdeburgenſes contra naturæ decentiam & honeſtatem. Item de purificatione, ſiue lauatione, contra naturalem quoque honeſtatem & honeſtæ conſuetudinis decentiam à Magdeburgenſibus reprehenſa.

Cap. I.

VT ergo reliquam deinceps cōfutationem eorum quæ doctrinæ catholicæ epiſtolarum adhuc Magdeburgen. opponūt, perſequamur, reſpondeamus eis ad id, quod in eorum accuſatione ſequitur, de vitanda menſtruata, & de purificatione in epiſtola Clemen. 4. hæc enim ad traditiones quoque humanas, vt proximè ſuperiora, retulerunt: & ad laqueos conſcientiæ, ſimiliter atque illa, pertinere dicūt. Recitemúſque prius, quæ Clemens ſcripſit. Eſt, inquit, ſanè propria quędam noſtræ religionis obſeruantia, quæ non tam imponitur hominibus, quàm propriè ab vnoquoque Deum colente cauſa puritatis expetitur: de caſtimoniæ, dico, cautela, cuius ſpecies multæ ſunt: ſed primo, vt obſeruet vnuſquiſque, ne menſtruatæ mulieri miſceatur, hoc enim execrabile ducit lex Dei. quod etſi lex de his non admonuiſſet, nos vt Cathari, non libenter voluere mur in ſtercore (ſic enim eſt in exemplari vetuſtiſſimo bibliothecæ Vaticanæ & in altero Florentino bibliothecæ S. Marci) debemus aliquid amplius habere animalibus, vtpote rationales homines, & cœleſtium ſenſuum capaces, quibus ſummum ſtudium eſſe debeat, ab omni inquinamento cordis conſcientiam cuſtodire, &c. Admonuit Clemens Magdeburgenſes, ne humanam traditionem hanc eſſe putarent, neque tamen admoniti intellexerunt. Cum enim dixit, eſt ſanè propria

quædam noſtræ religionis obſeruantia, quæ non tam hominibus imponitur, quam propriè ab vnoquoque Deum colente cauſa puritatis expetitur, an non clarè admonuit non pertinere hoc, quod nunc præcipit, ad humanam traditionem? neque ſe eſſe, qui ex ſe hoc hominibus, ſed potius ab vnoquoque ſecundum legem moralis decentiæ, & ſanctæ continentiæ hoc expeti? ſubiungit enim, vt obſeruet vnuſquiſque, ne menſtruatæ mulieri miſceatur, hoc enim execrabile ducit lex. deinde ſubiungit de lege naturalis decentiæ. Quod & ſi lex de his non admonuiſſet, nos vt Cathari, id eſt, mundi, non libenter volueremur in ſtercore. debemus enim aliquid amplius habere animalibus, vtpote rationales homines, & quæ ſequuntur, iam recitata. Si Paulus cum Corinthios reprehenderet, quod contra decentiam quoque naturalem viri velato capite orarēt in eccleſia, & mulieres non velato exprobans eis tarditatem non intelligendi quod honeſtum erat, aiebat, Vos ipſi iudicate, decet mulierem non velatam orare? nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi, mulier verò ſi nutriat gloria eſt illi? quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt: quãtò magis licet dicere vobis, & quidem tarditatem exprobrando, nec ipſa natura vos docet, quod ſi vir ad menſtruatam mulierem accedat, vt cum ea rem habeat, ſumma intemperantia libidinis ſit, & noxia turpitudo, ac execrabilis fœditas? Iudicent veſtri laici Lutherani, ſi qui ſunt paulò quàm vos temperatiores ac honeſtiores, vt condemnent vos de execrabili doctrina veſtra, qui inter traditiones humanas, quas fingitis, legem decentiæ naturalis & ſanctæ continentię non miſcendi ſe cum muliere menſtruata, retuliſtis omnis incontinentiæ magiſtri. Sed videamus de lege Dei. Fortaſſis enim exiſtimaſtis, vt parum in ſcripturis ſanctis eruditi huiuſmodi conſuetudinem cum menſtruata, quia in Leuitico prohibeatur ad ritus Moſaicæ legis, quæ deſita eſt, pertinere, ac nõ potiùs ad honeſtos mores, qui ex decalogo, ceu ex fonte naturali, & diuino ducuntur. Iſichius ergo preſbyter Hieroſolymitanus interpres Leuitici erudítiſſimus, interpretans hanc legem

1. Cor. 11.

Magd. deteſtabilis incontinentiæ magiſtri.

Non ad cerimoniam legis, ſed ad honeſtatem morum naturalem pertinet, nõ accedere ad menſtruatam.

Iſichius Hieroſolymitanus.

Leuitici.cap.20. A menſtruata,inquit,abſtinere nō fru- *Leu. 20.*
ſtra legiſlator præcipit, ſed hominem ſuadens ad pudi- *Clem. Alex.*
citiam, caſtitatiſque eum diligentiam habere, ex qua ſanctificatio prouenit, nolens in modum porcorum continuè cum mulieribus miſceri,& ad cōmunem corruptionem vacare. hactenus Iſichius. Item Clemens Alexand. in Pędagogo lib.2. & Moiſes,inquit,ipſis etiam vxoribus interdicit acceſſum ad virū, dum ſunt in mēſtruis. non enim,inquit,rationi conſentaneū eſt,illa ſordiū purgatione illud genitale ſemen, quod paulò pòſt futurū eſt homo, polluere, nec ſordido fluxu materiæ alluere ſemen bonæ generationis ſulcis vteri priuatū. imò ex Ezechiele intelligere poteſtis, vtrum ad tradi- *Inter iuſtitias*
tiones humanas,quas ſomniatis,pertineat,an potius ad *decalogi retulit*
iuſtitiam decalogi, Et vir,inquit, ſi fuerit iuſtus (omne *Eze. non acce-*
genus virtutis ſignificauit) deinde partes iuſtitiæ exe *dere ad men-*
quens: ſi fecerit,inquit,iudicium & iuſtitiam, in mon- *ſtruatam.*
tibus non comederit, & oculos ſuos non leuauerit ad *Eze. 18.*
idola domus Iſraël,& vxorem proximi ſui non violauerit,& ad mulierem menſtruatam non acceſſerit, & hominem contriſtauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento, ad vſuram non accōmodauerit, amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum ſuam, & iudicium verum fecerit inter virum,& virum,& in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea cuſtodierit, vt faciat veritatem, hic iuſtus eſt: & vita viuet,ait Dominus. Si hæc omnia, quæ Propheta hoc loco coniunxit cū abſtinentia à menſtruata, ad traditiones humanas,& laqueos conſciētiæ, vt vos dicitis pertinent, pertineat etiam abſtinentia iſta. Vos ipſi iudicate Magdeburg. Iam credo, pudet vos, vtinā pœniteat. Denique quod hæc de non accedendo ad eā, quæ in menſtruis eſt, non ſit traditio humana, ſed traditio temperantiæ naturalis, ab iis obſeruari ſolita, qui ſe in libidine continent, ex 6. lib. Clementis de conſtit. apoſtolicis cap. 28. perſpici poteſt, Sic enim ait, cum naturalis purgatio cernitur in vxoribus, ne ſe cum illis cōmiſceant mariti, vt proli conſultū ſit, id enim lex prohibuit, cum ait, ad eā, quæ patitur mēſtruum, ne accedas.

Sed dicamus deinceps de purificatione, ſic tamen vt more noſtro prius recitemus, quæ Clemens ait: Bonum eſt autem, inquit, & puritati conueniens etiam corpus aqua diluere: bonum verò dico, non quaſi principale illud, in quo mens purificatur, ſed quod ſequela ſit illius boni hoc, in quo caro diluitur. ſic enim & magiſter noſter quoſdam Phariſæorum & ſcribarum qui videbantur cæteris meliores, & à vulgo ſeparati increpabat, dicens eos hypocritas, quia ea ſolummodo, quæ hominibus videbantur, purificabant: corda verò, quæ ſolus Deus aſpicit, inquinata relinquebant, & ſordida, ad quoſdam ergo ex ipſis, inquit, non ad omnes dicebat. Væ vobis ſcribæ & phariſæi, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intus autem plena ſunt ſordibus. Phariſæe cœce, munda prius, quod intus eſt, & quod deforis eſt, erit mundum. Verè enim ſi mens mundetur luce ſcientiæ, cum ipſa fuerit munda ac ſplẽdida, tunc etiam eius, qui deforis eſt, hominis ipſa neceſſario curam gerit carnis ſuæ, vt & ipſa purificetur. Vbi autem iſta, quæ deforis eſt, purificatio carnis negligitur, certum eſt neque de puritate mentis, ac munditia cordis curam geri. Ita ergo fit, vt is, qui intrinſecus mundus eſt, mundetur ſine dubio & extrinſecus: non ſemper autem is, qui mundatur extrinſecus, etiam intrinſecus mundus eſt, videlicet cum agit hæc, vt hominibus placeat: hæc Clemens. quæ valent aduerſus Ebionitas Cherinthi ſucceſſores, qui frequenti lauatione corporis vtebantur, quod ea ſe à peccatis mundari falſò putarent, quæ nemo Catholicorum eſt, qui non dicat ſanctiſſimè ſcripta eſſe: & qui non ea ſequi & ſeruare ſtudeat. Vos ſoli inuenti eſtis, qui improbaretis, qui tanto ſtudio omnia ad calumniam vtcumque rapiendi tenemini, vt non animaduerteritis, quod hic accuſatis, hoc vos & quidem laudate facere. Vellem enim à vobis quærere, an vos non faciem & manus lauatis, & id quidem quotidie, ac rurſus manus, cum menſis accubare vultis? Equidem in Germania nunquam fui, ſed quod fieri vidi, vbicumque fui, non puto non item apud vos fieri. Etſi enim fidem Eccleſiæ catholicæ reſpuiſtis: hanc tamen catholicam conſuetudinem cum

Matt.23.

natura & ſcriptura conſentientem,& apoſtolica admonitione commendatam nondum reſpuiſtis. Sic enim ſcriptum eſt in 8.lib.Clementis de apoſt.conſtitut. cap. 23.Omnis fidelis ſiue vir, ſiue fœmina poſtquam ſurrexerit è ſomno, antequam opus aggrediatur, poſtquam lauerit, oret: ſi autem fiat aliqua de verbo Dei inſtructio,anteponat fidelis ſiue vir, ſiue fœmina verbum operi:hactenus conſtitutio,ex numero earum,quæ ſimiliores ſunt monitis,quam legibus,quę *ἐθίσματα*, & *ἐπιτηδεύματα* à Platone dicuntur, de quibus libro primo dictum eſt. Quare ſi aqua, aut tempus deeſt ad lauandum,aut ſi fortè obliti ſumus, neque laqueum conſcientiæ iniectum putamus neque commiſſum peccatum non lauãdo:puerile eſt hoc. At ſi quis à communi hoc & vſitato fidelium more alienus eſſe velit,reprehenſionem iuſtam, & pœnam meritam incurrat. hic enim vſurpari quoque illud poteſt,nec ipſa natura vos docet, quod ſi quis fidelis manus, aut faciem ſordidam habeat,ignominia eſt illi? Vos ipſi iudicate, an deceat illotos eſſe an lotos,non quidem Phariſaicè, ſed Chriſtianè,habentes priorem curam purificandi conſcientiam, quàm corpus. Licet hic dicere, quod ait Clemens Alexandrinus in Pedagogo lib.2.deſcribens enim ea,quæ ad decentiam hominis Chriſtiani pertinent, cum eos reprehendit, qui frequenter expuunt, aut violentiùs excreant, aut inter conuiuium nares emungunt, ſubiungit deinde cauſam reprehenſionis,inquiens: obſeruandum eſt enim, ne, qui comprandent, præ nauſea hanc indecentiam oderint, quæ intemperantiam arguit. Et paulò pòſt, crepitus ructantium vitandos eſſe dicit,ne qui audiunt,teſtimonium ruſticitatis,ac malæ educationis præbeant. ad hoc genus pertinet non lauare,quæ indecentia, vt intemperantiæ index ac teſtis fugienda eſt Chriſtianis, quos nullam occaſionem maledicendi, fratribus dare oportet. lauare autem in balneo viris quidem ſolius ſanitatis cauſa permittit Pædagogus Clementis Alexand.mulieribus verò ſanitatis & munditiæ. cum quo ſatis conuenit alia apoſtolica conſtitutio,ſimilior item admonitioni, quàm legi in primo lib. de laicis à Clemente Romano ſcripta,

Conſuetudo lauandi extrinſecus ſordes cum natura,ſcriptura,& apoſtolica traditione conſentiens.

Indecentia non lauandi ſordes extrinſecus index intemperantiæ, & occaſio detrahendi.

quæ modum ponit lauationi mulierum in balneo, vt honeſtè, atque vt fidelem decet, ſine ſcandalo fiat. Quare hic non de lauatione corporis loquitur Clemēs Romanus, qualis erat illa Phariſęorum, aut Ebionitarum, qui eas partes crebro lauabant, quæ extrinſecus cernũtur: quod autem intus erat, id eſt, cor, non mundabant, quod erat alioqui prius mundandum. Vnde Pædagogus Clementis Alexandrini velut in hunc locum Clementis Romani in hac epiſtola, quam Magdeburgenſes negant, intuens, oportet autem, inquit. maximè quidem lauare animum purgante ratione, & non nunquàm etiam corpus propter ſordes, quæ ei adnaſcuntur. Væ enim vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, dicit Dominus, quoniam quod eſt extrinſecus poculi & patinæ mundatis, intus autem plena ſunt omnia immunditia: munda primum quod intus eſt poculi, vt ſit etiam mundum, quod eſt exteriùs. Deinde ſubiungit, optimum ergo lauacrum purgat ſordes animæ, eſtque ſpirituale, & quæ ſequuntur. Et ſanctus Epiphanius confutans lauationē ſuperſtitioſam Ebionitarum. lib. 1, tomo 2. cap. 30. pronunciat inquit, perfectè aduerſus Phariſæos & ſcribas crebro manus lauantes, quod illotis manibus edere non inquinat hominē. Quare, inquit, non ſolùm actiones iſtorum euertit, ſed etiam lauare manus ſuperfluum eſſe oſtēdit: tamen lauare manus ſiquis vellet, non eſſe noxā. Clemens verò Romanus in epiſt. ſua, non ſolùm non nocere, ſed etiā bonum eſſe, & puritati conueniens dixit. Sed quæret aliquis fortaſſe, quid in mentem Clementi venerit, vt de iſta lauatione corporis meminerit? ſcilicet quia meminerat de ſordibus ſanguinis menſtrui non miſcendis cũ ſemine mariti, vt incontinētes homines ſolent. addiderat autem, cuſtodiendam eſſe conſciētiam ab omni inquinamēto corporis, ne quis exiſtimaret, nullā apud fideles mundandi corporis rationem haberi, præſertim cum & ad eos ſcriberet, qui ex gentibus crediderant, apud quos magna cura & ſtudiũ lauationis eſt: idcirco de hoc quoq; valde opportunè, & accomodatè aduerſus Ebionem admonuit. Deniq; quo magis ad hunc intelligant Magd. nó de ritu vllo Iudaicæ purificationis,

ſiue lauationis hoc loco Clementem in epiſtola loqui' idem Clemens lib.6.de conſtit.apoſtolicis cap.23. Vir, inquit, & vxor cũ matrimonio legitimo corpora com miſcent, & coniunctionem corporum dimittunt, pre centur ſine obſeruatione:& ſi enim nõ lauerint corpo ra,puri ſunt. Valet hoc contra Ebionem,qui,vt ſanctus Epiph.narrat, quotidie, ſi cum muliere rẽ haberet,ſta tim baptizabatur in aquis. Sed de his hactenus.

Cõſtitutio apoſtolica de non obſeruanda laicis lauatione corporis ſuperſtitioſa poſt con cubitum legitimũ contra Ebionẽ.

Defenſio doctrinæ de communi vita in epiſtola 5. Clementis: & de origine communitatis rerũ, & de perfectione eius: & de errore in ea veterum hæreticorum, & noſtræ ætatis: item de vita communi religioſorum, & de voto, quo ſuſcipitur, item de communi vita clericorum ex communi ſumptu eccleſiæ. Cap. 2.

Pergunt deinceps, Magdeb. accuſare e- „
piſtolas. De communi vita, inquiunt, „
Clem. epiſ. 5. & de publica ac ſolenni „
benedictione coniugum in templis, ad „
quem ritum neceſſariò obligari vult „
omnes Eccleſias Euar. 1. hæc Magde- „
burgenſes. Sed de vita communi quid reprehenderent „
Magd. nihil amplius explicarunt, nobis quod vehemẽter miror, præſertim cũ in promptu eſſet, quod non ſolum ipſi, ſed nos quoque reprehendimus. Cũ enim dixiſſet Clemens, vſum omniũ, quæ ſunt in hoc mundo, communẽ cum omnibus eſſe hominibus debuiſſe: ſed per iniquitatẽ factum eſſe, vt alius hoc ſuũ eſſe diceret, alius aliud: atque ita inter mortales factam eſſe diuiſionem, citaſſétque Platonem, Paulum imitatus, qui Aratũ & Epimenidem, ſiue vt alij putant, Callimachum & Menandrum citauit, ſubiungit non Clemens, abſit ſed aliquis patronus libidinis in Republica Platonis inſtitutus, in omnibus autem ſunt ſine dubio & coniuges. quod quidem in vetuſto exẽplari bibliothecæ Vaticanæ nõ eſt, vt perſpici poteſt ab iis, qui voluerint oculis ſuis credere. vetus eſt hoc artificiũ adſcribendi magnis auctoribus, quæ nunquam ſcripſerunt, neque ſenſerũt, cuius rei exemplũ ne longiùs petatur, dudum in opere

confeſſionis catholicæ Staniſlai Hoſij lectiſſimi Cardinalis Varmienſis apparuit. Qui cum de cœlibatu erudite,& catholicè,vt cætera ſcripſiſſet,& de diſpenſatione eius pro ſua modeſtia, ac prudẽtia ſententiam interponere ſuam noluiſſet,neſcio quis diſpenſationis in cœlibatu callidus patronus,nactus, vt ſibi viſum eſt,affingendi opportunitatem , ſed parum in affingendo cautus,poſt Cypriani locum de virginibus Deo dicatis cõtinere nolentibus,in tertia æditione Antuerpiana Ioannis Stelſij ſententiam ſuam de diſpenſatione interiecit, & auctori operis adſcripſit,quam ipſe quidem non eſſe illius,neq; quæ ibidem in margine apposita ſunt, prætcrquam quod ipſe idem auctor lectorem in principio operis poſtea æditi admonuit,ſatis ille ipſe locus declarat,in quo auctor dicit , nolle ſe de diſpenſatione ſententiam dicere.ergo ſententia,quæ de ea re ibi dicta eſt cũ notatione margini apposita nõ eſt auctoris. ita in aſtutia ſua comprehenſus eſt ille,qui corrector ſimul & corruptor alieni operis eſſe voluit.audiui eum,cum de hac fraude,& quidem meritò diceret,ſi hoc iſte me ſuperſtite auſus eſt, quid mortuo non auſus eſſet ? ſed redeamus ad locum Clementis,quem mirandum profecto eſt,cur Magdeburgenſes diſſimularint,qui tam diligenter alioqui,quid in his epiſtolis accuſarent,quæſiuerunt.diſſimulaſſe eos credo,ne damnare viderentur, quod apud ſuos Lutheranos fortaſſe fieri cuperent,qui etiam ſponſas Chriſti virgines ſacras,communes vxores habere volunt : quod eorum magiſter Lutherus in libro de vitandis hominum doctrinis inſcripto docuit, & exemplo ſuo confirmauit, qui monialem ex monaſterio Nymicenſi raptam Catherinam de Bore vxorem duxit : & ſi ante annos amplius ſeptingentos quinquaginta in Germania Synodus Saliſburgenſis S. Vigilio Archiepiſcopo verbum Dei ſequens , ne moniales nuberent,prohibuiſſet.quid igitur mirum,ſi etiam pro ſua libidine & incontinentia , laicorum quoque vxores communes eſſe . profiteri vellent , vt quidam ex Anabaptiſtis ex Luthero natis , &Monaſterienſes profitentur , ſi tamen hanc eorum diſciplinam generoſi Germani paterentur. Quantò meliùs fecit Maſſæus Cameracenas,

Cur Magd. cũ vitam communẽ in epiſt. 5. Clem. reprehenderent quod ibi falſò ſcriptum erat de communitate vxorum diſſimularunt.

racenas, qui lib. 9. ſuorum Chronicorum, cum non crederet ſcriptum eſſe hoc à Clemente, meritò exclamãs, is ne, inquit, contenderet coniuges ſingulorum omnibus debere eſſe communes? deinde ſubiungit: vel ex hoc ſolo verbo ſatis datur intelligi, cuius fuerit, nimirum infœlicis Nicolai, aut alicuius ſectatorum eius, quos inter primos hæreticos legimus. hæc Maſſæus. Magdeburgenſes verò tantùm abeſt, vt vlla hic exclamatione vſi fuerint, vt neque ſatis ſignificauerint, quid in iſta vita communi, quam notarunt, reprehenderent, communitatem, ne rerum ad exemplum Apoſtolorũ, & illius primæ eccleſiæ, qualis nunc in religioſorum cœnobiis ſic à communitate illa vitæ Græco vocabulo dictis, cernitur? an magis communitatem illa mulierum Platonicæ Reipub. quæ in 5. libro deſcripta eſt? nihil enim aliud, neque alio modo notarunt, quam ſic. De communi vita epiſt. 5. Clementis. Quare cum ſciant omnes, Lutheranorum magiſtris magis odioſam eſſe monaſticam rerum communitatem, quam incontinentiam hominum carnalium, vt qui ſint diſcipuli eius, id eſt, Lutheri, ex cuius 6. tomo operum manauit in vulgus, & iam in prouerbium Germanicum, abiit, ſi non vult vxor, veniat ancilla, & in lib. de vita coniugali, virum muliere, & mulierem viro minus carere poſſe, quam cibo, potu, & ſomno, ſuſpicor Magdeburg. hunc locum epiſtolæ Clementis de vita communi idcirco notaſſe ac reprehendiſſe, quod in eo Clemens vitam communem, quam Lutherus vna cum monachatu in Germania ſuſtulit, omnibus neceſſariam eſſe dicat, nõ quidem ad ſalutem, non enim hoc dixit. imò quia omnibus neceſſariam dixerat, ſtatim veluti interpretans, correxit. ſubiungit enim quibus neceſſariam diceret. & ad quid, inquiens, & maximè iis, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiũt, & vitam Apoſtolorum, eorúmque diſcipulorum imitari volunt. Hanc autem communitatem vitæ, etſi ab Apoſtolis ſanctis inſtitutam, & apoſtolico exemplo primæ illius eccleſiæ commendatam, ad quam hortatur Clemens, vt ad vitæ ſanctitatem commodiſſimam, ne quis tamen contemnere, aut tanquam otioſam, & humanæ vitæ incommodam re-

Quibus, & ad quid communitatem rerum neceſſariam eſſe dixerit Clemẽs.

Origo communitatis rerũ ad ortum naturæ relata.

prehendere auderet, vt iam olim auſi ſunt hæretici, idcirco ad ortum naturæ integræ, ante peccatum retulit originem eius, cum ait, vſus enim omnium, quæ ſunt in hoc mũdo communis omnibus eſſe hominibus debuit: ſed per iniquitatem inquit, hoc eſt propter peccatum Adæ factum eſt, vt alius hoc ſuum eſſe dicat, & alius iſtud, ſic inter mortales facta diuiſio eſt. ad eundem ſtatum naturæ integræ, ac nondum propter peccatum diuiſæ hoc genus vitæ communis retulit magnus Baſilius. imitatus itaque eſt Clemẽs Apoſtolum Paulum, qui, vt apoſtolicam traditionem velandi capitis muliebris defenderet rationem ex natura petiuit, nec ipſa (inquit) naura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi, mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi? quoniã capilli pro velamine ei dati ſunt. Ei autem qui contendere pergeret, & rationem hanc, quæ ſatis traditionem ipſam defendebat, adhuc contẽnendam eſſe putaret, conſuetudinem eccleſiarum oppoſuit, quæ, vt Tertull. ait, traditionis confirmatrix eſt, nos (inquit) talem conſuetudinẽ non habemus: nec eccleſia dei. Sic Clemens vt exemplo Pauli apoſtolicam traditionem vitę communis defenderet, quam quidam contemnebãt, & quod grauiùs erat, ex voto ſuſceptam violabant, rationem ex naturæ integræ ſtatu petiuit. vt perinde ſit, quaſi diceret, an ſtatus naturæ integræ, in quo vſus omnium communis eſſe debuit, non ſatis docet vos, communem vitam à ſanctis apoſtolis traditam ad excellentem ſtatum pertinere? vt iam qui ſtatum vitæ communis religioſorum improbant, vt faciunt noui hæretici, conſequens ſit, vt ſtatum quoque naturæ illius integræ, qui ſtatus innocentiæ dici ſolet, improbaturi planè videantur. Quare relinquendi ſunt iſti, vt contentioſi: & conſuetudo eccleſiaſtica cœnobiorum, quæ ex apoſtolica traditione manauit, colenda & celebranda eſt. Deinde citat Platonem, qui dixit, amicorũ omnia eſſe communia: quod quidem dictum eatenus probat Clemens, quatenus conuenienter naturæ integræ, ad communem vitam, quæ ab apoſtolis tradita eſt. & quæ ſecundum Apoſtolicam traditionem vſque in hodiernum diem in cœnobiis religioſorum viuitur,

Quatenus probetur Clementi dictum Platonis, amicorum omnia eſſe communia.

pertinere poteſt : non autem quatenus idem Plato ad communitatem quoque vxorum,& poſſeſſionum pertinere in repub. ſua voluit, quod quidem tum ab hoc loco & propoſito, tum à recta ratione naturæ inſita alienum eſt, vt Ariſtoteles correctᴏr Platonis vtrumque in 2 lib. Politicorum multis rationibus docuit. Deinde ſubiungit: & ſicut non poteſt diuidi aër, neque ſplendor ſolis, ita nec ea, quæ communiter in hoc mundo omnibus data ſunt ad habendum, diuidi debent (ſic enim in antiquo exemplari ſcriptum eſt) ſed habenda ſunt communia. hoc exemplo vſus eſt Clemens, vt probaret, ſicut hæc omnibus à natura data ſunt ad vtèdum communiter, ita cætera omnia eſſe poſſe, vbi charitas ad imitationem illius primi ſtatus innocentiæ, & perfectionis vitæ inuitauerit, vt Apoſtolorum tempore Hieroſolymis factum eſt. Imò & dominus, vt beatus Baſilius in aſceticis conſtitutionibus ad eos, qui in cœnobiis habitant, ſcribit, congregatis diſcipulis communia omnia, & ſe ipſe communem eis prębuit. communis itaque vita, id eſt, communis vſus rerum, primùm quidem ex charitate naturali profectus eſt: quam qui accuſat, naturam, & naturæ auctorē accuſat. huius autem vitæ communis ex naturali charitate proſiciſcentis perfectio & conſummatio eſt vita communis per diuinam gratiam oſtenſa, & tributa, ſicut charitatis naturalis perfectio & abſolutio, eſt charitas ſpiritualis & diuina. Hanc verò vitam communem excellentiorem ſancti Apoſtoli & eorum diſcipuli coluerunt: & ad eorum exemplum hodie in eccleſia catholica infiniti monachi, & multi clerici ſeruant, ſicut de ſuo etiam tempore beatus Auguſtinus in lib. de hæreſibus teſtatur, cum ſcribens de quibuſdam hæreticis, qui Apoſtolici dicebantur: Qui ſe, inquit, hoc nomine arrogantiſſimè vocauerunt, eò quòd in ſuam communionem non acciperent vtentes vxoribus, & res proprias poſſidentes. Deinde ſubiungit: quales habet eccleſia Catholica & monachos & Clericos plurimos. Sed ideo, inquit, iſti hæretici ſunt, quia ſe ab eccleſia ſeparantes nullam ſpem putant eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipſi carent. hæc Aug. Verùm hos

Duplex genus communitatis rerum: & duplex genus charitatis.

Peius de communitate rerum ad neceſſitatẽ vitæ pertinentiũ ſenſerunt qui ſe noſtra ætate vocarunt euangelicos, quam qui olim ſe vocarunt apoſtolicos, imò peius quam quidam, qui nunquam in Chriſtũ crediderunt.

noſtri monachi nõ imitantur: nec hoc nos profitemur. Sed rurſus vos Magd. peiores, eſtis quã illi hæretici, qui ſe arroganter apoſtolicos vocabant, vt ipſi quoq; arrogantiſſimè vos euangelicos vocaſtis: ſed cur peiores? ſcilicet quia illi non contenti vitam communem, & Apoſtolicam vitæ Laicorum non communi vt excellentiorem anteponere, cæteros quaſi nulla eis ſpes ſalutis reliqua eſſet, damnabant: vos verò non ſolùm non anteponitis, ſed etiam accuſatis, Apoſtolos, & Apoſtolorum exemplum condemnantes, imò in Deum, qui talem ac tantam gratiam eiuſmodi vitæ communis eis dedit, blaſphemantes. neque ſolùm peiores, quam illi hæretici eſtis, ſed meliùs quàm vos, quidã veteres ſenſerunt, qui nec in Chriſtum vnquam crediderunt, nec Euangelium fortaſſe legerunt, qui ſolam rationem naturæ inſitam ſecuti, communem vitam Eſſeorum ſummis laudibus extulerunt: Philonem dico in libro, quẽ ſic inſcripſit, quod ſolus bonus ſit liber: tametſi Photius hunc in bibliotheca ſua ſcribit Chriſtianum factum à fide poſteà ob iram & triſtitiam defeciſſe: & Flauium Ioſephum lib. 2. de bello Iudaico: eoſdem quoque Pli. lib. 5. hiſtoriæ naturalis cap. 7. admiratus eſt, quos parũ deflexo vocabulo Heſenos vocauit, miram gẽtem appellans, ſine vlla venere, & ſine vlla pecunia. Sed vt magis intelligant Magdeburgenſes, quod Dominus in Euangelio dixit illi adoleſcenti, ſi vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me, huc pertinere, id eſt, ad hanc vitam communem, quam Clemẽs apoſtolicus iis præſertim, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, neceſſariam eſſe dicit. interpretabor hic Latinè, quæ Nilus Chryſ. diſcipulus, in libro eruditiſſimo & elegantiſſimo. Περὶ ἀκτημοσύνης inſcripto, nos de nihil poſſidendo dicamus, ad Magnam diaconiſſam Ancyranam ſcripſit: æquè inquit, pulchritudo formæ, & opes appetuntur & vtriuſque horum illecebris non irretiri, fortis animi eſt: ſed qui propoſitum nihil poſſidendi ſuſceperunt, maiore adhuc admiratione digni ſunt, quippe quos æſtimatio diuitiarum non traxit: neque mentem vanis curis alligare voluerunt. Nam cum cætera alia ſenſui iucunda

Quod dominus dixit vade & vende omnia quæ habes &c. ad eam vitam communem pertinebat, de qua Clem.

facilè homines inuitent, & fallant, multò etiam magis diuitiæ hoc faciunt, quod ad voluptates, & honores magnoperè ſint accommodatæ: & quod inſipientes longa conſuetudo docuit, eos ducere beatos, qui ſunt opulenti, tum propter gloriam & ſplendorem eorum, tum propter voluptates, quibus fruuntur. Deinde ſubiungit: Excellentes itaque exiſtimandi ſunt, qui tanquam in paleſtra cogitationes illas vicerunt, quæ mentem impellunt ad aſſentiendum opinioni populari de opibus amplectendis quaſi veris bonis, & non relinquendis illis bonis, quæ omnium ſententia magnæ æſtimationis eſſe videantur. Hactenus Nilus. Ad hanc excellentiam omnia bona propter Deum relinquendi inuitauit Dominus adoleſcentem illum, quod vos quidem ſimul accuſatis, dum vitam communem, quæ in non poſſidendo cernitur, accuſatis. Ad hanc quoque vitam communem Dauid tanquam buccina ſpiritus. S. prophetica exſuſcitauit, cum dixit, Ecce quàm bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum, quod quidem ſignificantiùs græcè dicitur, habitare εἰς τὸ αὐτὸ, id eſt, in id ipſum, quod eſt ita vna habitare fratres, vt ſicut in actis apoſt. ſcriptum eſt, ſit eorum cor vnum, & anima vna: & nihil ſit cuiuſque proprium, nihil diuiſum, ſed omnia communia. eſſe enim verſiculi huius hunc ſenſum legitimum, pertinereque in primis ad vitam communem religioſorum, interpres & teſtis eſt apoſtolica traditio, quam in hac epi. Clemens ſis interpretando ſecutus eſt. idem fecit pater Aug. in ſermone 52. de communi vita clericorum. loquens enim de clerico religioſo, profeſſus eſt (inquit) communiter viuendi ſocietatem, & profeſſus eſt, quam bonum & quã iucundum habitare fratres in vnum. Et in Pſal. 132. de illa prima eccleſia loquens, ergo ipſi (inquit) primi audierunt, Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. ſed non ſoli audierunt: non enim ad illos ſolùm iſta dilectio, & vnitas fratrum venit, venit enim & ad poſteros iſta charitatis exultatio, & votum Deo. Hactenus Aug. ſic etiam magnus Baſilius interpretatus eſt in eodem capite decimo nono Aſceticarum conſtitutionum, ſic enim ait de iis, qui vitam

Qui vitam communem in epiſ. Clem. que in nõ poſsidendo vllã rem priuatè cernitur, reprehendit, illud item ſimul reprehẽdit, quod dominus dixit illi adoleſcenti, vade &c.

communem profitentur. Dauid in pſalmo cecinit, Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. cum igitur in ſcriptura tum prophetæ, tū Lucæ Euangeliſtæ in actis apoſtolorum ſit ſocietas iſta vitæ communis, quam multiplicium ordinum monachi & religioſi ſecundum apoſtolicam traditionem profitentur, quid iam noui hæretici nomen monachi, aut monaſterij in ſcriptura à nobis requirunt? an negant in ſcripturis rem ſubiectam vocabulo homouſij, aut theotoci, quia neutrum horum in ſcriptura legant? minimè. ergo aut rem homouſij tollant, quia verbum homouſij non legunt: aut ſi non tollunt rem homouſij, quamuis verbum ipſum non legant, nec vitam communem monachorum tollant, quamuis neque verbum monachi neque monaſterij in ſcriptura legāt, quæ ſunt alioqui cum ipſa apoſtolica traditione vitæ communis nata, vt ex Dionyſio Areopag. Pauli diſcipulo in eccleſiaſtica hier. c. de monaſtica cōſūmatione perſpici poteſt, qui monachas appellat: & Philon Alexandrinus qui beatum Petrum Romæ vidit tempore Claudij Imperatoris, eorum domicilia monaſteria vocat in libro, quem de prima Marci euāgeliſtæ eccleſia, vt ait B. Hier. ſcripſit, ex quo (inquit idem Hier.) apparet, talē primùm Chriſto credentium fuiſſe eccleſiam, quales nūc monachi eſſe nituntur, & cupiunt. vt nihil cuiuſquam proprium ſit: nullus inter eos diues: nullus pauper: patrimonia egentibus diuidant: orationi vacetur, & pſalmis, doctrinis quoque, ac continentiæ: quales & Lucas refert primum Hieroſolymis fuiſſe credentes. Hæc beatus Hiero. fertur is Philonis liber in manibus omnium περὶ βίου θεωρητικοῦ ἱκετῶν inſcriptus. Quod ſi vitam cōmunem religioſorum, de qua loquimur, propter votū, ex quo ſuſcipitur, Magdeb. reprehendunt, nihil enim explicarunt, nos eccleſias omnes Orientis, & Occidentis reprehenſoribus exemplo Pauli opponimus, quæ talem conſuetudinem habent, vt communem vitam ex voto ſuſcipiant, & profiteantur, quicunque volunt, ſi probati ſint, & idonei. quæ conſuetudo non aliunde quàm ex apoſtolica traditione nata eſt, neque naſci potuit. in illa enim prima eccleſia qui huiuſmodi vi-

Res ſubiecta vocabulo monachi in ſcriptura eſt, licet non ſit vocabulū ipſum. Vocabulum monachi, & vocabulun monaſterii cum ipſa traditione apoſtolica vitæ communis religioſorum nata.

tam communem profiteri volebant, ſi poſteà à propo-ſito & recepto exciderent, rei voti erant. quod crimen exemplo ſeueriſſimi ſupplicij, ac maximi terroris pri-mùm in Anania & vxore eius à beato Petro vindica-tum eſt, quia vt beatus Auguſt in regula ſua prima ait, non licet ſibi retinere, quod per pactum ad omnes per-tinet, & deo eſt conſecratum, quod Ananias, & vxor commiſerant qui, vt ait beatus Hier. in epiſtola ad De-metriadem, poſt votum abſtulerunt quaſi ſua, & non eius, cui ſemel ea vouerant, partémque ſibi alienæ ſubſtantiæ reſeruarunt. Præterea, quod ſecundum inſti-tutionem apoſtolorum etiam in eccleſiis communem vitam ex communi ſumptu eccleſiarum clerici viue-rent, teſtimonio eſt, quod Clemens Rom. libro. 2. de conſt. apoſt. cap. 58 ſcribit. Si quis presbyter ex parœcia (nos verbo iam pro Latino trito diœceſim vocamus) aduenerit, excipiatur à presbyteris κοινωνικῶς: ſi diaco-nus, à diaconis. κοινωνικῶς excipere iubet, id eſt, more vitæ communis, ſiue vt ratio vitæ communis poſtulat, vt ſcilicet communicentur cum eis, quæcunque opus erunt. eodem verbo vſus eſt Euſebius Alexandrinus Archiepiſc. ante annos mille trecentos in ſermone de Dominico die hortans ad permanendum in eccleſia vſque ad extremum Miſſæ, ſiue (inquit) ſit κοινωνικὸς, ſi-ue non ſit, debet permanere, quouſque dimittatur ec-cleſia, hoc enim ſignificat μέχρι τῆς ἀπολύσεως τῆς ἐκκλη-σίας. id eſt, ſiue ſit clericus vel religioſus, hi enim, quia vitam communem ducerent, dicebantur κοινωνικοὶ, ſiue ex laicis. hinc dicta ſunt à tempore apoſtolorum cœ-nobia, & canonici cœnobiorum: vnde ſermones ma-gni Baſilij ad canonicos in cœnobiis. & ad canonicas. itaque non ſolùm in monaſteriis, & cœnobiis mona-chorum vita communis à temporibus apoſtolorum ſuſcepta, & culta ſemper fuit, ſed ex magna etiam parte in eccleſiis cathedralibus, quas vocant, à clericis cano-nicis. vt etiam Guillielmus Durantes cognomento Speculator ante annos 300. libro ſexto. diuinorum officiorum capit. de ſeptem diebus poſt paſcha teſtatus eſt pluribus antiquorum decretis obſeruatis Vrbani, Auguſtini, Gregorij primi, Gregorij ſeptimi, 12. queſt.

Violatio voti in Anania, & vxore eius ſeuerè vindicata.

Vita communis non ſolum in cœnobiis, ſed in eccleſiis à clericis canonicis ex voto ſuſcepta.

piſcopum Salisburgẽſem ante annos 450.& amplius, feciſſeque eum, vt à clericis eccleſiæ ſuæ regula beati Auguſtini, id eſt, canonicorum regularium ſuſciperetur. Imò vſque in hodiernum diem canonici eccleſiæ cathedralis Garolitanæ, ſiue Garopolitanæ in Scotia regulares ſunt, id eſt, vitam communem viuunt, & nihil proprium habere poſſunt, ſicut ante annos 300. & amplius, vt perſpici poteſt ex decretali Iuno.3. ext. de ſtatu mon. cap. Per tuas. Hæc omnia, quæ hactenus cõmemorauimus, eo ſpectant, vt intelligant Magd. vitã communem, quam improbant, non ſolum in monaſteriis, & cœnobiis monachorum, quæ ipſi oderunt, & eorũ magiſter Lutherus tum igne linguæ ſuæ, tum armis, & incendiis Ruſticorum in Germania deleuit, ſed in pleriſque eccleſiis cathedralibus epiſcoporum ad exemplum apoſtolicæ inſtitutionis ab ipſis vſque priſcis temporibus fuiſſe. Quod ſi communem vitam monachorum non patiuntur Lutherani ex apoſtolica inſtitutione veniſſe, quia verbum monachi in ſcriptura non legunt, patiantur vitam communem miniſtrorum eccleſiæ, qui ſunt presbyteri, diaconi, & epiſcopi, quæ verba in ſcripturis legunt. Sed de his hactenus, reſpondeamus ad alia.

Defenſio doctrinæ de ſolẽni benedictione ſacerdotali nuptiarum in epiſtola Euariſti: de cauſa eius, & vtilitate: & reſponſio itẽ ad id, quod in huiuſmodi traditionibus obiiciunt Magdeburgenſes, eſſe laqueos conſcientiæ.

Caput 3.

AC rurſus, vt iam ad illud alterum de publica, & ſolenni in templis benedictione nuptiarum, quam reprehenditis, veniam, ſi quod in Geneſi de Adam & Eua ſcriptũ eſt: Benedixitq; illis, & ait, creſcite & multiplicamini, ſimiliter ſecundum traditionem à maioribus relictam, & in eccleſia catholica per omnes mundi partes conſeruatam interpretaremini, nunquã epiſtolam grauiſſimam ſancti Euariſti apoſtolici pontificis propter benedictionem nuptiarum, quam ſecundũ *Gen.1.*

traditionem apoſtolicā ſanxit, accuſaretis. Aliter enim inquit, à patribus accepimus, & à ſanctis Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus traditum inuenimus, non fit cōiugium: & quæ ſequūtur. Quia enim Dominus in Adā & Eua primis coniugibus, cæteris omnibus coniugibus benedixit: qui poſtea vſque, ad conſummationem ſæculi ſecundum illam à principio legem coniugalem per os Adæ omnibus coniugibus pronuntiatam copulandi erat, & quia in illis ab initio coniugale fœdus tā excellenti myſterio conſecrauit, vt in eo magnū vnionis Chriſti & eccleſiæ ſponſæ ſacramentū, vt nos apoſtolus docuit, deſignaret, idcirco ſancti Apoſtoli tanquam illius diuinæ benedictionis, & ſacramenti nuptiarum interpretes, & religioſi cultores, diuinè tradiderunt, vt quod erat ſacramentum, vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fierent in nobis ſacerdotali miniſterio cum precibus, & oblationibus honoraretur: & noui coniuges benedictionem ſacramenti eccleſiæ per eccleſiaſticos miniſtros vt decebat, acciperent. Sed quia noui hæretici negant quoque, ſacramentum eſſe coniugium, diſſeram de hoc poſtea aduerſus eos. nunc ad illud reſpondebo, quod hic potiſſimū iſti accuſant, nempe quod ad hunc ritū publicæ huius & ſolemnis benedictionis nuptiarū neceſſario omnes eccleſias obligati pontifex Euariſtus vult: atque hoc quidē ad humanam traditionē, & laqueū conſcientiis iniectū pertinere putant, ſic enim dicunt. quod quidem nunquam dicerent, ſi quid ſit laqueū iniicere apud Paulū, intelligerent. tunc enim laqueus iniicitur, ſi de quo Chriſtus conſilium dat, & non præceptū, quia ſit arduum quid & communes hominū vires ſuperās, idem poſtea lege impoſita cuiuis iubeatur, quod eſt per vim legis quaſi laqueo ad id trahere. Hinc Salomon in Prouerb. laqueus, inquit, viro, celeriter proprio ore ſanctificare: poſt votum nanque pœnitere contingit. Hunc locum imitatus Apoſtolus hortans ad vitā cœlibem, & nulli eam imperans, cùm ſciret Dominum dixiſſe, Qui poterit capere, capiat, poſtquam commoditatem eius vitę ad ſeruiendum Deo expeditiùs ac liberiùs, expoſuit, ſubiungit: Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico, non

Qua cauſa benedictionis ſacerdotalis nuptiarum à S. Apoſtolis tradita.

Non intelligūt Magd. quid ſit apud d. Paulum laqueum iniicere, quod in noſtras eccleſiaſticas cōſtitutiones paſſim obliciūt.

P[illegible]20.

vt laqueum vobis iniiciam, id eſt, non vt, quod in veſtra poteſtate eſt, promittatis, & poſtea promiſiſſe pœniteat, ad quod ſeruandum per vim poſtea tanquā laqueo legis iniecto trahi neceſſe ſit: ſed tātum, inquit, oſtēdi, quis hinc manaret fructus. Frequēs eſt in ſcriptu ris vocari laqueū legem, vt cum ait idem Salomō, Laqueus fortis labia proprij oris. nēpe quia tenetur lege conſtrictus, qui promiſit. & rurſus, lex ſapientis fons vitę: inſipiens ſub laqueo morietur. Hoc dicit, quia lex impoſita eſt, ſicut Apoſtolus ait, iniuſtis, & nō ſubditis impiis & peccatoribus. hi omnes ſunt inſipiētes, quos Salomon dicit, qui dum legem nō ſeruant, efficitur eis lex fons mortis, & laqueus interitus. Et rurſus in Prouerb. In viis tortuoſis tribuli, & laquei, laqueos vocat leges poſitas iniquis, qui nō ambulāt vias directas, ſed obliquas, in quibus ſub iis legibus, quas tranſeunt, & violant, tanquam ſub laqueis intereunt. Interrogemus ergo nunc Magdeburgenſes, qua ratione ſit laqueus lex benedicēdi publicè ac ſolenni ritu in templis nouis nuptis cum maritis, antequam conueniant in vnū? An quia optio libera eſt, non benedicere? minimè, non enim hoc in Euangelio oſtendi poteſt, ſicut oſtenditur libera optio vitæ cœlibis ei, qui nondum vouit & ideo illi iuberi non poteſt, quin iubendo laqueus iniiciatur. Licuit ergo ſanctis apoſtolis hunc ritum iubere, & tradere, vt quidem tradiderunt, vt ſanctus Euariſtus teſtatur. Quod ſi huic epiſtolæ Euariſti, in qua hoc notaſtis, non creditis, interrogate omnes eccleſias Orientis, & Occidentis, an hunc ritū teneant, & ſeruent? vnde ergo acceperunt niſi à ſanctis Apoſtolis? ſi hoc accuſatis, quod omnes eccleſias hac lege obligari Pontifex voluit, at non hoc Pontifex ſolus Euariſtus voluit, ſed ſancti Apoſtoli prius voluerunt, à quibus traditum, & cuſtoditū eſſe affirmat: quare Apoſtolos hic accuſate imò accuſate Paulum Apoſtolum, quod cum Dominus non præcepiſſet prius in Euangelio, vt ſi quis frater vxorem haberet infidelem, & hæc conſentiret habitare cum eo, non dimitteret eam, Paulus tamen præcepit: nō enim dicit, (quod vult, faciat) ita vt optionem det, & liberū relinquat nō dimittere: neq; dicit (melius

Prou.6.

Prou.13.

Prou.22.

Quædam apoſtoli præceperūt eccleſiæ, quæ Chriſtus non prius præceperat.

ſobrietate,ſiue potius cum caſtitate. vt B. Hier. ſcribens aduerſus Iouinianum, legendum eſſe affirmat, ex quo intelligant parentes, inquit, B. Ambroſius in libro de virginibus, quibus virtutibus filias erudire debeant, quarum meritis delicta ſua redimantur, Virgo enim, inquit matris eſt hoſtia. & beatus Baſilius in libro de virginitate, ſi non māſerint, inquit, filij in fide, dilectione, & ſanctificatione cum caſtitate, tenebuntur parentes crimine tranſgreſſionis, vnde ſtatim ſubiungit, ſuadeat pater filio, & mater filiæ, vt caſti ſint in Chriſto, κοινὸν γὰρ τὸ γέννημα, id eſt, communis enim eſt proles. Si igitur tanti intereſt parentum, vt eorum ſtudio & vigilantia filij bonis moribus inſtituantur, vt in filiorū probitate ſalus parentum pendeat: contra verò in vitio pendeat interitus ex incuria, & indulgentia, quid magis in hac re neceſſarium, diuinè inſtitui, & tradi eccleſiæ ſanctæ potuit, quam vt ſacerdos nouis coniugibus per verbum Dei, & orationem benedicat, vt bonæ ſoboles, ſicut Euariſtus ait, ad ſalutem parentum generētur, id eſt, tales, quæ in fide dilectione, ſanctificatione, & caſtitate ſtudio ſancto genitorum permaneant? etenim ſi oratio priuata iuſti multum valet apud Deum, quis dubitet, quin multo plus valeat ad ſanctificandū oratio publica ſacerdotis nomine eccleſiæ, quā Chriſtus Deus noſter ita ſanctificauit, vt exhiberet eam ſibi ſponſam glorioſam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt eſſet ſancta, & immaculata? Denique, vt hunc locum finiam, accuſare apoſtolicum ritum eccleſiæ catholicæ in benedicendo coniugibus in templo, quid aliud eſt, quā velle, vt coniugium Chriſtianorū nihilo ſanctius ſit apud nos neq; magis à nobis honorandum, quàm ab Infidelibus ſuū coniugium? at ſi ita fieri oportet, & non excellit cōiugium Chriſtianorū, neque plus gratiæ accipere, neque plus ſanctificationis præſtare debet, quid eſt, quod Apoſtolus ait, ſanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem, alioqui filij veſtri immundi ſunt, nunc autem ſunt ſancti? an hoc dici poteſt de matrimonio coniugum infidelium? Quod ſi non poteſt dici, an nō decet, vt cum precibus & oblationibus benedicatur,

orante ſacerdote, vt tales ex coniugibus Chriſtianis procreentur, quales ſacramentum Chriſtiani matrimonij decet? Nihil amplius faciet eccleſia in coniugio Chriſtianorum celebrando, quę ex Apoſtolo, vt paulò ante dixi, didicit magnam vnionem Chriſti, & eccleſiæ ſponſæ in carnem vnam, qua nutrit, & fouet eam
Eph.5. in vnione coniugali myſticè ſignificari, & quæ legit
Prou.19. apud Salomonem, à Domino aptari mulierem viro: & apud prophetam Malachiam, Dominum teſtificari
Mal.2. inter virum & vxorem, nihil, inquam, amplius faciet quàm infideles ſine Deo, & ſine ſcriptura ſancta in hoc mundo, qui hæc ignorant? qui nihil horum credunt? quibus hæc omnia fabula ſunt? ſed de his hactenus.

Defenſio doctrinæ de aqua benedicta cum ſale ad ſanctificationem populi aſpergenda in epiſtola Alexandri. Et contra ſcripturas eſſe, quod tradunt Magdeburgenſes, idololatriam eſſe, quicquid fiat ad cultum Dei *ſine mandato eius, & aliquid de traditionibus Apoſt. ſine ſcripto.*

Caput 4.

SEquuntur alia, quæ deinceps calumniantur Magdeburgenſes. Et de aqua, inquiunt, benedicta Alex. 1. ſed quia idē notarant prius, & multa nos ſuperiore libro de benedictione aquæ ex ſcripturis ſanctis reſpondimus, non eſt neceſſe eadem repetere: illud tamen hic iſti addiderunt, quod aquæ cum ſale benedictæ vis ſanctificãdi aſperſos adſcribitur, id quia ſine mandato Dei fiat, idololatriam eſſe & ſuperſtitionem. Hæc ſunt ab impio Caluino quamquam inimico mutuati, vt ſolent hæretici alij ab aliis mutuari. tradit enim Caluinus in ſuis impiis inſtitutionibus, omnes Dei cultus volũtarios ſine Dei mãdato, Deo eſſe odioſos, hoc verò Magdeburgenſes cũ exagerarent, ad idololatriam pertinere dixerunt, nihil eſt enim odioſius Deo idololatria & ſuperſtitione. Repetam ergo hic, & ſi non omnia, quæ Caluino ad hũc locum lib. 2. de votis monaſticis reſpondi. An ſi quis ſe
Matth.19. caſtrare voluerit propter regnum Dei, vt hoc vitæ modo & inſtituto Deũ colat, aliquid faciet Deo odio-

ſum,adde etiam ſuperſtitioſum , cum hoc potius inſigniter item dominus laudarit? aut nunquid non hoc faciet ſine mandato eius, qui cum hoc mandare nollet, tanquam aliquid arduum, & ſupra naturam, ſubiungit, qui poterit capere capiat? Deinde ſi in vetere lege,quæ tot,ac tantis mandatis abũdabat, cultus Dei voluntarius ſine mandato eius non erat Deo inuiſus, *Leu.22.* ſed potius gratus, quomodo in nouo teſtamento erit? bouem,inquit, & ouem,aure,& cauda amputatis, voluntariè offerre potes: votum autem ex eis ſolui non poteſt.diſtinxit planè hoc loco Lex, quod ad Dei cultum ex mãdato fit, cuiuſmodi eſt votum reddere,ſicut ſcriptum eſt, ſi quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. ab eo,quod in voluntate poſitũ eſt,vt fiat,aut non fiat, deo alioqui acceptum, & gratum, quale erat in lege Moyſis offerre deo hoſtiam aure, & cauda carentem: *Eccl.5.* ſi quis tamen hoſtiam deo vouiſſet, quia votum Deo ſoluere, mandatum Dei eſt, neceſſe erat, vt integra eſſet victima, id eſt,vt aure,& cauda nõ careret cum autem Lex ſpiritualis ſit,ſicut Apoſtolus ait, neceſſe eſt *Rom.7.* hanc legem Leuitici impleri in nouo teſtamento ſecũdum ſpiritum: non enim venit dominus, vt ipſe teſtatus eſt,ad ſoluendã legem.ſed ad implendam: neceſſe, *Matth.5.* inquam, eſt,habere nos aliquas hoſtias ſpirituales voluntarias aure & cauda carentes, id eſt, liberas à lege mãdati,cui neceſſario in auditu auris, ſicut ait ſcriptura,obediendũ eſt: & cui tanquam gubernaculo obſequendum.eſt enim auris Symbolum obedientiæ, quæ ad mandatum refertur,& cauda ceu clauo aues remigium alarũ huc,aut illuc flectunt,& volatum dirigũt: *Pſal.17.* vt Lex mandati facit.quæ ad hanc,aut illam actionem iubẽdo flectit ſignificare autem hoc in ænigmate caudam,ne quis dubitare poſſit,docet Eſ. qui poſtquã dixit prædicens bellum illud funeſtum à Romanis populo Iudaico inferẽdum,Diſperdet dominus ab Iſrael caput, & caudam vna die, interpretans quos nam Caput,& quos caudam vocaſſet,& cur,ſubiungit,ſenem, & eos,qui facies,ſiue perſonas admirantur, hoc caput, ſic enim eſt apud 70. nempe eos dicit, qui poteſtatem iudicandi habebant, & corruptè iudicabant, qui in *Eſ.9.*

Act. 4. actis Apoſt. principes populi, & ſeniores vocantur, vt beatus Cyrill. in eodem loco Eſaiæ notauit. ſequitur deinde, propheta docens mendacium, hoc eſt cauda. doctores ergo,& prophetas, quia expoſitione mandatorum dei, quæ eſt muneris eorum, huc, aut illud populum flectunt,caudam vocat. Quare qui cultus Dei voluntarios, id eſt mandato dei non ſancitos tollunt, hi aut hoſtias veteris teſtamēti,quæ aure,& cauda amputatis ſecundum legem Leuitici voluntariè Deo offerri poterant,damnant: aut contra apoſtoli ſentētiam legem illam Leuitici ſpiritualem eſſe, & vmbram habuiſſe negant. Quod ſi neutrum volunt, id eſt, neque legem Leuitici reprehendunt: neque ſpiritu carere dicunt,coguntur planè hoſtias ſpirituales ad dei cultum ſine aure & cauda ſpiritualibus,nobis cōcedere,id eſt, quæ voluntariè ſine auditu & directione mandati dei ad dei cultum offerri poſſint: tametſi non offeruntur ſine verbo dei non quidem iubente,ſed approbante,vt in hoc loco Leuitici cernitur, ſed Lutherani magiſtri non diſcernunt iſta.Præterea,ſi omnes cultus ſine mādato Dei ſunt abominabiles,aut ſuperſtitioſi,cum Dauid aiebat: Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine,petebátne,vt quod deo alioqui odioſum erat,ac ſuperſtitioſum,gratum ei efficeretur? Voluntaria enim oris non ſunt dicenda, quæ Deus mandat, ſed potius quæ quis ad colendum Deum vltro facit. vt quod Dauid ſe feciſſe proximè dixerat:Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Deinde,quia euenire ſolet, vt coactus quis iuret, & ſtatuat in corde, vnde Apoſtolus in epiſt.ad Corinth. priore: Nam qui ſtatuit, inquit, in corde ſuo,non habens neceſſitatem,id eſt,nō coactus, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis, id eſt, ſtatuit ſponte,idcirco Propheta poſtquam dixit,iuraſſe,& ſtatuiſſe ſe cuſtodire iudicia legis,vt doceret, ſponte hoc iuraſſe, vt ſcilicet hoc bonum ſuum nō ex neceſſitate, ſed ex voluntate eſſet, vt Paulus ad Philemonem ſcripſit,ſubiungit: Volūtaria oris mei beneplacita fac Domine quod perinde eſt, quaſi diceret: ſit tibi Domine acceptum, quod iurauerim cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ: & adiuua, vt cuſtodiam. illa autem iudicia dicit, quæ

Qui cultus Dei voluntarios tollunt, aut legem reprehendunt, aut ſpiritualem eſſe negant.

*Pſal.*118.

1.*Cor* 7.

*Leui.*19.

quæ ſunt in Leuitico. de non ſtando contra ſanguinem proximi, nec eum odio habendo, neque quærenda vltione, & alia huiuſmodi, à quibus ſtatuerat, & iurarat Propheta nullis ſe aduerſis rebus, aut cruciatibus declinaturum: vnde ſtatim ſubiungit, ego autem humiliatus ſum nimis. Iurare ergo voluntarium fuit, & ſine mandato: & iurauit cauſa colendi Deum; vt ſcilicet, ſic iurando, ſe in virtute, & ſancto propoſito confirmaret, ac ſtabiliret, qui fuit pius in Deum cultus. Sed hic fortaſſe cauillabitur Caluinus, & cum eo Magdeburgenſes, iuraſſe quidem Prophetam vltro ea, quæ alioqui facere neceſſe erat. Sed eſto, concedamus hoc: at iurare non fuit neceſſe, quod quidē abſque mandato fecit, quod fuit genus cultus voluntarij ſine mandato. Etenim ſi quod iuro me facturum, id quidem antequā iurem, facere non eſt mihi neceſſe, & eſt alioqui ſanctum, & Deo acceptum, & in ſcripturis ſanctis laudatum, an non erit præſtantius & excellentius, quàm ſi id ipſum faciam, cum liberum eſt mihi, non facere? an ſi quid rectè fiat, nō erit eo melius, quo firmius? Qui matrimonio, inquit Apoſtolus, Virginē ſuam iungit, bene facit, ſiquidem neceſſitatem habet iungendi, & nō habet ad non iungendum, poteſtatem voluntatis ſuæ, nempe quia omnino vult filia nubere: ſed qui nō iungit, melius inquit, facit, ſcilicet cum nō habet eiuſmodi neceſſitatem, ſed potius poteſtatem voluntatis ſuæ: & qui hoc ſtatuit in corde ſuo, & Deo promiſit, vt multi in Eccleſia catholica laudatè facere ſolent, qui ſic virgines ſuas ſeruant, & non inuitas, ſed volentes Deo conſecrant, de his enim loquor, hic profectò melius ſecundum Apoſtolum facit. Quis ergo audeat iam dicere, præter Caluinum & Magdeburgenſes & cæteros eorum ſimiles, omnes cultus Dei ſine mandato Deo diſplicere eſſeque ſuperſtitioſos? ſed hi ſunt, qui impiè nihil volunt, quamuis ſpontè & conſideratè, promitti, & voueri Deo ad cultū eius cū apertè dicat ſcriptura, Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio: ergo rurſus, placet fidelis & conſiderata promiſſio. Sed hactenus de cultu Dei voluntario, qui ἐθελοθρησκεία ab apoſtolo dicitur, de *Eccl. 5.*

quo plura adhuc paulò poſt, quem hic in epiſtola Alexandri Magd.in circo quaſi ſuperſtitioſum damnarũt, vt aſperſionem ex aqua & ſale benedicto, quæ in eadẽ epiſt.ad cultum Dei, & populi ſanctificationem tanquam genus oblationis, & ſpiritualis hoſtiæ ſecundũ apoſtolicam traditionem fieri iubetur, reprehenderẽt, voluntarium enim hunc quoque cultum eſſe crediderunt, vt in vno loco gemino errore ducerẽtur: & quod cultum voluntarium ſine mandato Dei odioſum deo eſſe contra ſcripturam, vt docui, tradunt: & quod hunc cultum aſperſionis ex aqua & ſale ſanctificato ad ſanctificandum populum à ſanctis Apoſtolis, qui ſpiritum Dei habebant, mandatum eſſe negant. quos planè conſuetudo ipſa omnium eccleſiarũ apoſtolicæ traditionis confirmatrix redarguit, & in errore verſari cõuincit id quod ſatis clarè idem pont. Alexander ſignificauit, cùm dixit, aquam ſale conſperſam populis benedicimus. Niſi enim eiuſmodi ritus iam antea eccleſiæ traditus fuiſſet, & ab eccleſia receptus, & conſuetudine confirmatus, nunquam ſic dixiſſet, aquam ſale cõſperſam populis benedicimus. quin potius, ſi ipſe primus huius cultus, ac religionis auctor fuiſſet, hoc modo dixiſſet, ſtatuimus, aut volumus, ſiue quo alio ſimili, vt deinceps aqua ſale cõſperſa populis benedicatur. Hoc ergo fecit pont. quod in eccleſia fieri ſolitum ſciebat: idemque in poſterum faciendum eſſe mandauit: id eſt, vt conſuetudo à ſanctis Apoſtolis inſtituta, & tradita ſeruaretur. Sed vos Magd. & cæteri Lutherani nulla alia inſtituta, aut mandata Apoſtolorum eſſe creditis, quàm quæ verbis expreſſa legitis. Quare apud vos inane verbum eſt, & omni re ſubiecta caret, quod Paulus ad Theſſalonicenſes ſcripſit, inquiẽs: itaque fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram: nihil enim eſt, vobis auctoribus, quod per ſermonem acceperimus. Si vos à fide Eccleſiæ non excidiſſetis, non ſic exiſtimaretis. Sed quia non ſtatis in fide maiorum, & in eadem regula, ſicut Apoſtolus ad Philip. ſcripſit, non permanetis, idcirco eorum traditiones non tenetis. rectè itaque Apoſtolus dixit, ſtate, & tenete traditiones, qui enim non

Qui traditiones ſine ſcripto non tenent, verbis Pauli conuincũtur cecidiſſe.

Philip.3.

ſtat,nõ eas tenet. In hoc ergo verum eſt verbum, quia iidem ſunt,qui ſtant,& qui traditiones tenent: proptcrea vos non tenetis,quia non ſtatis, ſed cecidiſtis.

Reſponſio ſecundum ſcripturam, & apoſtolicum canonem ad accuſationem Magdeburgenſium in epiſt.2. Sixti de ſupplicio populi quaſi iniuſto propter laicum,qui vaſa ſacra tetigit. Item reſponſio ſecundum ſcripturam ad accuſationem in epiſt.2. Sotheris de ſacratis fœminis prohibitis tangere ſacra vaſa, & ferre incenſum ad altare, & quorſum tendat eiuſmodi accuſatio. Caput 5.

ACcuſant rurſus, quod in epiſt. Alexandri ſtatutum eſt de vaſis ſacris non contrectãdis,niſi à ſacratis hominibus. Sed quia ſatis ad hoc ſuperiore volumine reſpõſum eſt,nec hic opus eſt,plura dicere,nec eadẽ repetere. ad illud tantum hic reſpondebo, quod hoc etiam loco addiderunt.Accuſant enim præterea,quod in epiſt.2.Sancti Sixti Pontificis, qui idem ſtatuit,ſcriptum eſt de pœna & ſupplicio eius, qui contrectarit. Sed recitemus ſanctionem: Quia,inquit,in hac ſancta ſede Apoſtolica à nobis, & reliquis Epiſcopis cæteriſque Domini ſacerdotibus ſtatutum eſt, vt ſacra vaſa non ab aliis, quàm à ſacratis,Dominoq́ue dicatis contrectentur hominibus: indignum enim valde eſt, vt ſacra Domini vaſa, quæcunque ſunt, humanis vſibus ſeruiant: aut ab aliis,quam à Domino famulantibus,eiq́ue dicatis tractentur viris. deinde ſubiungit,ne pro talibus præſumptionibus palàm imponat populo ſuo: & hi etiam, qui non peccauerunt, mala patiantur, aut pereant: quia perit pius ſæpiſſimè pro impio. Hoc inquam Magdeburgen. accuſarunt, quod iniuſtum eſſe videretur, vt non tantùm qui vaſa tangeret non ſacratus,ſed etiam totus populus,qui non tetigit, puniretur. Videntur tamen Magdeburgenſes aliquantum profeciſſe: qui enim prius accuſabant,quod eſſet in noſtra Eccleſia prohibitum, ne ſacra vaſa à Laicis tãgerẽtur,nũc paulo religioſiores facti, illud iã potius

Magd.paulo religioſiores facti in accuſatione de vaſis ſacris non tangẽdis à Laicis.

accuſant, quod non is ſolum, qui vaſa attrectarit, cui ſcilicet attrectare non licebat, puniatur, ſed etiam populus, qui non attigit, quaſi innocens videatur, cũ non ſit tamen. Sed cur populus puniatur? nempe quia non ſatis eſt non tangere, vt culpa tangendi quis vacet, ſed oportet non committere, vt alius tangat, cui nõ liceat, quod quidẽ fit ſæpe diſſimulando, & patiẽter ferendo quod minimè diſſimulandum eſt, Comparent ergo Magdeburgenſes cum his ea, quæ Apoſtolus in epiſt. ad Corinth. priore ſcribit de ſupplicio non tãtum eorum, qui de pane illo viuiſico indignè edunt, ſed eorũ quoque, qui non dant operam, ne id fiat, cùm poſſunt. Ideo ergo, inquit, inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiũt multi. deinde ſubiũgit: ſi quod noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autẽ, à Domino corripimur, ne cũ hoc mundo damnemur. Quem locum interpretans in paræneſi ad pœnitentiam beatus Pacianus epiſcopus Barchinonenſis, cuius meminit beatus Hieronymus inter eccleſiaſticos ſcriptores, lætare, inquit, peccator, ſi in hoc ſęculo, aut morte interciperis, aut languore conſumeris, ne puniaris poſt ſæculum: intellige quantũ ſceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte diſſoluitur. Quod ſi veſtra vobis vilis eſt anima, parcite populo, parcite ſacerdotibus. Clamat Apoſtolus, Exiguũ fermentum totam maſſam corrumpit: quid facias tu, propter quem omnis maſſa corrumpitur? propter quẽ laboratura eſt tota fraternitas? Viues tot animarũ reus? excuſaberis, cùm te Eccleſia dixerit ſuæ cędis auctorẽ? cum tibi communionem ſuam imputauerint innocẽtes? Ecce iterum Apoſtolus ad ſacerdotes: Nemini cito manus impoſueris, ne cõmunices peccatis alienis. Hactenus Pacianus auctor grauiſſimus, & ſanctiſſimus. Item beatus Chryſoſtomus in comment. pſal. 49. interpretans illum verſiculum. Et cum adulteris portionem tuam ponebas, de eo, qui cum indignis ad mẽſam Domini accedit. μερίδα enim, quam interpres vertit portionem, vocat Propheta, vt Dionyſius quoque vocat particulam, ſiue portiunculam cœnæ dominicæ,

Cur populus aliquando iuſtè puniatur, quod ſacra vaſa à laicis tangantur.

1. Cor. 11.

S. Pacianus.

1. Cor. 5.

2. Tim. 5.

Chryſoſt.

Dionyſ.

ſiue ſanctæ Eucharistiæ. Si videris ergo, inquit, aliquē eorum, qui tecum congregantur, fornicātem, & ad ſacramenta accedentem, dic ei, qui eſt miniſter diſtributionis eorum, hic eſt indignus ſacramentis. arce prophanas manus. Et paulò poſt, papè quantum malū, ex eo quod cælentur, atque obtegantur aliorum putredines, quando dicit eam eſſe ſocium luendi pro peccato ſupplicium. hæc Chryſoſtomus, ſcio non eſſe paria peccata, indignè communicare, aut indignè communicātem diſſimulare: & laicum ſacra vaſa tangere, aut diſſimulanter ferre tangētem. ſed rurſus neque ſupplicia erunt paria. illud modò agitur, vt ſimili exemplo demonſtremus, propter peccatum, quod alius peccauit, puniri interdum, qui illud quidem non peccauit, non tamen dedit operam, ne id peccati ab alio committeretur cum poſſet, & deberet. Sic etiam canone Apoſtolorum 36. cautum eſt, vt ſi populus ſua nequitia ac prauitate nolit Epiſcopum recipere, Clerus ciuitatis excōmunicetur. Deinde ſubiungit rationē. Quia, inquit, nō fuerunt Clerici eruditores populi ſubiectionem detrectantis. Ergo ſicut propter peccatum indignè communicantis contingit puniri alios, qui ipſi alioqui nō indignè communicarunt, & propter peccatum populi recuſantis Epiſcopum contingit puniri Clerum, qui tamen non recuſauit, ſic propter peccatum prophanè tangentis vaſa ſacra contingit iuſtè puniri populum, qui non tetigit. cauſam in ſingulis reddidimus. Reprehendunt præterea Magde. quod eſt in Epiſt. 2. Sotheris prohibitum, ne ſacratæ fœminæ vel monachæ ſacra vaſa tangant: nec incenſum ad altare deferāt, quæ omnia, inquit, Pontifex, vituperatione & reprehenſione plena eſſe, nulli rectè ſapientiū dubium eſt. Sic quoque vobis viſum eſſet, Magdeburgēſes, ſi tales eſſetis, id eſt, rectè ſapientes. Sed quia non rectè ſapitis, neq; quicquam honeſtè, & ſecundū ordinē in Eccleſia Dei fieri vultis, ſed omnia potius indecorè & perturbatè, ac cōfuſè, idcirco hoc accuſatis. Dicite mihi elegātes, & ſapientes viri, eſt ne honeſtum & decorum, vt mulieres in Eccleſia doceant? Credo negabitis, ne verbum Apoſtoli negare videamini, qui in epiſtola ad Cor. præce-

pit, vt mulieres in eccleſia taceant. Non enim, inquit, permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid autem volũt diſcere, domi viros ſuos interrogent. etenim ſi non licet illis loqui in eccleſia, vt diſcant ſaltem interrogando, quãto ergo minus eis liceat ibi docere? Sed rationem Apoſtoli audiamus: Turpe eſt enim, inquit, mulieri in eccleſia loqui. turpitudinẽ rei cauſam eſſe dixit, quam quidem turpitudinem rei naturalem nulla ſanctitas, neque ſcientia mulieris excuſare poteſt. Vnde rectè Synodus Carthaginenſis 4. Apoſtolum ſecuta, Mulier, inquit, quamuis docta & ſancta, in conuentu virorũ docere ne prçſumat. Quod ſi docere mulieres in eccleſia turpe eſt, ac proinde, graui & neceſſaria ratione eis interdictum, quomodo nõ ſit etiam turpè, incenſum eas ad altare deferre? an ne igitur miniſtras altaris eſſe vultis, vt per gradus ex diaconiſſis altaris presbyteriſſas poſtea faciamus? miſeros homines, qui tanto odio Eccleſiæ noſtræ flagratis, vt omnibus repagulis pudoris naturalis, & ingenitæ verecundiæ diruptis, nulla honeſtatis, neque decentiæ ratione habita, quicquid in noſtra eccleſia eſt, inuidia inflammati, ob hanc tantùm cauſam, quia noſtrum eſt, accuſare audeatis. Sed videamus quid Apoſtolus, poſtquam præcepit, vt mulieres in Eccleſia tacerent, ſubiunxerit, ne quis exiſtimaret, omne iam decorũ in Eccleſia ſeruari, & omnem turpitudinem vitari, ſi tantùm mulieres in Eccleſia neq; interrogarẽt diſcendi cauſa, neque docerent: Omnia, inquit, honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis. quaſi multa alia ſupereſſent, in quibus honeſtas quoque ſeruari, & turpitudo declinari deberet, cuiuſmodi eſt hoc, ferre mulieres ſacratas incenſum ad altare, & cætera omnis miniſtratio, quæ ad altare ſit, quod põtifex Sother tam turpè, & tãta vituperatione dignum eſſe iudicauit, vt vbicunque ea macula aſperſa eſſet, quàm celerrimè poſſet, hoc apoſtolicæ traditionis decreto abſtergi iuberet. Significat autem fuiſſe hoc à quibuſdã pſeudoapoſtolis introductum, qui ſe in Apoſtolos transfigurabãt, illud, credo, pſeudoapoſtoli iſti dicebant, quod contra Moyſem illi ſacrilegi Coritæ & Rubenitæ, cũ Datan & Abiron, qui

Syn. carth. c. 49

Qui volunt prohibitũ eſſe fœminis ſacratis ferre incenſum ad altare, fieri eas per gradus volunt ex diaconiſsis presbyteriſſas.

Leu. 16.

Magd. b. & cæteri Lut. ſimiles Coritis, & Rubenitis

incenſum in thuribulis ſacrilegè obtulerunt: Omnis multitudo ſanctorum eſt,& in ipſis eſt Dominus: quid eleuamini ſuper populum? horum vos ſimiles eſtis. Inter cætera enim, quæ in epiſtolis pontificum Apoſtolicorũ accuſatis, eſt, vt veſtris verbis vtar, diſtinctio Clericorum, ſiue ſpiritualium propter ſanctitatem, de qua Clemens in 1. epiſt. & Theleſphorus itẽ in epiſt. ſua agunt, cum tamẽ (inquitis) omnes pij dicantur ſancti in ſcriptura. Hæc vos, quæ ad illud veſtrũ dogma, vel potius dicã commentum, pertinent quòd traditis, nõ eſſe ſacerdotium verũ & externum, id eſt, nõ eſſe aliud ſacerdotium, præter ſacerdotium ex baptiſmo, quod ſatis à nobis ſcripturæ auctoritate ſuo loco iã confutatũ eſt. Vnde ſimul intelligi, & demonſtrari poteſt, vt eſt præter communem omnium Chriſtianorum ſacerdotium ex baptiſmo, aliud ſpeciale verum, & propriũ ex eccleſiaſtica ordinatione à Chriſto inſtitutum, ſic, præter communem ſanctitatem baptizatorum, eſſe aliam ſpecialem hierarchicè in Eccleſia ordinatorũ. Ergo vt illi pſeudoapoſtoli incenſum à mulieribus ſacratis ad altare ferri volebant, tanquam miniſtræ altaris eſſent (ita enim viam muniebant ad communicandum cum fœminis ſacerdotiũ) ſic vos eodem ſpiritu, quo illi, agitati, ſuſcepto illorũ pſeudoapoſtolorũ patrocinio, epiſtolam Sotheris põtificis, quia hoc dixit, accuſatis. Sed illud iam valde ridiculũ eſt, & vobis repugnans, quod cum incenſum nullum eſſe velitis, nèc ab vllo ferri ad altare, imò & incenſum, & altare, & ſacrificiũ omnino tollatis, nunc accuſatis, quod ſacratis fœminis, ne ad altare incenſum ferant, prohibeatur. Sed vt hunc locũ finiam, in eccleſia noſtra catholica, quia omnia, ſicut Apoſtolus præcepit, honeſtè, & ſecundũ ordinẽ fiunt, mulieres ſacratæ, ſiue Virgines ſint, ſiue viduæ, nõ poſſunt eſſe miniſtræ altaris: turpè enim eſt, mulieres viris præeſſe, eſt autem miniſtrare ad altare, quoddam præeſſe Laicis, qui ab eo miniſterio arcentur: turpè itém, diſcurrere per eccleſiam, quod neceſſe eſſet facere miniſtras. idcirco huiuſmodi virgo, ſiue vidua, non miniſtra altaris eſt, ſed potius tanquam altare quoddam, vt Clemens lib. 3. de cõſtitutionibus apoſtolicis cap. 6. ait:

Magd. patrocinium ſuſcipiunt pſeudoapoſtolorum.

Ridicula abſurditas Magd.

1. Cor. 14.

Cur mulieres ſacratæ ſiue viduæ, ſiue virgines non poſſint eſſe miniſtræ altaris.

Virgines & viduæ eccleſiæ inſtar altaris ſunt ſecundum conſt. apoſtolorum.

Altare autem inquit, non obambulat, aut circuit, ſed in vno loco poſitum, ac fixum eſt. ſic illas admonuit apoſtolica conſtitutio, perſeuerandum eſſe in orationibus, nec eſſe eis circumcurſandum accipiẽdi gratia, ſed magis expectandum, vt offeratur illis velut ad altare: ac multo etiam minus miniſtrandum ad altare, altare enim ipſum non poteſt fungi officio miniſtri. Sed hæc hactenus. trãſeamus ad aliud caput accuſationis.

Defenſio doctrinæ de delectu ciborum in epiſtola Teleſphori: & explanatio loci epiſt. 1. ad Timoth. cap. 4. de cibis, quem locum Lutherani deprauant. & de ieiunio ex ſcripturis: & de fabulis apud Paulum abſtinentium olim à cibis, item explanatio loci Pauli de exercitatione corporali ad modicum vtili, ex auctoritate multorum veterum patrum. Caput 6.

" TEleſphori epiſtola 1.] hoc ipſum prius diſtinctius adhuc notarant Magdeburgenſes cum paucis aliis, quæ quia ad caput doctrinæ potius pertinere videbantur, reſponſionem ad ea in hunc librum reſeruaui: Recitabo ergo prius
" procemium, quo vſi ſunt iſti. Cæterùm, inquiunt, ſi
" reliqua ad amuſſim doctrinæ Prophetarum, Chriſti,
" & Apoſtolorum examinantur, ipſa myſterij iniqui-
" tatis fundamenta, & inſignia inueniuntur, qualia
" ſunt prohibitio coniugij, Clementis epiſt. 2. & quod
" Euariſtus mulierem iubet, ſi adulterium cõmiſit, viro
" ſuo reconciliari, aut, remanere innuptam: & pro-
" hibitio ciborum, Theleſphorus ſeptem hebdomadas ante paſcha à carne ieiunare præcipit &c.] Reſpondebo ad hoc extremum prius, vt ordinem reſpondendi ad caput de doctrina, quod Magdeburgenſes ſeparatim compoſuerunt, ſeruem. Hic igitur verũ quoque eſt, quod beatus Petrus de epiſtolis beati Pauli ſcripſit, eſſe in eis quædã difficilia ad intelligendũ, quæ indocti, & inſtabiles ad ſuam perditionẽ deprauant, quale eſt, quod in epiſt. ad Timotheum priore ſcriptum eſt in eos, qui, cibos tanquam natura malos prohibeant.

2. Pet. 3.
Locus Pauli de cibis difficilis ad intelligendũ ex numero eorum, quos Petrus dixit.
1. Tim 4.

idcirco enim Paulus de eorum creatione meminit. dicens (quos Deus creauit) vt illos ſtatim verbo Domini confutaret: De Domino enim dixit Moyſes, Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Prouidens autem ſcriptura, quia bonum eſt abſtinere à cibis in honorem & cultum Dei ad profectum ſpiritus, præſertim cum venturi eſſent hæretici, qui contradicerent, vt nũc Magdeburgenſes, ne quis falſò exiſtimaret ſanciri hic perpetuam, ac neceſſariam adiaphoriam, id eſt, indifferentiam ciborum, non dixit ſolum, Quos Deus creauit ſed ad percipiendum cum gratiarum actione. Quibus verbis ſatis ſignificauit his, qui intelligere volunt, percipi quidem aliquando cibos alioqui bonos, vt à Deo creatos, non iuſtè tamen, nec in Domino, ac proinde non percipi in gratiarum actione: nam quod iniuſtè fit, non poteſt eſſe in gratiarum actione, Malum enim non eſt in bono. vt ait apoſtolica conſtitutio. Hoc ipſum ſolet ſcriptura in aliis prouidere, quibus bene, & malè vti contingit, vt cum iubet ſeruis, obedire dominis carnalibus in Chriſto, id eſt, iuſtè: & viduis quæ, non vouerunt. permittit iterum nubere in Chriſto. Deinde ſubiungit Apoſtolus ad confirmationem eiuſdem ſententiæ, Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarũ actione percipitur. Nec hic dixit ſolùm, & nihil reiiciendum, ſed nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: vt ſimiliter ſignificaret, tunc eſſe reiiciendum, cum non percipitur cum gratiarum actione, id eſt, iuſtè, & in Domino. Etenim ſi nunquam euenire hoc poterat, quid opus erat ſic dicere, & nihil reiiciendum, quod cùm gratiarum actione percipitur? Contingit igitur aliquãdo, vt non percipiatur cum gratiarum actione, id eſt, iuſtè. ſic enim videtur interpretari apoſtolica conſtitutio à Clemente Rom. lib. 6. ſcripta, cùm ait cap. 11. Et omnem creaturam Dei bonam eſſe dicimus, & nil abominabile: omne quod ad ſuſtentandum corpus iuſtè ſumitur, optimum cuncta enim, ait ſcriptura, erant valde bona. Hactenus apoſtolica conſtitutio, ſcripturæ Pauli, vt mihi videtur, interpres. Si quis igitur cibus ex ſe malus & eiiciendus eſſet, maximè is quidem eſſe videre-

Cautio ſcripturæ in iis, quibus bene & malè vti contingit.

Quid ſit percipere cum gratiarum actione.

tur idolothytum, at ne id quidem ex ſe eiiciendum eſſe, aut inquinare poſſe ex eo docet, quod ſanctificatur per verbum Dei, & orationem: comprehenſum eſt enim etiam idolothytum, cum dictum eſt: Omnis creatura bona eſt, &c. Similiter in epiſtol. ad Corinth. priore, vt doceret non debere fidelem fratrem eiicere vxorem infidelem, tanquam ex ſe immunda eſſet, & conuictu eius inquinaretur, ſi ipſa conſentiret habitare cum eo, ſubiungit: ſanctificata eſt enim mulier infidelis per virum fidelem. Sæpe enim fidelis infidelem coniugem ad fidem & ſanctificationem baptiſmi adducit: ſimiliter & filios ſanctificari per fidelem patrem, aut matrem contingit: ſic nunc nullum cibum ex ſe reiiciendum eſſe docet, ne idolothytum quidem. alioqui ſi ex ſe reiiciendum eſſet, eſſet item ex ſe immundum. nunc autem per verbum Dei, & orationem ſanctificatur, non eſt igitur ex ſe immundum quare reſtat, vt nihil reiiciendum ſit, quod cum gratiarum actione, ſicut Apoſtolus ait, id eſt, iuſtè percipitur. Cùm autem iuſtè percipitur, iuſtè quoque ſanctificatur, ac benedicitur, idcirco enim prius poſuit percipi cum gratiarum actione, & poſteà ſanctificari. Si verò non iuſtè percipitur cibus, ſanctificatur quidem per verbum Dei, & orationem: & erit ſanctificatus: & benedictus: non tamen iuſtè ſanctificatur, & benedicitur ab eo, qui eum ſanctificat & benedicit ad vtendum contra iuſtitiam, vt vos Magdeburgenſ. & cæteri Lutherani facitis, cum carnem, quibus diebus non licet, editis. veſtra enim tunc benedictio nec cibum ſanctificat ad vtilitatem corporis: nec ad vtilitatem animæ. non enim ſanctiores efficit vos eiuſmodi cibo iniquè vtentes, neque facit, quin anima inquinetur malè vtendo. vnde rectè Origenes libro 8. contra Celſum de benedictione ciborum, vbi gratias (inquit) egimus; pane veſcimur, qui vtique oratione & precibus ſanctiùs quoddam corpus conflatur, quod ſanè ſanctiores hos reddit, qui mente integriore hoc ipſo vtuntur. Cum igitur Paulus dicendo nihil reiiciendum eſſe, quod cum gratiarum actione, id eſt, iuſtè, percipitur, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem, ſimul docuerit, illud reiicien-

1. Cor. 7.

Cur poſitum priùs percipi cũ gratiarũ actione, & poſtea ſanctificari.

Benedictio Luteranorũ ſuper cibos non ſanctificat ad vtilitatem.

dum eſſe, quod iniuſtè percipitur, nec id ſanctificari ac benedici poſſe ab eo, qui iniuſtè percipit, vt tali ſanctificatione, ac benedictione fieri poſſit licitum ac iuſtum, conſequens ſanè eſt, vt intelligamus fuiſſe iam tunc, cum hæc ſcripſit, legem de cibis iuſtè ſumendis, & iniuſtè percipi cibum, aut cibi genus, ſi contra legem percipiatur, vbi enim non eſt tranſgreſſio legis, non eſt iniuſtitia: & vbi non eſt lex, cuius tranſgreſſio cauenda ſit, ab ſcandalo tantùm cauendum erit, ſicut idem Apoſtolus in epiſtol. ad Romanos præcipit, vt in adiaphoria ciborum qui firmiores ſunt, ne infirmos ſcandalizent: in eo enim genere, qui manducat, gratias, inquit, agit Deo, id eſt, iuſtè manducat (nulla enim lex prohibet) & qui non manducat, gratias item agit Deo, id eſt, iuſtè etiam non manducat. quis enim gratias agit Deo in eo, quod ei facere non liceat, & iniuſtum ſit? Tunc ergo docet Apoſtolus liberum eſſe, vtrum libeat facere: neque debere fratres inter ſe alios ab aliis iudicari. Quod ſi erat lex de cibis iuſtè ſumendis, cum hæc, vt dixi, Paulus ſcripſit, alioqui nunquam dixiſſet non eſſe reiiciendum, quod iuſtè perciperetur, ſic enim ſancti Apoſtoli in ſuis conſtitutionibus, vt iterum dicam, interpretati ſunt, percipere cum gratiarum actione, quomodo Magdeburgenſes vocant huiuſmodi leges de cibis prohibitis, laqueos, & Phariſaicas traditiones, & onera Iudaica? Paulus ergo laqueos iniecit, & onera Iudaica probauit. imò non erat dicturus ſecundum iſtos Pauli correctores, nihil reiiciendum eſſe, quòd cum gratiarum actione percipiatur, ne intelligi poſſet, relinqui aliud, quod aliquando non perciperetur cum gratiarum actione, ac proinde reiiciendum eſſet, non ſic, inquam, dicturus erat ſed potius nihil omnino reiiciendum eſſe, ſiquidem omnis creatura Dei bona eſſet. An non erat ab omni ratione prorſus alienum, vt quod aliquando ſponte ſuſcipi ſoleret, ac ſalutare eſſet, & non arduum, neque difficile, idemque exemplis ſcripturæ ſanctæ commendatum legeretur, non poſſet lege ſanci-

Ex verbis Pauli licet colligere, fuiſſe tunc legẽ de cibis iuſtè ſumendis contra adiaphoriam.

Secundum doctrinam Magd. laqueos iniecit Paul. & onera Iudaica impoſuit.

Magd. Pauli correctores.

ri à patribus ac maioribus noſtris, quos Deus in Eccleſia poſuit ad conſumationem ſanctorum in opus miniſterij ad ædificationē corporis Chriſti? Licuerit Sauli pugnaturo, cum Philiſtæis, indicere ieiunium, vt ſanctus Leo ait, & non licuerit ſanctis Apoſtolis ieiunandi legem per ſpiritum Dei nobis ſancire, & dies ieiuniorum ſtatuere, & creophagias interdicere cum mundo, diabolo, & carne pugnaturis? Saul non eſt reprehenſus in ſcriptura, qui ieiunium indixit ad implorandam opem Dei, neque quod in filium, propter ieiunij violationem, ſeuerè animaduertere voluiſſet, & audetis vos reprehendere patres noſtros, qui ieiunia nobis indixerunt? Dicite mihi Magdeburg. vnde didicit Rex Niniuitarum gentilis, indicere ieiunium Niniuitis? nónne ex prædicatione Ionæ pœnitentiam prædicantis? Prædicabat igitur Ionas ſimul cum pœnitentia fructum pœnitentiæ ieiunium, quod Rex ad prædicationem Ionæ imperauit. Cur ergo Eccleſia, quæ ab Apoſtolis ſanctis prædicationem pœnitentiæ & ieiunij accepit, non ſimiliter poſſit indicere ieiunium populis fidelium? an non eſt laudatum in ſcriptura ieiunium illud Niniuitarum? quod quidem vſque ad animalia eorum ratione carentia progreſſum eſt: non quod Deus hoc requireret, vt ait beatus Cyrillus in commentariis huius prophetæ, aut hoc neceſſe eſſet facere, ſed quia ſic (inquit) demonſtrata eſt hyperbole, id eſt, exuperantia, vt ita dicam, pœnitentiæ illorum. Quod ſi hoc de ieiunio animantium litteris ſacris proditum eſt, non propter ipſas animantes (numquid enim eſt Deo, ait Apoſtolus, cura de bobus?) Sed propter nos (omnia enim ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt) videtur profectò docere hic ſcriptura, ſtolidiores eſſe pecudibus, qui exiſtimant nō licere indicere legem ieiunij corporibus hominum, & affligere ea in obſequium & cultum Dei, & obedientiam ſpiritus, ſi licuit indicere corporibus iumentorum & pecudum, ſiue quia erant ad vſum hominum comparata, vt Theodorus Antiochenus in comment. Ionæ ait: ſiue vt mugitu, & balatu, vt ait Theodoretus, commoti homines, magis ac magis dolerent. Prętereà ſi Ionas prædicans pœnitentiam, ieiunium tanquam fructū

Eph. 5. — *1. Reg. 14.* — *Vnde didicerit ieiunium rex Niniuitarum.* — *Cyrillus.* — *1. Cor. 9.* — *Rom. 15.* — *In ieiunio pecudum Niniuenſiū docuit ſcrip. ſtolidiores eſſe pecudibus eos, qui negant licere indicere hominibus legem ieiunii.*

eius prædicabat, quomodo credibile ſit, cum Ioannes Baptiſta pœnitentiam quoque prædicabat, & vt fructus pœnitentiæ dignos facerent, hortabatur, non ſimul ieiunium prædicaſſe: præſertim cum idem Ioannes propter nimium & aſſiduum ieiunium dictus ſit in Euangelio neque manducans, neque bibens, qui melle tantùm Syluestri veſceretur, & locuſtis, quæ genus herbæ erant, ſi Magno Athanaſio credimus, quod auctoritate ſcripturæ ſanctæ probat, cum ait Dauid, Excuſſus ſum ſicut locuſtæ, & Eccleſiaſtes, Florebit amygdalus, & pinguefcet Locuſta, & diſſipabitur capparis. Vt enim amygdalus, ait Athanaſius, nō eſt caro, & capparis herba eſt ita locuſta, quæ creſcit in campo & prato. Ioannes enim, inquit, ſi panem non comedebat, multò minùs carnem: mel autem, ait ἀσκητικὸν βρῶμα erat, id eſt, cibus monachorum. Ergo ſi Ioannes Baptiſta pœnitentiam prædicabat, & ieiunium item, quod eſt inter fructus pœnitentiæ dignos, qua fronte audent Magdeburgenſes cum prædicant pœnitentiam, legem ieiunij laqueum appellare? an non eſt vtile, vt nō debeat probari? aut eſt fortaſſis arduum, vt imperari, aut ſuſcipi non poſſit? aut non eſt laudatum, & prædicatum in ſanctis ſcripturis? aut caret exemplo Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum? Quæſo vos Magdeburgenſes, cum laudat Apoſtolus pœnitentiam Corinthiorum, quæ erat vindicta illa, quam inter cæteros fructus, illorum pœnitentia operabatur? quam dico vindictam de ſe ſumebant illi pœnitentes? quod illud genus afflictionis? cur non creditis, afflictione ieiunij peccatum commiſſum, de quo dolebant, in ſeipſis, vt Niniuitas illos, vindicaſſe? imò, ſi placet, ſaccos etiam induiſſe? Quod ſi ad vindictam, quam de ſe Corinthij propter peccatum ſumebat, qua corpus affligebant, ieiunium pertinuiſſe ratio ipſa, & ſcripturæ ſanctæ obſeruatio confiteri cogit, quomodo negari poteſt ad ieiunium pertinere, vt à carne abſtineatur? quis enim abſtinendo à cibis, corpus affligit, ſi ab eſu carnis non abſtinet? Eſſe enim ieiunium genus afflictionis corporalis, ſcriptura quoque teſtatur verbo ipſo afflictionis, quo vtitur, vt cum ait in libro Nume. Vt per ieiunium affligat animam ſuam,

Theodorus Antiochenus.
Theodoretus.
Matt. 11.
Matt. 3.
Athanaſius auctoritate ſcripturæ probat fuiſſe Locuſtas Ioannis genus herbæ.
Pſal. 118.
Eccl. 12.
2. Cor. 7.

Num. 30. quod Græcè dicitur κακῶσαι, pro quo Eſa. dixit, humi-
Iſa. 58. liare animam per ieiunium. imò ipſa Etymologia vocabuli νηστεύειν quod ſignificat, ieiunare, ſatis hoc declarat. Dicitur enim παρὰ τὸ ὑστερεῖσθαι σιτίων, id eſt, à vacuitate ciborum, quæ moleſta eſt naturæ. Deinde cum corporalis exercitatio ieiunij vtilis ſit, quod negari non poteſt, cum Apoſtolus dicat, quod omnis exercitatio corporalis vtilis eſt, cur non poſſit, quod teſtimonio Apoſtoli vtile eſt, licet ad modicum, ad modicum item tempus iuberi & ſanciri iis, qui obedire poſſint? vt quidem ſancitum eſt ieiunium ſolenne dierum quadraginta, quod Eccleſia catholica à ſanctis apoſtolis accepit, vt teſtis eſt apoſtolica conſtitutio, quam Clemens Romanus in lib 8. ſcripſit, quam vſque in hodiernum diem Eccleſia Orientis, & Occidentis religioſè tenet, & ſeruat. & vſque ad conſummationem ſæculi tenebit, ac ſeruabit. Sed de exercitatione corporali plura paulò pòſt. proſequamur nunc locum epiſt. ad Timotheum. poſtquam enim dixit aduerſus eos, qui cibos ſuperſtitioſè & impiè prohibebant, nihil eſſe reiiciendum, quod cum gratiarum actione ſumeretur, quod ſatis iam explicatum eſt, ſubiungit hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Ieſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam ſecutus es, ineptas autẽ & aniles fabulas deuita. Satis hic ſignificat Apoſtolus, illud genus reiiciendi cibos ſe improbare, non quod à iuſtitia atque obedientia, aut ex voluntario ſtudio exercendi corpus ad humiliandam animam proficiſceretur, ſed quod ex fabuloſa ſuperſtitione quorũdam hæreticorum. Quia ergo loquebatur Apoſtolus de cibis natura bonis vt à Deo creatis non reiiciendis, ſi ſic ſumerentur, vt eis ſumendis gratiæ agerentur Deo, conſentaneum eſt, vt cum hic fabulas vitare iubet, eas fabulas planè intelligamus, quæ ad ſuperſtitioſam abſtinẽtiam ciborum pertinebant, vt ex Clemente Romano intelligere licet. libro enim ſexto cap. 26. ſic ait: Alij autem cibos quoſdam malos eſſe dicunt, & nuptias cum procreatione liberorum item malas, & à Diabolo excogitatas, ac ſua nequitia nolunt impij iſti à mortuis ſuſcitari, idcirco reſurrectionem calumniantur, aientes ſe

Conſtitutio apoſtol. de ieiunio quadrageſ.

Clemens Rom. de fabulis abſtinentium à cibis.

veneratione dignos. qui edere, & bibere nolint, cogitatione verò ſingunt, ſuſcitandos ſe à mortuis, factos Dæmonia incorporea. Hactenus Clemens. Hæ ſunt fabulæ illæ prophanæ & aniles, quas Apoſtolus dixit. Rurſus idem Clemens in eodem libro cap. 10. loquens de eiſdem, Alij, inquit, dicunt execrabiles eſſe nuptias, & cibos, vt tanquam veneratione digni diſciplinam ſuā peruerſam quaſi auctoritate dignam approbari faciāt. Hactenus Clemens. Idcircò igitur à cibis abſtinebant per falſam ſpeciem temperantiæ & humilitatis, vt ſic fabulam profanam & anilem, quod ſcilicet nulla eſſet corporum reſurrectio, & quod ipſi ſuſcitandi eſſent, facti Angeli, vt incorporei diſcipulis ſuis probabilem facerent. Hic Angelos ceu Deum colebant, à quibus manaſſe videtur ille cultus Angelorum, qui in Synodo Laodicenſi. cap. 35 damnatus eſt. *Synodus Laodic.* Hi Angelos ſe vidiſſe aiebant, quæ erat fabula, & phantaſtica cogitatio. Vnde *Tertull.* Tertullianus libro 5. contra Marcionem, cum interpretatur locum epiſtolæ Pauli ad Coloſſ. cap. 3. Nemo vos *Coloſſ. 3.* iudicet in cibo, aut in potu, & paulò pòſt: Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum &c. Aliquos, inquit, taxat, qui ex viſionibus Angelorum dicebant à cibis abſtinendum eſſe. *Clem. Alex.* Item Clemens Alexand. lib. 3. ſtromatum, curæ, inquit, eſt magis à vino & eſu carnis, & venere abſtinere colentibus Angelos & Dæmones. *Anaſtaſius Antiochenus.* Et ſanctus Anaſtaſius Antiochenus in libro de variis quæſtionibus ſcripturarum, quem ὁδηγὸν inſcripſit, dogma Iudæ Galilæi fuiſſe ait, profiteri phantaſias, ſiue viſiones Angelorum prætextu religionis magnæ. Horum itaque fabulas vitandas eſſe monuit Apoſtolus in epiſt. ad Timoth. Cum igitur illi hæretici, quos in epiſtola ad Timoth. dicit, propter fabuloſam & impiam ſuperſtitionem cibos prohiberent, neceſſario conſequens eſt, vt hanc ipſam ſuperſtitionē idem Apoſtolus tum in epiſt. ad Timoth. tum in epiſt. ad Coloſſ. vetet, & damnet. cibos ſcilicet, more illorum profanè & ſuperſtitioſè diſcernere. Et quia illi per ſolam ſpeciem humilitatis & religioſæ abſtinentiæ ciborum, veneratione digni videri volebant, fruſtrà inflati ſenſu carnis ſuæ, pietatis verò nullam rationem

Coloſſ. 2.

habebant, neque curam, idcirco Apoſtolus pietatem, qua illi carebant, commendans, & religioni ieiuniorum, & omni abſtinentiæ anteponens, ſubiungit: Exerce te ad pietatem exercitatio enim corporalis ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia valet. non dixit, inutilis eſt, ſed vtilis, tametſi ad modicum. Quod ſi vtile eſt ieiunare, Paulo apoſtolo auctore, vtile dico ad adiuuandum ſpiritum (de hac enim vtilitate ſpirituali loquitur ſiquidem eo ſpectant huiuſmodi exercitationes corporales, quæ à Græcis ἀσκήσεις & σκληραγωγίαι dicuntur, vt ſicut ait Sanctus Anaſtaſius in quæſtione 64. non fruentes voluptatibus mundi, fruamur futuris bonis, & humiliato corpore humilietur anima: vt rurſus humiliata Deum imploret) ſi inquam vtile eſt ieiunium ad adiuuandum ſpiritum, quomodo poteſt lex ieiunij ad ſeruitutem, vt iſti volunt, pertinere? ſiquidem vbi ſpiritus, inquit Apoſtolus, ibi libertas. Cur verò dicat exercitationem corporalem ad modicum eſſe vtilem, intelligi poteſt ex eo, quod ſanctus Maximus ait in Hecat. 57. Tradidit enim diſtingui virtutes in corporales, & ſpirituales, & illas quidem ὑπὸ ἀνάγκην eſſe, id eſt, neceſſitati ſubiectas, quia pluribus modis ac rationibus impediri poſſint, ita vt qui eas nō habeat, veniam ferat: has verò non ſic ſubiectas eſſe, vt eſt pietas, quæ nec impediri poteſt, quin habeatur: nec excuſari, qui eā non habeat. Item ſanctus Nilus in explanatione illius loci Euangelici Lucæ, Vendat tunicam ſuam, & emat gladium, ad modicum tempus vtilem eſſe ait exercitationem corporalem, quia ceſſat, inquit, in futuro cognitio autem augetur progreſſus faciens ab ſpeculo & ænigmate vſque ad illud, facie ad faciem. Pietatem vocauit hic S. Nilus cognitionem ſcripturam ſecutus, quæ in ſapientia Salomonis cap. 10. εὐσέβειαν, id eſt, pietatem vocat ſapientiam. & Iob. cap. 28 εὐσέβεια, inquit, id eſt, pietas, ſapientia eſt: & abſtinere à peccatis ſcientia. Rurſus idem ſanctus pater Nilus in libro περὶ τῆς προσευχῆς, Exercitatio, inquit, corporalis ad modicum vtilis eſt diſciplinis puerilibus ſimilis: at pietas ad omnia eſt vtilis, quæ efficit τὴν εὐεξίαν, id eſt, bonam habitudinem in animis eorum, qui cupiunt paſſiones vincere contra aduerſarium.

S. Anaſtaſius Antiochenus.

Contra ſcripturam Pauli tradunt Luth. pertinere ad ſeruitutem legem ieiunii.

2. Cor. 3.

S. Maximus.

Quomodo exercitatio corporalis ad modicum vtilis ſit.

S. Nilus.

Luc. 22.

Sap. 10.

Iob. 28.

Nilus.

aduerſarium. Vt enim, inquit, rudibus adhuc ac nouitiis athletis exercere corpus & membra aſſiduè mouere conuenit, viris verò athleticis, id eſt, iam robuſtis, & ſtudio certandi exercitatis conuenit roboris & virium curam habere, & vngi ad certamẽ: ſic qui pietatem colere incipiunt, ſtudium illis eſt cohibere opera: ſatis enim habent, ſi voluptatibus commoti & impulſi paſſiones contineant. Qui verò iam habitum virtutis compararunt, & eorum, quæ ad mentem pertinent, curam habent, his ſtudium ponitur in ſeruandis cogitationibus, ne ferantur ad aliquid inutile. Denique vt ſummatim dicam, illis quidem ſcilicet, qui in ſtudio exercitationis corporalis ſunt, cura eſt motus corporis moderari, ac temperare: his verò, hoc eſt, pietatis ſtudio deditis, cura eſt, τὰς ὁρμὰς τοῦ λογισμοῦ παιδεύσαι, id eſt, appetitiones, & cogitationum pulſus caſtigare, & reprimere, ita vt nulla phantaſia animum à diuinis rebus meditandis, ac contemplandis auocet, quod eſt, inquit, τοῦ εὐσεβοῦντος, καὶ θεοσεβοῦντος, id eſt pitatem, & Deum colentis. Hactenus S. Nilus. Ad modicum ergo vtilis eſt exercitatio corporalis, quia qui motus corporis cohibet, non continuò motus animi moderatur: at qui hos moderatur ac refrænat, illos quoque corporis refrenat. Rectè igitur Philotheus Græcus auctor in libello de præceptis diuinis, Qui, inquit, oculum animæ purum ſeruat eiiciendo cogitationes, & aſpiciendo in Deum ſemper, hic mandata de non concupiſcendo, & non iraſcendo, & cętera eiuſmodi facit. Vnde illud: ſi oculus tuus, inquit, lucidus eſt, totum corpus lucidum erit, id eſt, carebit peccato. Vocat hoc mandatum περιεκτικὴν ἐντολὴν id eſt, mandatum, quod vim omnium mandatorum in ſe comprehenſam habet, vnde ad omnia valet, ſicut de pietate dixit Apoſtolus hoc vocat idem Philotheus, ambulare in ſpiritu, habere ſcilicet mentem ἀεὶ νήφουσαν id eſt, ſemper vigilantem, & intuentem in Deum, quæ non ſuccumbat ſatanæ, neque prauis cogitationibus locum det, quod quidem pietas præſtat, idcircò ad omnia valet. Exercitatio verò corporalis non ſic vtilis eſt; idcirco comparata cum pietate ad modicum vtilis eſt, ſicut Apoſtolus ait, quod verbum non intelli-

Philotheus.

Matt. 6.

Magiſtri Lutheranorum non intelligentes verbum Apoſtoli de exercitatione corporali ad

modicum vtili, ad improbationem legis ieiunandi pertinere putarunt.

Coloſſ.3.

Qua ratione & modo vtilis ſit abſtinentia ciborum, & ad voluntarium cultũ Dei pertineat docuit Paul. Epiſ. ad Coloſſ. etſi obſcurè.

gentes Lutheranorum magiſtri, vel potius illuſores, ad contemptum & improbationem ieiuniorum pertinere putarunt: Vnde Apoſtolus præuidens quod futurum erat, nec hoc prætermiſit: diuinè enim in epiſtola ad Coloſſ. docuit, qua ratione vtilis ſit abſtinentia ciborum religioſa, quam ieiunium vocamus, licet paulò obſcuriùs, ita vt ſit etiam hoc ex numero eorum, quæ beatus Petrus dixit, eſſe in epiſtolis Pauli difficilia intellectu, & ab imperitis, & inconſtantibus deprauari, vt ſtatim demonſtrabimus.

Explanatio loci difficilis epiſtolæ ad Coloſſ.3. de abſtinentia ciborum: & de cultu voluntario, & variis exemplis eius in ſcripturis: & de interpretatione ridicula Marlorati in locum epiſtolæ ad Coloſſen. & quomodo Lutherani magiſtri ex proprietate verborum Pauli, & conſequentia eorum coarguantur de falſa ſua interpretatione eiuſdẽ loci ad tollẽdum delectum ciborũ, tum iuſſum tum voluntariũ.

Cap. 7.

Coloſſ.3.

Locus Pauli de cibis in epiſt. ad Coloſſ.

Baſilius.

Ergo poſtquam Apoſtolus contra Iudaicas ciborum obſeruationes de mundis & immundis, quæ cum lege diſierant, dixerat, Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, & quæ ſequuntur, quæ ſunt, inquit, vmbra futurorum; & contra illorum hæreticorum profanas & aniles fabulas, quas paulò ſuprà explicauimus, item dixerat, Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum, & quæ ſequuntur, quia poſteà ſubiunxit, de cibis loquẽs, quæ ſunt omnia in interitum ipſo vſu, quod quidem ſignificabat, vt beatus Baſilius in comment. Eſa. cap.1. interpretatus eſt, omnes fructus terræ datos eſſe, vt cõſumantur, ne quis falſò exiſtimaret, vt Lutherani, improbari hic ieiunia, ac delectus ciborum, qualeſcunque ſint, nec eſſe vllam legem Dei, aut mandatum de eis aut doctrinam, præſertim cum dixiſſet, quid in mundo decernitis ſecundum mandata & doctrinas hominum? ne guſtaueris, ne tetigeris (ſic enim componenda ſunt, quæ erant per hyperbaton collocata) idcirco

ſubiungit, Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in religione ſpontanea, & humilitate, in non parcendo corpori, non in honore aliquo, contra ſaturitatem carnis. non dixit ſpeciem habentia ſapientiæ, ſed rationem. quæ perinde ſunt, quaſi diceret, vt inſipientia eſt, & impietas, à cibis, qui ad vtendum dati ſunt, abſtinere ſuperſtitioſè propter fabulas, & cultum Angelorum, aut Iudaicè propter vmbram, quæ iam receſſit, adueniente corpore: ſic rurſus ſapientia quidem eſt abſtinere ad religionem & cultum Dei, ad humiliandam animam in ieiunio, & ad caſtigandum corpus non abſtinendo inhumanè, vt faciebant Manichæi & alij ſimiles hæretici, nec abſtinendo propter honorem cibi, vt qui abſtinebant à carne, quod dicerent, habere animalia animam rationis participem, quos Clemens in lib. 6. notauit, ſed abſtinendo contra ſaturitatem carnis: hoc enim ſignificat πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς. omnia itaque diuinè complexus eſt Apoſtolus, quæ abſtinentiam ciborum laudabilem faciunt, vocauit autem Apoſtolus hunc cultum Dei per abſtinētiam ciborum ἐθελοθρησκείαν, id eſt, vt totam vim vocabuli exprimamus, ſpontaneum cultum ſiue religionem, quod liceat, ſi quis velit, hac religione corporali abſtinendi à cibis, Deum colere ad humiliandam animam in ieiunio, ſicut rurſus licet item non abſtinere. de cibis enim loquebatur Apoſtolus, cum dixit, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem. eſca ventri, & venter eſcis. Deus autem & hunc, & has deſtruet. corpus autem non fornicationi, ſed Domino: Dominus autem corpori. quem locum ſic S. Anaſtaſius quæſt. 64. eius libri, quem ὁδηγὸν inſcripſit, interpretatur. Licet, inquit, comedere, & bibere, ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem: id eſt, non debent cibi, & eorum cupiditas mihi imperare. Sed plerique, inquit, dum in illud aſpiciunt, quòd comedere & bibere Deus concedat, contingit illis non parum incommodi accipere ex ſatietate, ac voluptate ventris, de quibus Apoſtolus ait, Eſca ventri, & venter eſcis, Duo itaque ſunt ſcopi ieiunij, & omnis duræ tractationis corporalis, quæ à Græcis σκληραγωγία

Clem. Rom. lib. 6. de Conſtit. Apoſt.

Omnia quæ abſtinentiam ciborum cõmēdant, complexus eſt apoſt. in epiſt. ad Coloſſ.

1. Cor. 3.

Anaſtaſius.

Duplex ſcopus ieiunii, & cæteræ omnis exercitationis corporalis.

Quando ieiuniū pertineat ad cultum dei ſpontaneum. dicitur, vnus, vt non fruentes voluptatibus, fruamur futuris: alter, vt humiliato corpore, ſimul anima humilietur, humiliata autem Deum orat, & veniam impetrat. Hactenus Anaſtaſius. Cùm igitur licet comedere, aut non comedere, tunc nō comedere ſponte, quia ita propter vtrunque ſcopum expediat, ἐθελοθρησκεία eſt, vt Apoſtolus vocat, id eſt, ad cultum voluntarium pertinet: eſtque genus oblationis & ſacrificij, de his enim dicit

Tertullianus de ieiuniis. Tertullianus in libro de cultu mulierum: Quidam ipſam Dei creaturam ſibi interdicunt, abſtinentes à vino

Abſtinentia ciborum genus oblationis, & ſacrificii. & animalibus exulantes id eſt, abſtinentes ab eſu carnis, quorum fructus, inquit, nulli periculo, aut ſolicitudini adiacent, ſed humilitatem animæ ſuæ in victus quoque caſtigatione Deo immolant. hactenus Tertullianus. Cùm igitur quamuis liceat alioqui comedere, aliquando tamen non expediat, vt Apoſtolus affirmat,

1. Cor. 6. quomodo ſicut licuit ſanctis Apoſtolis Patribus noſtris, multa alia in S. Eccleſia Catholica diſponere, atque ordinare iuxta prophetiam Dauid, cum de illis ait, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia, quomodo, inquam, non ſimiliter licuerit illis, quibuſdam diebus ieiunia indicere, & prohibere comedere, non

Pſal. 49. quia ex ſe non liceret, comedere, ſed, quia non expediret? Vt quidem Sancti Apoſtoli ſapienter iudicauerunt non expedire comedere ἀδιαφόρως, id eſt, indifferenter,

Ratio inſtitutionis ieiunii Quadrageſimæ. vt ita dicam, quadraginta diebus, quibus Dominus nō comedit, neque bibit, exemplum nobis relinquens ad imitandum, quoad fieri poſſet, vt ſic præparati, & per ſanctum ieiunium, & orationem humiliati, & ad imitationem vitæ Ieſu Chriſti conformati, dignè, & reuerēter myſticum paſcha manducaremus. Vnde beatus

Chryſoſt. de ieiunio Quadrageſimæ. Chryſoſtomus in Homilia de ieiunio primi Paſchæ, Multi, inquit, olim accedebant ad myſteria ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε, id eſt, non præparati, eo preſertim tēpore, quo Chriſtus tradidit ſemetipſum. Quare cum Patres (Apoſtolos ſanctos dicit, qui fuerunt noſtri patres) intelligerent, ſecúmque reputarent incommodum & detrimentum ex negligenti illo acceſſu, congregati ἐτύπωσαν, id eſt, ſanxerunt xl. dies ieiunij, precationum, auditionis verbi Dei, ac conuentus ad Eccleſiam, vt his diebus

purgati omnes diligenter per preces, per eleemoſynas per ieiunium, per vigilias nocturnas, per lachrymas, & confeſſionem, & per cætera alia, ſic pro viribus noſtris cum pura conſcientia accedamus. hactenus ſanctus Chryſoſtomus. Itaque vt reliquo tempore licet comedere, tametſi non ſemper expediat, ita tempore Quadrageſimæ propter legem ieiunij, quam nobis ſancti Apoſtoli ſanxerunt, non licet. vt iam eo tempore valentibus ieiunare peccatum ſit comedere non propter ſumptionem cibi, ſed propter inobedientiam legis, ſicut Clemens ait in lib. 3 de conſtitutione Apoſtolorum, Viduas nubere poſt promiſſionem caſtitatis ſceleratum eſſe, non propter coniugium, inquit, ſed propter mendacium. Ac pertinet quidem huiuſmodi ieiunium lege ſancitum εἰς θρησκείαν, id eſt, ad religionem: illud verò ieiunium, quod non ex lege, ſed ex voluntate ſuſcipitur, pertinet ad ἐθελοθρησκείαν, id eſt, ad voluntariam, ſiue ſpontaneam religionem: Itaque Apoſtolus ad ieiunium, quod lege Apoſtolica, & diuina iubente, ſuſcipere deberemus, voluit addere ſpontaneum ieiunium nō iubendo, ſed inuitando. Lex enim tardioribus poſita eſt. quam multi enim ſunt, qui non ieiunarent ieiunium Quadrageſimæ, aut alia ieiunia indicta, vt vigiliarum, & quatuor temporum, niſi lex eſſet? Apoſtolus verò eos, qui promptiores erant, ad maiora inuitare voluit. Sic Dauid, voluntariè, inquit, ſacrificabo tibi. non enim promittit hic, ſacrificaturum ſe, cum lex ſacrificare iubebat, minimè: nec enim opus erat, id dicere, quod etiam ſi non diceret, vt facere ei neceſſe erat, ita facturum eſſe, certum eſt. Itaque non dixit, ſacrificabo νενομισμένως, ſiue, ἐννόμως, ſiue κατὰ νόμον, id eſt, ſecundum præſcriptum legis: ſed ſacrificabo, inquit, ἑκουσίως hoc eſt, ſpontaneè, præter ſacrificia in lege mandata, quæ neceſſaria erant, promittens inſuper ſpontanea, quæ non erant, quale eſt illud in Leuit. Si voto, inquit, vel ſponte quiſpiam obtulerit. hæc erat ἐθελοθρησκεία. Similiter, quod Iacobus frater Domini ſemper à carne abſtinuit, vt Egeſippus eſt auctor, ἐθελοθρησκεία erat, id eſt, ſpontanea religio. item, quod Ioannes à pane, & carne abſtinebat, contentus melle agreſti, & locuſtis. Illa quo

Tempore ieiunii peccatum comedere nō propter cibum ſed propter inobedientiam legis.

Pſal. 53.

Leuit. 2.

Varia in ſcripturis exempla voluntarii ſiue ſpōtanei cultus,

quem Paulus ait in epiſt. ad Col.
Num. 30.
Epiphanius de ieiunãtibus ſemper præterquã Dominico, & Pent.

que erat ἐθελοθρησκεία, cum aliquis in vetere quoque lege vouebat ſponte ſua aliquam carnis ſuæ caſtigationem, & afflictionem, vt eſt in Num. cap. 30. Ad hanc etiam ſpontaneam religionem pertinet, quod ſanctus Epiphanius deſcribens characterem, ſiue formam Eccleſiæ ſui temporis. Qui ſtudio, inquit, virtutis magis dediti ſunt, hi καλῇ προαιρέσει, id eſt, honeſto propoſito voluntatis ſuæ, ſemper præterquam die Dominico, & Pentecoſte ieiunant. Caluinus verò, & magiſtri Lutheranorum non intelligentes hunc locum epiſtolæ diui Pauli ad Coloſſ. neque vim huius verbi, ἐθελοθρησκείας, inſanè tradiderunt, quod ad cultum Dei, & religionem ſine verbo Dei, id eſt, ſine præcepto adhibetur, id omne idololatriam eſſe. Volunt enim iſti, vt nullus iam, ſicut Dauid, ſacrificet ſpontaneè: nullus præſcribat ſibi ſpontaneè genus cibi, aut cubationis, aut aſperi indumenti ad affligendam carnem, quod genus præſcribendi ſibi, ſcriptura vocat in Num. ὁρίζειν ὁρισμῷ, ſic enim eſt apud 70 quod quidem illi in lege ſine vlla vmbra, id eſt, non ad præſignificandum futura, ſed ad acquirendam virtutem humilitatis, & ad ſeruiendum Deo facere ſolebant. Quod verò putant iſti, fieri iſta à nobis ſine verbo Dei, errant vehementer, non diſtinguentes verbum Dei generale, & ſpeciale. Verbum enim Dei eſt generale in ſcriptura de ieiunio, etſi non horum dierum, aut illorum, quod tum Apoſtolis, tum Eccleſiæ relictum eſt ad definiendum, ac præſcribendum: item verbum Dei eſt generale in ſcriptura de votis reddendis: nemo autem reddit votum, niſi prius fecerit. Quare, qui cultum adhibet Deo, faciendo votum, non ſine verbo Dei adhibet: ſiquidem, qui reddere iuſſit, facere conceſſit. qui in alio loco per Prophetam dicit, Vouete, & reddite Deo. Sed proſequamur locum Epiſtol. ad Coloſſenſes ſatis enim iam explicata eſt vis verbi ἐθελοθρησκείας in quo tota voluntarij cultus doctrina Apoſtolica pendet. ſequitur deinceps, in humilitate, ad hoc enim indicitur, & ſponte ſuſcipitur ieiunium ad humiliandam ſcilicet animam ſuam in ieiunio, ſicut ſcriptura ſancta dicit: Et ad non parcendũ corpori, declarauit Apoſtolus, quam humiliationem

Num. 30.

Magd. & cæteri magiſtri Luther. non didicerũt diſtinguere verbum Dei generale, & ſpeciale.

Pſal. 75.

Pſal 34.

animæ diceret, eam ſcilicet, quæ comparatur, & acquiritur non parcendo corpori, non parcitur autem corpori, cum ei ſubducitur, quod venter appetit. Quia verò quidam hæretici à carne animantium abſtinebant, vt ſupra, auctore Clemente, diximus, quod dicerent habere illa animam rationis participem, vnde illi non parcebant corpori abſtinendo à carne propter honorem, quem ſic abſtinendo adhibebant carni, quæ vt ipſi putabant, anima rationis participe prædita eſſet, & alij Iudaicè à quibuſdam cibis tanquam immundis abſtinebant, vt abſtinendo ab iſtis naturam aliorum ciborum mundorum honorarent, idcirco addidit Apoſtolus, Nō in honore aliquo, quod quidem verbum vel ſolùm ſatis eſſe deberet ad intelligendum, probari hic ab Apoſtolo genus cultus & abſtinētiæ voluntariæ, piæ ac religioſæ, ſiquidem illud alterum genus abſtinēdi in honore tollit, quod ad ſuperſtitioſum cultū, & abſtinentiā ſuperſtitioſam pertinet. Sequitur, ad ſaturitatē carnis, vel vt vim πρὸς præpoſitionis hoc loco exprimamus, contra ſaturitatē carnis, hoc enim ſignificat frequēter, πρὸς, vt ſciunt, qui litteras Græcas guſtarunt, vt hoc loco ſignificat. vt ſit iam tota compoſitio ſiue cōſtructio recta ſine hyperbato ſic, Ad non parcendū corpori cōtra ſaturitatem carnis, nō in honore aliquo, ſcilicet carnis, ſubducta enim ſaturitate carnis, reprimitur elatio, & petulantia carnis, humiliaturque anima ad Dei cultum, cui hoc genus hoſtiæ immolatur. Ridiculū verò eſt, & inſcitiæ plenum, quod Auguſt. Marloratus Caluinianus miniſter in commentarijs epiſt. ad Coloſſ. explanans hunc locum, ieiunia ad regulam, & præſcriptum indicta, damnari hic ab Apoſtolo dicit, quòd honorem, inquit, corpori nullum habeant ad expletionem, hoc eſt, pro modo neceſſitatis, quantùm carni ſatis eſt pro ſuſtentatione, & conſeruatione corporis: nam expletio, inquit, mediocritatem ſignificat hic, quæ ſe ad ſimplicem naturæ vſum reſtringit, hæc ille. Quis vnquam dixit, qui Græcè ſciret, πλησμονὴν, id eſt, expletionem, mediocritatem ſignificare? Deinde ſi vitioſum eſt, non honorare corpus, ſubducendo ei piè & religioſè carnem, & interdum vinum ſecundum re-

Vel ex vno verbo demōſtratur probari Apoſt. genus abſtinentiæ voluntariæ ad cultum Dei.

Explanatio ridicula Marlorati in locum epi. ad Coloſſ.

guiam, & præſcriptum perfectè viuentium, profectò Timotheus reprehenſione ſuperſtitionis dignus erat potius, quam monitione, vt propter ſtomachum modico vino vteretur. Hæc ergo ſunt, quę ieiunium ſponte ſuſceptum commendant, & nobis ſalutare, ac Deo gratum efficiunt. Cùm verò indicitur, accedit obedientia, quæ eſt adhuc excellentior, & ſacrificio ſpontaneo præſtantior. Qui autem aliter interpretati ſunt, ita vt exiſtimarēt, de quibus dixit Apoſtolus, habere illa quidem rationem ſapientiæ, ad illa ſuperiora, quæ ſuperſtitioſè fiebant, quæ Apoſtolus arguebat, pertinere, hi virtute, & conſequentia ipſorum verborum coarguuntur. Dicere enim, Quæ ſunt habentia quidem rationem ſapientiæ, affirmantis eſt, vt antè dixi, alioqui non dixiſſet. quidem. Item ἔχειν λόγον σοφίας, non poteſt ſignificare, habere ſpeciem, id eſt, prætextum, & vt ita dicam, apparentiam ſapientiæ. λόγος enim ſignificat huiuſmodi apparentiam, quæ Græcè dici ſolet πρόσχημα, φαντασία, δόκησις, ὑπόκρισις, quo verbo vti ſolet Apoſtolus. Notauit ſignificationes huius verbi omnes Euſebius Cæſarienſis ſcribens aduerſus Marcellum Ancyranum. Λέγεται λόγος ὁ ἐγκατασπαρεὶς τῇ ψυχῇ λογικῇ, καθ' ὃν διαλέγεται ἡ ψυχή. καὶ ὁ διὰ γλώσσης καὶ φωνῆς τι σημαίνων. καὶ ὁ γραφόμενος. καὶ λόγος ὁ σπερματικὸς, καὶ φυτικός. καθ' ὃν δυνάμει τὰ μηδέπω φύντα ἐναπόκειται τοῖς σπέρμασι μέλλοντα ὅσον οὔπω τῆς ἐνεργείας εἰς φῶς προϊέναι, καὶ ἄλλως λόγος ὁ ἐπιστημονικὸς τέχνης τινὸς, ἢ ἐπιστήμης καὶ πάντων τῶν τοιῶνδε θεωρημάτων καταληπτικός. Interpretemur latinè. Dicitur, inquit, λόγος ratio inſita, qua anima rationis particeps ad ratiocinandum vtitur: Item λόγος eſt oratio, quæ lingua & voce aliquid ſignificat, aut ſcripto: eſt prçtereà λόγος ratio genitalis, ſiue ſeminalis, qua ea, quæ nondum orta ſunt, in ſeminibus inſunt, mox actu in lucem exitura: aliter etiã dicitur λόγος, perceptio, & comprehenſio alicuius ſcientiæ, vel artis & omnium eiuſmodi theorematum, vt ratio medicinæ, vel architecturæ, vel geometriæ. deinde addit, explicans aduerſus Marcellum quomodo Deus eſſet, λόγος, id eſt, verbum, Ne exiſtimes, inquit, eſſe hoc verbum, vt illud in anima, neque quale eſt illud, quod auditur, neque

Significata omnia verbi Logos diligentiſsimè & peritiſs. ab Euſ. cõtra Marcel hæreticum notata.

qualis λόγος in corporalibus ſeminibus, aut ille, qui eſt in theorematibus: & cognitionibus: hi enim, inquit, omnes λόγοι intelliguntur in ſubiecto, at Deus λόγος, id eſt, verbum, non indiget alio ſubiecto, vt in ipſo ſubſiſtat, ſed potius ſecũdum ſe eſt viuẽs, & exiſtens, vtpote Deus. hactenus Euſebius, qui omnes ſignificationes verbi huius enumerauit, vt doceret aliter de Deo dici λόγον, quàm de cæteris omnibus ſignificatis dicatur. Quare ſi aliquid aliud præterea ſignificaret, non iam, quod volebat, docuiſſet. reſtat ergo, vt omnia ſignificata enumerarit, & nullum prætermiſerit. niſi putamus Caluinum, aut Magdeburgenſes, & cæteros Lutheranos melius hoc verbum Græcum, quàm Euſebium in Græcia natum, & erudititiſſimum intellexiſſe. Rectè igitur interpres vetus Latinus vertit, Quæ ſunt quidem rationem ſapientiæ habentia, quæ nemo iam eſt, ſi quid rationis, & iudicij habeat, qui non videat non cohærere cum eo verbo, quod ſequitur, in ſuperſtitione, quid enim ſapientię in ſuperſtitione ineſſe poteſt, cum ſemper ſuperſtitio in malam partem accipiatur, id eſt, pro falſo cultu Dei? Quare obſeruanda eſt hoc loco interpretatio verbi Græci compoſiti ἐθελοθρησκεία, quod propriè religionem ſignificat, vt idem interpres paulò ſupra rectè verterat θρησκείαν, cum dixit, in religione Angelorum, non enim voluntas, quam ſignificat altera pars huius verbi cõpoſiti ἐθελοθρησκεία, facit ex religione ſuperſtitionem, ſed error, & ignorãtia veræ culturæ. Libenter quàm accuratè & ſtudioſè potui, hunc locũ epiſtolæ ad Coloſſ. explicaui, quod cũ hæretici ad ſuam & aliorum perditionem peruerſè, & intelligendo, & interpretãdo, ex duobus generibus diuini cultus in nouo etiam teſtamento, quorũ alterum eſt, νενομισμένον, id eſt, lege præſcriptum, alterũ ἑκούσιον, id eſt, ſpontaneum, illud prius tantũ relinquunt: alterũ contra ſcripturam veterem, & nouam funditus tollũt, quaſi ad idololatriam pertineat, vt blaſphemè calumniantur, aliquid ex voto, aut ex voluntate Deo offerre. cum hoc in vetere quoque teſtamento non ſolùm nõ prohiberet Deus, ſed etiam approbaret, ac laudaret, vt antè docui, & locos indicaui. ac de hìs hactenus.

Reſponſio de ſeptẽ hebdomadis ieiunii Quadrageſimæ, quas in epiſtola Theleſphori Magdeburgenſes accuſant: & de earum differentia & ratione in eccleſiis Orientis & Occidentis, & qui Patres antiqui de eis meminerint: & de octo hebdomadis Arianorum. *Caput 8.*

DIſſeramus deinceps de ſeptem hebdomadis plenis, quas Theleſphorus Clericis ante paſcha à carne ieiunare iubet, quod in epiſtola Theleſphori Magdeburgenſes reprehendunt: atque ita reprehendunt, vt propter hoc eam epiſtolam negare non vereantur. Non enim credunt, quod tam antiquus pontifex, ſeptimus ſcilicet poſt beatum Petrum, à carne ſeptem hebdomadis ieiunare præciperet: quod inhumanum fortaſſe viſum eſt iſtis, & tanti pontificis decreto indignũ. Deinde actum eſſe de Quadrageſimæ ieiunio putauerunt, ſi hanc epiſtolam negarent, quaſi Quadrageſimæ ieiunium à Theleſphoro primum in hac epiſtola ſancitum eſſet: at non ita eſt: quod ipſe etiam Theleſphorus ſatis apertè ſignificat, cum ſtatuit, vt Clerici ſeptem hebdomadas plenas ante paſcha à carne ieiunẽt. quia ſicut diſcreta, inquit, debet eſſe vita Clericorum à Laicorum conuerſatione, ita & in ieiunio debet fieri diſcretio. Erat igitur ſtatutum ieiunium, quod ex æquo & Clerici communiter ieiunabãt ſeptem hebdomadis non plenis, incipiebant enim à quarta feria. vt hodie incipimus. Pontifici autem viſum eſt æquum, ſtatuere, ac ſuadere, vt Clericorum ieiunium paulò maius eſſet propter eorum gradum excellentiorem, id eſt, vt inciperent biduo antè, id eſt, à ſecunda feria. quod vſque in hodiernum diem ab omnibus per totum Oriẽtem (dicam poſtea rationem) apud nos verò per totum Occidentem à Monachis & Clericis regularibus, quos vocant, obſeruatur. ſtatuiſſe autem Theleſphorum Pontificem omnibus Clericis hanc religionem incipiendi ieiuniũ à ſecũda feria ſeptimæ ante paſcha hebdomadæ, ὡς ἐθελοθρησκείαν, id eſt, tãquam ſpontaneũ cultum & non tanquam neceſſaria lege ſancitum, perſpici poteſt ex ipſa Eccleſiæ ſanctæ, & catholicæ conſuetudine

religioſa.exceptis enim Monachis & Clericis regularibus, qui quidem à principio hanc Theleſphori ſanctionē ſuaſoriā receperunt, & religioſa conſuetudine ſemper ſeruarunt.reliquis omnibus liberū eſt à ſecunda feria, aut à quarta, vt ferè omnes ſolent, ieiunium Quadrageſimæ inire.nec vnquam apud nos exprobari,aut reprehendi conſueuit,ſi qui à quarta, & nō à ſecunda feria ieiunare inciperent. Quare conuenit hic dicere,quod ait Ioannes Damaſcenus in libello,quem de ieiuniis ad Cometam ſcripſit, poſtquam enim dixit ſeptem hebdomadis ieiunandum eſſe, idque ſecundū apoſtolicam inſtitutionem, quæ in libro 5. Clementis ſcripta eſt,quæ Quadrageſimæ ieiunium à ſecunda feria inire præcepit,idque viſum eſſe magno quoque Athanaſio ἐν τοῖς ἑορταστικοῖς λόγοις & Petro martyri Patriarchæ Hieroſolymitano, & beato Baſilio in ſermone cōtra ebrios, & Sancto Anaſtaſio Antiocheno ἐν τῷ ὁδηγῷ,ſubiungit: hæc eſt regula & lex Eccleſiæ, quam in ſancta Chriſti Dei reſurrectione ſeruari ſcimus: ſed abundare in bono,& ἐπιδαψιλεύεσθαι τὴν ἀρετὴν, id eſt, & exuberare virtutem, nō eſt improbrandū ſed potius Deo & hominibus prudētibus gratum, ita tamē,vt vis nulla fiat,nec imponatur neceſſitas,ſed ſuaſio adhibeatur,nunc præſertim in hac temporis difficultate. vtrūque enim nunc vtile eſt,& neceſſariū,addere ad bonū, & à violentia abſtinere.deinde ſubiungit: Quis iuberet,vt per vniuerſum vitæ tempus vnum ieiuniū eſſet? Verùm alius eſt modus admonitionis:alius Legiſlationis: ſatis ſunt,quæ ab ſpiritu ſancto ſancita ſunt. νουθετείσθω ἡ προσθήκη τοῦ ἀγαθοῦ id eſt admoneatur accretio, ſiue acceſſio boni. hactenus Damaſcenus. imò in iis etiam ieiuniis, quæ lege præſcripta ſunt, vſque adeò eſt ſuauis lex, & ad infirmitatem noſtram accommodata,vt pro cuiuſque viribus modus ieiunio ponatur, ne corpus debilitetur. Vnde in Eccleſiis catholicorum per cunctum Orientem,& Occidentem alij in pane,& aqua ieiunāt: alij modico vino propter ſtomachū vtūtur: alij piſcibus: alij ſolis herbis, & leguminibus: alij aridis tantum,quod genus ieiunij ξηροφαγία, vocatur: & ex his alij plus,alij minus ſumunt. Alij rurſus vſque

Ioannes Damaſcenus de ieiuniis.

De ieiunio Quadr. à feria ſecū. id eſt, 7. hebdomadis.

Athanaſius.

Petrus Hieroſ.

Baſilius.

Anaſtas. Ant.

hanc Conſtitutionem Theleſphori velut interpretans, iubet cap. 26. vt Sacerdotibus ante Paſchæ ſolennitatē non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur, id eſt, vt non ſit in obligatione legis Quinquageſima, licet ſuadēda ſit, vt quidem Theleſphorus ſuaſit. Quod ſi adhuc Magdeburgenſes, ſeptem iſtas hebdomadas Quadragendialis ieiunationis in epiſtola Theleſphori fictas eſſe putatis, & idcirco epiſtolam negatis, ite ad Eccleſias Orientis, & interrogate eas de ſeptem iſtis hebdomadis, legite veteres patres, cum alios, tum eos, quos Ioānes Damaſcenus paulò ante pro teſtimonio earum produxit. Deinde quia Eccleſiis Orientis, vt eis congruebat, traditum erat à ſanctis Apoſtolis, vt Sabbatis Quadrageſimæ, vno magnæ hebdomadæ excepto, non ieiunaretur, quærit idem auctor Damaſcenus in eodem de ieiuniis libro, quemadmodum ſeruetur ieiunium quadraginta dierum ab Apoſtolis traditum, niſi quinque diebus ieiunetur hebdomadis octo, quas Seuerus Acephalus, Patriarcha Antiochenus, omnino ad ieiunium Quadrageſimæ pertinere, vt idem Damaſcenus auctor eſt, malè contendebat: quas Ariani quoq; tenebāt, vt ex ſancto Anaſtaſio, qui eos refellit, intelligi poteſt. Reſpondet ergo Damaſcenus ad quæſtionem à ſe poſitam, ieiunium eſſe non ſolū παντελῆ ἕωθεν μέχρις ἑσπέρας ἀσιτίαν, ἀλλὰ τὴν τινῶν βρωμάτων ἀποχὴν, id eſt, non ſolum, inquit, ieiunium eſſe, cum ab aurora vſque ad veſperam nihil prorſus editur, ſed etiam cum ab aliquibus cibis abſtinetur: vt ieiunare, inquit dicimur, à vino & carne. deinde ſubiungit: Fortaſſe iubet canon Apoſtolicus quinque diebus hebdomadis ieiunare παντελῆ ἀσιτίαν, id eſt, nihil edendo (ſcilicet ab aurora vſque ad veſperam, vt prius dixit, ita enim intelligendum eſt, vt modo eſt orientalibus Eccleſiis in conſuetudine, vocemus hoc nos plenum ieiunium) duobus verò reliquis duabus hebdomadis, Sabbato & dominico abſtinere à quibuſdā cibis. (hoc vocat Tertullianus in libro contra Pſychicos, portionale ieiunium) cùm enim inquit Damaſcenus, duo certant, & concurrunt, fortius ſuperat, & anteponitur, vt cum lex erat de circumcidendo octauo die, & de quiſ-

cendo die ſabbati, natus in ſabbato, Sabbato circumcidebatur, & lex circumciſionis ſoluebat legem ſabbati: ſic inquit, quia vincit reſurrectio Domini, quæ die Dominico facta eſt, propter reſurrectionem. quæ à veſpera ſabbati coli, & honorari incipit, ſoluitur lex pleni ieiunij in ſabbato. Hãc traditionem Eccleſiæ Orientales, vt eis, ſicuti exiſtimandum eſt, congruebat, à ſanctis Apoſtolis acceperunt: nos verò in Eccleſiis Occidentis aliam accepimus. Huc pertinet, quod ſcribit ſanctus Dorotheus in libro de ieiuniis, viſum eſſe quibuſdam patribus addere vnam aliam hebdomadam ad ſeptẽ, vt ſe ante ieiunium Quadrageſimæ exercerent, & velut ad labores ieiuniorum præpararent. Sed hanc conſuetudinem, quam hodie etiam Eccleſiæ Orientis ſeruant, ſciunt ipſæ non ad neceſſitatem legis de ieiunio Quadrageſimæ pertinere, ſed ad illam ἐθελοθρησκείαν Pauli, id eſt, ad ſpontaneam illam religionem, quæ illis à præpoſitis ſuis propoſita, & ſuaſa, & recepta eſt. Hactenus de ſeptem hebdomadis ieiunij Quadrageſimę, & de earum differentia, & ratione in Eccleſiis catholicis Orientis, & Occidentis, quę conſuetudines ex Apoſtolicis traditionibus profectæ ſancta religione ab initio vſq; in hodiernum diem cum magno fructu ſeruantur, & coluntur. Ipſum verò ieiunium Quadrageſimæ inſtitutum, ac decretum eſſe à ſanctis Apoſtolis, teſtis eſt Apoſtolica conſtitutio à Clemente Romano in libro 5. ſcripta, quæ hodie per omnes Eccleſias catholicorum cuſtoditur, quam eiſdem verbis Ioannes Damaſcenus in eodem libro, quem ſæpe dixi, de ieiuniis recitat. recitat quoque S. Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus ante mille annos, in libro, cui titulus, ὁδηγός. idem teſtatur beatus Chryſoſtomus in homilia de ieiunio primi Paſchæ, de qua ſupra memini. Item beatus Hieronymus in Comment. Eſa. cap. 58. Quadraginta, inquit, diebus Dominus ieiunauit, vt nobis ſolennes ieiuniorum dies relinqueret. Petrus Chryſologus ſermone xi. Quòd quadraginta, inquit, diebus ieiunamus, non humana inuentio, ſed auctoritas diuina eſt. idem affirmant Ambroſius, Auguſtinus, & Leo Magnus, & multi alij, ne omnes enumerem.

Dorotheus de ieiuniis.

Defenſio doctrinæ, quam in epiſtola 1. Clementis & Anacleti 1. reprehendunt Magdeburgenſes, Quòd maiores ſint Epiſcopi, & ſacerdotes, quam Principes, & Magiſtratus ex ſcripturis, & Apoſtolicis conſtitutionibus, & de loco Pauli, Subditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed propter conſcientiam, quam hæretici deprauant.

Caput 9.

REprehendunt præterea Magdeburgenſes in eadẽ epiſtola Theleſphori, quod laicos, inquiunt, à Clericis diſtinguat, propter ſanctitatem cum tamen omnes dicantur, pij in ſcriptura.] Nihil aliud hîc reſpondebo, quàm quod in alio ſimili loco in ſuperiore volumine reſpondi, videri mihi iſtos dicere, quod in Num. Coritæ cum Datan & Abiron aduerſus Moiſem, & Aaron dixerunt: ſufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt dominus, cur eleuamini ſuper populum Domini? ſed recitemus quæ Theleſphorus ſcripſit. Et ſicut Clerici, inquit, amplius ſunt applicati diuinis cultibus, & familiares Domini dicuntur, ita moribus, & conuerſatione, atque ſanctitate debent eſſe diſtincti. Et Clemẽs ſic ait, docuiſſe beatum Petrum, cunctorum ſacerdotũ vitam ſuperiorem ſanctiorémque, atque diſcretam à ſæcularibus, & laicis omnibus eſſe, & ſpirituales quoſque atque ſacerdotes ſuper carnales atque laicos ſemper conſtituendos docebat: eodem verbo vſus eſt Clemens, quo dominus in Euangelio, cum ait, Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiã ſuã. Hæc ergo cum vos Magdeburgẽſes accuſatis, quid aliud dicitis, quam quod impij, ſeditioſi, & ſuperbi Coritæ? illi enim dixerunt, Omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt dominus: vos dicitis, non eſt diſtinctio Clericorum & Laicorum in ſanctitate, quia omnes pij in ſcriptura dicuntur ſancti. Illi dixerunt, cur eleuamini ſuper populum Domini? vos dicitis, Epiſcopi, & Sacerdotes non ſunt ſuper Principes & Magiſtratus. ſtatim enim poſt diſtinctionẽ iſtam ſanctitatis, quam accuſatis, ſubiunxiſtis aliam

Num. 16.

Similitudo Magd. & Coritarum.

Luc. 12.

Num. 16.

accuſationem doctrinæ de maioritate (vt veſtro verbo vtar) Epiſcoporum & Sacerdotum ſuper Principes, & Magiſtratus, de qua Clemens in 1. & Anacletus item in 1. vt vos notaſtis. Clemens ergo in doctrina Petri ſic ait, Epiſcopi, ſi exorbitauerint, ab iſtis, ſcilicet ſæcularibus, ſiue Laicis non ſunt reprehendendi, vel arguēdi, ſed ſupportandi, niſi in fide errauerint. deinde ſubiungit: illi ergo ſuper iſtos ſunt: non iſti ſuper illos, quoniam maior à minore nec argui, neque iudicari poteſt. Nullus ſe extollat erga Doctores & magiſtros ſuos, quia diſcipulus ſuper magiſtrum eſſe non poteſt. Et Anacletus. Omnis, inquit, oppreſſus liberè ſacerdotū, ſi voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, ſed ab his fulciatur, & liberetur. Hæc vos Magdeburgenſes non poteſtis pati, dum cæteros omnes iudicare vultis, & ipſi à nemine iudicari. Quod ſi hanc epiſtolā Clementis ad Iacobum fratrem Domini, quā ſanctus Anacletus citat, in qua hęc beati Petri doctrina fertur, negatis, negate etiam libros eiuſdem Clementis de Apoſtolicis Conſtitutionibus, quibus libris omnes veteres patres vſi ſunt, vt à nobis in libris ipſis copioſè demonſtratum eſt. Eſt ergo ſcripta in ſecundo libro cap. 34. huius doctrinæ apoſtolica traditio, quam omnes Eccleſiæ Orientis, & Occidentis tenent, & ſumma religione ſeruant. Recitemus caput, Nam ſi de parentibus, inquit, ſecūdum carnem, ait diuina ſcriptura, Honora patrem tuum, & matrem, vt bene ſit tibi, & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur, quanto magis de patribus ſpiritualibus verbi Dei moneamur, honore, & charitate eos proſequi, vt beneficos, & noſtros ad Deum legatos? qui nos per aquam Deo regenerarunt: Spiritu ſancto impleuerunt: lacte verbi Dei aluerunt, & doctrinæ alimento nutriuerunt: monitis ſtabilierunt: corpore ſalutari & pretioſo ſanguine nos dignati ſunt: nobiſque peccata remiſerunt, & ſanctæ ac ſacræ Euchariſtiæ participes fecerunt, ac promiſſionis Dei conſortes, & Chriſti cohæredes conſtituerunt. His igitur reuerentiam adhibentes, omni eos genere honoris afficite. ſiquidem hi poteſtatem vitæ, & mortis à Deo acceperunt in iis iudicandis, qui deliquerūt, & in

Apoſtolica Cōſtitutio de excellentia epiſcoporum ſupra principes ſæculi.

Quæ beneficia per miniſterium Sacerdotum eccleſiæ, accipiant homines à deo.

& in damnādis ad mortem ignis ſempiterni,& iis, qui ſe ad rectè viuendum conuertunt,abſoluendis,& viuificandis. Hos exiſtimate veſtros præſides: hos putate reges: his, quaſi regibus, victigalia offerte: eos enim, eorúmque domeſticos alere debetis. Vt enim Samuel in primo de regibus libro de rege alendo ſanxit populo,& Moyſes ſacerdotibus in Leuitico ſic nos vobis de epiſcopis ſancimus. Nam ſi illic populus tanti regis pro viribus ſeruitia, quæ vocant, præſtabat, an non multo magis debet nunc Epiſcopus accipere,quę ſunt à Deo conſtituta ad alendum eum, & Clericos eius? imò ſi amplius aliquid dicendum eſt,plus hic accipiat, quàm ille olim accipiebat, ſiquidem ille militaria tantùm adminiſtrabat,bello,& pace ad cuſtodiam corporis ſuſceptis: hic verò ſacerdotium ad Dei honorē adminiſtrat, vt pericula ab anima, & corpore propulſet. Quanto ergo anima præſtantior eſt,tanto eſt ſacerdotium regno excellentius:Ligat enim, aut ſoluit ſupplicio,vel remiſſione dignos. Quo circa Epiſcopū oportet,vt patrem diligere,vt regem metuere,vt dominum honorare, offerendo ei benedictionem veſtram, fructus veſtros,& opera manuum veſtrarum, tribuendo, inquam,vt ſacerdoti Dei primitias veſtras, & decimas veſtras,primitias frumenti,vini, olei, pomorum,lanæ, & quicquid dominus Deus vobis ſuppeditat, & erit oblatio tua accepta in odorē ſuauitatis domino Deo tuo. Benedicet Dominus operibus manuum tuarum, & multiplicabit bona terræ tuæ,quia benedictio ſuper caput impartientis. hactenus Apoſtolica Conſtitutio. cuius doctrinam, & traditionem omnes Eccleſiæ per cunctum Orientem, & Occidentem ſicut ab initio acceperunt, vſque in hodiernum diem retinent,quæ doctrina non ſolum per ſermonem à ſanctis Apoſtolis tradita eſt, & ab Eccleſiis accepta, ſed per Epiſtolam. cum enim dixit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilāt quaſi rationem reddituri pro animabus ueſtris,non hoc dixit de Principibus ſæculi, & Magiſtratibus, de quibus in Epiſtola ad Romanos, Omnis inquit, anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, in

1. Reg. 8.

Leuit. 7.27 & in aliis locis.

Doctrina in ſcripturis ſanctis tradita de excellentia præpoſitorum ſpiritualium ſupra poteſtates ſæculi.

Heb. 13.

Rom. 13.

quo loco ipſos magiſtratus, & Principes ſæculi ἐξουσίας vocat, id eſt, poteſtates, ſicut beatus quoque Lucas Euangeliſta vocauit, ſed dixit de iis, qui ſunt animis præpoſiti, quos & ſi poteſtatem habeant, non vocat ἐξουσίας, ſed ἡγουμένους, quaſi duces, & præeũtes, ad præpoſitos enim ſpirituales magis pertinet, vt præeãt exẽplo ſicut Apoſtolus ad Timotheum ſcripſit, Exemplũ eſto in verbo, & conuerſatione in charitate, & fide, & in caſtitate: & ſicut beatus quoque Petrus ſcripſit de Epiſcopis, Facti forma gregis, ſcilicet faciendo prius, quod à ſubditis, vt faciant, requirunt, dicentes cum iudice populi Gedeone, Quod me videbitis facere, hoc facite: vt Paulus in epiſt. ad Philippen. Quæ inquit, & didiciſtis, & accepiſtis, & audiuiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite. hoc verò totum ad curam animarum ſpectat, & refertur, pro quibus iſti vigilant, ſicut Apoſt. ait, tanquam rationem reddituri. Magiſtratibus autẽ, & poteſtatibus ſæculi non cura animarum, ſed cuſtodia corporum, vt Apoſtolica conſtitutio ait, commiſſa eſt: nec his pro animarum ſalute vigilare, ſed pro cuſtodia corporum gladium ferre in vindictam malorũ, laudem verò bonorum, commiſſum eſt. Quæro igitur à vobis Magdeburg. putatíſne magiſtratus, & Principes ſæculi fideles ad hegumenos, id eſt, præpoſitos animarum pertinere, an non? ſi non, peiore conditione ſunt quàm reliqui nõ magiſtratus, neque poteſtates ſæculi, neque principes mundi, ſiquidem nõ habeant, qui pro animis eorum vigilent, tanquam rationem reddituri, vt cæteri omnes fideles habent. O miſeros Germaniæ magiſtratus, quorum animas vigiliis paſtorũ, remediis medicorum, cura patrum impoſtores & illuſores veſtri ſpoliant, & nudant: ſin verò pertinent, vt neceſſe eſt cõfiteri, obedire ergo eis, & ſubiacere, ſicut Apoſtolus præcipit, debent: ſunt igitur maiores, maior enim non ſubiacet minori. Præterea cum beatus Petrus obſecrat epiſcopos, vt paſcant gregem, qui in eis eſt, creditíſne in eo grege, quem paſcere iubet, magiſtratus, & poteſtates ſæculi contineri? non credo negabitis. Tenent ergo locum ouium, ex quo rurſus fit, vt ſint ſub poteſtate Paſtoris ſpiritualis. ſunt igitur Epiſcopi

Luc. 12.
1. Tim. 4.
2. Pet. 5.
Iudicum 9.
Phil. p. 4.

Secundum doctrinam Magd. peiore conditione ſunt magiſtratus, & poteſtates ſæculi in Germ. quàm vlli homines alii non poteſtates.

maiores, quàm magiſtratus, & principes ſæculi, ad eóſque omne ius eccleſiaſticarum rerum & cauſarum pertinet. Deinde cum dominus ait in Euangelio Lucę. Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, vt det in tēpore tritici menſuram, negari non poteſt, quin diſpēſator iſte, ſpiritualis diſpenſator ſit, non ſæcularis: Eccleſiaſticus, & non Ciuilis. Diſpenſator enim ſpiritualis in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, menſuram tritici familiæ Chriſti in tempore diſtribuit, nè laborent fame audiendi verbum Dei, ſicut dominus minatus eſt Iudæis per Prophetam Amos cùm ait. Ecce venient dies, dicit dominus, & mittam famē in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiēdi verbum Domini. Hoc enim, inquit Cyrillus hunc locum interpretans, clariſſimè cernitur in Iudæis, qui non habent prophetam, aut magiſtrū, qui ſciat craſſitudinem hiſtoriæ detrahere, & eruere myſteria latētia ſub littera, nō enim admiſerunt Chriſtum dicentem, Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi, Vnde per Eſaiā aiebat, Ecce ſerui mei comedent: Vos autem eſurietis. Serui mei bibent: Vos autē ſitietis. Hactenus Cyrillus: doctrinam itaque verbi, cui Epiſcopi, & ſacerdotes miniſtrant, vocat mēſurā tritici: quæ accōmodanda eſt ad vſum, ac neceſſitatem eorū, qui non vno modo, & ratione omnes paſcendi ſunt. Aliis enim eſt opus lacte, aliis ſolido cibo, qui eſt perfectorum, ſicut Apoſtolus ait. In tēpore autē eſt adhibenda doctrina verbi, quæ eſt inſtar menſuræ tritici, quia eſt, vt ait Eccleſiaſtes, tēpus tacendi, & tempus loquendi. Et in Eccleſiaſtico ſcriptū eſt, vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonē. Illud præterea oſtendit, huiuſmodi diſpenſatorē, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam ad dandum in tempore tritici mēſuram, non eſſe ciuilem, ſed eccleſiaſticum, quod difficilis & ardua res ſit vt dominus teſtatur huiuſmodi diſpenſatorē fidelē, & prudentē reperire: hoc enim ſignificat ſecundū idioma ſcripturæ, quod percōtando ait, Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudēs, quē cōſtituit dominus? quod apertius dictū eſt in Prouer. Virū fidelem opus inuenire, id eſt, difficilè, & arduum, hoc

Quomodo dominus in euangelii parabola docuerit epiſcopos, & ſacerdotes conſtitutos eſſe ſuper principes, & magiſtratus.

Am. 8.

Eſod. 3.

Eccle 3.

Eccle. 31.

Prouer. 20.

enim ſignificat hoc loco ἔργον, id eſt, opus, quod, vt in alio loco dixi, notauit. Iſidorus Peluſiota in epiſtola ad Palladium diaconum. At diſpenſator ciuilis, fidus, & prudens, id eſt, præfectus ciuitati, aut prouinciæ, qui fideliter, ac prudẽter legibus eam moderetur & regat, non ita difficilis inuentu eſt: ſiquidem ſola ratio homini inſita de eo, quòd vnuſquiſque vult non affici iniuria, omnes docet, nec alios iniuria afficere oportere. Hinc enim extiterunt multi filij huius ſæculi in generationibus ſuis fidi, & prudentes ciuitatum inſtitutores, ac legiſlatores, tametſi veritatẽ, quam ſolus Deus docet, qui eſt verus magiſter, non cognouiſſent. Hanc enim, vt de philoſophis Gentilium, beatum Petrum dixiſſe Clemẽs ſcribit, ab alio, qui eorum ſimilis eſſet, diſcere non potuerunt, πλὴν πολιτείας, inquit, μόνης καὶ ταύτης, ἐκείνης διὰ τὸ εὔλογον γνωρισθῆναι δυναμένης, ἥτις ἑκάστῳ ἐκ τοῦ μὴ θέλειν ἀδικεῖσθαι, τοῦ μὴ δεῖν ἄλλον ἀδικεῖν τὴν γνῶσιν παρίστησι. id eſt, præter ſolam illam politiam, quæ propter rationis conuenientiam cognoſci poteſt, quæ vnicuique hoc ipſo, quòd iniuriam pati nõ vult, indicat, non eſſe aliis iniuriam faciendam. Imò & Paulus ſæcularia iudicare facilè eſſe indicauit, ex quo fit, vt non ſit difficile reperire, qui fideliter & prudenter præſint ciuitatibus, & prouinciis, quæ legibus ſæculi gubernandæ ſunt: vt quidẽ difficile reperire, qui vt oportet eccleſiæ præeſſe poſſit. in qua adminiſtranda planè neceſſaria eſt ſpiritualis prudentia ad diiudicandum omnia, & fidelitas erga Deum, qui ei familiam ſuã cõcredidit: & eum domui ſuæ ad diſpenſanda ſacramẽta præfecit: deditque ad diſpenſandum chariſma poteſtatis, & doctrinæ, quæ omnia Apoſtolus vocat depoſitũ cum ad Timoth. ſcribens, bonum depoſitum, inquit, cuſtodi. nemo autem ignorat, quanta fidelitate opus ſit ad cuſtodiendum depoſitũ. Vnde propheta Eſ. eos, qui alios docent, quæ ad ſalutem animæ pertineant, cuiuſmodi ſunt, qui eccleſiis præſunt, cuſtodes vocat, cum ait, Quoniã vox cuſtodientium exaltata eſt. Obſeruauit hoc quoque idem Cyril. Ac rurſus idem propheta Somnam Pontificem, qui in iis, quæ ad Deum pertinebãt, ſummo ſacerdotio præerat, ταμίαν, vocat, id eſt,

Quomodo parabola de diſpẽſatore fideli, & prudenti conſtituto ſuper familiam domini non poſſit accipi de laico diſpenſatore.

1. Cor. 6.

1. Tim. 1.

Eſa. 52.

Eſa. 22.

cuſtodem, eorum ſcilicet, quæ fidei eius tanquam depoſitum cõmiſſa erant, nempe præcepta, cærimoniæ, totúſque Dei cultus. Cùm igitur diſpenſator, is qui in hac parabola Euangelij Lucæ conſtitutus eſt ſuper familiam domini, non poſſit intelligi conuenienter ſcripturæ ſanctæ, & rationi, diſpenſator ſæcularis, ſiue ciuilis, ſeu ſpiritualis, & eccleſiaſticus, percontemur Magd. & cæteros Lutheranos, an ſuos principes ſæculi, & magiſtratus, atq; optimates ciuitatũ ad familiam domini pertinere cõcedant: Ecquis dubitet conceſſuros? Sunt ergo diſpenſatores eccleſiarũ cõſtituti ſuper eos: & quod Clemẽs ſcribit docuiſſe beatũ Petrũ, ſpirituales quoſque atque ſacerdotes ſuper carnales, atque Laicos ſemper cõſtituendos eſſe, mirificè facit cum parabola euangelica de diſpenſatore conſtituto ſuper familiã domini. quod iã oſtenſum eſt nõ poſſe de laico accipi ſed de epiſcopo, vel ſacerdote. Quid ergo obiiciunt nobis in epiſtolã Apoſtolici Pont. Centuriatores de maioritate epiſcoporũ vel ſacerdotũ in principes, & magiſtratus? aut enim non ſunt ex familia domini principes, & magiſtratus: aut ſi eſſe volunt, cum ſit cõſtitutus à domino ſuper eos diſpenſator eccleſiæ, erit maior eis: minor enim nõ eſt cõſtitutus ſuper maiorẽ. Quod ſi diſpenſator iſte ſuper familiã domini cõſtitutus non fuerit fidelis & prudens, vt hic quoq; Magdeburgenſibus, & cæteris Lutheranis occurramus, nihilo à nobis minore honore afficiendũ eſſe, quàm ſi eſſet talis, dominus in Euangelio docuit, & monuit nobiſque ita facere præcepit, cum dixit, ſuper cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & phariſæi, quæcunque dixerint vobis: ſeruate, & facite, ſecundum opera eorũ nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Nõ enim hoc propter Moyſem tantum dixit, ſed propter noſtros etiam epiſcopos teſtatur hoc quoq; id quod Clemens ſcribit ex ſermone beati Petri in ordinatione Zachæi epiſcopi Cæſaręæ, cũ hortans Petrus ad honorandũ epiſcopũ, Audite, inquit, epiſcopũ veſtrũ: & ne pigeat omnem ei honorẽ adhibere, nõ ignaros, quod ei præſtatis, Chriſto præſtari: & quod hac occaſione Chriſto præſtatis, ad Deũ referri, & ei qui præſtiterit, multo amplius red-

Quomodo nihilo minus conſtitutus ſit ſuper familiã domini diſpenſator non fidelis, neque prudens, quàm fidelis, & prudens.

dendum eſſe. deinde ſubiungit: θρόνον οὖν τιμήσετε, ὅτι καὶ μωυσέως καθέδραν τιμᾶν ἐκελεύσθητε κἂν οἱ προκαθεζόμενοι ἁμαρτωλοὶ νομίζωνται, id eſt, thronum ergo Chriſti honorate, quia, & Moyſis cathedrã honorare iuſſi eſtis, quamuis qui ſederent, peccatores eſſe exiſtimarentur. Hæc Clemens ex ſermone, ac ſententia Petri. Itaque epiſcopi ſunt noſtri Euangelici Moyſes, & Aarones. ſicut enim illi in vetere hierarchia, ita hi ſunt primi, & ſummi in ſacerdotibus in noua: quibus rurſus vnus præeſt totius hierarchiæ caput, qui eſt Petri principis Apoſtolorum ſucceſſor, ſicut erat Moyſes hierarcharũ legis primus myſta, & dux, vt Dionyſius Areop. in eccleſiaſtica hierar. cap. 4. ait. hoc enim ratio concordiæ, omnino poſtulabat: vt ſicut erant ſuper ſingulas eccleſias tãquam ſuper ſingulas familias Chriſti ſinguli diſpenſatores cõſtituti, quibus ſua cuique familia obediret, vt cõcors eſſet, ſic ſuper vniuerſos diſpenſatores eſſet vnus itẽ conſtitutus, cui omnes diſpenſatores, & familiæ domini eis cõmiſſæ obedirent, vt eſſet hac ratione monarchię, vna omnium ceu membrorũ vnius corporis compago, & concors coniunctio: & non eſſet ſchiſma. Sic quoque idẽ Clemens ſcribit docuiſſe beatum Petrum, cum Zachæum de quo paulò ante dixi, epiſcopum ordinare vellet, ſic enim ait, τὸ οὖν πλῆθος τῶν πιστῶν δεῖ ἑνί τινι πείθεσθαι, ἵνα οὕτως ἐν ὁμονοίᾳ διατελεῖν δυνηθῇ, τὸ γὰρ εἰς ἀρχὴν μιᾶς λήγειν ἐξουσίας μοναρχίας εἰκόνι, τοὺς ὑπακούοντας αὐτῇ εὐταξίας εἰρήνης ἀπολαύειν τίθησι. τὸ δὲ πάντας φιλαρχοῦντας ἑνὶ μόνῳ ὑπείκειν μὴ θέλειν καὶ αἰτίαν διαιρέσεως πάντως καὶ πτώσεως ἔχουσι, interpretemur nos totidem verbis, ſi poſſumus, Opus, inquit, eſt multitudinẽ fidelium vni parere, vt hoc modo poſſit in concordia perſiſtere: quod enim deſinit in principatum vnius poteſtatis ad ſimilitudinẽ monarchiæ, facit, vt qui ei obediunt, propter conſeruationẽ ordinis pace fruantur. Contra verò nolle vni obedire cupiditate imperandi, cauſa plane exiſtit, & diſcordiæ, & ruinæ. eſt itaque in ſingulis eccleſiis, ſiue familiis domini, quæ ſuos habent diſpenſatores, ſimilitudo, & imago quędã monarchiæ: expreſſa verò, & integra monarchia in vna eccleſia catholica, quæ vniuerſam familiã domi-

Quæ neceſſitas, & vtilitas eccleſiaſticæ monarchiæ.

Quæ ſit, & vbi ſimilitudo, & imago Monarchiæ, & quæ & vbi expreſſa tota Monarchia.

ni continet, cuius partes ſunt illæ ſingulæ, ſuper quá conſtitutus eſt vnus diſpenſator œcumenicus Pontifex Rom. denique quo loco haberi debeant epiſcopi, & ſacerdotes, quos Lutherani centuriatores maiores eſſe principibus, & magiſtratibus non patiuntur, & ob eam cauſam inter alias, epiſtolam Clementis, & Anacleti negant, quo magis iſtos erroris ſui pudeat, Apoſtolica conſtitutio de exemplo Gentilium docet. Sed recitemus conſtitutionem, quæ in ſecundo libro cap. 28. ſcripta eſt: Si cultores, inquit, Dæmonum in illis ſuis ſceleratis, & deteſtabilibus atque impuris ſacris offenſione Dei plenis vſque in hunc diem ſancta imitantur, vt tametſi quæ execrabilia ſunt, ab iis, quæ ſunt ſancta, & religioſa, comparatione quidem longiſſimè diſtent, tamen in ſuis illis ludibriis ſine execrabili ſacerdote offerunt nihil, nec efficiunt, imò illum os ſtatuæ lapideæ putant, expectantes, quid eis facere iubebat, idque faciunt, & abſque eo faciunt nihil: honoremque illi habent, & eius nomen venerationem habere exiſtimant, idque ad honorem ſtatuarum anima carentiũ, & ad cultum malorum ſpirituum, ſi illi inquam, vaná & confictam opinionem habentes, ac nulla ſpe firma ſubnixi, ea tamen, quæ ſanctitatem & religionem habent, ſtudent imitari, quãto iuſtius eſt, nos, quorum fides clariſſima eſt, & ſpes vera, qui promiſſum præclarum, & ſempiternum, & quod fallere non poteſt, expectamus, per eos, qui nobis præſunt, honorem Deo deferre, ita vt epiſcopos os Domini eſſe arbitremur. Hactenus apoſtolica conſtitutio. Quanto igitur vos peius, quàm gentiles idolorum cultores, agitis, qui nomen ſacerdotis eccleſiaſtici, Dei, & ſacrorum eius miniſtri, omni dedecore, & contumelia afficitis: & epiſcopos ac reliquos ſacerdotes magiſtratibus, & poteſtatibus ſæculi ſubiicitis: ad eáſque omne ius eccleſiarum & eccleſiaſticarum rerum ac miniſteriorum ſacrilege rapitis. Hanc conſtitutionem ſecutus, & hoc eodem exemplo ex gentilium falſa religione ſumpto vſus beatus Gregorius ad Mauritium Imperatorem ſic ſcripſit, admonens eum de dignitate ſacerdotali, & de honore ſacerdotibus ab Imperatore

Apoſtolica cõſtitutio de honore tribuendo epiſcopis.

Peiores Magd. & cæteri Luth. in Sacerdotes Dei altiſſ. quã Gentiles in ſacerdotes idolorum.

tribuendo, Sacerdotibus autem non ex terrena poteſtate dominus noſter citiùs indignetur, ſed excellenti cõſideratione propter eum, cuius ſerui ſunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nã in diuinis eloquiis ſacerdotes, aliquando dij, aliquãdo Angeli vocantur. Nam & ad Moyſem de eo, qui ad iuramentum deducendus eſt, dicitur. Applica illum ad Deos, id eſt, ſacerdotibus: & Propheta ait: labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, id eſt, iuſtitiam: & legem exquirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituũ eſt. Quid igitur mirum, ſi illos veſtra pietas dignetur honorare, quibus in ſuo eloquio honorem tribuens, eos, aut Angelos, aut Deos ipſe etiam appellat Deus? Vos verò Magdeburgenſes & cæteri Lutherani, quomodo appellare ſoliti ſitis, id eſt, quam contumelioſè, & blaſphemè, ego propter reuerẽtiam & honorem aurium non dicam, vos ſcitis, & ſciunt omnes veſtri. Subiũgit deinceps Gregorius, eccleſiaſtica quoque hiſtoria teſtatur, quia cùm piæ memoriæ Conſtãtino principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem, qui accuſati fuerant, Epiſcopos conuocans, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens, Vos Dij eſtis à vero Deo conſtituti: ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignum non eſt, vt nos iudicemus Deos. in qua ſententia ſibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præſtitit ex reuerentia impenſa. antea quippe Pagani in Repub. principes fuerunt, qui verum Deum neſcientes, deos ligneos, & lapideos colebant, & tamen eorum ſacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum, ſi Chriſtianus Imperator veri Dei ſacerdotes dignatur honore, dum Pagani, vt prædiximus, principes honorem impendere ſacerdotibus nouerunt, qui diis ligneis & lapideis ſeruiebant? Deinde ne quis bonos ſacerdotes honorandos eſſe putaret, malos cõtra, non honorandos, ſubiungit ſanctiſſimus, & ſapientiſſ. Pontifex Gregorius: Hæc ergo non tantùm ſpecialiter quantũ generaliter pro omnibus aſſerimus ſacerdotibus, quoniã adhuc neſcimus, quis in terribili iudicio

Exod. 22.

Dei qualis futurus ſit. Etenim Paulus egregius prædicator dicit, Nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniat Dominus, & reliqua, nam ſunt multa, quę de iudicio illius homines ignorant, quia fortaſſe, quæ vos laudatis, ille reprehendet: & quæ vos reprehēditis, ille laudabit, Hactenus Greg. Satis ex his paucis, quæ hactenus dicta ſunt, cōſtare poteſt, vtrū ſe dominos Principū faciant epiſcopi, vt omnes Lutherani, apud populos, quos decipiunt, fingere ſolent: an potius ſuperiores eos conſtituerit Deus, ſuperiores dico in iis omnibus, quæcunque ad ſalutem, & curam animæ pertinent, cui ſeruire debet corpus, & quæcunque ad cuſtodiam corporis pertinent, vt Principes & poteſtates ſæculi carnis tantùm cuſtodiæ præſunt, cui quia anima tanquam miniſtræ, dominari debet, conſequens eſt (vt diuina & naturalis lex docet) vt cui commiſſa eſt cura ac cuſtodia dominæ, ſit etiam ancillæ in iis ſcilicet, quæ ad cultum Dominæ ſanctum & ſpiritualem, qui in virtutum ſtudio, & ornatu ſitus eſt, ſpectant. Sed non commeat retro, vt cui ſit commiſſa cuſtodia ancillæ, ſit etiam & dominæ. Nullos ergo principes & reges agnoſcunt epiſcopi? imò maximè. Qui enim dixit, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, de poteſtatibus ſæculi loquebatur: & neminem excepit, quin debeat agnoſcere poteſtatem ſæcularem in iis ſcilicet, quæ illis mandata, & commiſſa ſunt, id eſt, in ſæcularibus negociis, quibus implicari vetantur Clerici, ſicut Apoſtolus, Nemo inquit, militans Deo, implicat ſe negociis ſæcularibus, vt placeat ei, qui ſe delegit. idcircò magiſtratus ſæculi iudices ſunt, & cognitores cauſarum ſæcularium, & eos in eiuſmodi cauſis adire oportet, eiſdemq; in eorum iuſtis iudiciis parere: Sunt itaque vtriuſque poteſtatis, & ſpiritualis, & ſæcularis officia actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis diſcreta, vt Magnus Nicolaus, Pontifex eruditiſſimus ad Michaëlem Imperatorem de diſcrimine poteſtatis Imperatoriæ, & Pontificalis diſſerens ſcripſit. ita vt, & ſæculares poteſtates pro æterna vita, vt ille ait, ſpiritualibus poteſtatibus indigerent & ſpiritualis poteſtas pro curſu temporalium tantummodo rerum, magiſtratuum, ac poteſtatem le-

1. Cor. 4.

Non ſe faciunt epiſc dominos principum ſæculi, ſed dominus eos cōſtituit ſuper illos in iis, quæ ad ſalutem pertinent.

Poteſtatibus ſæculi cuſtodia tantùm corporum ſecundum Apoſtol. conſtit. commiſſa eſt.

Rom. 13.

2. Tim. 2.

De diſcrimine poteſtatis ſæcularis, & ſpiritualis ex magno Nicolao.

gibus vteretur, vt ſic, inquit, militans Deo, minimè ſe negociis ſæcularibus implicaret: neque rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus: & modeſtia vtriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur. Sed Magdeburg. & cæteri Lutheranorum præceptores omnia confundunt, & perturbant. vt illud hoc loco de poteſtatibus ſæcularibus, quod Apoſtolus ait, Ideóque neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ita prauè intelligunt, vt tradant non obligari peccato eos, qui poteſtatibus ſæcularibus non obediunt, ne ſi contrariũ ſemel ab eis concedatur, ſimul etiam, vt conſequens eſt, concedendum ſit, peccato quoque conſtringi eũ, qui poteſtatibus ſpiritualibus, earúmque legibus non obediat: quod quidem nihil aliud eſſe dicunt iſti quàm dominatũ, & tyrannidem in conſcientias exercere, vt nuper in quodã Auguſtino Marlorato ſcripturarum interprete Caluiniano, legi. Sed videamus, quid hoc ſit apud Paulum, Sed etiam propter conſcientiam: conferamúſque alios locos ſcripturæ, vt cum ait Apoſtolus. Si quis autem dixerit, hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conſcientiam: conſcientiam autem dico non tuam, ſed alienam. Scilicet iubet Apoſtolus abſtinere idolothyto, cum ſcandalum impendet fratri: eſtque periculum, ne vel idolothytum ipſe edat ſuperſtitioſè, quaſi ſit aliquid idolothytum, ſi nos videat edere: vel etiam ſi nõ edat, credat tamen aliquid eſſe, atque ita peccet ſeruiens errori. Item cùm ait Apoſtolus, finis præcepti eſt charitas de corde puro, conſcientia bona, fide non ficta, cõſcientiam bonam vocat eam, quæ non reprehendit nos, id eſt, cum nihil mali nobis cõſcij ſumus: cùm enim aliquid malè agimus, reprehendit, & accuſat. quæ etiam in futuro ſæculo arguit, ſicut Apoſtolus de futuro iudicio loquens: Teſtimonium, inquit, reddente conſcientia ipſorum, &c. Hæc eſt, quam ſcriptura ſancta vocat aduerſarium, quod ſemper aduerſetur malæ voluntati, vt ſanctus Dorothæus in libro de conſcientia notauit.

Rom. 13.

Locus Pauli de obediendo poteſtatibus ſæculi non ſolùm propter iram, ſed propter conſciẽtiam, à Luth. malè intelligendo deprauatus.

1. Cor. 10.

Tim. 1.

Rom. 2.

Vnde propheta Oſeas,oppreſſit,inquit,Ephraim aduer ſarium ſuum] & quaſi interpretans quod dixerat, ſubiungit: & conculcauit conſilium ſuum] & Dominus in Euangelio Prophetam imitatus, Eſto,inquit,conſentiens aduerſario tuo,dum es in via.præcipit ita viuere, vt conſcientia, ſiue cor, ſicut ait beatus Ioannes, non reprehendat nos:tunc enim reprehendit, cum peccatū commiſimus. Cum ergo iubet Apoſtolus obedire poteſtatibus ſæcularibus propter conſcientiam,ideo obedire iubet,ne non obediendo, peccatum admittamus, de quo nos conſcientia noſtra accuſet: & fiduciam apud Deum amittamus impetrandi quod petierimus, ſicut beatus Ioannes nos docet. Obligant igitur conſcientiam leges poteſtatum ſæcularium in Chriſto. Ex quo rurſus ſequitur, vt multò etiam magis obligent leges ſpirituales eorum, qui eccleſiaſticam habent poteſtatem. hoc quoque ſcribit Clemens beatum Petrum docuiſſe,cum Zachęo non quidem defugienti opus,& laborem gubernandi eccleſiam, ſed recuſanti, ne præeſſe diceretur,ſcribit dixiſſe, εἰ δὲ παντελῶς οὐ θέλεις γνωσθῆναι ὅτι ἐξουσίαν διοικήσεως ἔχεις. ἀγνοεῖν μοι ἔοικας, ὅτι ἡ ὁμολογουμένη τοῦ προκαθεζομένου ἐξουσία πολύ τι δύναται πρὸς δυσωπίαν τοῦ πλήθους, ὡς γὰρ εἰληφότι τὴν ἐξουσίαν ἕκαστος πείθεται ὡς μεγάλην ἀνάγκην τὴν συνείδησιν ἔχων. id eſt, ſin verò prorſus non vis ſciri, quòd poteſtatē habeas gubernationis,videris mihi neſcire,ad continendū in metu,& pudore multitudinem multum valere poteſtatem præpoſiti manifeſtā. vnuſquiſque enim ei qui poteſtatem accepit,obtemperat, quippe cum magnam obtēperandi neceſſitatem conſciētia imponat.hæc eſt,teſte, & auctore Clemente,beati Petri de ſpirituali, & eccleſiaſtica poteſtate ſententia.de ea enim loquebatur. Nō igitur cum nos hanc eius vim obligandi tradimus,dominatum & tyrannidem, vt iſti dicunt, in conſcientias exercemus,ſed ipſi potius quod à Paulo Apoſtolo ſcriptum eſt,ad ſuam, & aliorum perditionem more ſuo deprauant. quod quidem eis non eueniret, ſi veterum patrum interpretationes ſequi,& ſcripturas ſcrutari, & conferre vellent.Sed de his ſatis.Pergamus ad aliud caput accuſationis iſtorum..

Oſe.5.
Mat.5.
Luc.12.
Cur Apoſt. iubeat obedire poteſt. ſæculi propter cōſcientiā.
1.Ioan.3.

Defenſio doctrinæ in epiſtola Euariſti de matrimonio non diſſoluendo per fornicationem Euangeliſtis cum Paulo collatis, & Apoſtolico canone, ac pluribus conciliis, & patribus cum ſcriptura conſentientibus.

Cap. 10.

ET Euariſtus, inquiunt, Epiſtola 2. Mulierem viro, ſi adulterium admiſit, iubet reconciliari, aut manere innuptam, cum tamen Paulus parti innocenti permittat ius nuptiarū. 1. Cor. cap 7. hæc iſti.] Sed quibus verbis, quoúe loco huius capitis 7. & quomodo hoc dicat Paulus, nihil amplius explicant Magdeburgenſes. Satis eſſe putarunt, ſi dicerent, Paulus parti innocenti ius nuptiarum permittit: ſciunt enim quibus illudant. Sed cum hoc ipſum caput 7. epiſt. ad Corint. Euariſtus quoque citet ad probandum contra, non permitti ius nuptiarum parti innocenti, debebant potius, qui contradicunt, redarguere eum ex ſcripturis, aut ſaltem producere auctoritatem veterum patrum, qui ſic, vt ipſi nunc, ſcripturam Pauli, vel Euangelij interpretati eſſent, ne ipſi ſoli hoc dicere viderentur, iidem iudices & teſtes, vt ſemper ſolent. Sed diſſimulemus iſta: & nos, qui veritatem defendimus, matrimonium non diſſolui fornicatione, ita vt aliam ducere parti innocenti liceat, non contenti auctoritate veterum patrum, qui hoc ſemper tradiderūt, tametſi ſatis hoc erat, doceamus prius, & demonſtremus ex ſcripturis ſanctis, quas iſti ſemper appellant, & vanè iactant, qui ex verbo Dei, quod ſemper reſonant, verbum ſuum, id eſt, Caluini aut Lutheri ſuis falſis interpretationibus fecerunt. Sed priuſquam hoc aggrediar, admonebo prius, cur Magdeburgenſes tanto ſtudio laborent, vt iſta ſua accuſatione auctoritatem huius epiſtolæ apud ſuos, quos decipiunt, euertant. Scilicet quia huius epiſtolæ doctrina, quam ſanctus Euariſtus à Patribus, id eſt, à ſanctis Apoſtolis, accepiſſe ſe dicit, Lutheranorum eccleſias, verius ſynagogas de adulterio condemnat. Nam ſicut vxori, inquit, non licet dimittere virum ſuum, vt alteri ſe, viuente eo, matrimo-

Cur Magd. tantopere laborent vt auctoritatem epiſtolæ Euariſti euertant.

nio ſociet,aut eum adulteret, licet fornicatus ſit vir eius, ſed iuxta Apoſtolum, aut viro ſuo reconciliari debet,aut manere innupta,ita Eccleſiæ non licet dimittere,aut ab ea ſegregare epiſcopum ſuum,vt alterum,eo viuẽte,accipiat:ſed aut ipſum habeat, aut innupta maneat,id eſt,ne alterum epiſcopum,ſuo viuente, accipiat,ne fornicationis,aut adulterij crimen incurrat.Nam ſi adulterata fuerit,id eſt, ſe ſe alteri epiſcopo iunxerit, aut ſuper ſe alterum epiſcopum adduxerit, aut eſſe fecerit,vel deſiderauerit, per acerrimam pœnitẽtiam aut ſuo reconcilietur epiſcopo, aut innupta permaneat. Hactenus Euariſtus.Hoc ſe crimine Lutherani omnes obſtrinxerunt, cum epiſcopis, & ſacerdotibus eiectis, in eorum locum ſuperintendentes ſuos, & miniſtros, vt ipſi vocant,ſubſtituerunt, cum quibus ſpiritualiter fornicarentur. Hoc nunc crimen depellere nituntur Magdeburgen. cum parti innocenti ius nuptiarum à Paulo permitti,falſò tradunt.Sed aggrediamur, quod nobis propoſitum eſt.Quia igitur,quod eſt apud Matthæum cap. 19. paulò obſcuriùs ſcriptum videri poterat,idcirco, alij Euangeliſtæ conſecuti, tanquam eius loci interpretes, Marcum dico, & Lucam, parentheſi illa exceptæ fornicationis, quæ obſcuritatem loco adferebat, prætermiſſa, totam ſententiam explanarunt, cum ſimpliciter dixerunt,Qui dimiſerit vxorem,& aliã duxerit,mœchatur, aut mœchatur ſuper eam: quod omnino verum eſt: atque hoc erat tãquam explanatiùs, & ſimpliciùs dictum ad interpretationem illius loci Matthæi adhibendum, quibus paulò obſcurior eſſe videbatur. Prætereà, quod idem Matthæus paulò ſuprà ſcripſerat, Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet, non quidem exiſtimandum erat cum eo diſcrepare,quod paulò pòſt idem ſcripſit,Quicunque dimiſerit vxorem ſuam(niſi ob fornicationem)& aliam duxerit,mœchatur:quin potius ad explanationem eius valebat,vt ſimpliciter,& omnino intelligeretur,non licere alteram ducere propter fornicationem prioris dimiſſæ,alioqui iam quod Deus coniunxiſſet, homo ſepararet: atque ita id quod paulò ſuprà Dominus ſimpliciter dixiſſet,quod Deus coniunxit,homo non ſepa-

Demonſtratio ex ſcripturis inter ſe collatis, Matrimonium non diſſolui fornicatione.

Matt. 19.

ret, cum eo diſcreparet, quod paulò pòſt dixit in exceptione fornicationis. Sed videamus iam, quid de hoc Apoſtolus explicauerit. Is enim de matrimonij lege ſcribens, ac docens, Matthæum quoque interpretatur cum duobus item Euangeliſtis conſecutis planè conſentiens, ita vt vna eadémque ſit horum quatuor mens & ſenſus.

Vna mens, & ſenſus quatuor Euang. & Pauli de non diſſoluendo matrimonio propter fornic.

Mulier, inquit, proprij corporis poteſtatem non habet, ſed vir: Similiter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. ergo, vt vxor libera non eſt ad nubendum cui velit, niſi prius dormierit vir eius, vt idem Apoſtolus ait: ſimiliter neque vir liber eſt ad ducendum alteram ante mortem prioris. Quod ſi pars innocens libera eſt, & non altera pars, ergo non ſimiliter poteſtatem habet corporis viri ſui mulier, vt habet vir corporis vxoris ſuæ: ſed potius altera pars minorem poteſtatem habet, ſiquidem parti innocenti, vt Magdeburgenſes volunt, liberum ſit ius nuptiarum ante mortem alterius.

Error Magde. & aliorũ, quòd matrimonium fornicatione diſſoluatur, ortus ex ignorantia virtutis verborum Pauli.

Verum hoc eſt, quod iſti non intelligunt, quemadmodum mulier poteſtatem habeat corporis viri ſui, poſtquam dimiſſa eſt ob fornicationem: aut vir poteſtatem corporis vxoris ſuæ, ſi vxor à viro propter fornicationem eius diſceſſit: intelligerent autem, ſi ſcripturæ verba, & virtutem verborum eius intelligerent. Etenim vir dimittens vxorem ob fornicationem, domo tantùm illam excludit (id quod verbũ ipſum Græcum ἀπολύειν, quo ſcriptura vſa eſt, vulgari conſuetudine ſermonis Græci ſignificat, vt à veteribus linguæ Græcæ magiſtris notatum reperi, pro quo vſus eſt Paulus verbo ἀφιέναι, non autem ſoluit iugum matrimonij, id quod verbum λύειν ſignificat, quo idem Apoſtolus in hac ſignificatione vtitur, vt cum ait, Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem, non dixit, ἀπόλυσιν, id eſt, dimiſſionem, ſciebat enim licere dimittere propter fornicationem: ſed dixit, noli quærere λύσιν, id eſt, ſolutionem. Itaque priuat ſe vir vſu tantùm excluſa vxore propter fornicationem, non autem poteſtate. nihil enim poteſt omnino ſeparare fideles in vnam carnem alligatos, præter mortem. Similiter mulier diſcedens à viro propter fornicationem eius, priuat ſe conſuetu-

dine miſcendi corporis cum marito, non autem poteſtate corporis mariti, ita vt neutra pars libera à lege matrimonij contracti remaneat, altera adhuc viuente. *1. Cor. 7.*
Mulier enim alligata eſt legi, ſicut Apoſtolus ait, *Rom. 7.*
quanto tempore vir eius viuit: quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege, nubat cui vult. quod ſimiliter in viro intelligendum eſſet, vt ſcilicet vir alligatus ſit legi, quanto tempore vxor eius viuit: quod ſi dormierit vxor eius, liberatus ſit à lege, vt ducat, quam velit, ſatis docuit idem Apoſtolus, cum paulò ſuprà dixit æqualiter de vtroque coniuge, mulier non habet poteſtatem corporis ſui. ſed vir: ſimiliter autem & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vxor. at non moritur vir morte corporis, fornicando, vt per fornicationem eius tanquam per mortem maneat libera vxor, vt Magdeburgenſes in ſchola Montani Principis Cataphrygarum, qui matrimonia ſoluere docebant, didicerunt. *Magd. in ſchola Montani eruditi.* Præterea manifeſtum eſt, hunc fuiſſe ſcopum Domini, cùm præcepit, ſicut Apoſtolus teſtatur, mulierem à viro non diſcedere: aut ſi diſceſſerit, manere innuptam, ſcilicet, vt omnibus modis τὸ ἄῤῥηκτον, vt Theodoretus ait, id eſt, inſolubilitas, vt ita dicam, matrimonij conſeruaretur, ita vt ſi accideret, vxorem excludi ac dimitti propter fornicationem, tamen quia non poſſet, excluſa, ac dimiſſa, alteri nubere, daret operam quocunque modo honeſtè poſſet, vt cum viro in gratiam rediret. Quod ſi hic parti innocenti, id eſt, viro permiſſum eſſet ius nuptiarum cum altera ſecundum doctrinam, vel potius commentum Magdeburgenſium, fruſtrà eſſet hic ſcopus Domini & Apoſtoli eius Pauli. quomodo enim vxor fortaſſe iam pudica facta, poſſet redire ad priorem virum, qui iam alteram duxiſſet? Deinde cùm in vno loco, & cauſa voluit Apoſtolus licere, viuente vxore, alteram ducere, aut viuente viro, alteri nubere, tunc ſcilicet, cum infidelis cõiunx à fideli coniuge diſcedit, ſubiungit, ¡Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi; in huiuſmodi dixit, vt intelligamus, in cæteris quidem ſubiectum eſſe ſeruituti fratrem, aut ſororẽ: ita vt neutra pars fidelis, altero viuente, alio matrimonio co-

pulari poſſit,ſiue innocens ſit,ſiue nõ. Verùm quia exceptio illa fornicationis apud Matthæum,paulò obſcurior,vt dixi,ac difficilior videri ſolet, doceamus rurſus Magdeburgenſes, qualis ſit, ſi fortè intelligere voluerint. Dixerat Dominus apud Matthæum,Qui dimiſerit vxorem excepta cauſa fornicationis,facit eam mœchari] ex quo planè intelligebatur, licere ob fornicationẽ dimittere,& excludere: excepta verò cauſa fornicationis.non licere dimittere,alioqui qui dimittat, occaſionem adulterandi præbere vxori iniuſtè dimiſſæ, quare adulterij eius reum fore: hoc autem docuerat in monte diſcipulos,& turbam,in qua etiam propter alias cauſas,ſi vxor non erat cordi, dato libello repudij dimittebatur.Ne autem exiſtimarent, dimiſſa licitè vxore propter fornicationis vitium,vtpote cæteris omnibus grauiùs,odioſiùs, & intolerabiliùs, licere quoque aliam ducere,de hoc poſteà, occaſione ſumpta ex Phariſæorum interrogatione, docuit, & ſanxit his verbis: Quicunque dimiſerit vxorem,niſi ob fornicationem, & aliam duxerit,mœchatur, quod perinde eſt, ac ſi diſtinctè diceret, vt ſanctus Martialis beati Petri diſcipulus in epiſtola ad Toloſanos cap.9.diſtinguit,inquiẽs,Qui dimiſerit vxorem,niſi propter fornicationem, mœchatur,id eſt,facit eam mœchari,vt magnus Baſilius canone 9.interpretatus eſt:& qui aliam duxerit,inquit,mœchatur. Atque ita reſponſum fuit Iudæis quærentibus, vtrum ex quacunque cauſa liceret vxorem dimittere? negat enim Dominus ex vlla cauſa licere,excepta cauſa fornicationis. Deinde plus aliquid adhuc docuit, & præcepit præter id,quod in monte docuerat, adiungẽs, & qui aliã duxerit,mœchatur.quod perinde eſt, quaſi diceret,& qui vxore ſic dimiſſa,ſcilicet propter fornicationem,aliam duxerit,mœchatur. Sic etiam hunc locum Euangelij interpretatus eſt canon Apoſtolorum trigeſimus octauus, prætermiſſa parentheſi exceptæ fornicationis,quo ſententia eſſet clarior. Si,inquit,Laicus,vxore ſua dimiſſa, alteram duxerit, aut ab alio dimiſſam,eiiciatur ex eccleſia,ſcilicet tanquam publicus adulter. Vxore,inquit,dimiſſa. ſcilicet cum dimitti poteſt,nempe in cauſa fornicationis,tunc inquam, qui aliam

Matt.5.

S.Martialis.

Baſilius.

Canon.Apoſt. 38.

liam duxerit, eiiciatur ex eccleſia. Ergo Apoſtolicus canon non permittit ius nuptiarum parti innocenti. Sed ne nos ſoli ſic Euãgelium, & Apoſtolicam doctrinam, ac canonem interpretari Magdeburgenſibus videamus, ſi in ore duorum, vel trium ſtabit omne verbum, ſicut ſcriptura ſancta dicit, ſtet apud iſtos in ore ſaltem plurium Conciliorum, in ore inquam, ſynodi Mileuitanæ, cui beatus Auguſtinus interfuit. ea enim cap. 17. viſum, inquit, eſt nobis ſecundum Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, neque dimiſſum ab vxore, neque dimiſſam à viro altero matrimonio copulari, ſed manere innuptos, aut reconciliari: eos autem, qui non obedierint, inter lugentes referri. Quomodo autem dimiſſa reconciliari poſſet, vt prius dicebam, ſi, qui eam dimiſit, aliam poſſet ducere? profecto nullo modo. Ergo, vt ſecundum Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, neceſſe eſt, vt dimiſſa maneat innupta, aut reconcilietur, ſic ſecundum Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam neceſſe erit, vt qui dimiſit, ſcilicet propter fornicationem, maneat innuptus, aut reconcilietur. igitur ſecundum Euangelicam, & apoſtolicam doctrinam, non permittitur ius nuptiarum parti innocenti. idem decretum eſt in Synodo Africana cap. 65. Item ſynodus Eliberitana tempore Syluestri Papæ capite decimo. Si fidelis, inquit, fœmina adulterum maritum ſuum reliquerit, & alteri nupſerit, non prius accipiat communionem, quàm is, quem reliquit, è vita exierit. Sic ſynodus iudicauit, Paulum ſecuta, qui ait, Mulier alligata eſt legi, quandiu vir eius viuit, quamuis ſcilicet adulter ſit. Præterea ſynodus quoque Florentina œcumenica ſcripturæ ſanctæ doctrinam, & canonem Apoſtolorum, & ſancti Euariſti auctoritatem, atque huius ſynodi Mileuitanæ decretum, imò totius eccleſiæ catholicæ prædicationem, & conſuetudinem Apoſtolicæ traditionis ſecuta, his verbis ſanxit: Quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat, ſcilicet parti innocenti, thori ſeparationem facere: non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonij vinculum legitimè contractum, perpetuum ſit. Eant ergo nunc Magdeburgenſes, & poſtulent à ſuis diſcipulis,

Synod. Mileu.

Synod. Africa.

Synod. Eliber.

1. Cor. 7.

Synod. Floren.

Hila. Epipha. Theodoret. Baſilius.

vt eis potius credant, quàm ſcripturis ſanctis & ſanctis ſynodis. Prætereo alios teſtes, vt Hilarium in Matthæum, ſanctum Epiphanium hæreſi 59. contra Catharos, Theodoretum lib. 9. de curatione Græcarum affectionum, Baſil. Magnum canon. 9. Qui ſic ait vir, vxore dimiſſa, ſcilicet propter fornicationem (de hac enim loquebatur) ſi ad alteram ſe contulerit, & ipſe adulter eſt, quoniam in cauſa eſt, vt vxor adulteretur: & quæ cum eo habitat, adultera, quia alienum virum ad ſe tranſtulit. Sequantur ergo, ſi ita placet, Magdeburgenſes Lactantium Firmianum lib. 6. Diuinarum inſtitutionum: imò teneant etiam cum eo Chiliaſtarum hæreſem vt alios nunc eius errores taceam: denique relicto Euangelio, teneant leges ſæculi, quæ matrimonium ſoluunt propter fornicationem, & iſtud ſuum ius nuptiarum parti innocenti tribuunt.

Quid reſpondendum ſit pro matrimonio non diſſoluendo propter fornicationem, ad id quod obiiciuntur, ex commentariis, qui feruntur eſſe Ambroſii: & quid beatus Ambroſius de hoc dogmate ſenſerit. De falſa interpretatione Auguſtini Marlorati in locum Pauli: Mulierem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, aut reconciliari, aut manere innuptam, & confutatio eius.

Cap. II.

QVod ſi beatum Ambroſium cum Lactanſio ſenſiſſe putant, & huius quoque magni ſcriptoris auctoritatem cum euangelica & apoſtolica doctrina, quàm hactenus explicauimus, conſentientem deſiderant, legãt quæ ſcripſit in libro priore de Abraam cap. 4. quem librum, nemo eſt, credo, qui dubitare cum ratione poſſit, ſui auctoris eſſe, id eſt, beati Ambroſij, cuius characterem & ſtylum acri iudicio, & ſumma breuitate Caſſiodorus ſenator in libro de inſtitutione diuinarum litterarum his verbis deſcripſit: Sanctus quoq; Ambr. lactei ſermonis emanator, cum grauitate acutus, in violẽta perſuaſione dulciſſimus, cui fuit æqualis doctrina cũ

Character, & ſtylus Ambroſii acri iudicio à Caſſiodoro notatus.

vita. hactenus Caſſiodorus. Qui igitur grauitatē, acumen, dulcedinem, vim perſuadendi, & eloquētiam ſermonis, quibus in his libris de Abraam, & in Commentariis Lucæ, ac reliquis ſuis libris vſus eſt, cum Commentariis epiſtolarum Pauli, qui Ambroſij ferūtur eſſe, contulerit, facilè dubitabit, vtrum eius ſint. Illud prætereà non parum mouet, quod idem auctor Caſſiodorus in eodem libro ſcribit his verbis: Dicitur etiam, & B. Amb. codicem epiſtolarum omnium Pauli ſuauiſſima expoſitione complexus, quem tamen adhuc inuenire non potui. hæc ille. Quàm verò ſuauis ſit illa, quæ nunc extat, epiſtolarum Pauli interpretatio, quæ ſancti Ambroſij eſſe fertur, experiatur, & iudicet, qui aliquid iudicij ſe credit habere. vt illud interim diſſimulemus, videri quidem mirum, ſi in epiſt. vt ferebatur, ſcripſerat Ambro. quemadmodum non reperire eas potuerit, vir alioqui tam diligens, ac potens, & nobilis ſenator vrb. Rom. in tantò pręſertim, vt veriſimile eſt Romanorum cum Mediolanen. commercio, & ſocietate. Illud quoque accedit, quod ſcrupulum auget, quod in Lucam ſic ſcripſit, vt Comment. in libros diuideret, vt eo tempore interpretes ſacrorum librorum facere ſolebant, vt Hieronymum feciſſe videmus, & Origenem, quem B. Ambroſ. non ſolùm in multis imitatus eſt, ſed multa etiam ex eo in ſua ſcripta, vt B. quoque Hieronym. teſtatur, tranſtulit. Præterea non eſt ſecutus in Lucam genus interpretandi, quod Græci vocant, κατὰ πόδας, cum textum quaſi per veſtigia interpres proſequitur, quod in Commentariis epiſt. fecit, quicunque eos ſcripſit. Sed cur Ambr. genus interpretãdi mutaſſet? preſertim cum Commentarios Origenis in epiſt. ad Rom. in libros decem digeſtos haberet, ex quibus nihil tranſtuliſſe videtur tam ſedulus alioqui, & tam ſtudioſius Origenis imitator, vel potius tranſlator. Denique illud maximè mouere etiam poteſt, quòd in re grauiſſima, & in dogmate Eccleſiaſtico ſibi contradixiſſe tantùm præſertim Eccleſiæ Catholicæ doctorem, non eſt veriſimile. Sic enim eſt in priore epiſt. ad Corinth. cap. 7 in explanatione illius loci. Et vir vxorem non dimittat, ſubauditur, inquit, excepta fornicationis cauſa, & ideo ſubiecit,

De Comment. in epiſt. Pauli, qui ſerūtur eſſe Ambroſii.

Non eſt veriſimile cōtradicere ſibi Ambroſium in opere proprio, de grauiſſimo dogmate.

inquiens,ſicut de muliere, quod ſi diſceſſerit, manere ſic:quia viro licet ducere vxorem, ſi dimiſerit vxorem peccantem, quia non ita lege conſtringitur vir, ſicut mulier,caput enim mulieris vir eſt. hæc ibi. ſunt qui exiſtiment,de lege humana intellexiſſe auctorem, cum dixit, Non ita lege conſtringitur vir, ſicut mulier. fateor, ipſe quoque ſic aliquando exiſtimaui, quod tamen valde mihi (vt quod ſentio dicam) violentum & durum attentius conſideranti,videtur. Etenim ſi de lege humana loqueretur, non ſubiiceret tanquam cauſam [Caput enim mulieris vir eſt] quod quidem vt Deus, & non homo ſanxit,ſic quoque conſequens eſt, vt de diuina, non de humana lege illud antegreſſum auctor intelligi voluerit: aut certè ſi de lege humana intelligi voluit,eam legem vt iuſtam approbat, quam tamen beatus Ambroſius libro primo capite quarto de Abraam, planè improbat vt diuinæ legis aduerſariam. docens enim prohiberi,ne dimiſſa vxore propter adulterium,alteram ducere liceat. Sed vos, inquit, moneo viri,qui ad gratiam Domini tenditis, non commiſceri adulterino corpori,qui enim ſe iungit meretrici, vnum corpus eſt: neque dare hanc occaſionem diuortij mulieribus.Deinde ſubiungit:Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum.Omne ſtuprum, adulterium eſt: neque viro licet, quod mulieri non licet. eadem à viro, quæ ab vxore debetur caſtimonia: quicquid in eam, quæ non ſit legitima vxor, commiſſum fuerit,adulterij damnatur crimine.Hoc verum, & eccleſiaſticum dogma de matrimonio perpetuo tradit beatus Ambroſius, quod vniuerſa Eccleſia Catholica tam Orientalis, quàm Occidentalis,tenet,& profitetur.illic verò,id eſt, in priore epiſtola ad Corint. quiſquis ille eſt, qui commentarios illos ſcripſit,licere tradit,dimiſſa vxore propter adulterium, alteram ducere.ſiue enim licere dicat diuina lege,ſiue humana, qua id liceat, tanquam iuſtam approbet,parum refert:cum vtracunque lege harum matrimonium dirimatur, iuſtè dirimi tradat. In Commentariis verò in Lucam cap.decimo ſexto,idem Ambroſius legem quoque humanam vt diuinæ repugnantem improbat, quæ dimittere vxorem ob alias e-

Dogma catholicum Ambroſij de perpetuo matrimonio.

tiam cauſas, præter crimen adulterij, permittebat. Hactenus reſponſum ſit Magdeburgenſibus, qui non negant, hoc loco Apoſtolum loqui de dimittente vxorem propter adulterium: Sunt enim alij ex Sectariis, qui hoc negant, vt nuper legi in Commentariis Auguſtini Marlorati Caluiniani. ait enim de iis loqui Apoſtolum, quæ leuibus cauſis à viris diſcedebant, vel quia diſpliceret forma vel propter ſæuitiam, & duram tractationem, vel ob aliam quamlibet huiuſmodi cauſam: quòd ex eo probat, quod iubeat Apoſtolus vxorem à viro diſſidentem manere innuptam, aut reconciliari, in quo ſatis ſignificari putat, diſſidium eſſe tolerabile. quaſi diſſidium propter adulterium non videatur vllo modo eſſe tolerabile, vt poſſit, aut debeat, quæ ſemel propter adulterium viri diſceſſerit, aut propter ſuum adulterium dimiſſa ſit, viro ſuo vnquam reconciliari: quamuis, vt aliquando euenire ſolet, vel maritus pudicus, vel vxor pudica facta ſit. quod quàm ſit à charitate, & pietate alienum, nemo catholicus eſt, qui non videat. Præterea non loqui Apoſtolum de dimiſſis propter adulterium, conſtat, inquit, ex pœna, quæ ſequebatur: erat enim crimen capitale Leuit. 20. etiam legibus Romanorum, & propemodum communi iuri gentium. Hæc ille. vnde effici neceſſariò putat, vt non prohibeatur alteram ducere, qui propter adulterium vxorem ſuam dimiſit, ſiquidem interficienda ſit vxor adultera vel ſecũdum legem Leuit. quaſi nunc ſub lege vetere ſimus: vel ſecundum leges ſæculi neceſſariò accuſanda ſit, & non poſſit vir in adulterio deprehenſam dimittere, ſolo repudio contentus: aut denique quaſi Eccleſia, ad cuius vtilitatem Apoſtolus ſcripſit, occidere iubeat. Iam quis vnquam dixit, legibus Romanis, & propemodum communi iure gentium capitale crimen eſſe adulterium? quaſi omnes leges Romanorum ad ius naturæ pertineant: aut quaſi ratio naturalis inter omnes homines conſtituerit, vt adulteræ occidantur, vt ſecundum definitionem Gaij Iuriſconſulti hoc ſupplicium mortis ad ius gentium referatur. Quis, inquam, vnquam dixit, certum genus ſupplicij, quod crimini debeatur, ex ratione naturali omnium gentium communi proficiſci?

Quàm ridicule, & abſurde probet Marloratus non prohiberi alteram ducere, qui propter fornicationem dimiſerit ſuam.

Ergo contra ius gentium, & rationem naturalem faciunt, quicunque alio modo, quàm morte: adulterium puniunt, quaſi non ſit in Eccleſia grauius genus ſupplicij anathema, quam gladius, id eſt, gladius ignis gehennæ, grauior, quàm gladius ferreus. Sed iſte auctor conſcius ſibi, aliquid abſurdum ſe dicere, moderari voluit, cum dixit, propemodum. Præterea, ſynodus Toletana 12. cap. 8. affirmat præceptum Domini eſſe, ne ob vllam cauſam præterquam fornicationem liceat dimittere vxorem. & ideo quicunque, inquit, citra culpam dicti criminis, vxorem ſuam quacunque occaſione dimiſerit, quia quod Deus coniunxit, ille ſeparare diſpoſuit, tandiu ab Eccleſia communione priuatus, & à cœtu omnium Chriſtianorum maneat alienatus, donec ſocietatem relicti coniugis ſynceriter amplectatur, & foueat vxorem. Item beatus Baſilius Can. 9. de vxore diſcedente à viro, ſiue inquit, cederetur, neque plagas ferre vellet, perpeti potius debuit, quàm à marito diſcedere: ſiue iacturam dotis facere nollet, nec hæc quidem ſatis honeſta cauſa. Quomodo igitur, vt iſte interpres Marloratus falſò docet, Paulus Apoſtolus permittit vxori à viro ob aliam quamlibet cauſam diſcedere, ſed ita, vt maneat innupta, ſi reconciliari nolit? Hac enim ſola pœna, vt iſte vult, ſancitur nunc à Paulo præceptum Domini, ne mulier à viro diſcedat. Deinde cum affirmet Apoſtolus ſcribere ſe hic præceptũ Domini, & Euangelio legamus præceptum Domini de dimittente vxorem propter fornicationem, ne ſcilicet, qui propter fornicationem dimittit, alteram ducat, quę iſta Marlorati tanta inſcitia, vt dicat, locum ſi quæras, nuſquam reperias, ad verbum, quaſi non ſatis cauiſſet Apoſtolus, quod iſte obiecit, cùm ait, præcipio non ego, ſed Dominus: præceptum ergo ponere voluit, & quidem explicatiùs, non autem numerare verba Domini. Quis ignorat ſolitos eſſe ſanctos Apoſtolos ſcripturam citare ſecundum ſententiam potius, quàm ſecundum verba? Itaque quaſi plura verba huius loci Pauli in Geneſi, quam in Euangelio reperiſſet, hunc ipſum locum Pauli ad illud in Geneſi retulit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit

Synod. Tolet. 12.

Baſilius.

Redarguitur, quod Marloratus ait, loqui Apoſt. de dimiſſis ob aliã cauſam, quam propter fornicationem, cum ait, aut reconciliari, aut manere innuptã

Cum dixit Apo. præcipio nõ ego, ſed dominus ſententiam præcepti poſuit, nõ verba.

Gen. 2.

vxori ſuæ, tametſi hic locus Geneſis perpetuitatem matrimonij declarat, quam peſſimus iſte Pauli, & Euangelij interpres negat, & tollit, cum tradit adulterio dirimi matrimonium. Ad extremum, vt tot errata eſſent huius interpretis in explanatione huius loci Pauli, quot verba, addidit, quænam eſſet iuſta & legitima cauſa vtrique parti, ab altera diſcedendi, à magiſtratu eſſe hoc accuratè expendendum, quaſi cauſæ matrimoniorum inter negocia ſæcularia referendæ ſint, vt non debeat eis implicari, qui Deo militat, id eſt, poteſtas eccleſiaſtica, ſed potius poteſtas ſæculi. Vt video, nihil iſte intereſſe putat, iudicare, ad quem poſſeſſio, vel aratio agri pertineat, an ad cuius poteſtatem vxor: neque plus myſticæ benedictionis in tradenda vxore in poteſtatem viri, & viciſſim tradendo viro in poteſtatem vxoris, interuenire, quam in fundi, aut horti tradenda poſſeſſione, & in omni eo, quòd per æs, & libram agitur: hæc, inquam verba, Ego te accipio in meam, & ego te accipio in meum, vel ſimilia, quæ ipſorum qui contrahunt, conſenſum explicant, & vim continent illorum ſacrorum verborum, quæ Adam per ſpiritum Dei in perſona omnium coniugum myſticè dixit, Hoc nũc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: Propter hoc relinquet homo patrem matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna, quæ Paulus magnum ſacramentum in Chriſto, & in Eccleſia eius ſponſa eſſe dixit, non magis ſpiritualia eſſe iſte bonus auctor ſomniat, quam quæ conſenſum ſignificant, quem in emptionibus, & venditionibus intercedere neceſſe eſſe, iuriſconſulti ſcribunt: vt æque vterque cõtractus tam coniugalis, quàm emptionis, ſiue permutationis, ad iudicium magiſtratus pertineat. Sed ſatis hactenus reſponſum ſit in gratiam Magdeburgenſium Marlorato, cuius in ſcripturam commentarios venenatos ac peſtiferos, & hæretica doctrina reſperſos, cauẽdos eſſe moneo, & in Gallia, iuſſu Chriſtianiſſimi Regis comburendos eſſe ſperamus, niſi iam combuſti ſunt.

Auguſt. Marloratus cauſas de matrimonio ad iudicium poteſtatis ſæcularis pertinere vult.

Secundum doctrinam huius hæretici nõ plus ſanctitatis eſt in verbis, quæ conſenſum coniugalẽ inter ſpõſum, & ſpõſum ſignificãt, quàm quæ conſenſum inter ementem, & vendentem.

Defenſio doctrinæ de cœlibatu in epiſt. 2. Clementis: & confutatio eorum, quæ Herbrandus de hac re contra ſynodũ Tridentinam ſcripſit. Et doctrina Apoſtoli de continentia, quam à Sacerdotibus, & Diaconis & eorum vxoribus requirit, ex virtute verborum, & ex traditione ſanctorum deprompta.

Cap. 12.

ACcuſant deinde Magdeburgenſes in epiſtola 2. Clementis doctrinam de cœlibatu ſacerdotum, quod ſacerdotibus, inquiunt, interdicitur, ne poſt ordinationem, vxores retineant: quod ſi non fecerint, ab officiis maioribus remouentur:] Sic verò ſcripſit Clemẽs, quod à beato Petro ſe accepiſſe dicit, Quod ſi poſt ordinationem, inquit, miniſtro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, ſacrarij nõ intret limina, & quæ ſequuntur. Non hoc iubet Clemens, vt miniſtri vxores ſuas excludant, excludere enim eas prætextu religionis, canõ etiam Apoſtolorum prohibet, ſed iubet, ne cum eis rem amplius habeant poſt ordinationem, quod Paulus quoq; in epiſtola ad Titum epiſc. Cretæ. *Ad Tit. 1.* Conſtitue, inquit, presbyteros per ciuitates, ſicut ego diſpoſui tibi. Deinde deſcribit, quales eſſe debeant, Si quis ſine crimine eſt, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. non igitur prohibet presbyteris, quin vxores habeant, aut habuerint, & miniſtrent altari. verùm quales mariti deinceps eſſe deberent, id eſt, quomodo habere vxores, ne quis erraret, vt iſti nunc errant, idem Apoſtolus ſatis clarè docuit, cùm ſubiungit. Oportet enim Epiſcopum eſſe pudicum, iuſtum, ſanctum, continentem: non contentus dicere pudicum, vt in epiſtola priore ad Timotheum, ſic enim interpres in ea verterat idem verbum Græcum, σώφρονα, addidit hic ἐγκρατῆ, id eſt, continentem: caſtus autem, ſiue pudicus & continens non eſt Epiſcopus, aut presbyter, ſi cum vxore conſuetudinem habeat. Sed quia Magdeburgenſes nihil amplius hoc loco pro incontinẽtia ſacerdotum, quàm profitentur, dixerũt, & nuper Iacobus Heerbrandus, qui in Tubingenſi ſchola

doctrinã Lutheri docet, ſupplere voluit, quod ab illis relictum eſt: reſpondeamus ad ea, quæ ille in 32. articulo contra Tridentinam Synodum ſcripſit, nouũ eſſe inuentum de cœlibatu contra electum Dei organum, qui Epiſcopos, inquit, & diaconos vult honeſtos eſſe maritos. At non vult Apoſtolus, vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi non ſint virgines, ſi eſſe malint ſecundum conſilium eius de virginibus, non negabit hoc Heerbrãdus: ex quo fit, vt neque rurſus requirat Apoſtolus ab eis, vt ſint mariti, non magis quàm requirat, vt habeant filios: Sed hoc requirit, vt ſi habeant filios, bene eos educatos, & inſtitutos habeant, vt eorum probitas, & obedientia, ac pudicitia teſtimonium quoddã potius ſit continentiæ Patrum. Sic item, ſi habeant vxores, requirit, vt ſint caſti & continentes. Videamus igitur, qualis iſta caſtitas & continentia ſit, quam à ſacerdotibus & diaconis poſtulat, vtrũ ne talis eſſe debeat, qualis laicorum, an alia excellentior? idque ex verbis ipſis Apoſtoli, locis ſcripturæ hinc inde collatis, ratiocinando demonſtremus. De quibus autem, inquit, ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini, mulierem non tangere. Interrogemus hic Heerbrandum verbis ſancti Sixti III. cuius auctoritate ſancta Synodus Epheſina aduerſus Neſtorium vſa eſt, vt Vincentius Lirinenſis Gallus, illius tẽporis auctor grauiſſimus teſtatur, interrogemus, inquam, verbis Sixti in libro de caſtitate, in quo totum ferè hoc caput epiſtolæ Pauli ad Corint. doctiſſimè, & feſtiuiſſimè interpretatus eſt, De qua muliere Paulum dixiſſe putandum eſt? De aliena, inquit, non puto, nec enim Corinthij tam væcordes erant, vt hoc Apoſtolũ interrogarent, an eis aliena liceret matrimonia violare, quod citra vllius diſciplinæ interdictum, etiam ipſa natura damnabat. deinde ſubiungit: Hoc propter eos ſcripſi, qui nimio ardore libidinis ſcripturarum veritatem peruerſa nituntur interpretatione ſubuertere. Si ergo ratio non concedit, vt de aliena dixerit, reſtat, vt de propria dixiſſe credatur. quod inde etiam probat, quod in ſecunda parte ait, Dico autem non nuptis, & viduis: quibus ſi iam ſuperius fuérat locutus ſuperuacuum fuit, iterare ſermonem. in tertiã autem de vir-

Quæ Heerbrãdus doctor Tubingẽſis ar. 32. contra ſynodum Tridẽ ſcripſit.

Quæ caſtitas & continentia ſit, quam Apoſt. à Sacerdotibus & diaconis requirit.

S. Sixtus 3. de caſtitate.

Tertullianus. ginibus.hactenus Sixtus. Item Tertullianus in libro de Monogamia interpretans hunc locum. Oſtendit, inquit, fuiſſe,qui in matrimonio deprehenſi videbantur, ne non liceret eis deinceps matrimonio ſuo vti, quia in carnem ſanctam Chriſti credidiſſent, quibus ſecundum veniam concedit indulgens, non præcipit. Ergo cum dicit Apoſtolus, de quibus ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini, mulierem non tangere, de vxore, dicit, vt ſit, Bonum eſt homini vxorem, vel mulierem *Hieronymus.* non tāgere,ſic enim vertit beatus Hieronymus in Cōmentariis Ezechielis cap.20.ſed propter fornicationē, inquit, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat: non dixit, ducat, vt idem ſanctus martyr Sixtus notauit. Et paulò poſt, interpretans, quod idem Apoſtolus ſubiungit. Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tēpus, vt vacetis orationi, & iterum reuertémini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiā veſtram, pauco,inquit, tempore continentes eſſe præcepit, vt longiori ſpatio orationi vacare poſſent:poſt cōtinentiam verò,ad matrimonij vſum redire permiſit, ſi tamen incontinentiam neceſſitas exegiſſet,ne & tentet vos Satanas propter incontinētiam. hactenus ſanctus Sixtus.Incontinentiam itaque dicit hic Apoſtolus,non continere ſe ab vſu matrimonij: quod quidem coniugibus permittit,cum neceſſarium eſt illis, ne tentati à Satana, in adulterium incidant. permittit, inquam, maritis illis, de quibus ad Corinthios ſcripſit, permittens non eſſe continentes, id eſt, vti matrimonio, quo erant copulati,ſi periculum tentationis metuerent. At in epiſtola ad Titum non hoc permittit,presbyteris,& diaconis maritis, vt non contineant: ſed potius præcipit,eſſe continentes, id eſt,non vti amplius coniugibus ſuis poſt ordinationem.Etenim ſi mariti non continētes ſunt apud Paulum,qui vtuntur ſuis vxoribus,ergo mariti continentes apud eundem Paulum ſunt,qui eis non vtuntur. Ex quo rurſus conſtat, de laicis maritis *Qui ſint mariti non continentes apud Paulū, & qui continētes.* ſcripſiſſe ad Corinthios, non de ſacerdotibus, quod dicere neceſſe eſt,ne ſecum tantus Apoſtolus pugnare, & ſibi contradicere videatur,ſi quibus maritis permittit in epiſtola ad Corinthios,non eſſe cōtinentes, eiſdē

poſtea in epiſtola ad Titum continentes eſſe præcipiat. Iam ne ſentis, Heerbrande, extortum tibi de manibus pugionem,& eo te confoſſum eſſe? nõ vult Paulus electum Dei organum, epiſcopos & diaconos honeſtos tantum maritos eſſe quod tu dicis, Paulus non dixit: ſed vult eſſe continentes, quod idem Paul. dixit tu prętermiſiſti. Diſce igitur prius, Iacobe, vſum verbi huius ἐγκρατεύεσθαι apud Paulum,& accede poſtea, ad interpretandum locum de continentia maritorũ: ἐγκρατεύονται enim, id eſt, continent ij, qui ſoluti & liberi ſunt à matrimonio, cum alienas nolunt tangere, ſuas enim non habent. Vnde illud, Dico ego non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego: quod ſi non continent, nubant. Item, ἐγκρατεύονται, id eſt, continent mariti, cum ſuas, quas habent, nolunt tangere. Vnde laicis maritis permittit Apoſtolus ſuas tangere, ſi nolunt continentes eſſe, ne propter hanc incontinentiam, id eſt, voluntatem non continẽdi à ſuis, Satanas eos ad illicitum concubitum cum alienis trahat, ſi licitus cum propriis prohibeatur. Hæc igitur eſt Apoſtolicæ doctrinæ continentia à propriis vxoribus, non ex philoſophia naturali, nec à magiſtris eius profecta, ſed à Deo tradita, libera quidem maritis laicis, neceſſaria verò, ac iuſſa maritis Deo ſacratis, vtrunq; enim docuit Apoſtolus: & verbum Dei negat, qui vtrunque, aut alterum negat. Illa etiam Pauli cautio digna eſt admiratione, & obſeruatione, quod cum in epiſtola priore ad Timoth. Epiſcopos (quo nomine presbyteros quoque intelligi voluit) dixiſſet, debere eſſe σώφρονας, id eſt, caſtos, ne quis de illa caſtitate dictum eſſe putaret, quam etiam in adoleſcentioribus vxoribus laicorum in epiſtola ad Titum cap. 2. requirit, idcirco in eadem epiſtola ad Titum, ad caſtitatem epiſcoporum, adiunxit continentiam, dicit enim debere eos caſtos, & continentes eſſe. quare cum dixit prius in epiſtola ad Timotheum debere eſſe caſtos, ſignificare voluit non quidem caſtos vxoribus, ſed caſtos ab vxoribus, quod clarius iam in epiſtola ad Titum dixit, addens verbum continentis: adoleſcentiores verò vxores caſtas eſſe iubet viris ſuis, non à

Secundum doctrinam Heerbrandi cogitur Apoſtolus ſibi contradicere.

Continentia à propria vxore ex philoſophia Ariſtotelica, ſed ex doctrina Apoſtolica profecta eſt.

Admirabilis cautio Pauli aduerſus oppugnatores ſacri cœlibatus.

Ad Tit. 2.

Aliud, caſtus vxori: aliud caſtus ad vxorem.

viris ſuis. Notauit hoc quoque grauiſſimus auctor Sixtus in libro de caſtitate, de quo ſupra meminimus. Dici quidem, inquit, poteſt caſta fœmina, ſeruans viro ſuo fidem, ſed marito caſta, non à marito, niſi etiam à marito continens fuerit. Vir quoque ſi non mœchetur, à mœchia caſtus dicendus eſt, non à muliere, niſi ab vxore continens ſit, quia & vxor mulier eſſe credenda eſt. Mira enim caſtitas hæc eſt, in parte concupiſcentiæ nullius ſexus noſſe conſortium. Hanc enim in duas diuidimus ſpecies, vnam virginitatis, & viduitatis: alia huic iungenda eſt continentia, cùm coniunx ita viuẽs moritur, vt habẽs nõ habeatur. Hacten' ſanctus Sixtus. Itaque, non illa minor caſtitas, id eſt, continentia ab aliena, ſed illa mira caſtitas, quam Sixtus dicit, id eſt, continentia à propria vxore facit viros σεμνούς, id eſt, honeſtate quadam venerabili, hæc enim eſt vis verbi iuxta etymologiam vocabuli παρὰ τὸ σέβεσθαι, quales eſſe iubet diaconos Apoſtolus, cum ait, Diaconos ſimiliter σεμνοὺς, id eſt, honeſtate venerandos propter pudicitiam. Vnde interpres latinus nõ malè vertit, pudicos.

Quam vim habeat apud Paulum verbum σεμνὸς.

Huiuſmodi caſtitatem miram requirit idem Apoſt. à ſenibus cùm ait in epiſtola ad Titum. Tu autẽ loquere, quæ decẽt ſanam doctrinam, ſenes, vt ſint σώφρονας, id eſt, caſti, & σεμνοὶ id eſt honeſtate quadam venerabili, ſcilicet propter pudicitiam: & anus ſimiliter, σεμνὰς id eſt, pudicas. Quis verò ſanæ mentis, & cum ratione loquens, quis inquam, niſi importunè libidinoſus dicat, moneri hic ſenes ita caſtos eſſe, vt ab alienis abſtineant, quos turpe iam ſit à ſuis etiam vxoribus nõ abſtinere, vt anus quoque à ſuis viris? vt igitur ea caſtitas, ſiue pudicitia intelligeretur, quæ excellẽtior eſt, & maioris honeſtatis, ac veneratione quadam dignos facit, id eſt, continentia à propriis vxoribus, addidit, in ſenibus σωφροσύνῃ τὴν σεμνότητα, id eſt, caſtitati honeſtatem reuerentia dignam, quam adferre ſolet continentia à propria vxore. Cùm verò ſtatim ſubiungit de adoleſcẽtioribus, quæ viros habent, quia non requirit ab eis Apoſtolus, vt à viris ſuis abſtineant, ſed ab alienis, præcipit caſtas eſſe ſcilicet viris ſuis: nec amplius addit hic σεμνὰς, quod verbum addidit, vt dixi, caſtitati, quam à

ſenibus requirit,idem verbum,& eadem ratione in vetulis poſuit. item in epiſtola ad Timotheũ capite tertio poſtquam dixit Apoſtolus oportere eſſe epiſcopos caſtos, ſubiunxit. & diaconos ſimiliter pudicos, Græcè eſt,σεμνοὺς vt ſimiliter non de pudicitia vulgari, ſed de illa maiore,& admirabiliore,quam diximus,intelligeremus. Sequitur deinde, Et mulieres ſimiliter pudicas. Vxores Epiſcoporũ, & Diaconorum dicit, quas ſi habeant,oportet quoque pudicas eſſe. Hic quoque dixit, σεμνάς, vt eandem honeſtatem continendi à viris ſuis,quæ illas faceret reuerentia, & cultu dignas, iuxta interpretationem vocabuli,intelligeremus. Quod autẽ de vxoribus epiſcoporum,& preſbyterorum,ac diaconorum Apoſtolus hoc loco loquatur, ſatis ratio ipſa propoſiti demonſtrat. qui enim præcipiebat epiſcopis, preſbyteris & diaconis,qui vxores haberent, caſtos, & continentes eſſe, conſequens erat vt idipſum quoque eorum vxoribus præciperet,ſine quarum conſenſu nõ admittuntur mariti ad ordinem ſacrum:poſtquã verò, vxoribus aſſentientibus, ſacrati ſunt, ipſæ quoq; propoſitum continentiæ receptæ, & adſtipulatæ ſeruare debent. Quæ hic iniuria fit?aut quæ vis ſponte, quod melius eſt ſecundum conſilium Pauli, ſuſcipienti? niſi fortè Paulum de violentia & tyrannide accuſant iſti, quia prohibens in epiſtola ad Timoth. priore, ne viduę adoleſcentiores, diaconiſſæ fiant propter periculũ non ſeruandi, iterum nubendo, continẽtiæ promiſſionem, ait, cum nubere volunt, habere eas damnationẽ, quia inquit, primam fidem irritam fecerunt. quã enim Paulus hoc loco vocauit fidem, vocauit apoſtolica conſtitutio in lib.3. Clementis promiſſionem. Ait enim cap. 2. de huiuſmodi viduis, ſcelus eas committere, nõ quia digamia, inquit, ſcelus, ſed quia ſcelus fit non ſeruare promiſſionem. Tales ergo eſſe oportet, id eſt, continẽtes ſecundum præceptum Pauli, ſacerdotum, & diaconorum vxores. Hoc enim ſignificat hic verbum Græcum γυναῖκας. idem quoque in 2. libro Clemen. Rom. Apoſtolica conſtitutio, & quidem apertius docet, ſcilicet ſermonem eſſe hic de vxoribus ſacerdotum, & diaconorum: deſcribens enim quales eos eſſe oporte-

De quibus dicat Apoſtolus mulieres ſimiliter pudicas.

1. Cor 5.

ret, ſicut Apoſtolus fecit, ſi eſt, inquit, fidelis, ornatus, honeſtus, ſeu pudicus: & ſubiungit ſtatim, ſi habet, aut habuit vxorem fidelem, honeſtam, ſiue pudicam, pro quo Paulus dixit, mulieres, ſiue vxores ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus, &c. ſatis hactenus, vt arbitror, demonſtratum eſt ex locis Apoſtoli inter ſe collatis, & ipſorum verborum virtute, quales maritos epiſcopos, & presbyteros ac diaconos Apoſtolus requirat, nempe caſtos, & continentes ab vxoribus ſuis. Dominus det contradicentibus intellectum, vt intelligãt ſcripturas, & ſani ſint in fide. Pergamus ad reliqua, quæ doctor iſte Tubingenſis in articulo ſuo ſcripſit.

Reſponſio ad id, quod Heerbrandus Tubingenſis doctor contra Cælibatum obiicit ex epiſtola ad Hebræos Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: & de falſa & repugnante interpretatione eius: & propria, ac vera interpretatione ex cauſis dictorum, & circunſtantiis perſonarum, & collatio ſimilium locorum ſcripturæ concluſa. Caput 13.

Ex circunſtantiis perſonarum & cauſis dictorum intelligitur, quibus dicat Apoſt. honorabile coniugiũ & thorus immaculatus.

ILlud enim nobis quoque obiicit, quod Apoſtolus in epiſtola ad Heb. cap. 13. Honorabile connubium in omnibus. Si ea, quæ ſequuntur, iſte doctor attentè legiſſet, fortaſſis intellexiſſet, cum quibus loquatur Apoſtolus, & de quibus dicat, quod quidem ex cauſis quoque dictorum, & ex circunſtantiis perſonarum intelligi poteſt. Dat enim præcepta iis quibus præſunt præpoſiti ſpirituales, vt ſunt epiſcopi, & presbyteri, id eſt, laicis, quibus duo in primis cauenda ſunt vitia adulterij, & auaritiæ, ne, vel propter liberos, quibus dant operam, opes iniuſtè cõgerant: vel ne, dum cogitant quæ mundi ſunt, quomodo vterque coniunx alteri placeat, occaſionẽ præbeant vt ab aliis appetantur, aut modũ ipſi non teneãt. Vnde Clemens Rom. in toto lib. 1. de Apoſtolicis Conſtitutionibus, quem de laicis inſcripſit, de his duobus vitiis ſolũ diſſerit. Igitur quibus Apoſtolus dicit paulò infra,

Obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim peruigilant pro animabus veſtris, & paulò ſupra, Mementote præpoſitorum veſtrorũ, qui vobis, ſcilicet laicis, locuti ſunt verbum Dei, quis enim neget, quin ſpirituales verbum Dei doceãt laicos?) eiſdem, inquam, dixit illud proximè ſuperius, Sint mores ſine auaritia, & rurſus eiſdem, honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. vt iam ipſa circunſtantia perſonarum, quibus loquuntur verbum Dei Eccleſiæ doctores, & præpoſiti, & ipſa præceptorum antecedentium ratio, quæ ad eaſdẽ perſonas pertinent, cuiuis mediocris iudicij facilè perſuadeant, imò confiteri etiam cogant, de laicis ſermonem eſſe, & ad eos ſpectare quod dixit Apoſtolus, honorabile cõnubiũ in omnibus, & thorus immaculatus. Hoc item Euſebius Cæſarien. in extremo libro Euang. demonſtrat. cap. vlt. ait dictũ eſſe non ſacratis, neq; profeſſis τὴν θεραπείαν id eſt, cultũ religionis monaſticæ. idem quoque affirmat S. Ephræn, dictum eſſe hoc τοῖς βιωτικοῖς, οὐ τοῖς ἀποτακτικοῖς, id eſt, ſæcularibus ſiue laicis, non autem iis, qui mundo renunciarunt: vt illud item in epiſtola ad Corinth. Si non continent, nubant: quod quidam monachi, inquit Euſebius, κακῶς ἐκλαμβάνοντες, id eſt, male interpretantes, vt male iſti nũc interpretantur, Honorabile connubium in omnibus, εἰς γάμον ἐτράπησαν. καὶ οὐκ οἴδασι ὅτι μετὰ τὰς συνθήκας τὰς εἰς θεὸν γινομένας οὐ λέγεται ἔτι γάμος ἀλλὰ πορνεία, id eſt, ad nuptias, inquit conuerſi ſunt, nec intellexerunt, poſt ſponſionem pacti cũ Deo interpoſitam, non iam cõiugium, ſed fornicationem dici. deinde ſubiũgit. Ἕκαστος οὖν δυνάμενος βαστάσαι τὰς ἀνάγκας τοῦ σώματος, τότε ἐπαστάλθη τὸν ζυγὸν τῆς ἀσκήσεως, καὶ μὴ ἐμπέσῃ εἰς τὰ καταχθόνια τοῦ ᾅδου, id eſt, vnuſquiſque igitur, qui neceſſitates corporis ferre poſſit, iugum monaſticæ exercitationis ſubeat: & ne in infernum decidat. Hunc locum citauit quoq; Damaſcenus in libro de locis cõmunibus, quẽ cõpoſuit, & παράλληλα vocauit. quod ſi nullus neceſſitas iſtas corporis ferre poſſet, profectò non ſuaderet Apoſt. parentibus, ſeruare virgines ſuas, cùm non habẽt neceſſitatẽ, ſed habẽt poteſtatẽ voluntatis ſuæ. neq;

Euſeb. Cæſa.

Ephræn.

Damaſcenus.

ſubiungeret, Igitur & qui matrimonio iungit virginẽ ſuam, benefacit: & qui non iungit, melius facit: Neque rurſus diceret Dominus, Qui poteſt capere, capiat, ſi nullus eſſet, qui capere poſſet. huc pertinent, quæ Origenes de cõtinentia ſacerdotum, & multorum ſæcularium ad exemplum eorum, & de facultate continendi lib. 8. aduerſus Celſum in eos philoſophos ſcribit, qui cum tam multa in ſcholis de Deo, & de rebus quæ cogitatione, & mente percipiuntur, diſſererent, ad cultum tamen creaturæ ſe conuertebant, ex quo fiebat, vt iuſto Dei iudicio in omni genere libidinis, & turpitudinis volutari ſinerentur. at (inquit) qui ab ipſis tanquã idiotæ contemnuntur, & fatui, ac mancipia appellantur, vſque adeo ab impudicitia, & turpitudine, & ab omni concubitus obſcœnitate abſtinent, ὡς τρόπον τελείων ἱερέων πᾶσαν συνουσίαν ἀποστρεφόντων πολλοὺς αὐτῶν παντελῶς καθαρεύειν ἀπὸ πάσης μίξεως, id eſt, vt more perfectorum ſacerdotũ, qui ab omni concubitu abhorrent, plerique eorum ab omni coitu puri ſint. Subiungit deinde. Atqui vnus quidem apud Athenien. æditiuus, cui non eſt habita fides, quod poſſet eſſe dominus ſuarum appetitionum carnalium, & eas quamdiu vellet, refrænare, cicuta virili membro adhibita, exiſtimatus eſt purus, & caſtus ad illam Athenien. ſolemnem ſanctimoniã procurandam: licet autem apud Chriſtianos videre viros quibus nõ opus ſit cicuta, ſed contẽtos ratione pro cicuta, ὡς πᾶσαν ἐπιθυμίαν ἀπὸ τῆς διανοίας αὐτῶν ἐξελάσαντας τὸ θεῖον ἐν εὐχαῖς θεραπεύουσι, id eſt, vt omni libidine ex mente eiecta Deum precibus colant. Hactenus Origenes. ſed quamquam iſtis, vt ſic caſti ſint, & continentes, ſola ratio ſatis ſit adiuuante Dei gratia, quæ omnibus, qui eam non reſpuunt, præſto eſt, tamen reſpondete mihi Magdeburgen. qui veſtra incontinentia, rationis, & temperantiæ vires metiri vultis, ignorabat ne Plato, quanta eſſet vis in libidine, qui poſt duas appetentias cibi, & potus, quas famem, & ſitim vocamus, lib. 6. de legibus, dixit libidinem ὀξυτάτην καὶ διαπυρωτάτους τοὺς ἀνθρώπους μανίαις ἀπεργαζομένην, id eſt, vehementiſſimã eſſe, quæque furore homines inflammaret? idem tamẽ Plato in ciuitate illa ſua, quam ad perfectum formabat, vo-

bat, voluit, vt coniuges ſi poſt liberos decennij ſpatio procreatos caſtè viuerent, id eſt, corpora non commiſcerent, honore digni haberentur. fuerit ergo apud gẽtilem, ſapientem huius ſæculi caſtitas coniugum laicorum honore digna. & non apud Chriſtianos, & in lege Dei eruditos caſtitas ſacerdotũ? nec verò ille coniugibus ſumma ætate hoc ſtatuebat, qui legem ſcripſit vt puellę à xvj. anno vſque ad xx. nuberẽt: & viri à xxx. vſque ad xxxv. vxores acciperent. idem rurſus lib 8 de legibus, interpretabor eiſdem verbis, an (inquit) non fama, & auditione accepimus, Iccum Tarentinũ propter Olimpia, alioſque ludos, & artem in eis certandi tantum robur animi ſimul cum temperantia comparaſſe, vt nunquam fœminam, neque puerum, quandiu exercitatione valuit, tetigiſſet? imò eadem de Criſſone, & Aſtylo, ac Diopompo, aliiſque quamplurimis fama eſt, qui animos quidem multo peius inſtitutos, quam noſtri, aut tui etiam ciues Clinia, habebant: corpora verò multo magis coercebant. Quid igitur? illi curſu, aut lucta, vt vincerent, auſi ſunt à re, in qua multi vitã beatam ponunt, abſtinere, & noſtri adoleſcentes propter victoriam multò pulchriorem non poterunt? Quam, inquit, victoriam dicis? vincere (inquit Clinias) voluptates virtute continentiæ vt bene beatéque viuant: à quibus contra ſi vincãtur, miſerrimi ſint: & metuẽdum, ne pietas eorum erga Deum ſublata ſit. Cum ergo apud Paulum illud Magdeburg. legitis, Omnis autem, qui in agone contẽdit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, quis iam veſtrum negabit, vnum ex illis omnibus, à quibus ille, qui in Agone contendit, abſtinet, venerem eſſe, cum hoc loco Platonis illos, quos nominauit, & alios quamplurimos, vt ait, legamus continẽtiam propter olympia coluiſſe? nec enim Paulus, quod Plato de iſtis ſcripſit, ignoraſſe videtur, qui etiam legit, quid Menander in Thaide de prauis colloquiis bonos mores corrumpentibus dixiſſet: & quid Epimenides, atq; Callymachus Cyrneus de Cretenſibus: quid item Aratus Aſtronomus, & Homerus de cognatione, quam genus hominũ cum Deo habet,

Quæ Plato de caſtitate, & cõtinentia ſcripſerit, quæ ad redarguendos Lutheranos valẽt.

1. Cor. 15.

Tit 1.

Act. 17.

illi igitur pugilles in die iudicij extremi veſtri iudices erunt, qui ex propheta veſtro Martino Luth. quod in libro de vita coniugali ſcripſit, didiciſtis, coniunctionē maris, & fœminæ neceſſariam eſſe, vt cibum, potum, & ſomnum, neque magis poſſe hominem hoc carere, quàm mutare ſexum. At mulierem qui tangit, ὀυ τυραν-νᾶται, vt ait Greg. Naz. in libro de Spiritu Sancto, id eſt, non patitur violentiam. non enim, inquit, natura violētiam ei adhibet. ἐκάιῃ γὰρ, inquit, ἔχει τὸ σωφρονεῖν id eſt, penes naturam enim eſt, caſtum eſſe. eſt ergo hęc cupiditas non neceſſaria, vt cibi, potus, & ſomni, vt Lutherus omnis philoſophiæ imperitus ſomniauit, ſed ἐκ περιουσίας, vt princeps philoſophorum in quæſtionibus phyſicis ait, qui in libris quoque de moribus voluptates naturales, & neceſſarias à naturalibus non neceſſariis diſtinxit. aliud itaque eſt nolle pati neceſſitatem: aliud nō poſſe, & ſi velit. Quare vt reuertamur, vnde digreſſi ſumus, in eccleſia noſtra nullus cogitur ſacerdos, aut diaconus fieri. qui non poteſt ferre neceſſitates iſtas corporis, quas Euſebius dicit, id eſt, impetus carnalis appetitionis, quia ſcilicet non vult continens eſſe ne patiatur fieri ſacerdos. idem dicitur hodie in eccleſia Orientis vxoribus ſacerdotum, quod antea quoque in Occidentali dicebatur: ſi ferre non poſſunt continentiā, quia nolunt, & tribulationem carnis, quā habent, quæ nupſerunt, ſicut Apoſt. ait, pati malunt, ne aſſentiantur ſacræ ordinationi maritorū. quæ his vis, aut tyrannis eſt quod iſti clamare ſolent? An quod coguntur ſeruare quod ſemel interpoſita fide promiſſionis receperunt? ergo tyrānus iſtorū ſententia eſt Deus, qui dixit, Vouete, & reddite: & in alio loco, ſi quid vouiſti, ne moreris reddere. Noſtri igitur prępoſiti auctoritate Dei qui hæc dixit, ſeruare vota cogunt, in quo neque tyranni ſunt, neq; tyrannus, cui obſequūtur: ſed iſti potius impij ſunt, qui cōtradicunt. Reuertamur ad locū Apoſtoli. docuimus iam ex verbis Apoſtoli, quod ſcripſit, Honorabile cōnubiū in omnibus, in omnibus laicis ſolū intelligendū eſſe, de his enim loquebatur. ſimiliter in epiſtola priore ad Theſſ. præcipiens coniugibus omnibus. Scitis, inquit, quæ præcepta dederim

Ariſtot. in magnis moral.

Qui tradūt tyrannidem eſſe cogere ad præſtandum promiſſum deo, deū faciū: tyrannū blaſpheme.

Pſal 75.

Eccle. 5.

Theſſ. 4.

vobis, vt abſtineatis vos à fornicatione, & ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione,& honore. Vnuſquiſque dixit,id eſt,omnibus viris, qui vxoribus ſuis vtuntur,hoc præcipio: Vas auté viri, vocauit vxorem,imitatus Salomonem in Prouer.cum de marito loquens, & præcipiens, ne cum alia quam cum vxore,ré habeat, Bibe,inquit, aquas de vaſis tuis, ſic enim eſt apud 70. ſic in epiſtola ad Hebræos,Honorabile,inquit, connubium ſcilicet ſit, & thorus immaculatus,id eſt,præcipio, vt vnuſquiſq; ſuum matrimonium honoret:& nullus cubile vxoris ſuæ violet,commiſcendo corpus ſuum cum aliena, idcirco ſubiungit ſtatim: fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. idem preceptum dedit Theſſ.imò illud eſt huius interpretatio tunc enim eſt,vnicuiq; in honore,quod græcè dicitur,τίμιον,ſuum connubiũ,quãdo vnuſquiſq;,ſicut Paulus præcipit Theſſalonicenſibus, poſſidet vas ſuũ non in paſſione deſiderij,id eſt, non libidinoſè, nec intemperanter, ſed honeſtè debitum reddendo, & ad tẽpus ex conſenſu propter orationem abſtinendo, vt in epiſtola ad Corinth.priore faciendum eſſe docuerat,& & non fornicando,aut alterius vxorem adulterãdo. de vtroque enim crimine ſubiungit, & ne quis ſupergrediatur,aut circumueniat in negotio fratrem ſuum hãc enim violentam,& tyrannicam libidinem adulterandi vxorem alterius,πλεονεξίαν vocauit hic tranſlate à violentis auaris,qui per vim rapiunt alienum. Cuius verò ſtatus ac conditionis eſſent iſti, quibus in epiſtola ad Theſſalonicen.præceptum dedit,vt vnuſquiſque poſſideret vas ſuum in ſanctificatione,quod iam ſumus interpretati,ex eodem quoque loco intelligi poteſt: eoſdem enim,quibus hoc præceptum dedit, rogat ſtatim, vt quieti ſint, & res ſuas agant,& operentur manibus ſuis.agere autem res ſuas,& operari manibus ſuis,proprium eſt laicorum, quibus epiſcopi, preſbyteri, & diaconi ſpiritualia miniſtrant: qui quidem, quia eis operari manibus non ſemper vacat, & iuxta verbũ Domini,dignus eſt operarius cibo ſuo, carnalia pro ſpiritualibus ab eis accipiunt. neque hi dicuntur agere res ſuas,ſed potius res eccleſiæ,& animarum,quibus præ-

Prouer.5.

Locus epiſ.ad Theſſal.interpres loci epiſ.ad Heb.

Mat 10.

1. Cor.9.

ſunt. vt igitur in hoc loco epiſt. ad Theſſalo. ex circunſtantia conditionis perſonarum ſatis ſignificauit Apoſtolus, quibus perſonis de coniugij vſu præciperet: ſic itē in epiſtola ad Hebręos, vt ante dixi, ex circunſtantia quoque conditionis perſonarū planè ſignificauit, quibus præceptum de matrimonio honeſtè vtendo ſcriberet. Rurſus beatus Petrus in epiſtola priore laicis quoque idem, quod Paulus in epiſtola ad Theſſal. & ad Hebræos, præcipit, quod ex circunſtantiis item perſpici poteſt, Viri inquit, ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem tanquam cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes veſtræ. Impartiri vaſi honorem præcipit, id eſt, non in paſſione deſiderij, & libidinoſe. ſed temperatè & pudicè cum vxore conſueſcere, ceſſando ſcilicet ad tempus ex conſenſu propter orationem, ſicut Paulus Corinthiis præcepit. Cum ergo ſimiliter propter orationem præcipiat iſtis princeps Apoſtolorum, honorem vxoribus impartiri, ſcilicet abſtinendo ab eis ex conſenſu, ne orationes eorum impediantur, id eſt, vt vacent orationi, vt Paul. Corinthiis illis præcepit, Paulus verò præcepit illud laicis Corinthiis, vt ſatis antea demonſtrauimus, ſi quidem quia nolebant eſſe continentes, cōceſſit ſecundum indulgentiam, vt redirent in idipſum poſt intermiſſum cauſa orationis concubitum, cum tamen presbyteris, & diaconis præcipiat, vt docuimus, eſſe continentes: ergo & Petrus quoque idipſum non niſi laicis præcepit, ſi quidem vnus eſt ſpiritus, quo vterque ſcripſit. in presbyteris autem, & diaconis non hoc ſolum per cōtinentiam perpetuam cauetur, ne impediantur eorum orationes, ſed ne impediatur miniſterium eccleſiæ, ad quod eos in primis omni tempore præſto eſſe oportet. Sed videamus deinceps, quemadmodum Marloratus, Caluinianus miniſter locum epiſtolæ Pauli ad Hebræos in ſuis hæreticis Cōmentariis contra Pauli ſententiam interpretetur. idem enim cum eo Lutherani centuriatores ſentiunt.

De falſa interpretatione, & repugnante Auguſtini Marlorati in locum epiſtolæ ad Hebræos de honorabili coniugio in omnibus, contra Cœlibatum, & in locum epiſtolæ ad Timoth de viduis, quæ primam fidem negauerunt, & de vera interpretatione vtriuſque loci, ex propria virtute ſcripturarum ducta. Caput 14.

HOnorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, Simplex, inquit ſenſus eſt, nullum eſſe ordinem, qui à coniugio prohibeatur. deinde ſubiicit cauſam: Nam quod Deus, inquit, generi humano in vniuerſum conceſſit, omnes ſine exceptione decet. & ſubiungit, interpretandi gratia, omnes, inquam, qui coniugio apti ſunt, eoque opus habent. Prophetauit hic Marloratus, beneque interpretatus eſt, neſciens alioqui quid diceret coniugio enim non ſunt in nouo teſtamento apti, qui ſunt Deo in miniſterium eius cõſecrati, cum, ſicut ante demonſtrauimus, apertè Apoſtolus in epiſtola ad Titum epiſcopis, presbyteris, & diaconis, ſi vxores habeant, continentes eſſe præcipiat. Eſt autem continere, quod Græce dicitur ἐγκρατεῖν, à voluptate corporis abſtinere, vt Ariſtoteles quoque vim verbi docuit, niſi quod ille continentiam naturali prudentia metitur, qua omnem virtutem definit, nos verò prudentia ſpirituali metimur, quam beatus Petrus vocat γνῶσιν, interpres vertit ſcientiam, cum ait, ſubminiſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam. &c. Qui verò vxoribus, quas prius duxerunt, vti prohibet, poſtquam aſſentientibus vxoribus, ordinati ſunt, conſequens eſt ſecundum prudentiam ſpiritualẽ, vt etiam prohibeat, poſtquam iam ſunt ordinati, nouas ducere, ſi nunquam habuerant: aut alias, ſi priores mortuæ ſint, ſiquidem facilius ſit vitare conſuetudinem cum vxore, quam non habeas, quàm cum vxore, quam habeas. Nec item coniugio apti ſunt, qui votum continentiæ Deo fecerunt, quod quidem ſi non liceret facere, aut ſemel factum, non eſſet ſeruandum, non diceret Apoſtolus de viduis illis diaconiſſis adoleſcentioribus, quæ cum luxuriatæ fuerint in Chriſto,

nubere volunt, damnationem eas habere, quia primā fidem irritam fecerunt. quod quidem non poſſe intelligi de fide baptiſmi, & Chriſtianiſmo, vt perperam idem Marloratus interpretatur, vt multa alia prætercam, quæ mihi non eſt hic propoſitum refellere, ex ipſis Apoſtoli verbis ſatis demonſtratur, & in primis ex verbo καταϛρηνιᾶν, quod interpres latinus vertit, luxuriari. dicitur enim ϛρηνιᾶν, vt veteres Grammatici notarunt, παρὰ τὸ ϛέῤῥειν καὶ ἀποσπᾶν τὰς ἡνίας ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀλόγων ζώων μάλιϛα τῶν ὑποζυγίων, id eſt, ab habenis abrumpendis, tranſlatè ab animalibus, quæ iugū ſubeunt. Cum igitur verbum, hoc quo hic vſus eſt Apoſtolus, ſecundū etymologiam, aliquid moliri ſignificet contra iniectas ſibi veluti habenas coniugij cum Chriſto ſponſo, conſtat planè, non poſſe ad fidem baptiſmi referri, cum habenæ ad vinculum potius promiſſionis pertineant, ſicut ſcriptum eſt in Prouerb. Fortis laqueus labia proprij oris, quam ad fidem baptiſmi, quæ eſt, non promiſſio, ſed credulitas ſanctæ Trinitatis, & eorum omnium, quæ credit eccleſia catholica. confirmat autem, quod hactenus diximus, beatus Chryſoſtomus, is enim in homilia εἰς νεωτέραν χηρεύουσαν, id eſt, de adoleſcente vidua. interpretans verbum καταϛρηνιᾶν, quo Paulus eſt vſus, ſic ait, διὰ τούτου γὰρ ἡμῖν τοῦ ῥήματος αἰνίττεται, ὅτι αἱ τοὺς ἄνδρας ἀποβαλοῦσαι ἀντ' ἐκείνων ἁρμόττονται τῷ χριϛῷ, εἶτα δεικνὺς τὴν ἁρμονίαν ταύτην πρᾶον οὖσαν καὶ ἐπιεικῆ, τοῦτο τίθησιν, ὅταν γὰρ καταϛρηνιάσωσι τοῦ χριϛοῦ γαμεῖν θέλουσι καθάπερ τινὸς ἀνδρὸς ἐπιεικοῦς καὶ οὐ μετ' ἐξουσίας αὐταῖς κεχρημένου, ἀλλ' ἐῶντος ἐλευθερίαν ζῆν. Hoc, inquit, verbo ſignificat in ænigmate, iſtas, quæ viros amiſerunt, pro illis, Chriſto deſponderi. quomodo autem Paulus hoc verbo ſignificaret viduas iſtas de quibus loquitur pro viris amiſſis Chriſto deſponſas eſſe, niſi hoc ipſo verbo ſignificaret Chriſto ſponſo tanquam vinculo quodam alligari, ita vt aliis viris alligari non poſſint? Deinde, vt demonſtraret, inquit, huius deſponſationis lenitatem, & æquitatem, ponit hoc, cum luxuriatæ fuerint in Chriſtum tanquam in virum quendam æquum, & nō cum imperio eis vtentem, ſed potius libere eas viuere

Non de fide baptiſmi, ſed de fide promiſſionis loqui Apoſtolū in viduis illis, quæ primā fidem negauerūt, ex proprietate verbi καταϛρηνιᾶν & collatio Apoſtolicæ conſtitutionis liquet.

Prouer. 6.

Chryſoſt. de viduis illis apud Paul. quæ primam fidem negauerant.

ſinentem, nubere volũt eſt itaque viduas iſtas in Chri-
ſtũ luxuriari ſecundũ vim trãſlationis verbi Græci vin-
culũ fidei lene, quo ſunt in Chriſti cõiugio liberaliter
aſtrictæ, velle reuellere. Sed, vt Pauli ſententiam de vi-
duis ſtis codẽ Chryſoſt. interprete clarius adhuc per-
ſpiciamus, recitemus Græce, quæ in proxima homilia
περὶ μονανδρίας ſcripſit. interpretans enim accuratè hũc
eundem Pauli locum ſic ait, ὁρᾷς ὅτι οὐ τὰς χηρεύειν βου-
λομένας, ἀλλὰ τὰς γαμῆσαι προαιρουμένας μετὰ τὸ χηρεῦσαι
κωλύει ἐκεῖνος χηρεῦσαι, καὶ εἰς τὸν ἅγιον ἐκεῖνον καταστῆ-
σθαι χορόν. καὶ σφόδρα ποιῶν συνετῶς, εἰ γὰρ μέλλεις φησὶ
δευτέροις γάμοις ὁμιλεῖν, μὴ δὲ ἐπαγγείλῃ χηρείαν, τοῦ γὰρ
μὴ δ᾽ ὅλως ὑποσχέσθαι τὸ μετὰ τὴν ὑπόσχεσιν ἀγνωμονῆ-
σαι πολλῷ χεῖρον ἐστίν. ὥσπερ οὖν τὰς συνεχεῖς συνουσίας ἐπέ-
τρεψεν οὐ νομοθετῶν, ἀλλὰ συγγινώσκων αὐτοῖς, οὕτω καὶ ἐν
ταῦτα δι᾽ ἕτερον μεῖζον κακὸν τὸν δεύτερον γάμον ἐπέταξε,
δεικνὺς ὅτι καὶ τοῦτο συγγνώμης τῇ τῶν πολλῶν ἀσθενείᾳ συγ-
καταβαινούσης, ἀσθένειαν δὲ οὐ δυνάμεως ἀλλὰ προαιρέσεως
φημί. καθάπερ γὰρ ἡ παρθένος μετὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπαγ-
γελίαν διαφθαρεῖσα μοιχείας χεῖρον ἐτόλμησεν, οὕτως καὶ ἡ
χήρα ἅπαξ ἐπαγγειλαμένη, εἶτα πατήσασα τὰς πρὸς τὸν θεὸν
συνθήκας, ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν πεσεῖται, καὶ τῆς αὐτῆς ἐστὶ τιμω-
ρίας ὑπεύθυνος. εἰ δὲ χρή τι καὶ θαυμαστὸν εἰπεῖν. τάχα καὶ
πολλῷ μείζονος. οὐ γάρ ἐστιν ἴσον ὅπερ καὶ ἀρχόμενος εἶπον, τὴν
πεπειραμένην τοῖς αὐτοῖς πάλιν περιπεσεῖν πειρασμοῖς. inter-
pretemur nos eiſdem verbis, vides, inquit, quomodo
non eas, quæ viduæ eſſe volunt, ſed quæ nubere volũt,
poſtquam viduæ factæ ſunt, prohibet Paulus viduas
eſſe, & in chorum illum ſanctum cooptari, idq́ue pru-
dentiſſimo Conſilio? Si enim inquit, vis iterum nube-
re, ne promittas viduitatem. ſiquidem non præſtare
quod promiſeris longè peius eſt, quàm omnino non
promittere. Vt igitur Apoſtolus coniugibus permiſit
frequentes coitus, non quod hanc legem eis ferret,
ſed quod hoc indulgeret, ſic hic propter alterũ maius
malum ſecundas nuptias imperauit docens eſſe hoc
veniæ accommodatæ ad infirmitatem multorum, in-
firmitatem dico, non potentiæ, ſed voluntatis. vt enim
virgo, ſi poſtquam virginitatem promiſit, violari ſe
permittat, crimen adulterio grauius auſa ſit, ſic vidua,

quæ ſemel promiſit, & poſtea pactionem cum Deo factam conculcauerit, in peccatum incidet: & eodẽ ſupplicio tenebitur. imò ſi dicendum eſt, quod mirum videatur, fortaſſe grauiore. non enim par eſt, & æquale, vt principio dixi, expertam virum, & non expertam, in eaſdem tentationes lapſas eſſe. Deinde Apoſtolica cõſtitutio loquẽs de huiuſmodi viduis, lib. 3. cap. 1. ſcelus dicit eas committere, quia poſt promiſſionem, iterum nubant. Itaq; ἐπαγγελίαν vocauit, quã Paulus fidem, de eiſdem viduis loquens. conſtat autẽ, fidem eorum, quę credimus, quam in baptiſmo Deus donat, non eſſe, vt dixi promiſſionem, ſed habitum credulitatis à Deo infuſæ. Addit deinde idem Marloratus, Ne quis ſtultè imaginaretur, coniugium vulgò duntaxat hominum permitti, qui autem in eccleſia excellunt, debere eos abſtinere, omnem exceptionem tollit Apoſtolus: neq; tantum docet per indulgentiam concedi, vt quidã cauillantur, ſed honore dignum eſſe aſſerit. poſtea ſubiungit veluti epiphonema tali auctore dignum, hac tã præciſa denunciatione nõ fuiſſe territos, qui matrimonij prohibitionem inuexerunt mundo, pluſquam mirum eſt, hactenus ille. ſic itaque interpretatur falſus hic propheta, quod Paulus dixit, Honorabile connubium in omnibus, quaſi nihil aliud Apoſtolus voluerit, quàm aſſerere, laude dignum eſſe in omnibus ordinibus hominum, matrimonium atque ita verbum, quod deeſt in Græco, ipſe ſua interpretatione ſupplet, ſic enim vertit: Honorabile eſt in omnibus cõiugium. ſed ſi ita interpretandum eſſe putauit, neceſſarium eſt, vt idem verbum, eſt, intelligatur in eo, quod ſequitur, coniunctione, &, interpoſita, vt ſit, & thorus eſt immaculatus, in omnibus ſcilicet, hoc enim repetendũ eſt, ἀπὸ κοινοῦ, quæ eſt figura in Paulo, imò in omni ſcriptura ſancta frequens. Dicat ergo nunc Marloratus, & Magdeburgenſes, qui cum eo faciunt, an ſit in omnibus coniugibus thorus immaculatus, etiam in adulteris maritis? quod ſi non eſt, male igitur interpretatus eſt Marloratus. non enim ſupplendũ eſt verbũ, eſt. Dicat rurſus, an vbi thorus eſt pollutus, vt in adulteris, ibi ſit etiam connubiũ τίμιον, id eſt, in honore, an potius in probro,

Abſurda & repugnans loci de honorabili coniugio in omnibus, & thoro immaculato interpretatio.

& dedecore, atque infamia? quis hoc ſanæ mentis neget? non ergo hoc Paulus dicit, quod peſſimus interpres facit eum dicere, ſcilicet honorabile eſt coniugium in omnibus: nec eſt præciſa denuntiatio, vt Marloratus ait, qui miratur, non fuiſſe nos ea deterritos, quin potius præceptum eſt, ſupplendúmque verbum, eſto, aut ſit, vt dicat præcipiens, Honorabile ſit coniugium in omnibus, & ſit item thorus immaculatus in omnibus: id eſt, præcipio, vt omnes qui in coniugio ſunt, habeant illud in honore, & non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum, vt in epiſtola ad Theſſalonicenſes ſcripſit: & ne maculent thorum coniugalem ſcortationibus, & adulteriis ſicut in eodem quoque loco epiſtolæ ad Theſſal. præcepit. Vt autem hoc praeceptum ij, ad quos ſcribit, faciant, ſubiungit Apoſtolus minas ſupplicij, inquiens, fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. Itaque quod iſte auctor dixit, neque tantum docet Apoſtolus per indulgentiam concedi coniugium, vt quidam cauillantur, ſed honore dignum eſſe aſſerit, falſum eſt: non enim fuit Apoſtolo propoſitum laudare hic matrimonium, quod nuſquam niſi tanquam minus bonum, ne iis quidem, quibus licet concedit: Vnde contra eos, qui idem, quod nunc Marloratus, & Magdeburgenſes cum cæteris omnibus Lutheranis ante 1200. annos ſentiebant eruditiſſimè diſputans idem Sixtus 3. & explanans illud Apoſtoli, Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, & quæ ſequuntur, Interrogo te, inquit, cui potiſſimum placere ſtudeas, vxori, an Deo? ſi vxori, videberis Deo præpoſuiſſe luxuriam: ſi Deo vxorem habere quomodo poteris, quam qui habuerit, non ita, vt cœlebs Deo placere poſſe, Apoſtolo dicente, ſentitur. ſi & vxori & Deo, ineptam, & difficilem, & non ſecundum Apoſtoli definitionem videberis protuliſſe ſententiam: & te cœlibi præpoſuiſſe, qui Deo tantùm placet. ſi tibi, & Deo, & vxori ſimiliter placere poſſibile ſit, nihil proderit non accepiſſe vxorem, ſi accepiſſe nihil oberit: nihil enim obeſſe poterit, ſi Deo tã vxoratus quàm cœlebs placebit. & paulò pòſt: Nam illam ſententiam? quam ignorantibus proferre moris

1. Theſſ. 4.

S. Sixtus 3. in lib. de caſtitate.

eſt, Qui nubit, bene facit:& qui non nubit, melius facit, nuſquam Apoſtolum dixiſſe inuenies. Sed neque fieri poterat, vt alibi nubentem laudaret, qui dixerat alio in loco, Bonum eſt homini, mulierem non tãgere. Dic planè benefacere, qui luxurioſam filiam nuptum tradiderit, ne quid deteriùs exerceret. pater ergo laude dignus eſt, qui filiæ incontinentiæ prouiderit, quomodo, & Apoſtoli erga incontinentes, laudanda prouidentia eſt. Illi verò laudandi non ſunt, quatenus, quod erat melius perdiderunt. Deinde ſubiungit: Sic nobis intelligenda eſt ſcriptura, ne alicubi videatur ſibi contraria. Nuſquam enim inuenies Apoſtolum ſponte, & non aliqua cauſa, vel neceſſitate cogente nuptias indulſiſſe, quod perfacile probare poſſem, niſi longum eſſet per omnes eius epiſtolas currere, quibus magis ingerit in præſenti tempore mortificari nos cum Chriſto debere, quàm carnis expetere voluptatem. Hactenus Sanctus Sixtus martyr. Et hactenus reſponſum ſit propter Magdeb. idem ſentientes ad locum Apoſtoli ex epiſtola ad Hebrços, quem nobis Heerbrandus Tubingenſis doctor obiecit: & quem Marloratus miniſter Caluinianus corruptè interpretatus eſt. illud tamen hoc loco vice ſcholij addam, ne quis falsò exiſtimet, quæ ex ſancto Sixto allata nunc ſunt, ad reprehenſionem coniugij pertinere, abſit: non enim qui vxorem ducit, ſi ei licet, reprehendi debet, tametſi, vt S. Athanaſius in epiſt. ad Amum monachum ſcripſit, Parem gratiam non cõſequitur, conſequitur tamen, inquit, aliquam, quippe, qui ferat fructum numeri triginta. Beatus enim, ait qui in iuuentute ſua liberum iugum habens, natura ipſa ad gignendos filios vſus eſt. at his, de quibus loquimur, iugum coniugij non eſt liberum, vt ex ſcriptura demonſtraui, idcirco tantùm abeſt, vt gratiam conſequantur, conueniátque eis, quod Paulus etiam de legitimis coniugibus dixit: Vnuſquiſque gratiam, ſiue donum habet, alius ſic, alius verò ſic, vt potius damnationem habeant, quia primam fidem negauerunt vt de illis viduis dixit, quæ iam ad matrimonium non erant aptæ.

Hier. Thre. 3.

Reſponſio ad reliqua Heerbrandi Tubingenſis doctoris contra cælibatum: & de canone Niceni Concilii, & interpretatione eius, ex ſynodo Arelatenſi ante mille ducentos annos, & ex epiſtola Baſilii. Item de hæreſi contra ſacrum cœlibatum ante mille annos, iterum poſt Nicolaitas renouata. *Cap.* 15.

SEd pergamus deinceps reſpondere ad reliqua, quæ Tubingenſis doctor in eodem articulo obiecit. ait enim, ſicut etiam Magdeburgenſes, prohibitionem nuptiarum, doctrinam Dæmoniorum eſſe, idque pronunciare Apoſtolum. At nos nuptias minimè prohibemus, imò noſtros adoleſcentes, cum continentes eſſe nolunt, ad eas hortamur, illis tantum prohibemus, non quia malas (hoc enim Hæreticorum eſt) ſed quia non licitas, quibus ſcriptura ſancta prohibet, ſacratis ſcilicet, & voto continentiæ ſponte, & legitimè obligatis. Ab hac doctrina nunquam eccleſia noſtra catholica ab initio diſceſſit. Vos igitur ſcripturam Apoſtoli ad aliorum damnationem, deprauatis, qui quod in eos, qui nuptias tanquam malas damnant, ſcriptum eſt, in eos transfertis, qui non damnant nuptias, ſed cum Paulo eos dicunt damnationem habere, qui contra præceptum Apoſtoli poſt ordinationem, aut promiſſionem vxores ducunt: aut eis, quas ante duxerant, cum ex earum conſenſu ordinati ſint, vtuntur. Addit deinde Tubingenſis doctor contra decretum etiam Niceni concilij eſſe, ſed decretum non recitauit. Satis ei viſum eſt, ſi diceret contra decretum Concilij Niceni eſſe, vt hoc obiter bombycio, & ſuſurro pruritum aurium diſcipulis excitaret. Sed recitemus nos, & ex ipſo illo decreto ſynodi Nicenæ, quod iſte doctor vel non vidit, vel certè non intellexit, demonſtremus. Scripſeram quidem hæc iam pridem libro ſecundo de dogmaticis characteribus verbi Dei, ſed, vt cum Apoſtolo dicam, mihi eadem dicere non pigrum, eis autem, qui cœlibatum auctoritate ſynodi Nicenæ falſò nunc oppugnari lecturi ſunt, neceſſarium. Prohibuit, in-

Quibus ſint prohibitæ nuptiæ ſecundum ſcripturam.

Philip. 3.

quit,in vniuerſum magna ſynodus,vt nec epiſcopo, neque presbytero,neque diacono , nec vlli prorſus clerico liceret habere συνείσακτον,id eſt, mulierem,(vetus interpres ſubintroductam vertit)niſi fortè, inquit,matrẽ, aut ſororem,aut materteram , ſiue amitam, aut eas ſolùm perſonas,quæ ab omni ſuſpicione alienæ ſint. συνείσακτον dixit ἀορίστως,id eſt,infinitè, & ſine articulo, vt intelligeremus,quamcunque mulierem , ſiue vxor eſſet,ſiue non vxor. συνεισάκτους enim vocant Antiochenſes quaſcunque mulieres vt eſt in Euſeb. lib. 7. Eccleſiaſt.hiſtoriæ,inde dictas συνεισάκτους, quod in eodem conclaui,aut cella cum viris verſentur , quas Ancyrana ſynodus συνερχομένας vocat. Harum igitur conuictum cum iis,qui ſacri ordinis ſunt, ſynodus Nicena interdicit. excepit autem matrem,ſororem, materterã, ſiue amitam,& eas tantùm perſonas , quæ ſimiliter, vt iſtæ nominatæ,omni ſuſpicione vacarent. Ergo ſynodus,vt exceptionem dedit matri, ſorori, & amitæ , ac materteræ, quod hæ ab omni ſuſpicione liberæ eſſent, ſic etiam iis vxoribus dedit, quæ ita à ſuſpicione liberæ eſſent, vt mater, ſoror, aut matertera . Quare vxores quidem habere permiſit tanquam ſorores: eas verò vxores,quæ ſuſpicione non carerent,id eſt, quas ſuſpicio eſſet haberi non tanquam ſorores, non permiſit, quod ipſum ex ſynodo Arelatenſi 2. clariùs adhuc intelligi poteſt. hæc enim ſynodus canonem Niceni cõcilij ſequens , & velut eius interpres ante mille ducentos annos canone 2.ſic ſtatuit: Si quis de clericis à gradu diaconatus in ſolatio ſuo mulierem (ſic enim vertit συνείσακτον,quod,vt dixi,interpres vetus vertit, ſubintroductam)præter auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem,vel conuerſam ſuam vxorem, à communione alienus habeatur. conuerſam vocat vxorem clerici ſacri ordinis, quia continentiam promiſit, cum ordinationi viri ſui aſſenſa eſt. ergo vxorem clerici ſacri ordinis , cum qua habitare liceat , inter perſonas ab omni ſuſpicione liberas comprehẽſam eſſe,& exceptam Nicena ſynod vel teſtimonio ſynodi Arelat.voluit. Etenim ſi Nicena ſynod. inter perſonas ab omni ſuſpicione alienas,quas cum clericis ſacri ordinis habitare per-

Canon ſynodi Nicenæ de cœlibatu ſacri ordinis.

Euſebius Cæſ. lib.7.cap.30.

Synod. Ancyr. can.19.

Synodus Arelat 2.

Synodus Arelaten. ante mil-

mittit, noluit eorum vxores numerari, vt, ſi tales eſſent, cũ eis habitare liceret: ſin verò non eſſent, non liceret, profectò ratio ipſa neceſſario poſtulabat, vt eas nominatim exciperet, vt intelligeremus, quanuis ſuſpicione concubitus coniugalis non carerent, tamen, quia vxores eſſent, habitare cum eis, tanquam cum vxoribus, id eſt, eis vti liceret. Quod verò hoc eodem canone eadẽ ſynodus Nicena reliquis etiam clericis minoribus, vt lectoribus, & cantoribus prohibet habere ſecum mulieres de concubitu ſuſpectas, ne quis erret, & ne aliquis iſtorum nobis obiiciendum hoc putet, non de vxoribus eorum, ſed de aliis mulieribus ſynodus intellexit. ſiquidem de vxoribus minorum clericorum notus erat omnibus canon Apoſtolorum 26. qui illis permittit, & ducere vxores: & ductis vti. itaque ſynodus Nicena integrum de minoribus iſtis clericis canonem Apoſtolorum reliquit. Quod ſi Tubingenſis, & Magdeburg. non ſunt contenti antiquiſſimæ ſynodi Arelaten. interpretatione, & adhuc de decreto ſynodi Nicenæ pro continentia ſacrorum ordinum dubitant, legant epiſtolam magni Baſilij ad Gregorium presbyterum cui auctoritate decreti concilij huius Niceni iuſſit excludere vxorem adoleſcentem propter ſcandalum ſuſpicionis de incontinentia. Interpretabor epiſtolam latinè, quæ tanquam canonica inter canones eiuſdem patris Baſilij relata circũfertur. Legi, inquit. literas tuas tolerantiſſimè, illudq́ue miratus ſum, quod cum poſſes te mihi breui, & facile re ipſa excuſare, malis in crimine perſeuerare: & longa oratione vulnus periculoſum curare tentes. Nos verò, Gregori, neque primi, nec extremi legem tulimus, ne mulieres cum viris Deo dedicatis habitarent. Lege canonem æditum in Concilio Niceno, qui planè vetuit habere has domi mulieres. Cœlibum verò hæc eſt gloria, & ſplendor, mulierum conuictu carere, vt iam qui caſtimoniam nomine profiteatur, re verò ipſa ea faciat, quæ facere ſolent, qui cũ mulieribus habitant, perſpicuum ſit, hunc decus, & dignitatem ipſam virginitatis, aut caſtimoniæ appellatione tantùm conſectari, ab ipſa verò non honeſta voluptate non ſe temperare. Eo verò magis oportuit te

le ducentos annos interpres canonis Niceni de cælibatu.

Quod inter perſonas ab omni ſuſpicione liberas ad habitandum cum viris ſacri ordinis neceſſariò vxores eorum cõuerſæ in canone, qui extat, Niceni Conc. comprehenſæ intelligantur.

Can. Apoſt. 26.

precibus noſtris facilè acquieſcere, quod te ais liberatum eſſe omni libidine, & corporis laſciuia. nam neque te credo annos natum ſeptuaginta, libidinoſè, & incontinenter cum vxore viuere, neque quaſi aliquid turpe feceris, decretum fecimus: ſed quoniam nos Apoſtolus docuit, ne offenſioni aut ſcandalo eſſemus fratri. Scimus autem, quod à quibuſdam integrè fit, ſolere aliis occaſionem peccādi præbere: hac de cauſa præſcripta ſanctorum Patrum ſecuti, iuſſimus, vt vxorculam excluderes. Quis igitur chorepiſcopum criminaris, & veterum ſimultatum memor es? quid de nobis quereris, quaſi facilè calumniis aliorum excipiēdis aures patefaciamus? ac non potius te ipſum accuſas, qui non paſſus fueris ab iſta vxoria conſuetudine auelli? eiice ergo eam domo: & include in monaſterium, ſit illa inter virgines: & tibi miniſtrent viri, ne nomen Dei per vos blaſphemetur. Quamdiu verò in hac labe, & macula perſtiteris, nihil te iuuabunt tam multa iſta, quæ ad me ſcribis. quin potius vſque ad extremum vitæ à ſacrorum adminiſtratione vacabis, vacationiſque tuæ rationem referes Deo. Quod ſi auſus fueris, antequam vitam exueris, culpamque emendaris, ſacerdotio fungi, eris vniuerſo populo anathema, vt qui te receperint, omni eccleſiaſtica communione priuentur. Hactenus epiſtola Baſilij. Sed quia proprium eſt hæreticorum cauillari, id eſt, ſecundum interpretationem regulæ iuris, ab euidenter veris diſputando, ad ea, quæ ſunt euidenter falſa, breuibus mutationibus perduci, ſi negauerint iſti, vxorem fuiſſe Gregorij presbyteri, quā beatus Baſilius ſecundum decretum ſynodi Nicenæ eiicere ei iuſſit, reſpondeant, quæſo, nobis, cur non permiſit mulieri iſti, vt nuberet, ſi hoc mallet? cur, inquam iuſſit includere in monaſterium inter virgines? quod ſexta ſynodus canone 48. Epiſcopis iuſſit facere in ſuis vxoribus, poſtquam facti eſſent epiſcopi. Eat ergo nunc doctor Tubingenſis, & dicat diſcipulis ſuis, quos decipiendos ſuſcepit, contra decretum Concilij Niceni eſſe cœlibatum ſacri ordinis: & illam de Paphnutio narrationem pro decreto Nicenæ ſynodi, cum nihil minus quàm decretum ſit, amplectatur. Affirmet etiam, ſi pla-

Proprium hæreticorum cauillari.

Sexta Synod.

cet, cum Auguſtino Marlorato Caluiniano, ſemper eccleſiam Græcam ius coniugij epiſcopis confirmaſſe: hoc enim ille in Commentariis epiſtolæ ad Timoth. prioris cap 3. ſcripſit. Denique, pergite ſi vultis, dum Dominus venit renouare, & augere hæreſim Nicolaitarum de incontinentia diaconorum quæ olim ſemel profligata, & extincta, rurſus ante mille annos ſuſcitata fuit, & aucta, vt ex ſecunda ſynodo Turonenſi perſpici poteſt, quæ inter cætera ab antiquis patribus, vt teſtatur, ſtatuta. quæ de tramite canonico quorundam, vt ait, peruerſitate cernebantur deflexa, decretum de continentia tum ſacrorum ordinum, tum aliorum caſtitatem profitentium, diligenti cautione renouauit, vt cum ex aliis capitibus, tum ex 22. perſpici poteſt, in quo inter cætera ſic ait. Et quia hæreſis presbyterorum à quodam preſbytero primum ſurrexit, etiam quod nullus potuit exiſtimare, quod auderet ille, qui corpus Domini conſecrat, talia perpetrare, niſi tempore nouiſſimo pro peccatis noſtris iſta ſurrexerunt. deinde ſubiungit, ſi illi diaconi omnium ſententia Epiſcoporum damnati ſunt, & hæretici reputati, ac ſi tales diaconi illi ſubiaceant maledictioni, quos Patrum ſtatuta pro hac cauſa damnarunt, quid illi infelices preſbyteri, qui tali ſunt peccato ſubiecti, vt alios trahant in præceps ſecum, qui eos tali ordine viuere cernunt. vt qui deberent eſſe forma præcepti, ipſi inueniantur in vrna peccati. Illorum igitur Diaconorum hæreſim, cuius auctor fuit Nicolaus Diaconus vnus ex ſeptem, & illorum preſbyterorum, quæ tunc primum poſt Nicolaum ſurrexerat, nūc rurſus Lutherani renouarunt, quorum pars cum preſbyteris illis, & illis diaconis Nicolaitis erit.

Synodus Turo. 2. c. 20.

Hæreſis Lutheranorum, cōtra ſacrum cœlibatum ante mille annos ſuſcitata iterum poſt Nicolaitas.

Reſponſio ad reliqua Heerbrandi contra ſacramentum matrimonii, quod negat: & explanatio loci epiſtolæ ad Epheſios pro ſacramento matrimonii ex propriis ipſius loci cum adſtipulatione veterum patrum, & collatione aliorum locorum ſcripturæ ſanctæ: & de ſanctitate matrimonii fidelium, vnde exiſtat, & quomodo, quæ S. Sixtus 3. ſcripſit, Tubingenſem doctorem redarguant.

Cap. 16

SEd, quia ſemel cœpi reſpondere ad articulum 32. doctoris Tubingenſis, proſequamur reliqua, ne ille, ſi quid à me nunc prętermiſſum, & diſſimulatũ videat, cõtinuò ſuſpicetur, nihil me ad reſpondendum habuiſſe: cogor, itaque nihil diſſimulare: & ſi non inuitus facio, quod eo magis doctrinam, quàm Magdeburgenſes in epiſtola 2. Clementis de continẽtia ſacrorum ordinum accuſant, defendimus. Ait ergo Iacobus Herbrandus negans cũ Centuriatoribus Magdeburgenſib. imò cum omnibus Lutheranis, eſſe ſacramentum matrimonium, quod ſi omnino ſacramentum eſt, cur (inquit iſte) ab eius celebratione ſacrum hoc ſpiritualium hominum genus, cuius proprium eſt ſacramentum tractare, excluditur? nõ diſtinxit, de quibus hominibus ſacri ordinis; quos iſte genus hominum ſpiritualium vocat, quæreret, cur excludantur à celebratione ſacramẽti matrimonij, vtrum de iis, qui in coniugio ordinati ſunt: an de iis, qui extra coniugium: an de vtriſque? verùm ego, quia de vtriſque quæri exiſtimo, ſiquidem vtroſque ſoluunt Lutherani magiſtri lege continentiæ, de vtriſque reſpondebo. ac prius de prioribus, id eſt, de ordinatis in matrimonio, de quibus nunquam doctor iſte quæſtionem poneret, niſi exiſtimaret, nõ poſſe apud nos eſſe matrimonium ſacramentum, niſi coniunctio corporum licita vtcunque eſſet omnibus coniugibus. Itaque cum legeret apud Paulum epiſcopos, & presbyteros coniuges, coniuges vero ſecundum ſcripturã, iam non ſunt duo, ſed vna caro, conſequens eſſe arbitratus eſt, poſſe eos miſcere corpus cum vxoribus ſuis: non poſſe enim nihil aliud iſti eſſe videbatur, quàm à matrimonij ſacramento eos excludi, qui intra illud ante ordinationem erant. At non ita eſt. nec enim coniugium iſtorum deſinit eſſe ſacramentum, quia cœpit eis non licere, quod prius licuit. & de carnali fit ſpirituale coniugium, vt decis Leo Pont. ad Ruſticum Narbonenſem ſcripſit. Duplex ergo eſt vnitas carnis in matrimonio, vna ratione coniugij, quam quidam vocant vnitatem carnis ſecundum communitatem corporum vtriuſque coniugis: Tertull. in libro de velandis virginibus dixit fieri in

Duplex vnitas carnis in matrimonio.

vnam carnem per matrimonij nexum: efficitur enim per legem coniugij viciſſim corpus, ſiue caro vnius, corpus alterius: ita fiunt vna caro, ac proinde vna anima propter mutuum conſenſum coniugalem. De hac enim vnitate coniugum ait Propheta Malachias loquens de viro, & vxore: Et particeps tua, & vxor fœderis tui: nōne vnus fecit? & reſiduum ſpiritus eius? quem locum explanans beatus Cyrillus in Commētariis huius Prophetæ, particeps, inquit, tua, id eſt, ὁμόσαρκός σοι, vna, inquam, tecum caro: & tecum ſecundum legem copulata. nec aliter eam deus fabricauit: & reſidium ſpiritus eius, ſunt enim velut vnum corpus, ac ſic quodammodo etiam vna anima, copulante eos amore, ac lege diuina conſociante εἰς ὁμοψυχίαν, hoc eſt, in vnam animā. Hactenus Cyril. & beatus Hierony. reſiduum animæ, inquit, quaſi ſit vna anima in duobus. Hæc ergo eſt vnitas carnis per matrimonij nexum, quæ ex lege diuina matrimonij naſcitur, quæ ad ſacramentum matrimonij neceſſaria eſt, à qua non excluduntur, qui in matrimonio poſiti, poſteà ordinari voluerunt, & lege continentiæ ſecundum Apoſtolum obligari. Remanent itaque iſti in matrimonii ſacramento. quod quidem ſecundum ſpiritum excellentiùs celebrant, dum continendo coniugium Chriſti cum ſpiritu repræſentant. Altera vnitas carnis fit per corporum commiſtionem, qua matrimonium conſumari dicitur: & qua coniuges dicuntur fieri vna caro ſimul, vt eſt in c. verum Ex. de con. id eſt, per commiſtionem, hoc enim ſignificat in eo capite illud, ſimul, ſicque intelligendum eſt, quod ibi ait Alex. 3. non quaſi neget factos eos vnam carnem, qui non dum matrimonium conſumauerunt: facti enim ſunt vna caro, ſed nō vna caro ſimul, id eſt, non per corporum commiſtionem. Hæc autem vnitas communis quidem eſt cum eo, qui adhæret meretrici, quia corpus eius efficitur corpus meretricis, vt Apoſt. ait, erunt enim, inquit, duo in carne vna. Sed in coniugibus huiuſmodi vnitas carnis per commiſtionem honorata eſt, & legitima, atque incōtaminata: in aliis verò non cōiugibus fœda, & turpis, ac naturali, & diuina lege interdicta. Et licet coniugium, quod conſumatur,

Malach. 2.

Quæ ſit vnitas carnis per matrimonii nexū.

De vnitate carnis per commiſtionem in matrimonio.

1. Cor. 9.

magis repræſentet coniugium Chriſti cum carne noſtra, quam ſecum in vnitatem perſonæ hypoſtaticè copulauit, per quod factum eſt, vt ſecundum naturam de carne eius, & de oſſibus eius eſſemus, coniugium tamẽ continentium, vt ſpiritualius, & excellentius eſt ratione continentiæ, quæ proximè poſt virginitatem commoda eſt, vt Apoſtolus de Virgine ait, ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento dominum obſecrãdi, ita magis repræſentat cõiugiũ
1.Cor.7. Chriſti cum ſpiritu noſtro, quod eſt excellentius, & diuinius: caro enim, ſicut ſcriptum eſt, non prodeſt quicquam: ſpiritus eſt, qui viuificat. Hoc igitur matrimonium continentium tantò iam excellentius eſſe, vt paulò antè dixi, quantò ſpiritualius, & à carnali deſiderio, & coniunctione corporum liberiùs eſt, ac quantò diuiniore anagoge caſtiſſimum illud ac puriſſimum Chriſti, & eccleſiæ ſponſæ coniugium repræſentat, diuino ſpiritu Apoſt. P. in epiſtola ad Epheſios docuit. Quia enim præceptum dabat viris quidem, ſiue matrimonium conſumaſſent, ſiue non conſumaſſent, vt vxores tanquam corpora ſua diligerent, vxoribus verò, vt ſubiectæ eſſent viris ſuis, propoſuit eis exemplum Chriſti, & eccleſiæ ſponſæ eius, admonẽs viros, vt dilectionem ſuam erga vxores ad exemplum dilectionis Chriſti erga eccleſiam formarent: admonens item vxores, vt obedientiam ſuam erga viros ad exemplum obedientiæ eccleſiæ erga Chriſtum inſtituerent. Deinde, quia qui in matrimonio ſunt, iam non ſunt duo, ſed vna caro, vt Dominus ait, facti vnum vnitate carnis per vinculum coniugij, ne falſò exiſtimarent non diſtinguentes vnitatem carnis ratione coniugij, & vnitatem carnis ratione commiſtionis, oportere per ſolam coniunctionẽ corporum fieri vnum, ita vt, ſi non commiſcerent corpora, non fierent, vt iſte doctor Tubingenſis exiſtimauit, idcirco hortans Apoſtolus coniuges ad continentiam, ſi quidem bonum eſſet non tangere vxorem, vt in epiſtola ad Corinth. ſcripſerat, quod iam interpretati ſumus, docenſque eos, non opus eſſe concubitu, vt eſſent vna caro ratione coniugij, nec eſſe ad hoc expectandam conſumationem matrimonij, admonuit eos,

ad quos ſcribebat, vt intuerentur in coniugium myſticum Chriſti,& eccleſiæ, in quo ſine vlla concupiſcentia eſt vnio,& vt ita dicam, adhæſio eccleſiæ ad Chriſtum in vnam carnem,& vnum ſpiritum,quod eſt magnum ſacramentum in Chriſto,& in eccleſia. Sic hunc locum Apoſtoli, ne ſine auctore loqui videar,quod Lutherani magiſtri ſemper faciunt,ſic inquam,interpretatus eſt Gregorius cognomento Theologus, auctor in ſanctis ſcripturis eruditiſſimus. docens enim quod ſcriptum eſt, Erunt duo in carne vna. conuenire etiam in coniuges,qui ſe non tangunt,id eſt,qui ſunt continentes,coniugium, inquit. continentiū exemplo ſancit Apoſt. ſubiungens in epiſt. ad Epheſios, Sacramentum hoc magnum eſt,ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia:bonum eſt vxori,Chriſtum honorare per virum: & bonum eſt viro,eccleſiam honorare per vxorem ſcilicet continendo. Hactenus Gregorius. Sic etiam Sixtus 3. martyr, quem ſupra memini, in eodem libro de caſtitate interpretatus eſt, Ne quis inquit, hoc, quod ſcriptura dixerat, Et adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna,ab hominibus carnaliter implendum eſſe putaret, poſtquam dixit Paulus recitans legem de coniugio,& adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna:ſubiungit:Sacramentum hoc magnum eſt,ego autem dico in Chriſto,& in eccleſia. hactenus Sixtus. Sic item intellexit ſanctus Methodius martyr, auctor grauiſſimus, in Sympoſio decem virginum : interpretans enim hunc ipſum Pauli locum ex epiſtola ad Epheſios,& adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: ſacramentum hoc magnū eſt,ego autem dico in Chriſto,in Eccleſia. Si hunc,inquit, locum ſcripturæ ψιλῶς, id eſt, nude de coniunctione corporum viri, & vxoris accipere oportebat, quorſum Apoſtolus hæc memorans,& nos ad viam ſpiritualem deducens, allegoricè interpretaretur, ad Chriſtum,& eccleſiā referens? hæc Methodius,cuius quanta ſit apud veteres patres auctoritas,facilè ab iis, qui eorū libros legunt,cognoſci poteſt. à ſacramēto ergo matrimonij non excludūtur,qui in ipſo matrimonio,aſſentientibus vxoribus, & continentiam promittētibus,ordinati ſunt. qui ſic deinceps,

Locus epiſt. ad Ephe. de magno ſacramento in Chriſto, ex interpret Greg. Nazian, Sixti. 3. & Methodii mar.

S. Sixtus. 3.

habent vxores. vt ſint tanquam non habentes, ſicut idem Apoſtolus ait. quod quidem vt in laicis coniugibus liberum eſt, ſi tamen id ex conſenſu fiat: ſic neceſſariũ eſt in cõiugibus, qui in matrimonio ordinati ſunt. Qui verò ſine vxoribus ſunt ordinati, iure, & meritò excluduntur à celebratione ſacramenti matrimonij non propter ſacramentum ipſum, ſed propter vſum matrimonij, quia cum debeant neceſſario ſecundum Apoſtolum, eſſe continentes faciliùs ſit eis, vt antea dixi, vitare commiſtionem carnis, non habendo vxorem, quàm vitare habendo, ipſi itaque ſunt, qui ſponte ſua ſe à ſacramento matrimonij excluſerunt propter excellentiùs ſacramentum ordinis ſacri, cuius Apoſtolicæ legi de continentia parere neceſſe erat. nec enim eſt in carendo difficultas, niſi cum eſt in habendo cupiditas, vt Aug. lib. 3. de doct. Chriſti ait, de vxoribus enim loquebatur. Sic igitur reſponſum ſit ad quæſtionem Heerbrandi, ſimúlque expoſitum, ídque ſecundum ſcripturam, quomodo, & quando hoc ſacrum genus ſpiritualium hominum (ſic enim iſte irridendo ſacros ordines vocat) cuius eſt proprium ſacramentum tractare, à celebratione ſacramenti matrimonii excludatur, aut non excludatur. Reſpondeamus deinceps de eo, quod à nobis ſumptum, & in nos retorquens, contra ſynodum Tridentinam in ſuo illo articulo 32. per interrogationem argumentari cœpit, inquiens, vt iterum repetam, ſi matrimonium omnino ſacramentum eſt, cur ab eius celebratione hoc ſacrum genus ſpiritualium hominum, cuius eſt proprium ſacramentum tractare, excluditur? Eſſe igitur matrimonium ſacramentum, vel ex hoc Pauli loco proximè tractato ex epiſtola ad Epheſios, intelligi poteſt. cum enim recitaſſet Apoſtolus illa verba, quæ Adam per ſpiritum Dei dixit, vt veteres patres tradunt, in perſona omnium, qui poſteà ex eo oriundi, matrimonio iungendi erant, quorum diuina virtus in iis verbis ineſt, quæ mutuum conſenſum contrahentium ſignificant. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit, vxori ſuæ, & erũt duo in carne vna: ſubiungit ſtatim Apoſtolus, ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Ec-

1. Cor. 7.

Eſſe matrimonium ſacramentum ex loco Pauli ad Eph. & ex aliis locis ſcripturæ.

eleſia. Quare ſi hoc ipſum relinquere patrem, & matrem propter hoc, & adhærere vxori ſuæ, & eſſe duo in carne vna intra eccleſiam, quam Chriſtus ſecum ſpirituali coniugio copulauit, ſacramentum eſſe plane affirmat Apoſtolus, & ſic adhærere vxori, & eſſe duo in carne vna intra eccleſiam, nihil aliud eſt, quàm eſſe in matrimonio fidelium, ergo matrimonium fidelium eſt ſacramentum. ſiquidem de matrimonio loquens hic Apoſtolus, ad matrimonium ſpirituale Chriſti, & eccleſiæ tanquam paruum ad magnum illud refert, & cum eo comparat: ita vt coniugium duorum in carne vna ſanctum quidem ſit in viro, & vxore fidelibus, in Chriſto autem, & in eccleſia ſanctiſſimum. in illo enim eſt ſanctitas participata: in hoc verò ipſa per ſe ſanctitas, quæ eſt Chriſtus ipſe ſponſus eccleſiæ, qui cum anima ſe vnit, & ſuum cum ea matrimonium conſumat, vniens ſe ſecundum carnem, & oſſa, & ſpiritum in maximo illo, & diuiniſſimo ſacramento ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſicut ipſe dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, vt ego in eo. ſic enim Chriſtus nutrit, & fouet eccleſiam ſponſam: & ſic ſumus nos membra corporis eius, & de carne eius, & oſſibus eius, ſicut ſanctus Irenæus Paulum ſecutus in 5. libro contra hæreſes interpretatus eſt. imò ſanctus quoque Methodius in Sympoſio decem virginum ſic planè intellexit, cùm eos redarguit, qui Paulum reprehendebant, quaſi non bene ad Chriſtum retuliſſet ea, quæ de Adæ, atque Euæ coniugio in Geneſi dicta erãt. Hæc igitur ſanctitas matrimonij fidelium, quam in eo Chriſtus eccleſiæ ſponſus tanquam in imagine ſui cum eccleſia coniugij ſanctiſſimi operatur, magno honore, & reuerentia obſeruanda eſt, ſicut idem Apoſtolus præcepit, cum ſcribens ad Hebræos, ait: honorabile connubium, ſcilicet ſit. explicans verò, quomodo in primis honorandum eſſet, ſubiungit ſtatim: & thorus immaculatus. Hæc ſanctitas matrimonij Chriſtiani, ſi modo huic gratiæ non deſint coniuges ipſi, ſi inquam, hanc gratiam non extinguant, eos magnopere adiuuat ad caſtam generationem filiorum, & ad permanẽdum in fide, & ſobrietate, & omni puritate corporis, & ſpi-

Iren. lib. 5. c. 1.

Vnde exiſtat ſanctitas matrimonii fidelium: & ad quid adiuuet fideles cõiuges.

1. *Tim.* 2. ritus, vt ſic ſalui fiant, vt idem Paulus in epiſtola ad Timotheum ſcripſit. Loquens enim de vxoribus, quod ad viros earum ſimiliter pertinet, Saluabitur autẽ, inquit, per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide & dilectione, & ſanctificatione cum caſtitate. Hæc igitur gratia ſanctitatis, quam, vt dixi, Chriſtus in matrimonio Chriſtianorum operatur, matrimonium ipſum ſanctificat, & vt ſacramentum ſit, efficit. Præterea eſſe ſacramentum matrimonium, intelligi etiam poteſt ex Prouerb. Salomonis cum ait, Domum, & ſubſtantiam diuidunt patres filiis: à domino autem aptatur mulier viro, ſi cõſenſus viri, & mulieris, quo vterque alteri tradit ſui corporis poteſtatem, operatur nexum, & vnitatem duorum in vnam carnem, eiuſmodi verò nexus vnitatis coniugalis in iis, qui ſecundum fidem Chriſti contrahunt, operatur virtute Dei, ſi nihil obſtet, gratiã, qua conuenienter, & vt decet, ſint coniuges in matrimonio, ſequitur, vt ſit ſacramentum. Etſi enim in matrimonio infidelium à Deo etiam vxor viro aptetur, non tamen ſic aptatur, vt in iis, qui ſecundum fidem eius fiunt coniuges. hi enim ita aptantur à Domino, vt ſanctificentur per matrimonium, & ſaluentur per filiorum generationem, ſi, vt Apoſtolus ait, permanſerint in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. Quare, cum matrimonium ſanctificet interius, Deo per ſenſibilia ſigna conſenſus mutui duorum, myſticè gratiam ſanctificationis operante, ſequitur, ſacramentum eſſe. Rurſus ſi verum eſt in omni matrimonio etiam Iudæorum, quod Dominus per Prophetam Malachiam dixit: Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem tuam: ipſe enim eſt, qui per os Adæ dixit in omnibus coniugibus. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, & quæ ſequuntur, an non eſt credendum? imò impium non credere, in matrimonio eorum, quibus ſpiritum ſuum per fidem in baptiſmo abunde infudit, ita deum teſtificari, vt per teſtificationem eius coniuges fideles in tali matrimonio ſanctificentur, & per eum gratiam accipiant, quam infideles coniuges non accipiunt? erit igitur matrimonium fidelium, ſacramentum. Poſtremò ſi Chriſtus præſentia, & miraculo

Quid inter matrimonium fidelium, & infidelium interſit.

Matt. 2.

illo mutationis aquæ in vinum, nuptias honorare vo- *Ioan. 2.*
luit, non eſt credendum, ac multò etiam magis, velle
eũ honorare, & adiuuare matrimonium præſentia gra-
tiæ ſuæ, ſi ij, qui contrahunt per fidem eius, apti, & ido-
nei ſunt? Prætereà ſi in concubinatu eſt ſignificatiuè a-
liquid ſacramenti, id eſt aliquid ſigni rei ſacræ, ipſa ſci-
licet coniunctio corporum, quæ licet turpis ſit, & illici-
ta, vnionem tamen Chriſti cum eccleſia in carne ſigni-
ficat,, & repræſentat: ſiquidem in huiuſmodi quoque
coniunctionem illicitam conuenire, quod myſticè ſcri
ptum eſt in Geneſi, erunt duo in carne vna, Apoſtolus
in epiſt. ad Cor. cap. 2. interpretatus eſt, cum ait, qui ad-
hæret meretrici, vnum corpus efficitur cum ea. Erunt
enim, inquit, duo in carne vna. ſi inquam, in concubi-
natu eſt aliquid ſacramenti, vt explicatum eſt, quamuis
in eo, excepta hac commiſtione duorum in carnem v-
nam, nihil aliud inſit, quod coniunctionem Chriſti, &
eccleſiæ in myſterio repræſentet, ſiquidem non inter-
uenit mutuus conſenſus mutuæ traditionis corporum
perpetuæ, ſicut in inſtitutione matrimonij à principio
factæ continetur, conſequens eſt, vt in matrimonio le-
gitimo, in quo iſte mutuus conſenſus ſecundum legem
dei vnitatem carnis, per coniugij nexum operatur, non
aliquid ſacramenti, vt in concubinatu, ſed plenum iam
ſit ſacramentum coniunctionis Chriſti, & eccleſiæ, qui
ſunt facti vna caro, & vnus ſpiritus, quam vnitatem ſpi
ritus conſenſus ille mutuus in matrimonio myſticè re-
præſentat. hinc intelligi poteſt, vt hoc obiter obſerue-
tur, quod magnus Leo in epiſt. 95. ſcripſit, & à Gratia- *Decretum Leo-*
no relatum eſt 27. q. 2. c. Cùm ſocietas, vbi illud genus *nis de genere*
nuptiarum damnat, in quibus præter commiſtionem *nuptiarum quod*
ſexuũ. i. excepta cõmiſtione carnis, nihil eſt aliud, quod *damnat quomo-*
ſacramentum cõiunctionis Chriſti, & eccleſiæ habeat, *do intelligen-*
nempe, quia non interuenit conſenſus ille mutuus, qui *dum ſit.*
debebat, cũ ita fuiſſet à principio ſocietas nuptiarũ in-
ſtituta, vt interuenire deberet. illius enim mutui cõſen-
ſus vim continent illa verba, quæ Adã dixit in perſona
omniũ cõtrahentiũ matrimoniũ, hoc nũc os ex oſſibus *Quid myſticum*
meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo *ſit in cõcubina.*
patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. in huiuſmo

di ergo nuptiis, ſcilicet ſine conſenſu coniugali mutuò, & perpetuò, ac legitimo dicit Pon. Leo non eſſe matrimonium, quia neque myſterium ſiue ſacramentum fuit myſterium dixit, non aliquid myſterij ſiue ſacramenti. fuit enim aliquid ſacramenti, quia coniunctionem Chriſti, & eccleſiæ ſignificabant, quatenus facti erāt iſti vna caro licet turpiter, & illicitè. Nec enim nouum eſt, & inauditum in ſcriptura ſancta, vt aliquid turpiter factum, aliquid ſanctum in myſterio ſignificet. Vt beatus Cyrillus in Glaphyris (ſic enim vocauit allegoricas ſuas explanationes, quas in pentateuchum compoſuit) concubitum Iudæ cum meretrice, vt ipſe Iudas, exiſtimauit, dicit hoc myſterij ſiue ſacramenti habuiſſe, quòd ſignificabat deum laude, & confeſſione dignum iuxta interpretationem vocabuli Iudæ acceſſurum aliquando ad Iudæorum ſynagogam, copulans ſcilicet ſecum naturam noſtram, ac tradens ſe illi tanquam virgam virtutis, quod baculus ille Iudæ, ſignificabat: & tanquam ſimilitudinem atque imaginem dei patris, quod ſignificabat annulus, & tanquam ſpecioſum præ filiis hominum, quod ſignificabat ille torquis hactenus Cyril. Iam quod iſte doct. Tubingen. in ſchola Lutheri eruditus addit, cum creatione dei, ac creatura pugnare, qui ſacris ordinibus nuptias prohibeat, pugnat ergo etiam Apoſtolus cum creatione dei. creatura, & natura, cum de virginibus conſilium dat. non enim poteſt præceptum continentię repugnare creationi, & naturæ, quin conſilium quoque continentiæ eidem naturæ repugnet. Repugnat item creationi, creaturæ & naturæ, cùm ait idem Apoſtolus, ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem hoc enim vt ſanctus quoque Sixtus obſeruauit, ad exhortationem virginitatis referendum eſt: quare nemo, inquit, euidentis ſententiæ intellectum falſa interpretatione corrumpat. & paulò pòſt quaſi redarguens eos, qui cum Tubingenſi doctore iſto, & cum cæteris Lutheranorum magiſtris tradunt, cum creatione, creatura, & natura pugnare legem continentiæ ſacris quidem ordinibus impoſitam, reliquis verò ſolutis ac liberis non impoſitā, ſed ad inuitandum eos ſuaſorie, & laudabiliter propoſitā, ſub-

Quomodo aliquid turpiter factum, aliquid ſāctū, in myſterio repræſentet.

Secūdum doctrinā doctoris Tubingē. & Magdebur. pugnat Paul cum creatura, & natura in conſilio, quod de virginibus dat.

Redarguit S. Sixtus Tubingēſem, & eos qui cum eo faciunt.

iungit, Et ne quis diceret, quomodo ergo ſtare potuerit mundus? præuenit in ſequentibus dicens, præterit enim figura huius mundi: hoc eſt dicere, nolite, de eo ſoliciti eſſe, qui præterit: volo vos ſine ſolicitudine eſſe. debemus, & nos velle, quod Paulus, Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo. Et rurſus paulò poſt, Quomodo, inquit, ſtabit mūdus? quomodo humani generis origo conſiſtet, ſi procreationis cauſa non fuerit? ſatis prouidè, & rationabiliter, & prudenter. hoc ergo Chriſtus non vidit quando omnibus voluntate caſtitatis generaliter maximum præmium promittendo, omnes ſine dubio eſſe tales optauit. nec enim gratioſus, aut perſonarū acceptor fuiſſe credēdus eſt, vt eius præmij, cuius aliquos eſſe dignos voluit, non omnes optauerit. Sed fortè dum nimio caſtitatis occupatur amore, mundi, & creaturæ ſtatū oblitus eſt. O ſi illo tempore tales, quales nunc ſunt, conſiliarios habuiſſet, quid faceret? putas, credendo vitam ſuam reformaret? & quod caſtitati pollicitus eſt, nubētibus promiſiſſet? O nimia, & intolerabilis humanæ ſtoliditatis audacia, quæ vſque adeò prorumpis, vt te ſapientiorem Deo iudices. & paulò poſt, quæ ſtoliditas eſt, non magis homines ſimpliciter ſeruare quod ſciūt, quàm arguere quod neſciunt? deinde, quid tantum de mūdo ſolicitus es? vel quomodo te, vt alienum odiſſe poterit, cuius procurator exiſtis? Eritis, inquit, odio omnibus hominibus propter nomen meum, quibus? mundanis, ni fallor, atque carnalibus, qui nos idcirco odio habent, quia videmur aſpernari, quod diligunt. Et quomodo nōn diligit mundum, qui mauult præmium virginitatis amittere, quàm mundi ſtatum deperire? Et iterum paulò poſt ſic dicis, quomodo ſtabit mundus? quaſi æternitatem eius legeris, aut ita à Deo conſtitutum ſcias, vt perpetuò perſeuerare poſſit: aut ſi certus es, eum quandoque finiri poſſe. quiđ de eius ſtabilitate ſolicitus es? hactenus reſponſum ſit, & quidē à grauiſſimo, ac ſanctiſſimo auctore Sixto martyre iis, qui creationis, & creaturæ mundi, & naturæ aduerſus ſanctum, & diuinum cœlibatum patroni, & defenſores videri volunt.

Defenſio doctrinæ de obſeruatione vniformi paſchali : & quæ eius cauſa, ac neceßitas : item de obſeruatione vniformi diei dominici: & cur eam Magdeburgenſes nō audeant reprehendere. *Caput* 17.

In iis, quæ Magdebur. tradūt, nulla alia auctoritate niſi ſua apud ſuos vtūtur.

Magd. & cæteri Luth. tametſi inuiti ritum, tamen non celebrandi Paſcha cum Iudæis, vt à maioribus acceperunt nobiſcum tenent.

Cur magiſtri Luth. non audeant ſuadere populis, vt diem celebrandi Paſcha mutent, ne exiſtimetur neceſſarius.

SEd reſpondeamus deinceps ad reliquas accuſationes doctrinæ epiſtolarum. & de vniformi, inquit, obſeruatione paſchali Pij epiſt.1. & Vict. epiſt.1.] Sic hanc etiam legē Apoſtolicam eccleſiæ catholicæ traditam de celebrādo ſanctam reſurrectionem Domini primo Dominico poſt æquinoctium, & decimamquartam Lunam occurrente, inter traditiones humanas, quas Magdeburgenſes fingunt, & inter laqueos conſcientiæ, quos ſomniant, & inter commentitios cultus falſi meriti referunt, nulla alia auctoritate, niſi ſua apud ſuos vtētes, quæ ſatis eſt apud eos, donec vtrique reſipiſcant, ſi dominus voluerit, à laqueis Diaboli, à quo capti tenētur ad ipſius voluntatem. Interrogabo ergo vos Magdeburgenſes, vnde didiciſtis, tranſacto æquinoctio, die Dominico poſt decimam quartam lunam proximo, paſcha celebrare? non enim cum Iudæis celebratis. Vnde ergo didiciſtis? aut ſi hunc vobis ritum maiores veſtri tradiderunt, vt ab initio ipſi acceperunt: vos tamen non neceſſarium, vt catholicum, & apoſtolicum putatis, cur non audetis violare? cur non audetis ſuadere populis, ne paſcha die Dominico poſt 14. Lunam celebrent? cur inquam, niſi quia non permittit miſericors Dominus, vt tantum inſaniatis? cur vniformitatem (vt vocabulo veſtro vtar) obſeruationis paſchalis damnatis, quam violare tanquam neceſſariam, non auderis? aut cur non creditis, traditam eſſe à ſanctis Apoſtolis hanc vniformitatem, quam tanta religione per vniuerſas Orientis, & Occidentis eccleſias cuſtodiri auditis? & quæ tam neceſſaria ab eccleſia catholica iudicata eſt, vt 318. Patrum ſynodus Nicena ob Arianam ſectam, & cōtrouerſiam de paſcha habita fuerit? hoc enim teſtatur magnus Athanaſius in epiſtola ad epiſcopos Africanos: & ſubiungit, eo quod Syri, Cilices, & qui in Meſopotamia degunt, nobiſcum diſ-

ſentiebant in temporibus paſchæ, quòd eodem die cum Iudæis celebrabant. Sed gratiæ, inquit, domino noſtro, quia, & de fide, & de ſacro illo feſto in concordiam itum eſt. Sed recitemus de codice vetuſtiſſimo, qui eſt in bibliotheca Vaticana, decretum ipſum de paſcha excerptum ex actis ſynodi Nicenæ à Ioanne cognomento ἀπὸ σχολαστικῶν patriarcha Cõſtantinop. qui Imperatore Iuſtiniano decreta ſynodorum collegit, & in vnum volumen contulit τῆς ἁγίας συνόδου ἐν νικαίᾳ περὶ τοῦ ἁγίου πάσχα. πέπρακται δὲ οὕτως τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἱερᾷ συνόδῳ συνελθοῦσι ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ θεοσεβοῦς καὶ μεγάλου βασιλέως κωνσταντίνου, ὃς οὐ μόνον τοὺς προγεγραμμένους ἐπισκόπους εἰς ταυτὸν εἰρήνην ποιούμενος τῷ ἔθνει ἡμῶν, ἀλλὰ γὰρ καὶ συμπαρὼν τῇ τούτων ὁμηγύρει συζητεῖ τὰ συμφέροντα τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. ἐπειδὴ τοίνυν ἐξεταζομένου τοῦ πράγματος περὶ τοῦ δεῖν συμφώνως ἄγειν τὸ πάσχα ἅπασαν τὴν ὑπουράνιον ηὑρέθη τὰ τρία μέρη τῆς οἰκουμένης συμφώνως ποιοῦντα ῥωμαίοις καὶ ἀλεξανδρεῦσι, ἓν δὲ κλίμα τῆς ἀνατολῆς ἀμφισβητοῦν, ἔδοξε πάσης ζητήσεως περιαιρεθείσης καὶ ἀντιλογίας οὕτως ἄγειν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐν τῇ ἀνατολῇ, ὡς ἄγουσι ῥωμαῖοι καὶ ἀλεξανδρεῖς, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες, πρὸς τὸ πάντας ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τὸ πάσχα ἐπιτελεῖν. καὶ ὑπέγραψαν πάντες οἱ τῆς ἀνατολῆς οἱ διαφωνοῦντες πρὸς τοὺς ἄλλους. interpretemur latinè propter eos, qui græcè ignorant. Ex ſynodo Nicena de paſcha. Sic autem acta ſunt, quæ omnibus placuerunt, qui in ſancta ſynodo conuenerunt temporibus pij in Deum, & magni Imperatoris Cõſtantini, qui nõ ſolum epiſcopos ſuperius deſcriptos in vnum congregauit, vt pacem noſtræ gẽti faciat, ſed, & ipſe in eorum cœtu præſens conquirit, quæ eccleſiæ catholicæ conducunt. Quia igitur, poſtquã excuſſum, & expenſum eſt, oportere ab vniuerſis, qui ſub cœlo ſunt, vno modo agitari Paſcha, inuentæ ſunt tres partes orbis, quæ paſcha concorditer agunt, vt Romani, & Alexandrini, vna verò Orientis dubitat, & diſceptat, viſum eſt, vt ſublata omni quæſtione, & cõtrouerſia, ſic etiam agãt fratres, qui in Oriẽte ſunt, vt Romani, & Alexandrini, ac cæteri omnes, vt omnes vno die paſcha celebrent. Et ſubſcripſerunt omnes Orientales, qui ab aliis diſcrepabãt. Hactenus ex ſynodo

Quam neceſſaria iudicata fuerit ab eccleſia catholica vniformis celebratio Paſchæ.

Decretum ſynodi Nicenæ, de celebratione Paſchæ.

Nicena, quæ in vniuſmodi obſeruatione paſchali, quā Magdeburgen. in epiſt. Pij & Victoris damnant, nihil nouum ſtatuit, niſi, vt qui in Oriente diſcordabāt cum reliquis omnibus cuncti orbis, qui iam olim ſicut Romani, & Alexādrini paſcha agebant, non diſcordarēt. congruit cum hoc decreto epiſtola eiuſdem conc. Niceni ad Alex. eccleſiam, & Aegyptum in lib. 1. Theod. cap. 9. An igitur audebunt amplius Magdeburgen. ſynodo Nicenæ contradicere? aut quod ſtatuit, condemnare, aut iam olim ante tempora ſynodi Nicenæ vniformem obſeruationem paſchalem in cunctis cuncti orbis eccleſiis fuiſſe, negabunt? mirificè itaque cōgruit hoc decretum ſynodi Nicenæ cum epiſtola Victoris Pont. quam Magdeburgen. negant, in qua ad epiſcopū illius Alexandriæ, quæ in Aſia eſt in Oriente, Theophilum ante ſynodum Nicenam annis amplius 250. ſcripſerat, vt eodem die paſcha agerent, quo Romani agebant. Sed quia idcirco negabatis hanc vniformitatem paſchalis obſeruationis, quia non credebatis neceſſariam eſſe, & libertati euangelij, quam Apoſtoli prædicarunt, repugnare vobis videbatur, conſideremus pauliſper cauſam huius vniformitatis, vt ex cauſa neceſſitatem intelligatis. Quia enim Iudæi Christum in feſto ſuo paſchali captum, crucifixerunt, vt ſicut ſancti Apoſtoli in 5. libro Clementis de Conſtitutionibus Apoſtolicis interpretati ſunt, impleretur ſcriptura, quæ in pſal 73. dicit, Poſuerunt ſigna in medio ſolemnitatis ſuæ, & non cognouerunt. Debemus, inquiunt, nos eorum interitum, cum iſti feſtum agitant, flere, ſiquidem, & dominus ſuper ipſis fleuit, quod tempus viſitationis non cognouiſſent. Ob hanc igitur cauſam ſancti Apoſtoli, vt eis dominus præcepit, nobis tradiderunt, vt tranſacto æquinoctio poſt 14 Lunam, à qua Iudæi feſtum ſuum agitare cœperunt, tranſactis diebus noſtri ieiunij, ac noſtri fletus pro peccatis noſtris, & ruina Iudæorum primo die Dominico ſequente, paſcha noſtrū glorioſum vniformi obſeruatione celebraremus, ne vnquam contingeret, vt cum illi in feſto ſuo lætabantur, & vſque in hodiernum diem Iudæi lætantur, nos etiā cum illis in paſcha noſtro lætaremur. Quæramus

Ex cauſa vniformis celebrationis paſchæ intelligitur eius neceſſitas.

Pſal. 73.

ergo nunc à Magdeburgenſibus, an hanc cauſam vniformis obſeruationis paſchalis ad ſeruitutem pertinere exiſtiment, an potius ad charitatem, & pietatem, & eccleſiaſticæ religionis deuotionem? an non decet, vt Leo Magnus ad Epiſcopos Galliarum, & Hiſpaniarũ ſcripſit, vt diuinæ pacis conſortio, ſicut vna fide iungimur, ita vna ſolemnitate feriemur? & ne, vt idem ait, eccleſiaſtica deuotio aliquo turbetur incerto? Si vniformis obſeruatio paſchalis, quam damnatis, non eſt neceſſaria, vt diuina, & Apoſtolica, pertinétque, vt dicitis, ad humanæ traditionis ſeruitutem, ergo humana traditio eſt, ac minimè neceſſaria, ne cũ Iudæis paſcha celebremus, quod neceſſe eſt, vt euenire poſſit, ſi libera eſt obſeruatio. Iudaizemus ergo, & cum Iudæis lætemur. ac rurſus, qui cũ Iudæis in feſto paſchæ lætamur, quia iam vt Paulus Galatis ſcripſit, vniuerſæ legis debitores ſumus, agnum quoque cum azimis, & reliqua omni cęrimonia Moſaica comedamus. O Scribas doctos in regno cœlorum, quàm belle profertis noua, & vetera de theſauro ſanctæ ſcripturæ, & paternæ traditionis. Nos cum diem ſolemnitatis paſchalis vniformiter obſeruamus, non propter ipſum diem, qui ſolis, ac cœli conuerſione cõficitur, obſeruamus: alioqui ad ſolis iam, ac cœli, ceu elementorum culturam pertinere hoc videretur, vt id pertinebat, quòd illi Galatæ faciebant, obſeruantes dies. menſes, tempora, & annos, qui illorum conuerſione fiunt: ſed potius obſeruamus propter gloriã dominicæ reſurrectionis, quæ poſt obſeruationem decimæquartæ Lunæ proximo die Dominico propter noſtram iuſtificationẽ, & ſalutẽ facta eſt. Qui enim de hoc die ſolemnitatis paſchalis propter myſterium reſurrectionis Domini, ac ſalutis noſtræ dixit per Prophetam, vt eccleſia catholica ſecundum traditionem maiorum interpretata eſt, Hæc dies, quam fecit dominus, exultemus, & lætemur in ea: & rurſus in eodem pſalmo, Conſtituite dies ſolemnes in condenſis vſque ad cornu altaris, nónne hunc diem ſalutis noſtræ ad agendas gratias, & exultandum, ac capiendum in eo lætitiam ad Dei gloriam, vniformiter obſeruari, iuſtè, & ſanctè voluit? Interrogemus adhuc

Leo magnus.

Secundum doctrinam Magd. liberum eſt iudaizare.

Gal. 5.

Galat. 4.

Prophetia de ſolemnitate paſchali.

Pſal. 117.

De vniformi obſeruatione diei Dominici. miniſtros, & ſuperintendentes Lutheranorum, ſi nos ſingulis diebus Dominicis memoriam glorioſæ reſurrectionis feriãdo, & diuinis officiis ſeruiẽdo, vniformi religione obſeruamus, ex quo factũ eſt, vt illũ ipſum Pſalm. 117. quo prophetia reſurrectionis, & paſchalis ſolemnitatis continetur, diebus Dominicis omnes eccleſiæ catholicorum canant, an non oportuit ſemel ſingulis annis vnum inſignem diem dominicum huius ſolemnitatis vniformi quoque obſeruatione celebrare? vt ſicut ſemel mortuus eſt Dominus noſter, & ſemel reſurrexit, ſemel quoque paſſio eius lugendo, & ſemel reſurrectio lætando, celebretur? An, qui dixit; Hæc dies, quam fecit dominus: hoc dixit, vt ab aliis diebus diſtingueret, quaſi non omnes fecerit? aut qui dixit per eundem prophetam de hoc ipſo die reſurrectionis; Abraham exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt, ſignificauit ne aliquem diem eſſe, qui nõ ſit ſuus, & à ſe factus? quis hoc dicat? dies enim reſurrectionis Abraham in Iſaac iam ſecundũ deliberationem patris mortuo ſine interitu, & ad vitam voce Angeli reuocato, tanquam in typo cum ingenti gaudio expreſſam vidit, vnde illam in parabolam Chriſti *Heb.* 11. ſcilicet mortui, & reſuſcitati, ſicut Apoſtolus ait, accepit, ille, inquam, dies propter ſingulare beneficium ſalutis, & conſurrectionis noſtræ in eo die factæ dies Domini, & à Domino factus dicitur. Obſeruatio ergo Dominici diei toto anno vniformis per omnes mundi eccleſias, nec ad culturam aſtrorum, nec ad ſuperſtitionem obſeruationis paganicæ dierum, menſium, & annorum, nec ad vmbras Iudaicas, quæ iam præterierunt, pertinet, ſed ad pietatem, & religionem, ac gratam memoriam diuinorum beneficiorum, & ad diuinæ miſericordiæ recordationem proficit: nec ad traditiones humanas, nec ad ſeruitutem referri poteſt. Niſi fortè beatum Ioannem ſuperſtitioſum, & traditionis humanæ auctorem putatis, quia diem Dominicum *Apoc.* 1. obſeruauit: non enim dixit in Apocalypſi ſua, Vidi in quodam die, ſed in Dominico die. diem verò Dominicum appellauit, qui, vt Euſebius Alexandrinus antiquiſſimus pater, in homilia de die Dominico nota-

uit ante paſſionem Domini primus dies appellabatur: poſtquam verò eo die reſurrexit, vocatus eſt Dominicus. cuius vniformem obſeruationem tam neceſſariã, & tam religioſam idẽ Dominus eſſe voluit, vt ne quis aut ignoraret, aut diſcreparet, voluerit de ſe Domino diem Dominicum vocari, de quo, vt dixi prophetice ſcriptum eſt: Hæc dies, quam fecit Dominus. Cur igitur vniformis obſeruatio paſchalis, quæ ſemel fit per annum, à Magdeburgenſibus reprehenditur in epiſt. Pij, & Victoris? aut ſi hanc, quæ ſemel fit per annum, reprehẽdunt, cur vniformem obſeruationem diei Dominici, quę per vniuerſum annum octauo quoque die replicatur, reprehendere non audent? credo, lapidationem à populis metuunt. non enim permittit Dominus, vt ſic iſti pereant, quos adhuc ad pœnitentiam expectat. Sed hic dicere ſolent illi, ſe etiam aliquã obſeruationem dierum retinere, non tamen, quaſi in feriis ſit religio: aut quaſi fas non ſit, tunc laborare, ſed quia ratio, ſiue reſpectus politiæ, & ordinis, non dierum, habeatur. hæc enim nuper legi in Commentariis Auguſtini Marlorati Caluiniani in epiſt. ad Galatas. Sed reſpondeãt mihi, quæſo, Magdeburgenſes, pro ſe, & pro Marlorato politia iſta, quam dicit iſte, eſt ne politia Chriſtiana, cuius reſpectus habeatur? Si eſt, & nos hoc quoque dicimus, omnem diem Dominicum obſeruari non propter ipſum diem, neque propter ipſius diei veluti elemẽta, & principia, ex quibus dies exiſtit. Fuerit hoc Gentilium, & illorum Galatarum, quos Paulus reprehendit, neque propter vmbras futurorum. Fuerit hoc Iudæorum: ſed quia ratio Chriſtianæ politiæ, & ratio ordinis eccleſiaſtici cultus ſic ſecundum diuinã, & Apoſtolicam traditionem poſtulat, vt beneficiũ ſalutis noſtræ, id eſt, reſurrectionem Domini grata, & pia, ac crebra memoria vno modo per omnem Dominicum diem, & quotannis adhuc ſemel paſchali obſeruatione ſolemni, vno item modo, & tempore, ac die celebremus. Vnde Clemens Romanus lib. 7. de Conſtitut. Apoſtol. quem de politia inſcripſit, id eſt, de vita communi Chriſtiana, omnem Dominicum diem reſurrectioni Domini dicatum, obſeruare in

Euſebius Alexandri. de die Dominico.

Cur Magdeb. obſeruationem, vniformem Dominici diei non audeant reprehendere.

Quid excuſare ſoleant hæretici in obſeruatione ſua dierum.

Conſtitutio Apoſtolica de die Dominico feſto.

laudem Dei præcipit: hoc die, qui laborat, non ipſum diem offendit, ſed Dominum, cui dicatus eſt. Vnde idẽ Euſebius Alexandrinus, cuius paulò ante memini, in eadẽ homilia περὶ κυριακῆς, id eſt, de Dominico in eos, qui pauperum operas die Dominico conducere, beneficentiæ, & eleemoſinæ loco ponebant, qui (inquit) dicant, χάριν δῶμεν πένησι agite adiuuemus hodie pauperes, non intelligentes grauius ſe peccare. nemo enim qui aliena rapiat, & pauperi impertiat, mercedem accipiet. Sic tu diem Dei ne fureris, ne eũ pauperi tribuens, mercede careas. Vis pauperem adiuuare? ne diem Dei eripias: ſed diem tuum illi præbe. cum tui ſerui, tuiq́ue mercenarij, atque adeò boues tui operas tibi dãt, tunc pauperibus opem feras. Sin autem quietè eos priuaueris, vt eis præbeas, ſcit Deus, cuius ſit labor. Ne mandatum Dei trãſeas: ne ſcripturam audire deſinas, ne furto diem Dei tollas: ne quiete Dominici mercenarios, & ſeruos tuos ſpolies. hæc Euſebius. Hactenus de obſeruatione paſchali, & de obſeruatione itẽ vniformi omnium dierum Dominicorum, quæ ad illam vniformẽ paſchalem obſeruationem Domini, & ſanctorũ Apoſtolorum traditionem pertinet. De obſeruatione verò dierum feſtorum, quibus memorias ſanctorum celebramus, ſimiliter nõ pertinere ad obſeruationem dierum, quam Paulus in epiſtola ad Galatas, & Coloſſen. prohibet, etſi Lutherani omnes negent, apertè tamen docet ſcriptura ſancta, eccleſia catholica interprete: vt cum Apoſtolus præcipit, inquiẽs in epiſt. ad Heb. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. Eccleſia enim catholica tam per Orientem, quàm per Occidentem vbique memoriam ſanctorum diebus, quibus ex vita bonam confeſſionem confitentes, exierunt, feſtiuè celebrat: an nõ eſt hoc meminiſſe præpoſitorum noſtrorum, & in eorum exitum intueri ad imitandum fidem, & ſanctitatẽ eorum? rurſus idem Clemens Romanus lib. 5. de Cõſtit. Apoſtolorum in eorũ perſona præcipit obſeruare dies feſtos Apoſtolorum ad celebrandas eorum laudes in Dei noſtri cultũ. Si quis verò exiſtimet eſſe hanc κακο-

Euſebius Alexandrinus.

De obſeruatione dierum feſtorum, quibus memoriæ ſanctorũ ſecundum ſcripturã celebrantur.

Heb. 13.

πλασίαν, id eſt, ineptam fictionem quaſi non conueniret, vt quidam dicunt, Apoſtolorum modeſtiæ, vt dies ſibi dicatos feſtos agitare præciperẽt, reſpõdeat, quęſo, iſte, quid ad modeſtiam intereſſe putet, dicere, imitatores mei eſtote, ſicut, & ego Chriſti, quod Paulus dixit non immodeſtè, niſi fortè hoc etiam negaturus eſt, an dicere, In diebus exitus noſtri celebrate memorias noſtras ad laudem Dei, qui nos dedit vobis magiſtros, in quorum exitum intuentes, fidem noſtram imitemini. Sic ergo Apoſtoli diẽ exitus ſui celebrare iuſſerunt, vt diem exitus Iacobi fratris Domini, & idem exitus Stephani protomartyris in eodem libro de Conſtitut. Apoſt. feſtos agitare iuſſerunt. Denique ſicut Dominus in euangelio Matthęi dixit, Qui recipit vos, me recipit: & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, id eſt, quia propheta Dei eſt, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, id eſt, quia iuſtus Dei eſt, mercedem iuſti accipiet, id eſt, cum propheta, & iuſto remunerabitur. Iubet enim, ait Euſebius Alexandrinus, recipere prophetam, & iuſtum, non ſolum, vt illis benefaciamus, ſed etiam, vt ab illis adiuuemur, præmium à Deo ferentes. Similiter ergo qui celebrat, & laudat Martyres, & ſanctos in nomine ſanctorum, id eſt, quia ſancti Dei ſunt, mercedẽ cum eis accipiet. Sed recitemus quæ idem Euſebius Alexan. in homilia de ſanctis colendis, ſcripſit διὰ τοῦτο οὖν ἐκέλευσεν ἡμᾶς ἐπιτελεῖν τὰς τῶν ἁγίων μνείας, ἵνα δεξάμενοι τοὺς ὕμνους καὶ ἀκούσαντες τὰ ἐγκώμια δυσωπήσωσι τὸν φιλάνθρωπον θεὸν δέξασθαι χρονίους εὐχὰς ἡμῶν. χρὴ οὖν τοὺς μνείας ἐπιτελοῦντας τῶν ἁγίων ἐπιτελεῖν αὐτὰς μετὰ πολλῆς εὐλαβείας, ob hanc igitur, inquit, cauſam præcepit nobis memorias ſanctorũ celebrare, vt acceptis hymnis, & auditis laudibus benignum Deum exorent, vt preces noſtras caducas admittat. Oportet ergo, vt qui memorias ſanctorum celebramus, multa religione, ac reuerentia eas celebremus. Præcipit deinde inuitare pauperes in eiuſmodi diebus ad prandium, καὶ λογίσασθαι, ὅτι μάρτυρές εἰσιν οἱ ἀριστῶντες, id eſt, & exiſtimare martyres eſſe eos, qui prandent. Etenim ſi qui recipit, inquit, pauperes in nomine Chriſti, Chriſtum recipit ſicut ipſe dixit, pro-

Conſtitutio Apoſtolica de diebus feſtis ſanctorum.

1. Cor. 11.

Matth. 10.

Euſebius Alexand. de ſanct. colendis.

Euſebius Alex. de ſanctis celebrandis, & ornandis.

fecto, qui in nomine martyrum eos ipſos pauperes recipit, martyres recipit, & mercedẽ cum ſanctis habet? ſicut idem Dominus dixit, qui recipit prophetã in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Sic ſanctus Euſebius Alexan. de ſanctis colendis, & orandis ſenſit, & ſcripſit ex traditione Apoſtolica, quam in eccleſia Alexandrina reperit. quæ obſeruatio dierum ad colendos, & celebrandos ſanctos vſque in hodiernum diem per omnes eccleſias Orientis, & Occidentis viget. Fuit autẽ hic Euſebius, ne antiquitatem eius Mag. ignorent, ante annos 1300. quem Antherus 20. poſt Petrum Pontifex ſcribit in epiſtola ſua, tranſlatum fuiſſe ex parua ciuitate Alexandriam. Vt igitur hunc locum finiam, ſi ſancti cum in terra eſſent, legatione ſicut Apoſt. ait. pro nobis fungebantur, cur non item in cœlo, ac multo etiam magis fungantur? præſertim cùm vita cœleſtis ſanctorum, vt magnus Athanaſius ait, tota ſit ὕμνος ἄληκτος, ἔρως ἄπαυστος, εὐχὴ ἐκτενόμενος. id eſt perpetua laus, amor ſine intermiſſione, & continua precatio.

2. Cor. 5.

De obſeruatione dierum ad ieiunandum, & ad legendum in eccleſia ſcripturas, quomodo ſit ſecundum ſcripturas, & rurſus de obſeruatione paſchali, item ſecundum ſcripturam. **Caput 18.**

De obſeruatione dierum ad ieiunandum.

EST præterea alia obſeruatio dierum ad ieiunandum vitæ Chriſtianæ vtilis, quã Lutherani omnes ſimiliter, vt illam feſtorum negant. Tradunt enim ieiunãdum quidem eſſe neceſſitate corporis caſtigandi, ne ſuperbiat contra ſpiritũ, ſed non ſecũdum regulam, & præceptum. ſic enim ait idem Auguſt. Marloratus in Comment. epiſt. ad Galatas, qui, vt audio, dignum iampridem ſuo miniſterio ſortitus eſt exitum, id eſt, ſuſpendium. Sed quòd ſit obſeruatio iſta dierum ad ieiunandum, non ad elementa mundi pertinens, neque ad paganitatem, neque ad Iudaicas vmbras, ſed ad regulam, & præceptum vitæ Chriſtianæ, & catholici ordinis ſecundum Chriſti, & Apoſtolorum eius traditionem, ipſa etiam eccleſia ca-

tholica per omnes mundi partes vbique teſtis, & interpres eſt, & quidem diuinæ auctoritatis. Quod enim Dominus in euangelio dixit, cum reſponderet Phariſæis, qui reprehendebant, quòd diſcipuli Domini non ieiunarēt, vt diſcipuli Ioannis, Venient dies, cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus: quis eſt nunc præter iſtos, aut olim fuit præter Aerium hæreticum, qui tunc non videret, aut nunc non videat impletum eſſe in eccleſia catholica? aut quis neget pertinere ad obſeruationem dierum ſecundum regulam, quod Dominus dixit, ieiunabunt in illis diebus? qui enim iſti dies ſunt, quibus ablatus fuit? nónne quarta feria & ſexta? quarta enim factum eſt principium auferendi eum, ſiquidem eo die facta eſt pactio à Iuda cum Iudæis de prodendo Domino, ſexta verò crucifixus eſt, quibus diebus per omnes eccleſias totius Orientis ſemper ab initio ieiunatum eſt, & vſque in hodiernum diem ieiunatur, ſicut illis à ſanctis Apoſtolis traditum eſt. eccleſiis verò Occidentis, vt earum deuotioni magis congruere viſum eſt, ieiunium ſancti Apoſtoli ſexta feria tradiderunt, & pro quarta feria, ſabbato: his enim diebus, ſexta, inquam, feria, & ſabbato, quo corpus Domini, poſtquam ſublatus eſt de medio, in ſepulchro iacuit, vniformi obſeruatione ſecundum regulam eccleſiaſticam, quotquot tenera ætas, aut aduerſa valetudo non impedit, ieiunāt, id eſt, à carne abſtinent. Hoc enim eſt ieiunium quoddam, vt Ioannes Damaſcenus in libello de ieiuniis ad Cometam notauit, quod portionale ieiunium dici poteſt, vt Tertullianus in libro contra Pſychicos vocat: ſed recitemus iam, quæ ſanctus Epiphanius aduerſus Aerium hæreticum libro tertio, tomo primo Panarij ſcripſit, qui obſeruationem dierum ad ieiunandum negabat, vt intelligant Magdeburgenſes, & reliqui magiſtri Lutheranorum, cuius auctoris hæreſim, & quidem iam olim extinctam reuocare ſtudeant. quid igitur Aerius aduerſus Catholicos aiebat? Iudaicis fabulis, aiebat ille, addicti eſtis. non enim oportet Paſcha celebrare, Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus. videamus deinceps, quàm breuiter,

Matth. 9. Luc. 5.

Magiſtri Lutheranorum hæreſim Aerii renouant contra obſeruationem Paſchæ, & dierum ad ieiunādum.

& vehemẽter ſanctus Epiphanius, & eum, & iſtos per ſcripturã redarguat. videamus, inquit, eum, qui dixit, Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus, an ipſe Paſcha celebret? ſcriptum eſt enim in actis: & feſtinabat, ſi poſſibile eſſet, vt diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis. quam, inquit Epiphanius, Pentecoſtem celebrabat, ſi non Paſcha celebrabat? Nõ iudicauit ſanctus Epiphanius, opus eſſe longiore confutatione: vno vulnere cõfecit aduerſarium. Sed vrgeamus nos pluribus hunc locum: ſi Paulus non acceperat à Domino vllam obſeruationem paſchalem, & quidem vniformem, quam iſti, vt Iudaicam, tollunt, ergo nec obſeruationem Pentecoſtes habebat. niſi fortè exiſtimant iſti, feſtinaſſe illum ad Pentecoſtem Iudaicam, vt iam non ſolũ ſine vlla neceſſitate, ſed ſtudioſe etiam iudaizaret. Quod ſi obſeruationem nouæ, & euangelicæ Pentecoſtes habebat, hæc verò ex paſchali obſeruatione neceſſario pendet inde enim, & quidem vniformiter, ac ſecundũ regulam quadrageſimus dies aſcenſus in cœlum, & quinquageſimus dies aduentus Spiritus ſancti numeratur: ergo erat etiam Paulo obſeruatio Paſchalis vniformis. Etenim ſi non erat neceſſe, vt eſſet certa, & vniformis apud omnes credentes obſeruatio paſchalis, nec obſeruatio Pentecoſtes, quomodo diceret Lucas, Feſtinabat, ſi fieri poſſet, vt Pentecoſtem Hieroſolymis faceret, id eſt, celebraret? hoc enim ſignificat in ποιῆσαι, quo etiam verbo in eodem loco vſus eſt S. Epiphanius interpretans hunc locum ſcripturæ Act. 20. De certa igitur, & rata obſeruatione Pentecoſtes, id eſt, quinquageſimi diei poſt paſchalem obſeruationẽ reſurrectionis loquitur Lucas. alioqui non dixiſſet, Feſtinabat, neque enim neceſſe fuiſſet Paulo, feſtinare. Et rurſus in epiſt. 1. ad Cor. Permanebo, inquit, Epheſi vſque ad Pentecoſtem, quid incertius dici poterat, ſi non erat in Eccleſia Epheſi neceſſaria certa, & rata obſeruatio Pentecoſtes? Quis ſic loquitur, permanebo vſque ad Pentecoſtem, ſi obſeruatio Pentecoſtes libera eſt à certo die, ita vt pro voluntate, & nutu, aut tardius, aut citius, hoc aut illo die celebrari poſſit? quod ſi certa, ac præſcripta erat, igitur obſeruatio quoque paſchalis, &

1. Cor. 5.

Act. 20.

Magd. Paul. faciunt ſine neceſſitate, & ſtudioſe iudaizantem.

1. Cor. 16.

Epheſi, & Hieroſol. & vbique certa, & vniformis eſſe debebat. Quare ſi in epiſt. Pij, & Victoris hanc vniformem obſeruationem paſchalem vos Magdeburgēſes damnatis, damnate ſimul eandem obſeruationē in epiſtola ad Corinth. & in Actibus Apoſtol. imò propter ipſam illam obſeruationē negate has ſcripturas. Illud etiam hic addendum eſt, eſto, feſtinauerit Paulus Hieroſolymam, vt ad locum, & tempus Iudaicæ Pentecoſtes occurret idque conſulto, & accommodate ad infirmitatem fratrum, qui erant ex gente Iudæorum, eo ſcilicet conſilio, & quidem prudenti, ac ſalutari, quo facilius, ac tutius eoſdem fratres, dies obſeruando, rurſus à dierum obſeruatione poſtea auocaret. vt Timotheum circuncidit, quo circunciſionem auferret: ſacrificia adhibuit vt ritum ſacrificandi deleret. Sic enim beatus Chryſoſtomus illam Pauli obſeruationem Pentecoſtes accepit in homilia de vi miraculorum ad probandum reſurrectionem Chriſti maiore quàm aſpectus. in qua ita ſententiam ſuam concluſit εἰδὼς συγκατέβαινον θαυμαστὸν καιροὺς παρατηρεῖ ἵνα ἀπολύσῃ καιρῶν παρατήρησιν· περιτομὴν περιτίθησιν ἵνα παύσῃ περιτομήν· θυσίας προσάγει, ἵνα καθέλῃ τὴν παρατήρησιν τῶν θυσιῶν, ait enim idem auctor fuiſſe Apoſtolos more piſcatorum, qui cū ſentiunt, inquit, hamum à piſce deuoratum, nō ſtatim extrahunt: quin potius tandiu remittunt & ſequuntur, dum hamus benè infigitur: ſic fit, vt captum piſcē tuto extrahant. Concedamus ergo, ſi ita placet, illam Pauli feſtinationem pertinuiſſe ad hamum ſeruitutis œconomice iniectum: id eſt, referri poſſe ad obſeruationem, in qua hærebant Iudaicæ Pentecoſtes (tametſi ego quidem malim accipere cum ſancto Epiphanio de noua Pentecoſte noui teſtamenti, cum Spiritus Sanctus Hieroſolymis ſuper Apoſtolos ſpecie linguarum ignearum deſcendit) at illud, Epheſi vſque ad Pentecoſtem permanere, qui conuenit, ad Pentecoſtem Iudaicam referre? cum neque poſſet extra Hieruſalem ſacrificium fieri: neque ſine ſacrificio Iudaica Penteċoſte ſecundum legem Leuitici celebrari? De obſeruatione autem dierum ad ieiunandum, de qua paulò ante diſſerui, videte, quid etiam aduerſus eundem

Cogūtur Mag. qua ratione negant epiſt. Pij, & Victoris propter obſeruationem paſchalem, eadem negare ſcripturam.

1. Cor. 16.

Aetium hæreticum conſortem veſtrum, cum quo erit pars veſtra, idem ſanctus Epiphanius reſponderit, à quo, inquit, non aſſenſum eſt in omnibus orbis terrarum regionibus, quod quarta, & ſexta feria ieiunium eſt in Eccleſia definitum, ac præſcriptum? & rurſus idẽ Epiphanius in Compendio fidei catholicæ, Quarta verò, inquit, & ſexta ieiunium ſtatutum eſt, tradideruntque Apoſtoli, vt iis diebus ieiunia fierent, ita vt impleatur dictum hoc: Cum ablatus fuerit ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus, & non vt gratiam & beneficium exhibeamus ei, qui pro nobis paſſus eſt, ieiunium conſtitutum eſt, ſed vt cõfiteamur ad noſtram ſalutem paſſionem Domini, quam pro nobis ſuſcepit: & vt pro peccatis noſtris, ieiuniorum noſtrorum habeatur apud Deum bona ratio. hæc ſanctus Epiphanius. Sed obiiciamus nos rurſus iſtis reprehenſoribus, reſpondendi gratia aliam temporum, ac dierum in Eccleſia catholica obſeruationem ad lectionẽ ſanctarum ſcripturarum accommodatam, quæ quidem non pertinet ad legem illam ſeruitutis, quæ non poterat iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem: & quæ nõ obedientes ſtatim occidebat, ſed pertinet ad legẽ charitatis, quæ omnia refert ad perfectionem animarum. Etenim ſi quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam, ſicut Apoſtolus ait, ſcripta ſunt, vt per patientiam, & cõſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, profecto ratio capiendi vtilitatem ex lectione ſcripturarum, ac ratio in ſcientia myſteriorum proficiendi poſtulabat, vt quia alia myſteria noui teſtamenti aliis temporibus celebrantur, accommodatè ad illa ipſa myſteria lectio ſcripturarum per anni curriculum deſtribueretur. Hinc eccleſia Romana celebratura Natalem Domini menſe Decemb. commodiſſimè incipit à Nouembri legere prophetiam Ezech. vtpote qui in ænigmate electri, quod mixtæ naturæ eſt, nec auro, nec argento diſſimile, ſed veluti ex vtroque, vt ait Theodoretus, temperatum, cuiuſmodi eſt natura hominis non corpus ſolum, nec anima, ſed vtrunque; & in ænigmate ignis vidit ſimilitudinem gloriæ verbi incarnati, quam verè ſancti Apoſtoli in monte vide-

De obſeruatione temporum ad lectionem ſcripturarũ, & vnde profecta ſit ratio alia alio tempore ex ſcriptura ſancta legendi in eccleſia.

De lectione Ezechielis, & Danielis, & minorum prophetarum.

rant. vidit etiam in ænigmate quatuor animalium, & rotarum, atque alarum angelos, & eorum in miniſtrãdo, atque cognoſcendo proprietates, ſicut diuinus Dionyſius in cœleſti hierarchia cap. vlt. interpretatur, quæ viſio angelorum ad myſterium quoque Aduetus Dei in carne pertinebat, ſicut ſcriptũ eſt, quod nato Chriſto, ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: & in Matthęo ſcriptum eſt, Ecce Angeli acceſſerũt, & miniſtrabant ei. Accedit huc, quòd frequenter hic propheta Ezechiel vocatur in ſua prophetia filius hominis, quo admonebatur, ne eſſet immemor naturæ ſuæ mortalis, qui ad tam excellentem alioqui viſionẽ admitteretur. ſic Dominus frequenter ſe in euangelio filium hominis vocabat, vt veritatem naturæ ſuæ ab Adam profectæ oſtenderet, vt ex genealogia, quam Lucas texuit, conſtat: ſimulq́ue admoneret, quomodo cum eſſet alioqui filius Dei, dignatus tamen eſt fieri filius hominis. Poſt Ezechielem legitur Daniel, qui tempus Aduentus Chriſti ita diligenter notauit, vt annos etiam numeraret. Poſtea leguntur prophetæ minores, quia omnes prophetæ vno ſpiritu prædicebant vocationẽ gentium, quæ cœpta eſt in Aduẽtu Domini: & quia omnes, vt ait beatus Cyrillus, miſſi fuerant à Deo tanquam medici, vt populum terroribus, & minis futurorum malorum curarent. omnes enim prænunciabant bella, vaſtitatem vrbium, calamitatem, ſeruitutem, hoſtium ſæuitiã, ac funeſta omnia, ſicut ſcriptum eſt, Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas: & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. ſic Chriſtus miſſus fuit, vt curaret languores populi, qui erat verus propheta, ac dominus prophetarum, ac tandem occiſus eſt. hæc ratio legendi minores prophetas ante Aduentum. in Aduentu autem, id eſt, in Decembri vſque ad Natalem Domini, legitur Eſaias, quod hic propheta plura de Aduentu Domini, & de iis, quæ in Aduentu ſuo operatus eſt, & de vocatione gentium, & frequentius, & copioſius, ac luculentius, & dilucidius, quàm reliqui prophetæ, prædixit. In Natali *Luc. 13.*

leguntur tres lectiones eiuſdem Eſaiæ, vna, in qua eſt illud, Puer natus eſt nobis, Puer datus eſt nobis: in altera eſt prophetia de ſancto Ioanne Baptiſta præcurſore Ieſu Chriſti, Ego vox clamantis in deſerto: in tertia lectione eſt illud, ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum. Lectio Hieremiæ differtur in tēpus paſſionis propter lamentationes. à Dominica poſt Natalem vſq; ad ſeptuageſimam leguntur epiſt. Pauli, quia ſicut Chriſtus à rebus geſtis vocatus eſt prophetice, Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari, ſiquidem ſtatim vt natus eſt, antequam per ætatem conueniret ei, ſcire appellare patrem, aut matrem, iuxta prophetiam Eſaiæ cepit virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ, id eſt, conuertit ad ſe gentes, relicta idololatria, idola enim, in quibus gentes confidebant, vocat Propheta virtutem Damaſci, quæ erat metropolis Syriæ Idolis dedititiſſimæ, quod quidem perductum eſt ad effectū in Magis, qui fuerunt ex Arabia, ad quam olim pertinebat Syria, vbi eſt Damaſcus. vt Tertu. in Apologetico auctor eſt, ſic inquam, Paulus de tribu Beniamin, ſecundum prophetiā Iacob lupus fuit rapax, manè comedēs prædā, & veſpere diuidens ſpolia: quia cum eſſet ſpirās minarum, & cedis in diſcipulos domini, ferretque litteras principis ſacerdotum Damaſcum ad ſynagogas ad capiendum Chriſtianos, & ducendum eos captiuos Hieruſalem, de via conuerſus eſt ad fidem: & ſtatim cœpit ex lupo fieri paſtor, & recenter renatus Satanam ſpoliare. accedit huc. quod in epiſt. ad Rom. quæ legitur prima, ſtatim in ipſa ſalutatione ortū Domini ex genere Dauid celebrat: & in eadē epiſt. cōmemorat circumciſionem Domini ad confirmandas promiſſiones patrum. Deinde quia cum venit Chriſtus in mundū, etſi abundabat, vt Apoſt. ait, peccatum, omnes enim declinauerāt, & omnis caro corruperat viam ſuam, ſiquidē vbique dæmones colebātur, Dominus tamen memor pacti ſui, quod in diebus Noe fecerat, noluit delere terram, ſicut per Eſaiā promiſit inquiens, ſicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, ſic iuraui, vt nō iraſcar tibi. non. n. venit Chriſtus, vt iudicaret mūdū, ſed vt ſaluaret, quin potiꝰ voluit nos alio modo mirabili liberare, à pecca-

Eſ. 8.

Cur poſt Natalem vſque ad Septuag. legan. epiſt. Pauli.

Gen. 49.

Act. 9.

Rom. 15.

Cur à Septuageſima leg. ex Gen in eccle.

Eſa. 4.

ti, diaboli, ac mortis ſeruitute, inquam propter peccatum Adæ ventum erat, qua tenebamur vincti, cuius typus, ac figura fuerat illa ſeruitus Babylonica 60. annorum, liberare, inquam, per ſacrificium, & oblationem corporis ſui, idcirco valde opportunè poſt Natalem Domini à Septuageſima incipit eccleſia legere Geneſim in qua ſcriptum eſt de peccato primi parentis, in quo omnes peccauerunt: & quemadmodum omnis caro corruperat viam ſuam, & de Noë ſeruato, & de ſacrificio eius, de pacto Dei, de vocatione Abrahæ, & iuſtificatione eius ex fide obedientiæ ad immolandum filium ſuum. In octaua Paſchæ vſque ad octauam Pentecoſtes leguntur acta Apoſt. Apocalypſis, & epiſtolæ Canonicæ. cur verò acta legantur, vt de his prius dicamus, rationem reddit beatus Chryſoſtomus. Quærit enim in homilia, quam de ea re ſcripſit, cur miracula Apoſtolorum, quæ in eorum actis conſcripta ſunt, non poſt Pentecoſten, cum illa facta ſunt, in eccleſia legamus, ſicut de cruce (inquit) legimus in die crucis, quin potius acta legimus ſtatim poſt paſſionem? Quod verò obſeruatio iſta temporis ad legendum acta in eccleſia, neque Iudaica ſit, neque noua, ſed potius à ſanctis Apoſtolis tradita, teſtis eſt idem Chryſoſtomus: ſic enim ait, videamus deinceps, cur acta Apoſtolorum tempore Pentecoſtes legantur. Deinde ſubiungit cauſam, cur hoc quæratur, ἵνα ὅταν ἴδητε καιρῶν παρατήρησιν ἐντεταλμένην, μὴ νομίσητε πάλιν τάχα νοσεῖν ἰουδαϊκὴν τοὺς ἀποστόλους. ſcilicet hæc eſt cauſa quæſt. poſitæ, vt cũ videritis, inquit impoſitam nobis tẽporis obſeruationẽ, ne exiſtimetis, vitium Iudaicæ obſeruationis Apoſtolos cepiſſe. Interpretemur ergo latinè, quæ idem beatus Chryſoſtomus in homilia, quam diximus, ſcripſit, vt rationem huius obſeruationis explicaret. Poſt paſſionem, inquit, continuò reſurrectionem prædicamus: reſurrectionis verò fidem potiſſimum Apoſtolorum faciunt miracula. idcirco patres, vt ſtatim poſt crucem acta legerentur ſtatuerant: vt ſcilicet continuò poſt paſſionem, reſurrectionem oſtendamus. vt ſi oculis ſuſcitatum non vidiſti, oculis fidei videas: ſi his, inquam, oculis non vidiſti, at illis miraculis videas. Quod verò facere in nomi-

Cur in Octaua Paſchæ vſque ad octa. Pent. leguntur Acta Apoſt. Apoc. & epiſt. Cano.

Chryſoſt. de tẽpore lect. Act. Apoſtolorum.

Quod fieri miracula in nomine Ieſu Chriſti poſt reſurrect. maius argumentum erat reſurrectionis, quam ſi omnib. poſt reſurrectionem apparuiſſet.

ne illius miracula manifeſtius reſurrectionis argumentum eſſet, quàm ſi omnibus hominibus ſuſcitatus apparuiſſet, vel ex eo perſpici poteſt, quòd ſi aſpectus fidem reſurrectionis facturus fuiſſet, non recuſaſſet omnibus poſt reſurrectionem apparere. quòd nihil tamen aſpectus profuiſſet, facile intelligi poteſt ex Lazaro. Hunc enim cum iam quatuor diebus mortuum, tabefactum, & putreſcentem, ac ligatum ad vitam reuocaſſet, & ante omnium oculos viuum ſtatuiſſet, non ſolū non perſuaſit illis, ſuſcitatum eſſe, ſed potius irritauit eos, ita vt voluerint illum occidere. Alterum itaque ſuſcitauit, & non crediderunt: ſe verò ipſe ſi ſuſcitaſſet, & omnibus apparuiſſet, an non rurſus furore in eum perciti eſſent? Quare, vt eos illa inſania, & furore liberaret, latebat: ſed qui ſe ab eorum aſpectu ſubducebat, per miraculorum effectus ſe eis oſtendebat. Siquidem audire Petrum, cum aiebat, in nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula, non minus valebat ad probandum reſurrexiſſe, quàm videre eum ſuſcitatum. quod vel inde etiam probari poteſt, quòd ſurrexit quidem Chriſtus, oſtenditque ſe diſcipulis, inuentus tamen eſt, qui eis non crederet Thomas. Opúſque fuit, vt in fixuras clauorum manus mitteret, & latus tentaret. Quòd ſi diſcipulus triennio cum Chriſto verſatus, quo cum pranſus fuerat, cuius miracula viderat, cuius verba audierat, quem ſuſcitatum aſpexerat, non prius tamen ſurrexiſſe credidit, quàm vulnera eius cerneret, quomodo orbis credidiſſet? Hæc Chryſoſt. & reliqua in hanc ſententiam, quæ prætermitto, ne lõgius fiat. Hactenus de obſeruatione temporis ad lectionem Actorum in eccleſia, & quæ eius ratio, & quàm ſit vetuſta. Poſt acta legitur Apocalypſis, quòd, vt acta propter miracula Apoſtolorum, quæ in eis narrantur, ad probandam Chriſti reſurrectionem maximè valent, ſic Apocalypſis, id eſt, reuelatio Ioanni facta, teſtis eſt reſurrectionis Chriſti certiſſimus. Ipſe enim Ioannes teſtimonium perhibet, ſe vidiſſe, & audiſſe dicentem, noli timere, ego ſum primus, & nouiſſimus, & viuus, & fui mortuus: & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum. Poſt Apocalypſim leguntur epiſtolæ catholicæ, quia tria hæc miracula,

reuelationes, ac doctrina maximam vim habent ad probandam reſurrectionem. nec enim niſi reſurrexiſſet, in nomine eius ſancti Apoſtoli miracula feciſſent: neque reuelationes Ioannes vidiſſet: neque doctrinam de Christo, & myſteriis eius tradidiſſent. Ab Octaua Pentecoſtes vſque ad Calendas Auguſti legitur ex libris Regum & Paralip. tum quia ſancti Apoſtoli, poſtquàm per Aduentum ſancti Spiritus induerunt virtutem ex alto, armis ſpiritualibus tecti, ad bella ſpiritualia profecti ſunt, quorum figuræ erant illa regum Iuda, & Iſrael bella: omnia enim ſicut Apoſtolus ait, in figura contingebant illis: tum, quia nihil æque fortes animos in eiuſmodi bellis ſpiritualibus facit, vt fides reſurrectionis Chriſti. per hanc enim ſcimus, quòd qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit. vnde fit, vt facile propter Chriſtum vitam contemnamus. Deinde, quia qui paſſiones in huiuſmodi bellis, ac pugnis vincunt, ij ſunt, qui expulſis vitiis, virtutes comparant; idcirco poſt lectionem ex libris Regum, & Paralipomenum ſequitur à prima Dominica Auguſti vſque ad Calendas Septembris lectio ex libris Prouerbiorum Eccleſiaſte, Sap. Eccleſiaſtico, qui panaretos à beato Hieronymo dictus eſt .i. de omni virtute liber, cuiuſmodi ſunt ſuperiores libri Salomonis. Præterea, quia vt ſimus perfecti, & integri, in nullo deficientes, præcipit beatus Iacobus, vt patientia opus perfectum habeat, ob hanc cauſam commode adhibetur à Dominica prima Septemb. vſque ad Cal. Octob. lectio Iob, Tobiæ, Eſther, & Eſdræ, quòd in his libris exempla perpeſſionis malorum, & tolerantiæ, ac diuinæ tandem opis, & liberationis contineantur. Denique quia vniuerſa ſcripturæ ſanctæ lectio eò demum ſpectat, vt ab ea docti, & exemplis patientiæ ab eadem inſtructi, ac ſpe futuræ vitæ fulti, parati ſimus ad repugnandum peccato vſque ad ſanguinem, ſi opus ſit: idcirco extrema lectio ſcripturæ ſanctæ à Cal. Octobris vſque ad Cal. Nouẽb. ex libris Macchabæorum ſumitur, quòd in his libris ingentia illa pericula narrentur, quibus ſe Hebræi pro legibus patris obiecerũt: ac mors ſeptem fratrũ, & matris, quam fortiſſimis animis, ne legem Dei violarent,

De lectione Apocaly. & epiſt. catholic. in eccle. Cur poſt octa. Pen. legatur in eccle. ex li. Reg. & Paral.

1. Cor. 10.

2. Cor. 4.

De lectione Prouer. Eccle. Sap. & Eccleſiaſt.

Iacob. 1.

De lectione ex libris Maccbabæorum.

ſuſtinuerunt. Hactenus de obſeruatione temporum ad lectionem ſcripturarum in eccleſia. quam quidem obſeruationem cum priſca eccleſiarum conſuetudo defendat, & ratio ei patrocinetur, ſatis eorum impiam temeritatem redarguit, qui omnem dierum, ac temporum obſeruationem tanquam ad ſeruitutem veteris legis pertinentem ex eccleſia eiiciunt, vt Magdeburg. facere conantur. Hactenus de obſeruatione paſchali, & de aliorum dierum, ad ieiunia, & lectiones ſcripturarum in eccleſia obſeruatione.

Reſponſio ad accuſationem epiſtolæ Aniceti, de radendo caput Clericis in modum ſpheræ: & de propria ratione tonſuræ: & quòd tonſura non pertineat ad traditionem hominum, quam Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſ. damnat, ſed ad traditionem hominum ſecundum Chriſtum, quam probat. Et de exemplis traditionis hominum, quam damnat. & inter multiplices rationes, & Theorias tonſuræ Chriſtianorum, quæ ſit propria ratio eius in Clericis.

Cap. 19.

Accuſant poſtremò Magdeburgenſes in epiſt. Aniceti. quod iubeat Clericis radere caput in modum ſphæræ. Hac enim accuſatione exiſtimarunt poſſe auctoritatem detrahere toti epiſtolæ, in qua de ordinatione epiſcoporum continetur, & de Patriarchis conſtitutis à ſanctis Apoſtolis, & de epiſcoporum iudiciis ſecundum traditionem Apoſtolicam Romano Pontifici reſeruatis, quæ quo ſunt grauiora, quàm illud de tonſione capitis, tantò ſunt iſtis odioſiora. Sed videamus pauliſper, quid iſti de tonſura capitis Clericorum obiiciant, & quid Pontifex Anicetus ſtatuat: ac cauſam cum cauſa conferamus, ſi fortè errorem agnoſcant. hanc enim conſtitutionem Magdeburgenſes ad traditiones humanas, & ad corruptionem doctrinæ de libertate Chriſtiana, & ad laqueos conſcientiæ pertinere dicunt, ad quod caput multa, ad quæ iam ſuis locis reſponſum eſt, ſimiliter retulerunt: vt hoc deinceps, ad quod ordine reſpondemus, referunt. ac primum quidē

illud reprehẽſores iſtos meminiſſe hic oportebat, quod beatus Aug. lib. 2. de doctrina Chriſtiana ſcripſit, commoda, & neceſſaria hominum cum hominibus inſtituta eſſe, quæcunque in habitu, & cultu corporis ad ſexus, vel honores diſcernendos differẽtia placuit. Quare qui hoc de raſo capite Clericorum reprehenderunt, ſi rationi locum dediſſent, hoc docere debebant, neque commodum eſſe, neque neceſſarium ad diſcernendum eorum honorem, & gradum à laicis: quod cum non fecerint, quia neque potuerunt, ſatis hoc eos calumniæ conuincit ſed recitemus, quæ Pontifex Anicetus ad episcopos Galliæ ſcripſit. Prohibete, inquit, fratres, per vniuerſas regionum veſtrarum eccleſias, vt Clerici, qui laicis, & ſimplicibus virtutis, honeſtatis, pudicitiæ, & grauitatis exẽplar eſſe debẽt, ac ſeipſos tanquam ſignũ purioris vitæ, rudioribus ad imitationẽ prudenter exhibere, iuxta Apoſtolũ, comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant. deinde ſubiungit cauſam, quia ſicut, inquit, diſcreti debẽt eſſe in cõuerſatione, ita & in tõſura & in omni habitu diſcreti debẽt apparere. poſteà ſubiungit, hęc vobis, fratres, vt petiſtis, cuſtodienda mittimus, & cuſtodire præcipimus. Hactenus Anicetus. Intellexerant ergo epiſcopi Galliæ iã inde à principio, quàm eſſet neceſſarium, quo clerici omnes honeſtius, & innocentius viuerent, eſſentque (quod maximè epiſcopis, ac presbyteris conuenit) exemplum fidelium, ſicut Apoſtolus ad Timotheum ſcripſit, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, *Timo. 4.* quam neceſſarium, inquam, eſſet, vt habitu à laicis diſcreti eſſent, id eſt, vt eſſet talis vniuerſus habitus, qui clericos Deo proprie dedicatos & miniſterio eius adſcriptos deceret. quo ſemper, & omni loco admonerentur, vt ſicut eorum cultus, & habitus differt à cultu laicorum, qui negotiis, & curis huius mundi implicantur & cogitant, quæ mundi ſunt, quomodo placeant vxoribus, ſic quoque vita, & conuerſatio clericorum non eſſet qualis ſæcularium, ſed multo religioſior, & honeſtior, vt miniſtros ſanctæ eccleſiæ deceat. Cum igitur non nutrire comam omnibus etiam laicis, conueniat ſecundum Apoſtolum, ipſa etiam natura docente, tur-

Quid coma Nazaræorum ſignificaret.

pe eſſe nutrire comam (quod enim in lege, quæ velamen habebat, quouſque veniret Chriſtus finis legis, & ſumma omnis voti, Nazaræi comam ſine ignominia iuſſu Dei nutriebant, donec compleretur votum, vmbra erat futurorum) conſentaneum rationi fuit, & diuine inſtitutum, vt reuelata veritate per euangelium clerici non ſolùm non nutrirent comam, quod laicorum quoque eſt, vt dixi, ſed paulum etiam in ſumma parte capitis raderent, vtpote ſupra gradum laicorum poſiti, ita vt non ſolum orent aperto capite, quod laici quoque ſecundum Apoſtolum facere debent, ſed etiam aliquantulum raſo, quod quidem nec in alia parte capitis, nec alia forma decentius, & aptius fieri potuit, quam in modum ſphæræ. Etenim ſi vir ſecūdum Apoſtolum, non debet velare caput ſuum, quia, inquit, imago, & gloria Dei eſt, & eadem ratione non debet nutrire comam, quia nutrire comam eſt, quoddam velare, cum debeat clericus propter gratiam quæ data eſt illi per impoſitionem manus, ſtudere, vt ſit magis expreſſa imago, & maior gloria Dei, id eſt, vt ſit illi magis ſubiectus, hoc enim pertinet ad gloriam Dei, vt hoc loco Photius Conſtantinopolitanus in ſcholiis Pauli interpretatus eſt. nihil ergo neque rationi, neque naturæ, neque ſcripturæ accommodatius, neque congruentius inſtitui potuit, quàm vt clerici non ſolùm non nutrirēt comam, quod laicis quoque prohibitum eſt, ſed inſuper modicum etiam capitis in ſummo, decora rotunditate raderēt ad recordationem maioris ſubiectionis, quam Deo pro indignatione maioris gradus debent. vt iam quod ſignificat impoſitio manus, per quam datur gratia hierarchicè ordinatis (ſignificat enim, vt tradit diuinus Dionyſius, eſſe eos ſpecialiter ſub manu Dei protegente, à qua donum acceperunt, & cui ſubiecti in omni miniſterio eccleſiaſtico, & omni actione tāquam duci eſſe debent) hoc, inquam, ipſum ſignificet illa tonſura parua rotunda in vertice capitis, vbi manus imponuntur in ordinatione. ſic etiam Nicena ſynodus ſecunda intellexiſſe videtur, cum capite 14. prohibuit, ne eſſent in eccleſia lectores, qui ſine impoſitione manus tonſuram haberent, quaſi eſſet tonſura

Quæ ratio radēdi caput clericis in ſumma parte capitis in modū ſphæræ conuenienter naturæ, ſcripturæ, & rationi.

Photius Conſtant.

Diony. Areop.

Nicena Syn. 2.

index impoſitionis manus, vt in quo non eſſet impoſitio manus, tonſura eſſe non poſſet. Sed reuertamur ad Paulum, & videamus poſtquam præcepit viris non nutrire comam, & orare in eccleſia aperto capite, & mulieribus velato, quid ad perſuadendum ſubiunxerit. Si quis eſt, inquit, contentioſus, nos talem conſuetudinem nõ habemus nec eccleſię Dei: ſatis valida, inquit Theodoretus, ratio ad permouendos, ac flectẽdos etiam pugnaciſſimos, & contentionis ſtudioſiſſimos. ait enim non ſolùm ſibi hoc videri, ſed omnibus eccleſiis Dei. Idem nos nunc exemplo Pauli vobis Magdeburg. & cæteris omnibus Lutheranis reſpondemus, ſi pergitis contentioſi eſſe, & huiuſmodi tonſuras clericorum tollere, & improbare, nos talem conſuetudinem non habemus, ne eccleſiæ Dei. Luſtrate eccleſias Hiſpaniarũ, & Galliarum, imò totius Occidentis, ac veſtræ etiam nationis, quas hodie in Germania catholici habent tali clericorum habitu, & tonſura, quali eas ipſas eccleſias Patres, ac maiores veſtri, à quorum fide receſſiſtis, habuerunt. An ſi leuis fuiſſet, an nõ potius grauiſſima hæc ratio conſuetudinis eccleſiarum, eam Apoſtolus ſpiritũ Dei habens, ad retundendam contradicentium pertinaciam de coma viris non nutrienda, produxiſſet? quæro, vnde Galli conſuetudinem acceperunt, quam hodie in radenda ſumma parte capitis in modum ſphæræ omnes, qui impoſitionem manus in ordinatione acceperunt, religioſe, & eccleſiaſtice ſeruant? vnde, inquam, niſi à ſancto Aniceto martyre, & Põtifice, cuius epiſtola vſque in hodiernum diem ſeruata eſt? in quam quidem tunc fortaſſis aliquid ad obiiciendum habere videremini, ſi quod in ea ſanctus Pontifex Epiſcopis Galliæ ſcripſit, & iuſſit de diſtinguendo habitu clericorum à laicis, ſicut iidem Epiſcopi, vt ex ipſa epiſtola perſpici poteſt, petierant, & de radendo inſuper caput in modũ ſphæræ, vſque in hodiernum diem non omnes ſumma religione ſeruarent. Quod ſi hanc conſtitutionem cum ratione alioqui, & natura, ac ſcriptura, vt docui, congruentem, quia tamen non ſit in ſcript. ſancta, reiicitis, & vbi ſcriptũ ſit, vt radatur caput, quæritis, ego viciſſim quæro vbi ſcriptũ ſit, vt nõ radatur: ſic. n. antiquiſſimus

Tonſura index impoſitionis manus ſecundum ſynod. Nic. 2.

1. Cor. 11.

Theodoretus.

Quid reſpondendum ſit ſecundũ apoſt. Magd. ſi pergant tonſuras clericorum improbare.

auctor, & acerrimus traditionum defenſor Tertullianus in libro de corona militis ab iis, qui quærebant, vbi ſcriptum eſſet, vt non coronemur more Gẽtilium, quæ erat quoque Apoſtolica traditio, rurſus item quærit, vbi ſcriptum ſit, vt coronemur? expoſtulantes enim, inquit, ſcripturæ patrocinium in parte diuerſa, præiudicant ſuæ quoque parti ſcripturæ patrocinium adeſſe debere. Nam ſi ideo dicetur, coronari licere, aut in hac quæſtione licere non radi clericos, quia ſcriptura non prohibeat, æque, inquit, retorquebitur, ideo coronari non licere, & in noſtra quæſtione, licere radi, quia ſcriptura non iubeat coronari, ſicut neque iubet non radi. Quid, inquit, faciet diſciplina? an vtrũque reiiciet, quaſi neutrum præceptum ſit? ſed, quod non prohibetur, vltro permiſſum eſt: imò prohibetur, quod non vltro eſt permiſſum. & quandiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus, habentes obſeruationem inueteratam, quæ præueniendo ſtatum fecit? hanc ſi nulla ſcriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit. quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt? etiam in traditionis obtentu exigenda eſt, inquit, auctoritas ſcripta. ergo quæramus, an, & traditio non ſcripta, non debeat recipi? plane negabimus recipiendum, ſi nulla exempla præiudicent aliarum obſeruationum, quæ ſine vllius ſcripturæ inſtrumento ſolius traditionis titulo exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Hæc eruditiſſimus, & acutiſſimus Tertullianus, quibus vt illos in corona militis refutanda reuicit, ſic nos duobus verbis mutatis in tonſura clerici defendẽda iſtos reuincimus.

ad Tit. 1. Præterea dicite mihi, cum Paulus ſcripſit Tito, vt corrigeret, quæ deeſſent, & conſtitueret presbyteros per ciuitates, ſi non permittebat, vt vllas conſtitutiones quãuis vtiles, & ſanctas ſanciret, neque conſuetudinem vllam licet ſanctam, & commodam introduceret, niſi, quæ in ſcriptura oſtendi poſſet, cur non dixit, reliquiſſe illum, vt quæ iam conſtituta eſſent & correcta, ſeruari faceret, ſed potius dixit, reliquiſſe illum, vt ſi quæ deeſſent præter correcta, & iam conſtituta, illa inſuper corrigeret, hoc enim ſignificat præpoſitio in hoc verbo

ἐπιδιορθῶν

ἐπιδιορθῶν, ſicut in verbo ἐπιδιαιρεῖσθαι ſignificat præter diuiſionem factã inſuper diuidere, vt Apollonius Grãmaticus notauit. *Apollonius. Gramma.* Si quæcunque opus erant, in illa ipſa ad Titum epiſtola ſcribebat, cur ait nũc, vt quæ deſunt, corrigas? an non ſatis apertè ſignificat, non omnia à ſe conſtituta eſſe, quæcunque Cretenſibus opus eſſe poterant? nec enim, vt ait ſanctus Epiphanius libro tertio tomi primi contra hæreſes, ſcribens aduerſus Aerium, omnia ſtatim Apoſtoli conſtituere potuerunt. *Epiphanius.* Igitur cum Apoſtolus Tito præcipiebat, vt quæ deeſſent ſiue laicis, ſiue clericis ad viuendum, vt decebat, ea conſtitutionibus, & regulis corrigeret, ſiue ad cultum, & habitum, ſiue ad aliud quid pertinerent, an laqueos conſcientiis iniicere, & libertatem Chriſtianam corrumpere præcipiebat? aut quomodo corrigi poterant niſi nouis Conſtitutionibus? quas vos inuidioſo verbo traditiones humanas vocare ſoletis, vt dum ſic vocatis, tales eſſe credant ij, quos decipitis, quales erant, quas Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſen. eodem verbo exprobat pſeudoapoſtolis, cum ait, *Coloſſ. 2.* Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa huius mundi, & non ſecundum Chriſtum. De philoſophia enim inani fallacia permixta loquitur Apoſtolus, qualis erat illa multorum Gentilium philoſophorum, de quibus Clemens Alexan. doctiſſimus auctor in ſexto libro Stromatum, *Clemẽs Alex.* Alia, inquit, ſuffurati ſunt ex noſtris: alia malè audierunt: in aliis autem aliqua quidem dixerunt, imitantes, ſed ea non reddiderunt perfecta: alia quidem humana coniectura, & ratione, in quibus etiam labuntur. hactenus Clemens. De huiuſmodi ergo hominum traditione, & doctrina fallaci loquebatur Apoſtolus, qualis erat eorum, qui, vt ex iis, quæ paulò poſt dicit Apoſtolus, intelligi poteſt, ex natura, ac proprietatibus eorum, quæ lege Moyſis interdicta erant, ne ederentur, docebant eſſe adhuc in nouo teſtamento ab eis abſtinendum, vt ſue, verbi gratia, quia ſus, vt beatus Polycarpus in epiſtola ad Philippenſes ſcripſit, cum veſcitur non agnoſcit Dominum: cùm autem eſurit, tunc grunitu vocat Dominum: &

Cuiuſmodi ſit traditio hominũ quam Apoſt. in epiſt. ad Coloſſ. condemnat.

Policarpus ad Philip.

rurſum, ſi accipiat aliquid ad veſcendum, iterum grunitum ſiſtit. eſt quidem hæc natura ſuis, fatemur, falſum tamen eſt, vetare Moyſem ſuilla veſci propter hãc proprietatem veram, quæ ex natura ſuis exiſtit, quæ ſic eſt ex elementorum concretione compoſita, ac temperata. imò in ſpiritu locutus eſt Moyſes ſicut idem Policarpus in eadem epiſtola ait: iuſſitque non veſci ſue, id eſt, non adhærere iis, qui inſtar ſuum tantiſper dum voluptatibus perfruuntur, domini ſui tanquam ingrati immemores ſunt: cum verò egẽt, tunc Deũ agnoſcunt. Ipſa verò carne ſuilla veſci Moyſes ſecũdum litteram Iudæis prohibuit propter duritiam eorum, & vmbram futurorum, quæ vmbra cum iã præterierit, neceſſe eſt, vt ſimul lex illa de non veſcendo deſita ſit. ſimilis ratio eſt in aliis cibis prohibitis, vt ſepia, murena, polypo, quorum natura, ac proprietas eſt, vt idem Polycarpus notauit, non quidem natare, vt alij piſces natant, ſed potius in ipſo fundo tenebricoſo, & in terra habitare. verum non propter hanc naturam, vt illi falſò philoſophabantur, Moyſes eis veſci prohibebat, quaſi nunc propter eandem cauſam abſtinendum eſſet, ſiquidem eorum natura non ſit mutata, quin potius in ſpiritu prohibere voluit ſemper, cum iis verſari, qui ad profundum impietatis inſtar illorum piſcium deſcendiſſent. reuera autem ab illorum eſu, tanquam ab immundis Iudæos tunc propter eorum duritiem arcebat, vt ſicut ait Clemens in ſexto libro de conſtitutionibus Apoſtolorum, dum eiuſmodi obſeruationum vinculis in cibis ſcilicet, & potibus, ac variis baptiſmatibus, vt Apoſtolus ait, & aliis huiuſmódi alligati tenebantur, & ſuppliciis propter tranſgreſſiones eorum erant obnoxij, Dei, qui eiuſmodi vincula inieciſſet, recordarentur, quouſque veniret liberator, qui eſt Chriſtus Saluator noſter, qui nos à maledicto legis ſoluit, & legem impleuit, & illis iudicialibus, ac ritualibus partim ſublatis, partim mutatis, legem naturalem non ſuſtulit, ſed confirmauit. Erant ergo illa vetera futurorũ vmbra, id eſt, vmbra Chriſti liberatoris, & vmbra eorum, quæ ad legem libertatis pertinent. Quod ergo Apoſtolus dixit, Videte, ne quis vos decipiat per philo-

Clemens Ro.

Quæ cauſa tam multiplicium obſeruationum de cibis, & potibus, & aliis huiuſmodi in vetere lege ex Apoſt. conſtitutione.

ſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi huius, & paulò poſt, interiectis paucis, Nemo, inquit, vos iudicet in potu, & neomenia & cætera, clare iam docuit iſta eſſe, in quibus quidam falſo philoſophari volebant, quaſi propter cauſas aliquas, & proprietates naturales ea eſſent obſeruanda. ſed dicite mihi Magdeburgenſes, qui eiuſmodi traditionem hominum ſuſtulit, & damnauit, quam Apoſtolus vocat traditionem hominum per philoſophiam ſecundum inanem fallaciam, & elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, an non clare reliquit, & probauit traditionem hominum ſecundum Chriſtum? quorſum enim dixiſſet, ſecundum traditionem hominum, & non ſecundum Chriſtum, ſi nullæ eſſe poterant traditiones hominum non ſecundum elementa mundi, ſed ſecundum Chriſtum? Igitur qui tonſuram clericorum, tanquam traditionem hominum accuſant, doceant hanc traditionem hominum non eſſe ſecundum Chriſtum: aut ſi ipſi docere non poſſunt, cedant nobis, qui docemus eſſe eam ſecundum Apoſtolum, qui ſpiritum Chriſti habebat. In Pauli enim locum de coma non nutrienda viris intuens Anicetus, ſcripſit ad epiſcopos Galliæ, vt clerici, iuxta Paulum, comam non nutrirent: & deſuper caput in modum ſpehræ raderent. Quare ſi ſcribit pater Auguſtinus in epiſtola ad Caſſulanum loquens de variis ritibus eccleſiaſticis, in iis rebus, de quibus nihil ſtatuit ſcriptura diuina, morem populi, vel ſtatuta maiorum pro lege tenenda eſſe, quid illum de ſphærica tonſura clericorum in ſumma parte capitis, dicturum fuiſſe putatis, cuius eſt omnium eccleſiarum totius mundi conſuetudo, & ſtatutum Apoſtolici Pont. tum etiam aliquid in ſcriptura, affine, & cognatum de non nutrienda coma? beatus quoque Baſilius in regulis breuioribus cap. 1. in iis, quæ in ſacris literis non ſunt ſcripta, neceſſe eſſe ait, aliis ſubiici propter Deum. Quod ſi Apoſtolus præcepit, inquiens: ſubiecti inuicem eſtote, in timore, quanto magis ſubiectos nos eſſe oportet eccleſiaſticæ conſuetudini omnium eccleſiarum? quod quidem ſatis docuit Apoſtolus, cum contentioſis, & non

Coloſſ 2.

Quòd traditionem hominum ſecundum Chriſtum probet Apoſtolus.

Auguſtinus ad Caſſulanum.

Baſilius.

obedientibus, in ritu virorum de non nutrienda coma, & mulierum de velando capite auctoritatem conſuetudinis Eccleſiarum Dei obiecit, nos; inquiens, talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſiæ Dei. Illud præterea aduertendum eſt, quod Anicetus pontifex per epiſtolam ad epiſcopos Galliæ, ipſis & eorum clericis præcepit, non hoc eum ſtatuiſſe. primùm, facilè iudicari poſſe ex reliquis eccleſiis tum Orientis, tum Occidentis. ſiquidem vbique terrarum clerici ſummum capitis ſphærice, id eſt rotunde radant, quod ex Apoſtolica traditione profectum fuiſſe, non potuit ignorare pontifex Anicetus, qui Polycarpũ B. Ioãnis Euang. diſcipulũ Romæ vidit. Eſſe autẽ hanc traditionem Apoſtolicam teſtati ſunt ante nongentos annos ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis, & eum ſecutus Rabanus Maurus, auctor ſui ſæculi eruditiſſimus, item Ceolfridus Abbas in epiſtola ad Naitanum regem Pictauorum in Britannia. quæ eſt in quinto libro hiſtoriæ Anglicæ venerabilis Bedæ. ex Græcis verò Germanus Conſtantinopolitanus in libro de myſteriis ſacris. Quod verò alij aliam rationem huius Apoſtolicæ traditionis, & eccleſiaſticę conſuetudinis in huiuſmodi tonſura clericorum, quam vulgo coronam vocant, attulerint, nihil refert eiuſdem myſterij varias, & multiplices theorias eſſe, ex quibus illas ſemper anteponendas eſſe iudico, quæ cum ratione, cum natura, & cum ſcriptura magis conſentiunt: in quo quid mihi videretur, dixi ſupra. Neque verò, quia rationes traditionis huius attuli, quas aſſequi potui, ſi nullam aſſequi potuiſſem, idcirco minus firma traditio eſſet. ſic enim idem Tertullianus in eodem libro de corona militis, de quo paulo ante memini, ſcripſit, Porrò cum quæritur, cur quid obſeruetur, obſeruari interim conſtat. Ergo neque nullum, nec incertum videri poteſt delictum, quod committitur in obſeruationem ſuo iam nomine vindicandam, & ſatis autoratam conſenſus patrocinio, plane: ſic tamen vt ratio quærenda ſit, ſed ſalua obſeruatione, nec in deſtructionem eius, ſed & in ædificationem potius, quo magis obſerues, cum fueris etiam de ratione ſecurus. Conuenit præterea cum theoria, & ratione,

Qui ſint auctores, eſſe ex apoſtolica traditione tonſuram clericorum.

quam attuli, vt hoc quoque addam, nomen ipſum Papalitræ, quo hodie in eccleſiis Orientis vulgò tonſuram clericorum vocari audio, quia epiſcopi, & presbyteri per manus impoſitionem, quæ ſuper caput fit, cuius ſymbolum, vt ante dixi, eſt clericorum tonſura, gratiam poteſtatis acceperunt in ordinatione ad myſterium redemptionis noſtræ in myſtici panis, & vini conſecratione celebrandum. Lytron enim pretium redemptionis ſignificat. & ſacerdotes vocant papas. Hæc ergo gratia ſacerdotibus data per impoſitionem manus ſuper caput eorum, & per orationem conſecratoriam, quia ſpiritualis eſt, & oculis videri extrinſecus non poteſt, & opus erat, vt ſigno quopiam laicos à ſacerdotibus diſcernere poſſemus, non potuit à ſanctis Apoſtolis, neque rationi, vt ſæpius dicam, neque naturæ, neque ſcripturæ conuenientius, & aptius ſignum reperiri, & inſtitui, quàm huiuſmodi ſphærica tonſura in vertice capitis. Hanc gratiam poteſtatis verum cibum & verum potum myſtici conuiuij, id eſt, myſteria corporis, & ſanguinis per myſticam benedictionem conficiendi ad replendas animas ſempiterna lætitia, cuius poteſtatis eſt index tonſura capitis, vocaſſe videtur Eſaias lætitiam ſempiternam ſuper caput eorum, cum de ſacerdotibus noui teſtamenti prophetaret, vt nos in libro ſecúndo de hierarchicis ordinationis cap. 8. collato euangelio demonſtrauimus. Non enim de capite communi omnium Chriſtianorum, qui eſt Chriſtus, loquitur Propheta, ſed de capite proprio ſacerdotiscuiuſque, in quo per impoſitionem manus ſacerdos tantum ad hanc lætitiam, myſteriorum efficiendam ordinatur. hac ratione ceſſit nobis ſacerdotibus in lætitiam, vt ait Germanus Conſtantinopolitanus, quod legitur factum eſſe Petro Principi Apoſtolorum à gentibus, vt quaſi amenti, & inſano caput ei ad irriſionem raderetur: etſi alij non à Gentilibus, ſed ſponte ſua attonſum eſſe aiunt, ad recordationem paſſionis Chriſti, cuius capiti ſpinea corona impoſita fuit. Sed hæc recordatio communis omnium Chriſtianorum eſſe debet, vt illud quoque omnium noſtrum commune eſt, venditos fuiſſe ſub peccato, & imperio diaboli, vt ini-

Quomodo in eccleſia Græcorũ vocent, quã nos coronam, & quæ ratio nominis.

Eſa. 61.

Germanus Cõſtantinop.

Quæ ſit propria ratio tonſuræ clericorum inter tam multas.

quæ ab aliis auctoribus allatæ ſunt, quæ in omnes fideles conueniunt.

micos Dei, tanquam ſub corona, vt olim hoſtes à Romanis vendebantur: item liberatos eſſe per Chriſtum regem noſtrum, commune eſt omnium fidelium, prætereà etiam, eſſe regale ſacerdotium ſpirituale videlicet; commune eſt omnium Chriſtianorum ex baptiſmo: item eſſe Nazaræos ſpirituales, quod verbum ſanctos ſignificat, qui debemus non nutrire comam, ſed potius tondere caput, poſtquam Chriſtus caput noſtrum venit, in quo completum eſt votum & promiſſio Patribus facta, ac velamen legis ſublatum, commune eſt omnium laicorum fidelium: vt iam his de cauſis non ſit clericorum propria corona, ſed ſit propria ex ſola ordinatione. ſola itaque impoſitio manus reſtat, quæ vt propria clericorum eſt, ita eorum eſt propria tonſura capitis in vertice, quæ ad illam propriè ſignificandam, Apoſtolice inſtituta eſt. & hæc hactenus. Deinceps de teſtibus.

Reſponſio ad id, quod Magdeburgenſes de Euſebio Cæſarienſi, & Hieronymo, ac Damaſo obiiciunt, quod de epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum non meminerint. & de quibus epiſtolis Damaſus mentionem fecerit, & de modo, quo vitas pontificum ſcripſit. Cur Leo IIII. de epiſtolis pontificum Apoſtolicorum non meminerit, vbi aliorum poſteriorum pontificum epiſtolas commemorat. Item de decretis harum epiſtolarum, quæ Gratianus in ſuo volumine decretorum earum auctoribus aſſignauit, & de decretis quibuſdam epiſtolarum, quæ in iis ipſis epiſtolis, ex quibus ab eo citantur, non reperiuntur, Item de vno tantum teſte à Magdeburgenſ. producto ad dicendum teſtimonium contra epiſtolas pont. & quid ille contra Hieronymi, & Damaſi, quos citat, ſententiam finxerit, vt differentiam epiſcoporum, & presbyterorum tolleret.

Cap. 20.

Confutatis iam, quantum mediocri diligentia potuimus, quæcunque in criminibus contra epiſtolas priſcorum pontificũ Centuriatores obiecerunt, aggrediamur locum de teſtibus, quos in eaſdem epiſto-

las produxerunt: quorum teſtimonio, vt quibus maximè confidebant, in extrema parte accuſationis ſuæ recitarunt, ne vllas partes boni accuſatoris præuaricando prætermitterent. Reſpondebo igitur hic prius de veſtris teſtibus: poſteà de noſtris. Euſebius, inquitis, earum epiſtolarum mentionem non facit, neque Hieronymus: cum tamen alia ſcripta cuiuſlibet magni doctoris ſcrupuloſe etiam annotare ſoleant] Ecquod iſtud genus eſt producendi teſtes, qui nihil dicant, neque dicere poſſint, quia de quibus iidem rogantur, nihil audierint? Sed nec illud mirum videri debet, non omnia omnium ſcripta ad notitiam, vel manus Euſebij, aut Hieronymi veniſſe. imò nonnunquam interuallo non ita lõginquo ſcripta etiam obſoleſcunt, & tanquam obliterata nouis cedunt: quæ difficile ſit poſtea, & ſi maximè velis, reperire. Epimenides poeta alioqui celebris poſt quinquaginta annos à multis non cognoſcebatur, vt Marcus Varro lib. 6. de lingua latina teſtatur: Teucer Liuij poſt decem annos à multis item ignorabatur. Sed neque ſcriptoris induſtria ait, idem auctor, reprehendenda eſt, quòd Herois tritauum, aut atauum non potuerit reperire, cum ipſe tui tritaui matrem non poſſis dicere. Qui multa dixerit commodè, potius boni conſulendum eſt, quàm qui aliquid nequiuerit, reprehendendum. Sunt hodie Romæ in bibliotheca Vaticana multa volumina epiſtolarum Pontificum ſuperiorum, quæ Pontificatus cuiuſque eorum acta, ac res geſtas continent, vnde vulgo Regiſtra vocantur, Grægorij 7. Innocentij 3. Honorij 3. Gregorij 9. Innocentij 4. Alexandri 4. Vrbani 4. Clementis 4. Nicolai 3. Honorij 4. Bonifacij 8. Ioannis 22. Clementis 6. Innocentij 6. Vrbani 5. Hæc verò, quia ſunt manu ſcripta, & nondum à typographis vulgata, in pauciſſimorum hominum notitiam venerunt præter ea, quæ Gregorius nonus & Bonifacius octauus per pauca ex multis illis ſuorum anteceſſorum epiſtolis excerpta, compilarunt, & ad vſum iudiciorum eccleſiaſticorum in locos communes, quos titulos vocant, diſtribuerunt. Quod ſi hæc fortaſſis altero ſæculo, cum iam memoria noſtræ ætatis teſtimonio eſſe non

Quod aliquãdo ſcripta paruo tẽpore obliterẽtur.

Marc. Varro.

De Regiſtris Põtificum nondum vulgatis.

poterit, in lucem ædantur, & in manus omnium veniant, & aliquis tunc ex Magdebur. ab inferis excitatus 9. libros Clementis 6. ſeptem Innocentij 6. ſex Vrbani 5. nouem Gregorij 9. ac decem Benedicti 12. in ius vocet, & eas epiſtolas falſas contendat, quod nulli ſuperiorum temporum ſcriptores, imò nec ipſi Pontifices de eis meminerint, quas neque fortaſſe viderunt, an ideo falſæ, ac fictæ tunc erunt, quæ nũc ſunt veriſſimæ, & quas oculis cernimus? ſed vt ad Euſebium, & Hieronymum, quorum ſilentium nobis Magde. obiecerunt, redeamus, quia eorũ manus, & oculos multos libros, & auctores fugiſſe adhuc fortaſſe more ſuo negabunt, dicant illi ipſi, quos teſtes citarunt, vt à ſuis iſti teſtibus redarguantur. Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ cap. 27. Seruantur, inquit, adhuc apud multos plurima priſcorum, & eccleſiaſticorum virorum præclaræ diligentiæ monumenta, quorum quæ nos cognouimus, iſta ſunt. Heracliti, & Maximi de vulgatiſſima illa hæreticorum quæſtione, vnde ſit malũ, & de eo, quod materia ſit facta: & candidi exameron, & Ebionis in idem argumentum, & Sexti de Reſurrectione. An non confitetur hic apertè, non omnia ad notitiam ſuam veniſſe? Rurſus lib. 6. cap. 12. & alia quidem Serapionis de doctrinæ ſtudio monumenta apud alios aſſeruari credibile eſt: ad nos vero ea ſola venerunt, quæ ad Pontiũ ſcripſit, deinde epiſtolæ, & quidam liber de Euangelio. Vos Magdeburgenſes dicitis, propter inſtructiſſimam bibliothecam, & quia erat intimus Conſtant. nihil librorum potuiſſe latere Euſebium, ipſe contra fatetur potuiſſe, vtri parti credemus? ſi Euſebio, vos igitur falſi eſtis. Item in eodem lib cap. 19. Hammonius, inquit diuinam philoſophiam illibatam, & integram vſque ad vltimum vitæ terminum retinuit, ſicut viri huius lucubrationes etiam nunc teſtantur, quæ ex Commentariis, quos poſt ſe reliquit, celebrãtur, qualis eſt de cõcordia Moyſis, & Ieſu inſcriptus & quod alij apud viros honeſtos, & ſtudioſos reperiũtur. An non hoc quoque loco fatetur ſe non omnia huius auctoris vidiſſe? Adhuc in eodem lib. cap. 22. de Hippolyto ſic ſcribit, cũ alia plurima monumenta cõpoſuiſſet, etiam commentarium de

De libris, quos Euſebius Cæſarien. confitetur ſe non vidiſſe.

Paſcha ſcripſit: reliquorum verò illius commentariorum ad nos iſta venerunt in Hexameron, & quæ ſequuntur. deinde ſubiungit, Plurima etiam alia apud multos aſſeruari reperies. Hoc item in loco commentum veſtrũ conuincit Euſebius, quem dixiſtis, nihil latere potuiſſe: qui tamen nõ ſolum multorũ auctorum non omnia opera vidit, ſed aliquorum, & quidem magnorum, & illuſtrium auctorum nihil vidit, vt Pantheni magiſtri Origenis, de quo lib. 5. cap. 10. meminit, ſed nihil de libris eius, & Narciſſi epiſcopi Hieroſolymitani, de quo meminit in eodem lib. cap. 12. libros verò Hymenæi, non ſolum non vidit, ſed nec ipſius auctoris meminit. Hos quoque tres auctores obiecit ſanctus Maximus ante annos octingentos iis, qui Dionyſij Areopagitæ opera negabant veſtro argumento in ſimilem errorem inducti, quia eorum Euſebius non meminiſſet, quibus, inquit ille, reſpondendũ eſt, multa Euſebium latuiſſe, quæ ad manus eius non venerunt. ſiquidem nec ipſe ait, vniuerſa ſe cõgregaſſe, quin potius fateretur, innumerabiles libros eſſe, qui nunquam ad eum perueniſſent. Ac poſſem ego, inquit, multorum libros commemorare, & eorum quidem, qui fuerunt patriæ eius, vt Hymenæi, & Narciſſi epiſcoporũ Hyeroſolymitanorum. Atqui natus ſum ego, inquit, quædam Hymenæi. Item neque Pãtheni opera retulit Euſebius, neque Clementis Romani, præter duas epiſtolas, imò, nec aliorum plurimorum. Hactenus ſanctus Maximus. Euſebius ergo vt multos alios libros nõ reperit, ita horum pontificum epiſtolas paucas non reperiſſe non eſt mirandum. Libros enim occultandi facilis eſt cautio: in reperiendo autem caſus, locus, euentus, occaſio. Licet enim dicere de non reperiendo libros, quod ſummus orator pro Flacco dixit de non capiendo Piratas in mari, cum quæruntur. ſiquidem vt ſanct. Ephræn ait, ſicut nulli ſunt magis inuidi, quàm qui bonos libros aliis non commodant, ſic qui bonos libros ad omnium vtilitatẽ à ſuis auctoribus ſcriptos occultant, bibliothecarum prædones ſunt. Idem de beato Hieronymo reſpondendum eſt, qui minus inſtructam bibliothecam, quã Euſebius habuit, qui iſto-

Quid ſanctus Maximus de Euſebio reſpõderit pro defenſione Dionyſii Areop.

rum quoque Pantheni, Narciſſi, Himenæi libros ignorauit, vt Euſebius: imò de Tertulliano idem Hieronymus, commemoratis paucis libris eius, quos nouit, fertur, inquit, vixiſſe vſq; ad decrepitã ætatẽ, & multa, quæ non extant, opuſcula condidiſſe. atqui multa Tertulliani extant modo, quæ Hieronymus non vidit. & de beato Hilario aiunt, inquit, quidam ſcripſiſſe eum in Cantica, ſed à nobis hoc opus ignoratur. Hæc veſtri teſtes, iudicate vos Magdeburgenſes, an qui ſe confitetur plurima aliorum auctorum opera ignoraſſe iidem potuerint epiſtolas etiam paucas Clementis, & aliorum Põtificum Apoſtolicorũ ignorare. Sed de Hieronymo illud hic aduertendum eſt, ne quis opinione fallatur, dum exiſtimat, de epiſtola Clementis ad Iacobũ eum loqui, cum loquens de Clemente inter ſcriptores eccleſiaſticos, fertur, inquit, & ſecunda eius nomine epiſtola, quæ à veteribus reprobatur. Sed non ita eſt, non loquitur de Epiſtola Clementis ad Iacobum, ſed de ſecunda epiſtola Clementis ad Corinthios, quod facilè eſt intelligere, ſi quis aduertat: ſic enim dixerat Hieronymus paulò ſupra de eodem Clemẽte, ſcripſit ex perſona Romanæ eccleſiæ ad eccleſiam Corinthiorum valde vtilem epiſtolã, quæ & in nõ nullis locis publicè legitur, quæ mihi videtur characteri epiſtolæ, quæ ſub Pauli nomine ad Hebræos fertur, conuenire: ſed, & multis de eadem epiſtola non ſolum ſenſibus, ſed iuxta verborum quoque ordinem, abutitur, omnino grandis in vtraque ſimilitudo eſt. Hactenus Hieronymus de epiſtola Clementis ſcripta ex perſona Romanæ eccleſiæ ad Corinthios, quod etiam Euſebius ſcripſit. deinde ſubiungit, fertur & ſecunda eius nomine epiſtola, ſcilicet ſecundam ad Corinthios intelligi voluit, quæ non ex perſona Romanæ eccleſiæ, ſicut prima ſcripta ſit, ſed Clementis nomine, atque ita quidem intelligendum eſſe, ſatis ratio ipſa conuincit: Etenim ſi non eſt ſecunda ad Corinthios, debuit profecto dicere ſcriptor prudens, ad quem, ſiue ad quos iſta ſecunda epiſtola ſcripta eſſet, ſed non dixit, quia iã dixerat. deinde quorſum illud addidit, eius nomine ſcripta, niſi vt à priore diſtingueret, quæ erat etiam Cle

Quomodo quod Hierony. dixit de epiſt. Clemẽtis à veteribus reprobata de ſecunda epiſtola Clem. ad Cor. neceſſario intelligendum ſit.

mentis ſed in perſona eccleſiæ Romanę ad Corinthios ſcripta: ſecunda verò ad eoſdem ſcripta Clementis nomine. erat itaque ſecunda epiſtola ſic inſcripta. epiſtola Clementis ad Corinthios, prior verò ſic, epiſtola Romanæ eccleſiæ ad Corinthios per Clementem ſicut cōſtitutiones, quas in perſona Apoſtolorum ſcripſit. ſic inſcriptæ ſunt, Conſtitutiones Apoſtolorum per Clementem. multum enim, vt antea dixi, delectatus eſt Clemens hoc genere ſcribendi μιμητικῶς non ſolum in libris de ſermonibus, & diſputationibus Petri cum Simone, & in libris de Apoſtolicis Conſtitutionibus. in vtriſque enim inductione perſonarum vſus eſt, ſed etiam in epiſtola priore ad Corinthios, & in alia quadam, quam ex perſona Petri ad Iacobum fratrem domini ſcripſit, quæ erat, vt Photius teſtatur, in altera æditione ſermonum, & diſputationum beati Petri cum Simone, duæ enim, inquit, æditiones ferebantur (fieri enim hoc potuit, vt nos duas nunc ferri videmus moralium Ariſt. ad Nicomachum, & Eudemum, quæ in pleriſque nihil ferè differunt, & duas ſe feciſſe æditiones librorum Academicorum licet non eodem numero librorum Cicero in epiſtola quadam ad Atticum teſtatur) in quarum altera, inquit Photius, ἐπιστολὴ προτέτακται ὡς ἀπὸ πέτρου τοῦ ἀποστόλου πρὸς ἰάκωβον ἐπεσταλμένη. In altera ὡς ἀπὸ κλήμεντος πρὸς ἰάκωβον differūt verò hæ duæ epiſtolæ argumento, & ſi æditiones ipſæ eiuſdem argumenti ſint, quamuis non pauca in eis ſint varia. meminit quoque de vtraque harum æditionum Ruffinus in procœmio. Redeo ad epiſtolā illam ſecundam Clementis, quam Hieronymus dicit, quam eſſe quidem ad Corinthios ſcriptam illud quoque probat, quod duas epiſtolas ad Corinthios Clementem ſcripſiſſe apud omnes conſtat. Vnde Leontius in opere, quod de locis communibus Theologicis compoſuit, ex prima, & ſecunda epiſtola Clementis Romani ad Corinthios locos citat: & vt cæteros prætermittam, idem etiam teſtatur Photius in ſua bibliotheca, ac dicit præterea de epiſtola ſecunda, ad Corinthios ῥητά τινα ὡς ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς ξενίζοντα παρεισάγει, καὶ ἑρμηνείας δὲ τινῶν ῥητῶν ἀλλοκότους ἔχειν.

Genus ſcribendi, quo Clem. delectatus eſt.

De gemina æditione librorum Clementis de Sermonibus in Petri.

Photius Conſtant de epiſt. 2. Clemen. ad Corinth.

id eſt, quædam nouè, & inuſitatè dicta tãquam ex ſcriptura ſacra eam introducere, & habere quorundã dictorum interpretationes abſonas. hæc fortaſſe cauſa exiſtimanda ſit, cur, vt Hieronymus ait, à veteribus reprobaretur. Iam de Damaſo, quod dicitis miraculi inſtar eſſe, quod de epiſtolis horum Pontificum nõ meminerit, ſi manu ſcriptis potius quàm impreſſis credatur exemplaribus, præſertim cùm vicinus eorum ſæculo eſſet, & ex profeſſo ſuorum anteceſſorum vitas deſcriberet, quod quid eſt aliud, dicitis, quam apertum Damaſi teſtimonium, nullas vnquam tales ab eis ſcriptas exiſtimaſſe? Hoc quoque falſum eſt, ſi exemplaribus manuſcriptis, vt vos dicitis, & quidem antiquis, potius quàm impreſſis credatur. In tomis enim conciliorum Coloniæ impreſſis anno Domini 1538. in vita Anacleti, ex Pontificali Damaſi nulla de epiſtolis eius mentio: in vetuſto autẽ exemplari manu ſcripto, quod hic Romæ Achiles Statius Luſitanus vir probus, & multis doctrinis eruditus mihi commodauit, ſic ſcriptum reperi, duas etiam decretales epiſtolas, omni ſapientia plenas cõſcripſit: hic ſub Domitiano Principe Martyrij gloriam capitis obtruncatione ſuſcepit. &c. Quare ſi apertum Damaſi teſtimonium eſſet, vt vos dicitis, ſi de nullis epiſtolis Apoſtolicorum Pontificum meminiſſet, nullas ab eis ſcriptas eſſe: quanto hoc eiuſdem teſtimonium apertiùs eſt, & firmiùs has duas epiſtolas Anacleti eſſe, de quibus ille meminit? niſi fortè apertius loquitur, qui tacet, quàm qui aliquid dicit. de tertia verò Anacleti epiſtola etſi nõ ſit Damaſus teſtis, non continuò ſequitur, nõ eſſe eius. Niſi fortè putatis, ſi quid ab aliquo ſcriptore prætermiſſum ſit, continuò fidem reliquis ſcriptoribus derogari: ſic enim nec euãgeliſtis fidem habebitis, quia alius, quod alius poſtea ſuppleret, prætermiſit. Itaque de duabus meminit Damaſus, de tertia verò Anacleti epiſtola non meminit. De epiſtola verò Clementis prima ad Iacobum fratrẽ domini meminit idem Damaſus, ſi exemplaribus non ſolum impreſſis, quibus vos, vt video, non creditis, ſed magis adhuc manu ſcriptis credatur. Sic enim in illo vetuſtiſſimo exemplari ſcriptum erat, quod vobis, aut

Rurſus in commẽto manifeſto Magd. deprehenſi.

Damaſus de duabus epiſtolis Anacleti in exemplaribus manuſcriptis vetuſtis meminit, & de epiſt. 1. Clẽ. ad Iacobum de doctrina Petri.

veſtris cum volueritis, oſtendi poteſt. Hic ex præcepto beati Petri ſuſcepit eccleſiæ gubernandæ Pontificatũ, ſicut fuerat ei à Domino Ieſu Chriſto cathedra tradita, vel commiſſa, quod in epiſtola, quæ ad Iacobum ſcripta eſt, qualiter ei commiſſa eſt à beato Petro eccleſia, reperies. Accedit huc, quod de eadem epiſtola Clementis, & de doctrina Petri in ea tradita, in ordinatione Clementis mentio quoque fit in epiſtolis Anacleti, quibus teſtimonium honorificum Damaſus tribuit, vt paulò ante docuimus, quod vos negabatis. Quod quidem teſtimonium Damaſi, cum vos iam declinare nõ poſſitis, quia ad exemplaria manu ſcripta prouocaſtis, neceſſe vobis eſt, vt has ſaltem epiſtolas Clementis primam, & duas, Anacleti veras eſſe fateamini, quas ſi ſemel recipiatis, & reliquas ſponte veſtra recipietis, In his enim epiſtolis Clementis ad Iacobum, & Anacleti præter euangelicam, & apoſtolicam de magnis ſacramentis doctrinam ſunt etiam apoſtolica de potiſſimis rebus eccleſiæ catholicæ decreta, quibus veſtra falſa diſciplina, & à catholicis defectio clariſſime coarguitur: quæ fuit cauſa, vt eas, diabolo inſtigante, tam ſtudioſè negaretis. illud verò quod de Damaſo addidiſtis, ex profeſſo ſuorũ anteceſſorum vitas deſcripſiſſe, vt ex eo probaretis, debuiſſe de omniũ Pontificiũ, quorum vitas ſcribebat, epiſtolis meminiſſe non ſolum falſum eſt, ſed etiam inſcitiæ veſtræ non obſcurum argumẽtum Quomodo enim ex profeſſo vitas ſcripſit, qui nihil fere aliud breuiſſimè ſcribit, quàm quo loco, quo Patre natus Pontifex, quibus temporibus vixit, quot ordinationes fecit, quibus conſulibus mortuus, vbi ſepultus, quæ non tam ad hiſtoriæ ſcriptionem pertinẽt, quàm ad quoſdã veluti Chronicos canones, qui ſunt, vt Caſſiodorus in libro de Inſtitutionibus diuinarum literarum ait, quædam imagines hiſtoriarum, & breuiſſimæ temporum commemorationes. De Clementis verò, & Anacleti tantum epiſtolis propter earum excellentiam meminit. Quod ſi ex profeſſo vitas Pontificum ſcribebat, vt Plutarchus aliquis, aut Tranquillus, aut Erodianus, vbi ſunt eorũ acta, & geſta per vniuerſam vitam? ſed quia Magdeburgenſes vndecunq;

Magd. exemplaribus Damaſi manu ſcriptis, ad quæ prouocant, conuincuntur.

Si Magd. epiſt. Clementis pri. & Anacleti duas receperint, quas ſuo argumento recipere coguntur, & reliquas ſponte ſua recipient.

Quo genere vitas Pont. ſcripſerit Damaſus.

Quam abſurdũ ſit dicere Damaſum ex profeſſo vitas Pontificũ ſcripſiſſe.

quid in epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum vtcunq; obiiciant, tam diu quæſituri ſunt, quàm diu in iſta ſua ſecta permanebunt, occurrendum eſt illis, ſi quando hoc obiiciãt, quod neſcio quomodo hactenus nõ obiecerunt: explicanda, inquam, nobis ratio eſt, cur neq; Leo iiij. Pontifex, de epiſtolis priſcorum pontificum, quas iſti negant, in epiſtola ad Britannos diſt. 20. non meminerit, ſi veræ, & antiquæ ſunt, vt quidem ſunt: præſertim cum in eadem epiſtola de epiſtolis meminerit aliorum Pontificum poſteriorum Syluestri, Syricij, Innocentij, Zoſimi, Cœleſtini, Leonis, Hylarij, Gelaſij, Hormiſdæ, & Gregorij Iunioris. imò ipſa Leonis epiſtola, ſi quis aduertat, rationem explicat, cur illarũ epiſtolarum non ſit hic à Leone Pontifice facta mentio, quia ſcilicet non hoc ei propoſitum erat, vt epiſtolas Pontificum ſuperiorũ numeraret: imò nec omniũ inferiorum, ſiquidem ab Hormiſda vſque ad Gregorium iuniorem epiſtolas Pontificum trecentorum annorum, & amplius prætermiſerit. Quod ergo ei propoſitum fuit? nempe hoc tantum, vt meminiſſet de Põtificum decretalium regulis, quæ vna cum canonibus ad vſum iudiciorum in vno codice ferebantur: aliud enim erat meminiſſe, qui Pontifices epiſtolas ſcriptas reliquiſſent: aliud, quorum Pontificum decretalium regulæ cum canonibus ad iudicandas cauſas coniunctæ eſſent: ad iudicia enim non epiſtolæ, ſed regulæ epiſtolarum, & canones ſynodorum ferri ſolent, ſicut, nõ libri ſanctorum doctorum, ſed dicta, vt verbo ipſius Leonis vtar. Sic ergo ait Leo, De libellis, & commentariis aliorum non conuenit aliquos iudicare, & ſanctorum conciliorum canones relinquere, vt decretalium regulas: non dixit, & decretales epiſtolas, ſed vel decretalium, ſcilicet epiſtolarum regulas, quæ habentur apud nos ſimul cum canonibus, quibus in eccleſiaſticis vtimur iudiciis. deinde numerat, quorum canones dicat. & poſtea ſubiungit, & cum illis regulæ præſulum Romanorum, nec hic dixit & cum illis epiſtolæ præſulum Romanorum, ſed regulæ præſulũ Romanorum Syluestri, Syricij, & qui ſequuntur vſque ad Gregorium iuniorem. Deinde ſubiungit, iſti omnino

Cur Leo 4. non meminerit de epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum, cum de epiſtolis poſteriorum Pontificum meminit.

ſunt, & per quos epiſc. iudicāt. & per quos epiſc. ſimul. & clerici iudicātur. & paulo poſt, quā ob cauſam luculentius, & magna voce pronunciare non timeo, quia qui illa, quæ prædiximus ſanctorū Patrū ſtatuta, quæ apud nos canonum nomine prætitulantur, ſiue ſit epiſcopus, ſiue clericus, ſiue laicus, non indifferenter recipere cōuincitur. iam hoc loco regulas quoque decretalium, nomine canonum affecit. De illorum igitur Pontificum decretalibus epiſtolis meminiſſe hic voluit Leo Pontifex, quarum regulæ, vt dixit cum canonibus ſynodorum in publico verſabantur, priſcorum verò Pontificum, & aliorum deinceps decretalium epiſtolarum, quarum mentio hic à Leone prætermiſſa eſt, regulas non fuiſſe tunc ſeparatim in numerum canonum cum cæteris regulis decretalium relatos, teſtis quoque eſt Nicolaus primus, qui eodem tēpore Leonis iiij. vixit diſt. 19. cap. Si Romanorū Pont. id quod epiſcopi quidam Gallis ad abrogandam auctoritatem illis ipſis priſcorum Pontificum epiſtolis obijciendum eſſe putauerunt: quos duobus decretis, altero Leonis, & altero Innocentij, quæ in codice canonū ab epiſcopis Galliæ obiecto ferebantur, redarguit. de quo prolixius paulò poſt Magdeburgenſib. reſpondebimus, illud ipſum caput, quod nobis obiecerunt in eos retorquentes. Denique vt finiam, ſic cogitandum eſt, Leonem iiij. priſcorum pontificum decretales epiſtolas prætermiſiſſe, vt canones celeberrimæ ſynodi Calcedonenſis prætermiſit, quos nemo dixerit, neque cogitauerit Leonem ignoraſſe, ſed nondum iſti Calcedonenſis concilij canones, nec Antiocheni, neque Laodicenſis in codice illo ferebātur, fortaſſe nōdum erant in latinum ſermonem conuerſi. quot enim Synodorum, & quarū canones Dionyſius cognomento Exiguus diu ante tranſtuliſſet, neſcimus. hunc enim ſcribit Caſſiodorus in lib. de inſtitutionibus diuinarum liberarū amicū ſuū familiariſſimum rogatu Stephani epiſcopi Salonitani ex Græcis exemplaribus eccleſiaſticos canones tranſtuliſſe, quos hodie, inquit. vſu celeberrimo eccleſia Romana complectitur: ſed fieri poteſt, vt nec ille omnium ſynodorum canones, nec alius

poſt eum, vſque ad tempora Leonis iiij. Canones ſynodorum, quæ hic prætermiſſæ ſunt, tranſtuliſſet: ſicut etiam fieri potuit, vt 200. annis, & amplius ante Dionyſium iſtum à ſynodo Nicæna, nulla alia canonum Græcorum tranſlatio facta fuiſſet. Sed reſpondeamus deinceps de Gratiano, quem nobis etiam, tanquam teſtem quoque veſtræ cauſæ obiecistis, quem dicitis pleraque decreta, quæ in his epiſtolis extant, aliis tribuere, & ea, quæ iſtis adſcribit, in eorum epiſtolis non extare. Vnde liquido conſtare concluditis, neque Gratianum omnes iſtas agnouiſſe, ideoque poſt eum pleraſque confictas eſſe, & ſi quas ille habuit, alias tamen ab his fuiſſe. Hæc vos. Nolo hic exclamare in iſtud veſtrũ tam ardens fingendi ſtudium. quid enim impudentius eſſe poteſt, quàm id dicere, quod omnibus pateat, falſum eſſe? Miſeros Lutheranos, quibus tanta fingendi licentia, ad ſuum, & veſtrum interitum Centuriatores veſtri illudunt. Facite, quæſo, periculum, an vera ſint, quæ hic dicunt. ſumite in manus priorem tomum cõciliorum, & incipientes à prima epiſtola Clementis, percurrite reliquas omnes, conferendo Decreta, quæ ex iis ipſis epiſtolis, quas negant, à Gratiano ſumpta ſunt, & in cauſas, ac diſtinctiones operis ſui relata, quę ſunt in margine notata, & videbitis nullum eorum variis Pontificibus tribui, ſed ſuis primis auctoribus. Vt ex prima epiſtola Clementis ſumpta ſunt à Gratiano decreta 12. & eidem Clementi aſſignata. ſi quæ verò decreta ex his ab aliis poſtea conſecutis Pontificib. vt Anacleto, Euariſto, Alexan. aut aliis, ſiue nominatim citata ſunt, ſiue mutuata quaſi propria, vt nos cum ſcribimus, facere ſolemus, hoc non facit incertos auctores epiſtolarum, quis hoc dicit? ſed potius earum auctoritatem confirmat, quæ tanta erat, vt alij Pontifices conſecuti, & verbis, & ſententiis ſuperiorum vterentur. ſic in prima epiſtola Clementis notatum eſt in marginę Decretum vnum nominatim ab Alexandro citatum, alterum ab Anacleto, & Fabiano, aliud ab Euariſto eiſdem verbis, & ſententia mutuatum. Item aliud eadẽ ſententia, ſed non eiſdem verbis. Ex epiſtola 2. Clemẽtis ſumpta ſunt à Gratiano decreta decem, & auctori

Commentum euidens Magdeburgen.

ſuo,

ſuo,id eſt Clemēti nominatim aſſignata:ex tertia epiſtola ſumpta ſunt quatuor decreta: ex quinta ſumpta ſunt tria decreta,quæ ſuo item auctori aſcripta ſunt. Ex 1.epiſt. Anacleti Decreta 11.ex 2.Decreta 16,quæ ſuo quoque auctori,id eſt Anacleto tributa ſunt.Idem factum eſt à Gratiano in reliquis epiſtolis Pontificum Apoſtolicorū,vt quiuis veſtrū experiri poteſt. ſed ponamus verum eſſe,quod tam aperte finxiſtis, pleraque decreta,quæ in horum Pontificū epiſtolis extant, alijs Pontificibus à Gratiano tribui.ſi propter hanc cauſam illas negatis,ſit vobis libera eligendi optio, vtrius illas eſſe malitis, ſiue eius, cui Gratianum tribuiſſe dicitis, ſiue cuius nos eſſe dicimus. nihil.n.noſtra referre arbitror,dum contra vos diſſerimus, cū vtrique ſint Apoſtolici Pontifices,quorum ex æquo omnium epiſtolas negatis.Quod ſi dicitis,hinc ſaltem apparere non eſſe certum,cuius ſint, an idem eſt, non agnouiſſe epiſtolam & nō agnouiſſe auctorē epiſtolæ?ſi non eſt idem, quod negare non poteſtis,ſi ſenſu cōmuni carere non vultis,cur vos concluditis, ex eo liquidò conſtare neque Gratianum omnes iſtas agnouiſſe? Tametſi cum dixiſtis,non omnes iſtas agnouiſſe.ſatis ſignificare videmini agnouiſſe aliquas. Credo quia pudebat vos tam aperte in falſo deprehendi,ſi nullas agnouiſſe diceretis. Et nos ergo illis, quas agnouiſſe ſignificaſtis, aduerſus vos diſſerentes vt conuincamini, cōtenti ſumus.Illud verò valde ridiculum eſt,quod adiunxiſtis, ideoque pleraſq; cōfictas eſſe poſt eū. Qui enim prius dicebatis,circa tempora Caroli epiſtolas iſtas Pontificum Apoſtolicorū, quas nos defendimus, & vos tanquam falſas accuſatis,fictas eſſe,nūc dicitis, pleraſque earū poſt Gratianū confictas eſſe,quæ etiā inconſtātia ſatis veſtram iſtam cōminiſcendi libidinem demonſtrat.ſi vos catholici eſſetis, vt fingitis, quid intereſſet, decretum hoc Igini eſſe,an Pij, Anacleti, an alterius Apoſtolici?An quia auctor libri Ioſue,Iudicū,aut Iob nō ſit nominatim certus,iccirco aut nullā auctoritatē, aut minorē apud vos habebit? ſi apud vos vigeret eccleſiaſtica patrū traditio,non de nominibus, & titulis diſceptaretis. plus enim ad auctoritatem libri vel epi-

Decreta ex epiſtolis pontificum apoſtolicorum à Gratiano ſumpta ſuis auctorib. & non alijs aſsignata ſunt.

Repugnantia, Mag. dicētium poſt tēpora Caroli Magni factas fuiſſe has epiſt.

Plus valet ad auctoritatem libri vel epiſt. traditio eccleſiaſtica, quam titulus certi auctoris.

ſtolæ valet eccleſiæ traditio, quàm titulus certi auctoris libri, vel epiſtolæ. Poſtremo, quod dicitis quædam decreta, quæ his Pontificibus adſcribit Gratianus, in eorum epiſtolis nõ extare. Vnum tantum Decretum eſt, & quidem breuiculum de laicis ne ingrediantur in ſacrarium, cùm Miſſa celebratur, à Gratiano citatum ex Clemente de Conſe. diſt. 2. c. Sacerdotum, quod in epiſtolis eius non reperitur. quod cũ fieri poſſit, vt in exẽplari, quod Gratianus habuit, legeretur, atque in eo fortaſſe loco epiſt. 3. cùm de Miſſis nõ celebrandis ſine iuſſu epiſcopi ſancitur, quæ intemperies eſt, quia aliud exemplar in vno, aut altero loco melius aliquando repertum ſit, ſi forte repertũ eſt, idcirco illa omnia, quæ habemus, negare? negate ergo hac ratione euangelia, quia alia aliis meliora exemplaria àliquando reperiãtur. Negate etiã editionem 70. interpretum, quia nunc quoque, vt olim apud Patres varia exemplaria reperiãtur, quę plus, aut minus habeãt. Ex Decretis verò Anacleti vnum quoque citatur à Gratiano 2. q. 7. de laicis, ne in accuſatione epiſcoporum audiendi ſint, quia, inquit, oppido eis quidam infeſti ſunt, & indignum eſt, vt ab eis accuſentur, qui eorum grauitatem nolũt imitari: quod quidem Decretum eiuſdem ferè verbis non in Anacleto ſed in epiſtola Euſebij ſcriptũ eſt, ſed quia Euſebius, quo maiorem auctoritatẽ decreto ſuo adderet, ne quis nouum putaret, obſeruatũ hoc hactenus, & conſtitutũ eſſe dixerat, laicos, ſcilicet non accuſare epiſcopos, propter ſubiectã rationẽ, annotauit aliquis concordãtiam, vt vocant cum Decreto Anacleti, de ſimili accuſatione laicorũ prohibita. quod cũ Gratian⁹ magnus decretorũ collector, ſed interdum fortaſſe nõ multum accuratus in diſcernendis, quæ colligebat, ſic obſeruatum reperiret, Euſebij decretũ adſcripſit quoq; Anacleto. quod quidẽ etſi nõ omnino verbis, ſententia tamen cum Anacleti decreto cõuenit: quod eſt in epiſtola 2. vt accuſatio Epiſcoporũ nõ fiat niſi ab idoneis, & probatiſſimis: & paulò poſt, non eſſe iudicandos ab humanis, aut prauæ vitæ hominibus: Humanos. n. vocauit carnales, quos non oportet, vt ait idem Euſebius

Ingens intemperies propter exẽplar aliquod emendatius, cætera exemplaria negare.

Exemplaria euangeliorum & 70 alia aliis meliora.

De decretis ſumptis, ſiue citatis ex epiſtolis Pont. quæ in eis non repriuntur.

in codē loco, perſequi ſpirituales. hi enim ſunt, id eſt, humani, & carnales, qui nolunt caſtitatem, & grauitatem Epiſcoporum, ſicut ait Euſebius, imitari, eſt alterū decretum, quod citatum eſt à Gratiano ex Anacleto ſimul, & Zacharia 93. diſ. c. Iuxta ſanctorum Patrum, vt ſingulis annis viſitent Epiſcopi Limina Apoſtolorum, quod nec in epiſtolis Anacleti reperitur, neque Gratianus Anacleto ſolum tribuit, ſed Anacleto, & Zachariæ, quia vtrique reperit adſcriptum ab eo, qui non potuit ſcire, vtrius horū eſſet, fortaſſe nec Anacleti neque Zachariæ eſt. nec enim in epiſtolis Zachariæ primi legitur: nec alias vllius Zachariæ æditas epiſt. habemus. Sed ſi hoc obſtare videtur, quominus veræ ſint epiſtolæ Anacleti, quod hoc decretum in eis non reperiatur, quod fortaſſe nunquā in eis ſcriptum fuit, vel ſeorſum fortè ab eodem traditum, vel ſi ſcriptum fuiſſe concedamus, ab aliquo poſtea vel deletum, vel, vt fieri ſolet, à librario prætermiſſum, ſi hoc, inquam, obſtat, obſtet etiam, quo minus Hieremiæ prophetiam veram eſſe credatis, quia non reperitur in ea, quod Matthæus ex ea citat. Et acceperunt triginta argenteos pretiū appretiati, & quæ ſequuntur, quod vel ab Hebræis ſublatum eſt, vt illud ex Pſalmo, Regnauit à ligno Deus, & multa alia, quæ Iuſtinus Martyr contra Tryphonē Iudæum diſſerens notauit, aut fortaſſe citatum eſt ex deſcriptionibus Hieremiæ, quas Græci vocāt ἀπογραφὰς, quæ citantur 2. lib. Machabæorum cap. 2. in quibus ſcriptū erat de igne illo altaris ab iis ſacerdotibus, qui captiui ducendi erant abſcondendo, quæ iam non extant. Ex epiſtolis Euariſti nullum decretum citatum eſt à Gratiano, quod non in eis reperiatur, nullum item ex epiſt Alexandri. Illud enim, vt nemo ſit idem accuſator, & idem teſtis, Gratianus 2. q. 4. cap. Nullus. non Alexandro, ſed Fabiano adſcripſit, cuius plures fortaſſis habuit epiſtolas, vt Plures Pij quoque Pontificis habuiſſe videtur. Longum eſt, cætera huius generis velle perſequi, ſatis hactenus de Gratiano reſponſum ſit, qui ſiue plures epiſtolas alicuius Pōtificis habuerit, in quibus reperiantur quædā, quæ in noſtris non leguntur, ſiue adſcribendo illa non ſuis auctoribus aliquando

Secundū Magdeburgenſes neque prophetia Hiere vera eſt, quia aliquid ex ea citatur, quod in ea non reperitur.

De quatuor teſtibus, quos Magd. in epiſtolas põtificum apoſtolicorum produxerunt.

erraſſet, alienũ eſt ab omni ratione, & iudicio recto, vt illius vel error in adſcribẽdo alienis auctoribus, vel in reperiẽdo plures epiſtolas caſus, vel diligentia fidẽ eis epiſtolis deroget, quas nunc habemus, & idem habuit. Hactenus de quatuor teſtibus, ex quibus duo, id eſt, Euſebius, & Hieronymus producti ſunt à Magdeburgenſibus ad dicendum teſtimonium in epiſtolas pontificum ſecundi ſæculi, nihil dicendo, quod nihil aliud mihi eſſe videtur, quàm mutos teſtes citaſſe. ex duobus reliquis Damaſus epiſtolæ Clementis ad Iacobum fratrẽ domini, & epiſtolis Anacleti teſtimoniũ dedit: in cæteris, quas nõ vidit, aliorũ põtificum, teſtis Magdeburgenſiũ mutus. de Gratiano quarto teſte Magdeburgẽſium quid attinet dicere, quod nam ille teſtimonium epiſtolis Pontificum apoſtolicorum tribuerit, quarum decretis ad eccleſiæ catholicæ vſum in vnũ colligendis non ſine laude inſudauit? Reſpondeamus igitur deinceps de quinto iſtorum teſte, non quidem muto, ſed ita vocali, vt infans potius, & elinguis videatur, vt ex verbis, & formula teſtimonij eius à quouis mediocriter loquente intelligi poteſt, ad quem, vt fortiſſimum, tanquam ad triarios, vt prouerbio dici ſolet, ad extremum à Magdeburgenſibus ventũ eſt. qui quidem tum ſolus eſt. (non enim plures in cauſa ſua producere potuerunt, qui teſtimonium cõtra Epiſtolas Apoſtolicorum Pontificum dicerent) ſoli autem non eſt credendum, ſecũdum Apoſtolicam regulam, quæ de teſtibus in lib. 2. de conſtitutionibus Apoſtolorum à Clemente Romano ſcripta eſt, quam noſtri hodie in iudicijs ſequuntur, μὴ πιστευέσθω μόνος (inquit) cum ſcriptum ſit, in ore duorum, vel trium ſtabit omne verbum: Tum odio corruptus ad dicendum teſtimoniũ accedit idem accuſator, & teſtis cõtra ſacras leges. Sic enim ait monachus veſter, cognomento Kaltheiſẽn, Sed fortaſſe quædam alia ſunt longa, & magna Clementis, & Anacleti attributa ſummis Pontificibus, in quibus, volẽtes Romanorum ſedem omni laude digniſſimam pluſquam expedit, exaltare, ſe penitus fundant, cum tamen omnino non videantur illorum ſanctorum epiſtolæ. Hæc ille veſter. Cuius teſtimonio quæ fides adhiben-

Vnum tantum teſtem recẽtem & odio correptum in epiſtolas Põt. Magd. produxerunt.

Apoſtolica conſtitutio de teſtibus.

da eſt, qui ſtatim in ipſo procemio teſtimonij ſui fallitur opinione: & odium ſuũ prodit? excellentia enim ſedis Apoſtolicæ, quam iſte odit, non eſt, vt idem fingit, in his epiſtolis fundata, ſed in euangelio, vt ſatis loco ſuo demõſtratum à nobis eſt. Sed quid iſte ignotus teſtis dicit, quem ante 60. annos vixiſſe iactatis (nec antiquiorem enim, neque meliorem reperire potuiſtis) quid inquam aliud dicit, quam quod vos dixiſtis, vt eadem inſcitia tinctus non potuiſſe ſcribere Clementem ad Iacobum fratrem Domini, neq; fuiſſe ſucceſſorem Petri: item Hieronymum non meminiſſe de his epiſtolis. Quare ad hæc reſponſum ſit veſtro monacho idiotæ, & teſti ignoto, vt vobis reſpõſum eſt, ne eadem cum tædio, & ſine neceſſitate repetam. Ad illud tãtum reſpõdebo, quod iſte veſter ſenex in extrema parte teſtimonij ſui accuſatorij obiecit, inueniri in epiſtolis Clementis differentiam epiſcoporum à ſacerdotibus, quæ tamen (inquit) longo poſt hunc Clementem tempore in eccleſia orta eſt, vt Hieronymo placet, & Damaſo. ſi longo poſt tempore orta eſt differentia epiſcoporum, & ſacerdotum, quomodo Apoſtolus ad Timotheum ſcripſit, aduerſus presbyterum noli recipere accuſationem, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus? At neceſſe eſt, vt iudex maior ſit ijs, quorum iudicio præeſt. Erat igitur ante Clemẽtem ex diuina inſtitutione maior epiſcopus, quem presbyter. ſed videamus, quid Hieronymo placeat, & quid Damaſo, quos iſte produxit. Hieronymus in epiſtola ad Euagrium ita ſcribit. Quod Aaron, & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerſit, hoc ſibi epiſcopi, presbyteri, & diaconi in eccleſia vindicẽt. Quis autem dicat nõ fuiſſe in templo differentiam inter ſummum ſacerdotem Aaron, & filios eius minores ſacerdotes? Quod ſi fuit ſemper, fuit igitur ſemper, auctore Hieronymo, differentia in eccleſia inter epiſcopos, & presbyteros. Idem rurſus affirmat in epiſtola ad Nepotianum. Cum autem idem beatus Hieronymus in eadem epiſtola ad Euagrium dicit, quod neque Kaltheiſen intellexit, neque Magdeburgenſes intelligũt, eundem eſſe epiſcopum, & presbyterum, factũmque eſſe ad ſchiſmatis remedium, vt vnus eligeretur, qui

Mẽdacium teſtis producti à Magd. contra ſcripturã Pauli.

Quid Hiero. de differẽtia presbyteri, & epiſcopi ſenſerit.

cæteris præponeretur, non hoc voluit dicere, neque dixit, idẽ eſſe, eſſe epiſcopũ, & eſſe presbyterum: ſed eundem eſſe epiſcopum, & presbyterum. quod à principio quidem ita fiebat, vt propter paucitatem fideliũ vnus, & idem eſſet epiſcopus, & presbyter: cum non eſſet opus in ſingulis eccleſiis alio epiſcopo, & alio presbytero. ſi quidem in epiſcopo presbyter contineretur. At poſtquam cœpit opus eſſe pluribus presbyteris, tunc non amplius erat vnuſquiſque idem presbyter, & idem epiſcopus. ne tot eſſent epiſcopi, quot presbyteri: atque ita fieret (vt ait idem Hieronymus) vt vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti eccleſiam, rumperet. Rurſus idem Hieronymus in commẽtariis epiſtolæ ad Titum, Quid enim, inquit, facit epiſcopus, quod non faciat presbyter, excepta ordinatione? Ergo placet Hieronymo, vt ſit differentia epiſcoporum, & ſacerdotum ratione ordinationis. Epiſcopus enim ordinare poteſt miniſtros eccleſiæ, presbyter verò nõ poteſt. Iam vt de Damaſo reſpondeam, miror tam tardũ fuiſſe iſtum ſexagenarium teſtem vt Damaſum, quem nobis obiecit, non intellexerit. quomodo enim placet Damaſo, ortam eſſe poſt Clementem differentiam epiſcoporum, & presbyterorum, qui in epiſtola 3. de chorepiſcopis eos reprehendit, quod cum nihil aliud eſſent, quàm presbyteri, tamen officium epiſcopi vſurparent? docetque tota illa epiſtola eſſe differentiam, ratione ordinationis, inter epiſcopos & presbyteros: quare illis non conuenire nomen epiſcopi, nec officium. Sed de differentia epiſcoporum, & presbyterorum ſcripſi copioſe in libris de Hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiæ catholicæ: ſi quis plura hic deſiderat, inde petat. Hactenus de teſtibus Magdeburgenſium in epiſtolas Pontificum.

De interpretatione Hieronymi, quæ in locis veteris teſtamẽti & epiſtolis Pontificum Apoſtolicorũ citatis, reperitur loco interpretationis 70. qua illi Pontifices vſi ſunt, cur hoc factum ſit, & quo exemplo, & quomodo probetur manifeſtè vſos eſſe auctores harum epiſtolarum interpretatione 70. item de interpretatione 70. in epiſtola Pauli

ad Heb quomodo, & quare Paulus non ſit ea vſus in epiſtola ipſa, quam Hebraice ſcripſit, ſed interpres potius epiſtolæ. Quomodo diuino conſilio factum eſſe videatur, vt in pleriſque locis veteris teſtamenti citatis interpretatio Hieronymi in his epiſtolis poſita ſit ad eos redarguendos, qui aliquando dicturi erant, fuiſſe factas epiſtolas tempore Caroli Magni. & quid argumenti antiquitatis harum epiſtolarum ex hac interpretatione acceſſerit, & quomodo.

Caput 21.

ET ſi nihil prætermiſſum eſſe videatur, quin ad ſingula omnia, quæ hactenus accuſatores epiſtolarum in eas obiecerunt reſponſum ſit, tamen quia propoſitum eſt nobis, vt antea dixi non ſolũ omnia, quæ epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum Centuriatores Lutherani oppoſuerunt, refellere, quod hactenus fecimus, ſed illa etiam, quæ ſimili ſtudio calumniandi, ſi eis occurriſſet, opponere potuerunt, ſupereſt, vt poſtquã eorum teſtes confutauimus, illud quoq; genus teſtimonij cõfutemus, quod ex interpretatione Hieronymi, quæ in pleriſque locis harum epiſtolarum inuenta eſt, ab eo fortaſſe, qui rem non teneat, in eas ipſas epiſtolas aliquando citari poſſit: & aliquid ſuſpicionis mouere poſt Hieronymi tẽpora ſcriptas eſſe, præſertim cum iã de hoc nõnulli catholici quærere ſoleant, nõ quidem quòd dubitationẽ vllã eis de epiſtolis hoc afferat, quas iã vetuſtas ipſa, & priſca fama cõſecrarunt, ſed quia nõ intelligunt, vnde factum ſit, aut quomodo, vt interpretatio Hieronymi, cuius ætatem tam multis annis illi priſci põtifices anteceſſerunt, in pleriſque teſtimoniis veteris ſcripturæ, quæ in his epiſtolis citantur, poſita ſit. quod certè non alia cauſa factum eſt, niſi quia cum primum hæ epiſtolæ, vt à nullis ignorarentur, ad eccleſiæ vſum vulgatæ ſunt, iam Hieronymi interpretatio veteris teſtamẽti in manibus omniũ erat, & æque fere vt illa vetus interpretatio 70. trita, idcirco viſum eſt tũc prudẽter, & vtiliter fieri, ſi vtraq; interpretatio ex parte adhiberetur.

De interpretatione Hieronymi veteris teſtamenti, quæ in his epiſtolis reperitur.

ita vt in quibuſdam locis interpretatio 70. propter antiquitatem ſuam relinqueretur: & in multis interpretatio Hieronymi in locum interpretationis 70. ſuccederet, & in aliis non paucis interpretatio ex vtraque harum temperata, & miſta eſſet. Factum itaque eſt in his epiſtolis, quod beatus Gregorius in præfatione Commentariorum Iob ſe facere dicit, vt dum nouam tranſlationem diſſerit, nunc nouã. nũc veterem per teſtimonia aſſumat: vt quia ſedes, inquit, Apoſtolica, cui præſideo, vtraque vtitur, mei quoque labor ſtudij ex vtraque fulciatur. Sed quoniam, qui has epiſtolas priſcorum pontificum Apoſtolicorum eſſe negant, conſequens eſt, vt negent quoque, quibus locis interpretatio Hieronymi in his epiſtolis inuenta eſt, fuiſſe ibi antea interpretationem 70. qua põtifices illi priſci, vt neceſſe erat, vſi fuerint, docẽdum eſt, quod dicimus: imò etiam ante oculos, vt negari non poſſit, ponendũ, quod quidem poſt quàm factum erit, ſimul effectum erit, vt vnde ab iſtis, aut ab aliis ſi qui ſunt, putabatur, peti poſſe teſtimonium. eſſe has epiſtolas poſt Hieronymi tempora compoſitas, inde contra petatur ſaltem ante Hieronymi ætatem fuiſſe ſcriptas. Aggrediamur ergo docere quod dicimus, quatuor exẽplis ex duabus epiſtolis Alexandri, quas in primis ad hoc elegi, quod in iis, quæ ex Zacharia, & Oſea prophetis in eis citantur, euidentius hoc demonſtrari poſſit propter diſcrepantiam ſenſus vtriuſque interpretationis Græcæ 70. & Latinæ Hieronymi in iis ipſis locis à Pontifice Alexandro recitatis. Cœperam hoc in tertio libro in vno Zachariæ loco oſtẽdere in epiſtola eiuſdem Pontificis prima, ſed quia non erat locus proprius, reliqua huc reſeruaui. Produxerat ergo Alexander aduerſus epiſcoporum perſecutores, id quod Dominus per Prophetam ſuum Zachariam in eos dixiſſet, qui populum Dei, & prophetas, ac ſacerdotes captiuos duxerãt. Qui vos tangit, pupillam oculi ſui tangit, in quo quidem loco ita ſermoni, & ſententiæ propheticæ conſequens eſt non pupillam oculi mei Alexandrum poſuiſſe, vt eſt in interpretatione Latina Hieronymi ex Hebraico ad verbũ expreſſa, & vt fertur modo in ipſa

epiſtola,ſed pupillam oculi ſui, vt eſt in interpretatione Græca 70. & vt interpretes Græci Cyrillus, Theodoretus, & Theodorus Antiochenus, & alij legunt, & interpretantur, vt nemo ſit qui conſequentia, tum in propheta, tum in epiſtola Alexandri attente legat, & inter ſe conferat, qui negare hoc cum ratione poſſit. Subiungit enim Propheta: Quoniam ecce ego leuo manum meam ſuper eos. quod nemo eſt, qui non intelligat ad minas ſupplicij impendentis pertinere. Vnde Alexander hunc ſenſum Prophetæ ſequens, poſtquàm recitauit, ex propheta Zacharia: Qui vos tangit, pupillam oculi ſui tangit, qui à ſuis verbis Prophetæ minas periculorum & malorum iniquis accuſatoribus epiſcoporum idem Pontifex Alexander propoſuerat, ſubiungit ſtatim, & quia neque nos ſine illis, nec illos ſine nobis perſequi poſſunt, quia illius ſumus diſcipuli, qui animam pro fratribus præcepit ponere: tamen eis pericula, & perditiones non ſumus auſi cælare, ne prophetica (quod abſit) damnemur ſententia: ſi annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, animam tuam liberaſti. Pericula ergo, & perditiones eorum non cælauit Pontifex, cum dixit, pupillam oculi ſui lædere, qui ſacerdotes Dei lædit. ſi enim non ſic Alexander legit, vt eſt apud 70. pupillam oculi ſui lædit, quomodo hoc teſtimonio prophetæ Zachariæ recitato, pericula, & perditiones prædixit quod ſe facere ait, ne damnationem Prophetæ Ezechielis incurrat, qui iuſſit annunciare iniquo iniquitatem ſuam? quod quidem tunc fit, cum iuxta eundem Prophetam Ezechielem, Videns gladium venientem annunciat populo. Gladium ergo venientem annunciat hic Alexander, cum ait, pupillam oculi ſui lædere, qui ſeruos Dei lædit. ſcripſeram hæc prius, ſed dicam cum Apoſtolo, Mihi eadem dicere non eſt pigrum. & hoc loco eſt neceſſarium. ſed pergamus docere, quod cœpimus, de interpretatione 70. in eadem epiſtola Alexandri. citat enim paulò poſt idem Pontifex ex Oſea Propheta ſecundum interpretationem 70. aduerſus eoſdem epiſcoporũ inſectatores illud, Quoniam ſicut vacca aſilo percuſſa, inſaniuit Iſrael. cum vaccis, quæ œſtro, ſiue aſilo percitæ, voce bubulci re-

Ezech. 33.

Philip. 3.

Aliud exempl. in interpretationis 70 in epiſt. Alexan.

uocari nolunt, vt cum cæteris compaſcant, ſed potius præcipites interdum aguntur. comparat Propheta decem tribus, quæ à Hieruſalem, relicto Iuda, & piorum grege, ad idolorum cultum receſſerant, ſic enim Cyrillus, & Theodoretus interpretati ſunt. Vnde accommodatiſſimè hunc locum ſecundum ſpiritum ad inſectatores, ac vituperatores epiſcoporum Pontifex transtulit: quia ſtudium vituperandi, & inſectandi paſtorem, ex vitio repugnandi, & non obediendi proficiſcitur. eſt autem, vt Samuel dixit, quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Pro hoc ſubſtitutum fuit ex interpretatione Hieronymi: Quaſi vaccæ laſciuientes declinauerũt, quod quidem accommodari vtcunque potuit ad rei propoſitæ rationem: illud tamen, quod ſequitur, nullo modo potuit. ſic enim eſt in interpretatione Hieronymi: Dilexerunt adferre ignominiam protectores eius. quod idem Hieronymus interpretationis huius ex Hebræo auctor, ſic in ſuis commentariis explanat, Principes, & protectores eius, id eſt. Reges dilexerunt ignominiam adferre populo: id eſt, vitio Principum infelix populus ſuſcepit cultum Deorum. quem ſenſum cum ille, qui interpretatione Hieronymi pro interpretatione 70. vti voluit, nullo modo conuenire propoſito epiſtolę videret, coactus fuit inuertere verba interpretationis Hieronymi. itaque dixit, Dilexerunt ignominiam adferre protectoribus ſuis: quod omnino aduerſatur ſentẽtia interpretationis, ſiue æditionis Hieronymi. interpretatio verò, ſiue æditio 70. maximè quadrat: & dilexerunt, inquit, ignominiam ex fremitu ſuo: fremitum enim vocat ſuperbiam, & elationem, vt ait Cyrillus in commẽtariis huius Prophetæ. Hinc enim proficiſcitur petulantia inſectãdi paſtores, & aduerſus eos fremendi. Item paulò pòſt ex eodem Oſea, De quibus, inquit, Dominus loquitur, calumniam patiens Ephraim fractus eſt iudicio, quoniã cœpit abire poſt ſordem. Hæc quoque interpretatio Hieronymi aliena eſt prorſus à propoſito huius loci epiſtolæ. Imò huius interpretationis auctor valde in explanatione eius laborat. Sic enim ait in commentariis Oſeæ cap. 5. ſi impius

1. Reg. 15.

Oſeæ 5.

eſt Ephraim, & propter impietatem ſuam erit in deſolationem, quomodo nunc dicitur, calumniam patiens Ephrain, fractus eſt iudicio? qui enim calumniam patitur, & frangitur iudiciū eius, inique opprimitur. Hæc Hieronymus. ex quibus verbis nemo eſt, qui non intelligat non poſſe cōuenire, vt qui epiſcopum inſectatur, dicatur Ephrain calumniam patiens, & oppreſſus: cum potius ipſe calumniam faciat, & opprimat eum, quem iniquè accuſat. At interpretatio 70. aptiſſima eſt, & expedita: oppreſſit, inquit, Ephraim aduerſarium ſuum, id eſt, Iudam: & conculcauit iudicium. Sic ſunt de quibus loquitur Pontifex in epiſtola, quos verbis Oſeæ, quæ de ſimilibus prædixit, deterrere vult. iſti enim obtrectatores ſacerdotum domini, opprimunt aduerſarium, id eſt eum, qui aduerſatur illis. nam ſunt nonnulli ſicut Euariſtus epiſtola ſecunda de eiſdem ſcripſit, qui præpoſitos ſuos peruerſè reprehendunt, ſi vel parum ipſis moleſti extiterint: iſti ſunt, qui conculcant iudicium, quia iudicant eum, à quo iudicari debent. Item idem Alexander in epiſtola ſecunda præcipit, vt qui epiſcopum perſequitur, & ſtatum eccleſiæ perturbat, ab omnibus arguatur, & eiiciatur ex eccleſia: hortaturque vt omnes ſint concordes per charitatem, ita enim fore, vt facile eum ſuperent, qui eccleſiæ ſtatum turbat. Quod ſi dente, inquit, canino vos rodere cœperitis, non ſolùm non ſuperabitis, ſed vobiſmet ipſis nocebitis. & ſuperabimini, & innocenter fortè peribitis. Deinde minatur illis, Oſeæ prophetæ verbis, inquiens. De his enim & ſimilibus Dominus per Oſeam prophetam loquitur: Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea in beſtia agri & volucre cœli. beſtias agri, & volucres, vocat potentes, & celſiores. ſequitur & piſces maris congregabuntur. Iam hoc quomodo ad minas pertineat: non facilè poteſt explicari, & ideo non cohæret interpretatio verò 70. maximè conuenit: ait enim & piſces maris deficient. Piſces enim ait Cyrillus hunc locum interpretans, vocat eos, qui imbecilliores deuorant, eſt enim inquit, maximè in piſcibus ἀλληλοφαγία, id eſt, vt ſe mutuo deuorent, quod magnopere conueniit cum

Aliud exemplum interpretationis 70.

Oſe. 4.

eo, quod paulo ſupra Pontifex dixerat, ſi dente canino vos rodere cœperitis, non ſolum non ſuperabitis, ſed vobis nocebitis, & ſuperabimini, & innocenter fortè peribitis. In eandem ſententiam dixit propheta Habacuc: Tacebis, cum deuorauerit impius iuſtum: & facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem. ſequitur: Veruntamē vnuſquiſque non iudicet, & non arguatur. & hoc quoque tametſi paulò obſcuriùs, quàm apud 70. ad minas quoque ſupplicij pertinet, tantam fore calamitatem, & miſeriam, vt nemo ſit, qui iudicet controuerſias, neque qui peccata aliorum arguat, quod eſt ingēs malum, & dignum iſtis, quibus minatur Pontifex, qui non arguunt eum, qui ſtatum eccleſiæ perturbat, & epiſcopum perſequitur, vt quia non iudicabant, neque arguebant perſecutores epiſcoporum, ipſi ſimile quid patiantur, ſicut ſcriptum eſt in ſapientia: per quæ peccat quis, per hęc torquetur. ſequitur deinde, Populus enim tuus ſicut hi, qui contra dicūt ſacerdoti. Neque hoc facilè intelligi poteſt, quomodo ad minas, & ſupplicium pertineat interpretatio vero 70. quam Alexander ſecutus eſt, rectè conuenit, & erit, inquit, populus, ſicut ſacerdos, cui contradicitur. Significat enim, inquit Cyrillus, priuandos eſſe ſacrificiis. ſacerdos enim, cui contradicitur, eſt, qui habebat aliquod vitium, aut morbum corporis, propter quæ arcetur à ſacris: ſic ergo inquit, erit populus meus, vt priuandus ſit ſacrificiis ſicut ſacerdos, cui lex contradicit, ne propter vitium ſacrificet, vt in quo peccauit populus, quia non defendit epiſcopum ſuum, qui pro populo ſacrificat, in eo puniatur, cum ſacrificiis priuatur. ſatis ſint, & inſtar multorum hæc pauca exempla ad probandum quod nobis propoſitum fuit. idem enim in pluribus aliis locis, ſi opus eſſet, interpretationem cum interpretatione, & ſententias cum ſententiis conferendo facere liceret. Illud huc addendum eſt, quod ille fecit, qui ſtudio, & induſtria ſua interdum pro interpretatione 70. cum ei viſum eſt, Hieronymi interpretationem, vt docuimus, poſuit, non nouum, & inauditum fuiſſe, neque exemplo imitationis caruiſſe. imitatus enim eſt interpretem epiſtolæ ad Hebræos: in

Habbac 1.

Sap. 11.

qua teſtimonia, quæ ex vetere ſcriptura ab Apoſt. Hebraica quidem, vt par eſt credere, vt qui, & Hebraicè, & ad Hebræos ſcriberet, citata ſunt, qui epiſtolam ex Hebraico in Græcum conuertit, quiſquis ille fuerit, ſiue Clemens Ro. ſiue, vt alij putant, & credibiliùs eſt, Lucas, ex interpretatione 70. qua ſancti Apoſtoli, & omnes ecclesiæ vtebantur, mutuatus eſt. ita factum eſt, vt interpretatio 70. Græca pro interpretatione ex Hebraico, qua Paulus vſus eſt, poſita ſit. quod quidem facilè intelligere poterit, qui in teſtimoniis libri Pſalmorum, quæ in ea ipſa epiſtola citantur, Græca cum Hebraicis, interprete Hieronymo, conferre voluerit. Quod ſi quis adhuc contendat, Paulum Apoſt. cum ad Hebræos ſcriberet, teſtimonia veteris ſcripturæ ex interpretatione Græca 70 in Hebraicum transtuliſſe, ſicuti in aliis epiſtolis, quas Græcè ſcripſit, ex eiſdem 70. Grçcè illa mutuari ſolitus eſt, idque, ne concedat aliquid ſimile, vt nos in epiſtolis Pontificum factum eſſe affirmamus. nempe interpretationem 70. ſubſtitutam eſſe ab interprete pro interpretatione ad verbum ex Hebraico, cõſideret iſte, quemadmodum hoc veriſimile fiat, vt cum Paulus ad Hebræos ſcriberet Hebraicè, teſtimonia ſcripturæ veteris citaret, quæ Hebræi poſt ea in libris ſuis, quos legebant, non reperirent, qui erant alioqui literis Hebraicis ita addicti, vt iis, qui 70. interpretibus vtebantur, ſemper obiicerẽt, vt Hierony. teſtatur, quòd Biblia haberent corrupta: riderentque vt Origenes in epiſt. ad Africanum ait, quòd ea, quæ apud Hebræos ſcripta erãt, Chriſtiani ignorarẽt. Denique quo magis ſubſtitutio iſta interpretationis Hieronym. in pluribus locis pro interpretatione 70. credibilis ſit, memini ego non ita pridem audire, cum eſſet Cyprianus Romę imprimendus, fuiſſe, qui iudicarent tunc, in teſtimoniis veteris ſcripturæ, quæ ſunt omnia apud Cyprianum ex interpretatione 70. pro interpretatione 70. interpretationem Hierony. ſubſtitui debere. quod quidem ſi factum fuiſſet, ſimile planè eueniſſet, vt in epiſtolis horum Pontificum alioqui vetuſtiſſimis eueniſſe videmus. ex quo fit, vt has epiſt. quarum antiquitatem Mag. negant, & tempore Caroli Magni factas eſſe ſomniãt,

In epiſt. Pauli ad Heb. interpretatio 70. pro interpretatione ex Hebraico, quo Paulus eſt in ea epiſt. vſus.

Quod diuino concilio factum ſit, vt qui has epiſtolas reperit mutaret interpretationẽ 70. in interpretationem Hieron.

Ioan. 6.

antiquiores ſaltem eſſe Hieronymi ætate, velint, nolint, hac ratione confiteri cogantur. Imò nunc demum intelligere mihi videor, diuino conſilio factum eſſe, vt ille quiſquis fuit, in locum 70. in teſtimoniis ſcripturæ veteris, interpretationem Hieronymi iam vulgatam in pleriſque locis ſubſtituerit. Si enim ille interpretationem 70. qua vſi ſunt Apoſtolici Pontifices, ſicut S. Apoſtoli eorum magiſtri, poſuiſſet, nihilo minus centuriatores, quos dominus ab initio ſciebat non eſſe credentes, vt de illis apud Ioannem Capharnaitis dixit, fictas eſſe à quopiã dixiſſent, qui callide, vt ſpeciem probabilitatis imitaretur ex interpretatione 70. teſtimonia veterum ſcripturarum ſumpſiſſet: nunc verò cum interpretationem Hieronymi in pleriſque locis, vt dixi, poſuerit, quomodo, qui illas, vt Magdeburgenſes volunt, finxit, credi, & perſuaſum eſt volebat, eſſe illorum Pontificum, qui ætatem Hieronymi tam multis annis anteceſſiſſent, ſi ipſe inquam, vtendo interpretatione Hieronymi in teſtimoniis veteris ſcripturæ, huic conſilio ſuo palàm repugnabat? quis illum tam ſtultum, & communis ſenſus expertem fuiſſe putet, vt de induſtria fidẽ ſibi derogare vellet? tam amens erat, vt vna atque eadẽ opera idem ipſe, quod moliebatur, ſimul euerteret? Quare qui hoc in epiſtolis iſtis Pontificum Apoſtolicorum fecit, id eſt, qui poſuit interpretationem Hieronymi omnibus familiarem pro interpretatione 70. quam in epiſtolis ipſis vbique repererat, confiſus notiſſimæ veritati, nihil hinc incommodi, aut ſcrupuli, vel dubitationis de auctoritate epiſtolarum poſteris timuit. Sciebat enim neminem ignoraturum eſſe, non potuiſſe Pontifices illos teſtimonia veteris ſcripturæ ex interpretatione Hieronymi, ſed ex 70. ſumere, quæ quiſque per ſe, cum vellet, ſiue ad priuatam, ſiue ad communem vtilitatem poſſet ſuis locis reponere. Illi verò, qui hoc fecit, hoc tantum propoſitum fuit, ea interpretatione vti id eſt, Hieronymi, quæ iam erat Latinis, vt nunc eſt, familiarior. Vnde hoc nobis argumenti diuino, vt dixi, conſilio aduerſus centuriatores acceſſit, qui has epiſtolas tempore Caroli Magni ſcriptas, & fictas fuiſſe mentiuntur, neque facile ante id temporis,

Euidens argumentum, non eſſe has epiſt. fictas, vt Mag. fingunt.

qui de eis meminerit, reperiri, hoc dico, argumenti acceſſit, eſſe has epiſtolas Hieronymo antiquiores, quia ſi poſt Hieronymi ætatem à quopiam fictæ fuiſſent, qui eas pontificibus illis affinxiſſet, nunquam interpretatione Hieronymi, qua illi vti non potuiſſent, vt artificium fingendi poſtulabat, vſus fuiſſet: quod enim ſimulatum eſt, leui etiam ſuſpicione arguitur. quinimò omni ſtudio cauiſſet, ne exiſtimationem antiquitatis, quam illis epiſtolis apponere volebat, vſu interpretationis longè illorum pontificum ætate poſterioris ſimul tolleret. reſtat igitur, vt ſi qui ſunt, à quibus aliquando interpretatio Hieronymi in has epiſtolas pontificum Apoſtolicorum obiiciatur, illa ipſa interpretatio eiſdem magno potius argumento eſſe debeat, ſaltem Hieronymo vetuſtiores eſſe, id eſt, ſcriptas eſſe ante annos 1200. fortaſſe cum Magdeburg. tantum vetuſtatem, & canitiem iam viderint, reuerentiam, quam debent, illis adhibebunt: & ſuorum auctorum, id eſt, pontificum Apoſtolicorum tandem eſſe credent.

De genere teſtium ſanctiſſimo pro epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum, quod eſt fama vetus. Quomodo quæ Auguſtinus ſcripſit contra Fauſtum negantem nouum teſtamentũ ſcriptum eſſe ab Apoſtolis, ad coarguendum Magd. valeant, & ad probandum ſcriptas eſſe epiſtolas à Pontificibus, quorum eſſe feruntur. item quomodo refellendum ſit, quod aiunt Magd. corruptas eſſe epiſtolas iſtas, & ſi concedant eſſe Pontificum. Cap. 28.

QVia enim non ſatis eſt aliena refellere, ſed noſtra probare, poſtquã omnia, quæ Magdeburg. in criminibus epiſtolarum obiecerunt, firmis rationibus, & ſcript. ſanctis, veriſq; hiſtoriis ſatis, vt opinor cõfutauimus, deque eorũ teſtibus ſingillatim reſpõdimus, ſuper eſt, vt deinceps veritatem, auctoritatẽ, & antiquitatẽ epiſt. in vniuerſum teſtibus confirmemus, quarum eſt non vnum genus, ſed duplex. Vnum, & quidem locupletiſſimum, ac ſanctiſſimum eſt memoria & cõmunis ſermo hominũ, ac poſteritas tot ſæculorũ, quibus epiſtolę iſtę, *De genere teſtium habent ſpeciẽ prophetiæ.*

ſecundæ centuriæ, non falſæ & fictæ, vt Magde. conten dunt, ſed ſuorum auctorum, quorum eſſe feruntur, ſem per habitæ ſunt, ex quo in publicum exierunt. fama e- nim conſentiens, vt Calliſtratus iuriſconſultus ex re- ſcripto Hadriani ad Valerianum ait, confirmat rei, de qua quæritur, fidem: Plato quoque in libro de legibus 12. famæ crebræ, & vetuſtate celebratæ fidem adhiben- dam eſſe iudicauit. imò habet fama ſpeciem quandam prophetiæ, vt Petrus cum Simone diſputans dixit, vt Clemens narrat: Prophetia enim non ſolum ad futu- rum, ſed aliquando ad præteritum pertinet, cuius fidem facit. itaque non quod à nobis proceſſit, aut quod ad nos ſolùm peruenit, ſicut Apoſtolus ait, ſed quod ab i- nitio aliis, atque aliis deinceps traditum accepimus, & ad omnes manauit, & vbique percrebuit, hoc de his e- piſtolis noſtra ætas nunciat, ac teſtatur. quare aut eas Magdeburgen. recipiant, aut omnes auctorum præte- ritorum libros ſimul cum eis negent: æque enim pro- bantur omnes hoc vno genere teſtium, in quo infiniti teſtes continẽtur. quot enim homines ſunt, qui libros, vel epiſtolas de titulo ſuorum auctorum communi fa- ma atque ſermone iam olim celebrant, totidem ſunt teſtes, eorum libros vel epiſtolas eſſe: eſt enim fama vul gi, vt ſummus orator ait, quoddam multitudinis teſti- monium. Sed audiamus Auguſtinum cum Fauſto Ma- nichęo ſimiliter diſputantem, qui nouum teſtamen- tum ab Apoſtolis ſcriptum eſſe negabat, & quæ illi reſ- pondit Auguſtinus, hæc iſti reſponſa ſibi putent, muta- to nomine Manichæi, & Manichæorum, in Lutheri, & Lutheranorum: nihil enim refert ad id quod agimus, quod auctoritas harum epiſtolarum non ſit par, & æ- qualis nouo teſtamento. Recitemus igitur, quæ libro 33. cap. 6. ſcripſit. Sed quid, inquit, vobis faciam, quos contra teſtimonia ſcripturarum ita obſurdefecit ini- quitas, vt quicquid aduerſum vos inde prolatum fue- rit, non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo fal- ſario ſub eius nomine ſcriptum eſſe, dicere audeatis? vſ- que adeò à Chriſtiana doctrina apertè aliena eſt, quam prædicatis, doctrina Dæmoniorum, vt eam ſub Chri- ſtianæ doctrinæ nomine defendere nulla ex parte poſ- ſitis,

1. Cor. 14.

Coguntur Magdeburg. aut omnium præteritorum auctorum libros falſos dicere, aut epiſtolas Pontificum veras eſſe confiteri.

ſitis niſi dicatis falſas eſſe ſcripturas Apoſtolorum? Idẽ Magdeburgenſibus euenit, qui non poſſunt vlla via, & ratione doctrinam ſuam defendere, niſi epiſtolas Pontiſicum Apoſtolicorum falſas, & fictas eſſe dicant. ſubiungit deinde Auguſtinus infelices inimici animæ veſtræ, quæ vnquam litteræ vllum habebunt pondus auctoritatis, ſi euangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? de quo libro certum erit, cuius ſit, ſi litteræ, quas Apoſtolorum dicit, & tenet eccleſia ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, vtrum Apoſtolorum ſit, incertum eſt? & paulo poſt, Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorúmque eiuſmodi auctorũ libri vnde nouerunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum conteſtatione continua? Multi multa de litteris eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate canonica, ſed aliquo adiuuandi ſtudio ſiue diſcendi, vnde conſtat, quid cuius ſit, niſi, quia hic temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit, inſinuauit, atque ædidit: & inde in alios continuata notitia, latiúſque firmata ad poſteros, etiam vſque ad noſtra tempora peruenerunt? ita vt interrogati, cuius quiſque liber ſit, non hæſitemus, quid reſpõdere debeamus. Hæc Auguſtinus: ſic de his epiſtolis nobis dicendum eſt, veniſſe tunc, cũ ſcriptæ ſunt, ad quos potuit, earum notitiam: & inde ad alios atque alios, vſque ad noſtra tempora. neque quod aliquando hæ epiſtolæ fortaſſe non erant in manibus omnium, aut de epiſtolis Clementis ad Iacobum à quopiam dubitatum ſit, efficere potuit, quin communis fama poſteritatis conuicerit, eorum eſſe epiſtolas, quorum ab initio ferebantur. Niſi placet Magdeburgenſibus libros Theophraſti, & Ariſtotelis fictos eſſe dicere, quia, cum diu latuiſſent, tempore Syllæ dictatoris in publicum exierunt. aut ſecundam Petri Apoſt. & Ioannis 2. & 3. epiſtolas negare, quia de eis aliquando dubitatum fuiſſe, teſtatum eſt. ſed redeo ad Auguſtinum: addit enim deinceps, ſed quid, inquit, pergam in longè præterita? ecce iſtas litteras, quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ huius noſtræ, vel illas quiſpiam Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas, vnde conuincitur, niſi

Quam apte in Magd. quadret quod in Fauſtũ Aug. dixit.

Quomodo probet Aug. contra Fauſtũ ſcriptum eſſe ab Apoſtolis nouum teſtamentum.

quia illi, qui nunc iſta nouerunt, notitiam ſuam ad longe etiam poſt futuros, continuatis poſteriorum ſucceſſoribus, traiiciunt? Deinde cap. proximo ſequenti, id eſt, ſeptimo, ſed contraria, inquit, inter ſe ſcripta eorum reperiuntur. maligni malo ſtudio legitis: ſtulti non intelligitis: cœci non videtis: quid enim magni erat, iſta diligenter inſpicere, & eorum ſcriptorum magnam, & ſalubrem inuenire congruentiam, ſi vos contentio non peruerteret, & ſi pietas vos adiuuaret? Hæc quoque Magdeburgenſibus dicta ſint. Si enim iſta, quę in epiſtolis Pontificum ad negandum eas notarunt, vel tanquam falſa, vel tanquam temporibus illis non congruentia, mediocri diligentia, & ſtudio ſine odio, & malitia aduertiſſent, ac conſideraſſent, & vera eſſe, & cum temporibus conuenientia, facile intellexiſſent: aut certe ſi quid eis difficile viſum eſſet, non ideo ſtatim ſcripta negaſſent, quia quædam in eis non intelligerent. Si enim, quæcunque non intelligunt, pergant reſpuere, nec ipſis ſacris, & canonicis ſcripturis parcent, vt quidem iam non pepercerunt: eo enim euaſit cœca, & rabioſa Lutheranorum magiſtrorum temeritas. Rurſus idem Auguſtinus lib. 32. cap. 21. contra eundem Fauſtum, vnde, inquit, ſcitis. illas litteras eſſe Manichæi, quas miſerabiliter huic auctoritati præponitis? Si enim hinc aliquis moueat quæſtionem, & ſcrupulum contradictionis impingat, dicens libros, quos profertis, non eſſe Manichæi, quid facturi eſtis? nonne potius eiuſdem deliramenta ridebitis? Quis contra rem tanta connexionis, & ſucceſſionis ſerie firmatam, impudentiam huius vocis emittat? ſicut ergo, inquit, certum eſt, illos libros eſſe Manichæi, & omnino ridendus eſt, qui ex tranſuerſo veniens, tamen poſt natus, litem vobis huius contradictionis intenderit: ita certum eſt Manichæum, vel Manichæos eſſe ridendos, aut etiam dolendos qui tam fundatæ auctoritati à temporibus Apoſtolorum vſque ad hæc tempora certis ſucceſſionibus cuſtoditæ, atque productæ audeant tale aliquid dicere. Hactenus Auguſtinus. Sed quia Magd. non audent penitus affirmare fictas eſſe has epiſtolas: quin potius, conſcientia non conſiſtente, titubanter di-

cunt, vt eorum verbis vtar, ab vno eodemque, aut de integro confictas, aut fœdiſſimè corruptas, ſubiiciam hic ex eodem Auguſtino quæ in poſteriorem partem ſententiæ iſtorum quadrant. ſic enim lib. 11. cap. 2. contra eundem Fauſtum ſcripſit. Vſque adeò inuicta ſunt, quæ aduerſus vos de diuinis codicibus proferuntur, vt non ſit aliud, quod dicatis, niſi eos eſſe falſatos. Quæ auctoritas literarum aperiri, quis ſacer liber euolui, quod documentum cuiuſlibet ſcripturæ ad conuincendos errores exeri poteſt, ſi hæc vox admittitur? ſi alicuius ponderis æſtimatur? Aliud eſt, iſtos libros non recipere, & nullo eorum vinculo detineri, quod pagani de omnibus libris noſtris, quod Iudæi de nouo Teſtamento faciunt: quod denique nos ipſi de veſtris, & aliorum hæreticorum, ſi quos ſuos, & proprios habent, vel de iis. qui vocantur apocriphi, non quòd habendi ſint in aliqua auctoritate ſecreta, ſed quia nulla teſtificationis luce declarati de neſcio quo ſecreto, neſcio quorum præſumptione prolati ſunt. Aliud eſt ergo auctoritate aliquorum vel librorum, vel hominum non teneri: & aliud eſt dicere, iſte quidem vir ſanctus omnia vera ſcripſit: & iſta epiſtola ipſius eſt, ſed in ea ipſa hoc eſt eius, vbi cum ex aduerſo audieris, proba: non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicũ, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis, vnde hoc in aliam linguam interpretatum eſt: ſed dicas, inde probo, hoc illius eſſe, quia hoc pro me ſonat: illud cõtra me. tu es ergo regula veritatis: quicquid contra te fuerit, non eſt verum. Quid ſi alius ſimili inſania, ſed tamen qua tu, duritia conſtringatur, exiſtat, & dicat, imò illud, quod pro te ſonat, falſum eſt: hoc autem, quod contra te eſt, verum eſt. quid acturus es? niſi fortè alium librum prolaturus, vbi quicquid legeris, ſecundum tuam ſententiam poſſit intelligi. hoc ſi feceris, non de aliqua eius particula, ſed de toto audias contradicentem, & clamantem, falſus eſt: quid ages? quo te conuertes? quam libri à te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? hactenus Auguſt. Hæc ergo ſibi, vt iterum dicam, Lutherani, & eorum centuriones Magdeburg. ſcripta ab Au-

Quomodo Auguſt. eos confutauerit, qui aiebãt corruptum eſſe nouum teſtamẽtum.

Quid Hier. de Apocalyp. & de epiſt. Pauli ad Heb. ſcripſerit quod in Mag. quoque conuenit.

guſtino, ſanctiſſimo, & eruditiſſimo patre, exiſtiment. ſic beatus Hieronymus Apocalypſim beati Ioannis, & epiſtolam Pauli ad Hebræos cum plerique ſuo tempore negarent, ipſe tamen non audet negare, ſed potius vtranque, inquit in epiſtola ad Dardanum, ſuſcipimus, nequaquam huius temporis conſuetudinem. ſed veterum ſcriptorum auctoritatem ſequentes, qui plerúnque vtriuſque vtuntur teſtimoniis, non vt interdum de apochryphis facere ſolent, quippe qui, & Gentilium litterarum raro vtuntur exemplis, ſed quaſi canonicis, & eccleſiaſticis. Hæc Hieronymus. ſic nos veterum ſcriptorum, qui paſſim harum epiſtolarum teſtimoniis vtuntur, auctoritatem ſequimur, & non tantum noſtri quoque temporis conſuetudinem, quæ eas recipit, & quotidiana lectione, atque vſu in doctrina, & eccleſiarum adminiſtratione, eccleſiaſticíſque iudiciis celebrat, & frequentat. Magdeburgenſes verò nec eccleſiarum conſuetudinem curant, nec auctoritatem veterum earum teſtimoniis vtentium reuerentur: vt faciant in epiſtolis Apoſtolicorum Pontificum, quod Manichæi in ſcripturis Apoſtolorum prius fecerunt, tametſi diſpar ſit, & inæquale Magdeburgenſium, & illorum crimen. Recte itaque in iſtos conuenit, quod Theodoretus Cyri epiſcopus in proœmio commentariorum epiſtolæ ad Hebræos aduerſus Arianos eam negantes ſcripſit; At inquit, tametſi nihil aliud, tamen huius epiſtolæ in eccleſiis antiquitatẽ vereri eos oportuit, ab eo, enim vſque tempore, quo eccleſiæ Pauli epiſtolas receperunt, fructum ex huius epiſtolæ doctrina, & lectione percipiunt. ita quoque Magdeburgenſes tametſi nihil aliud, tamen harum epiſtolarum in eccleſiis antiquitatẽ reuereri oportuit. Ab eo enim vſque tempore, quo eccleſiæ horum Pontificum epiſtolas acceperunt, fructum ex earum doctrina, & lectione percipiunt. Cauſa deinde, quæ Arianos ad negandam epiſtolam Pauli ad Hebr. impulit, eius quoque cauſæ, quæ Magdeburgenſes ad negandum horum Pontificum epiſtolas commouit, ſimilis eſt. Cum enim, inquit Theodoretus, non poſſent refellere, quæ Paulus de diuinitate filij clariſſimè ſcripſit, totam epiſtolam eiicere decre-

Quid Theod. de epiſt. ad Hebr. ſcripſerit, quod in Magd. quoque quadrat.

uerunt. ſic centuriatores cum non poſſent aliter refellere, quæ hi ſanctiſſimi, & Apoſtolici Pontifices, cum de aliis, quæ Lutherani negant, tum in primis de principatu epiſcopi Romani, & de appellationibus ad eum grauiſſimè ſcribunt, & à ſanctis Apoſtolis tradita, & ſancita eſſe clariſſimè in his epiſtolis affirmant, totas epiſtolas exemplo Arianorum negare decreuerunt. Et beatus Auguſtinus in epiſtola ad Hieronymum 19 Manichæi, inquit, plurima diuinarum ſcripturarum, quibus eorum nefarius error clariſſima ſententiarum perſpicuitate conuincitur, quia in alium ſenſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe contendunt, ita tamen vt eandem falſitatem non ſcribentibus Apoſtolis tribuant, ſed neſcio quibus codicum corruptoribus: quod tamen, quia neque pluribus, nec antiquioribus exemplaribus, neque præcedentis linguæ auctoritate, vnde Latini libri interpretati ſunt, probare aliquando potuerunt, notiſſima omnibus veritate ſuperati, confuſique diſcedunt, ſic iſtis euenit, qui idem de epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum dicere auſi ſunt, quod de ſcripturis Apoſtolorum Manichæi, Aiunt enim aut de integro cõfictas eſſe, aut fœdiſſimè corruptas: ſed quia nec hoc poſterius pluribus, neque antiquioribus exemplaribus, neque auctoritate præcedentis linguæ Græcæ, vnde epiſtolæ Clementis tranſlatæ ſunt, probare aliquando potuerunt notiſſima omnibus veritate, vt de illis dixit Auguſtinus, ſuperati, confuſique diſcedunt, vtinam ad pœnitentiam confuſi, dum facultas adeſt, ſicut beatus Cyprianus ad Demetrianum ſcripſit, dum adhuc aliquid de ſæculo ſupereſt, quando enim, inquit iſtinc exceſſum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ eſt: nullus ſatisfactionis effectus: hic vita aut amittitur, aut tenetur. Hactenus de priore genere teſtium, dicendum eſt deinceps de altero.

De iis, qui epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum apud veteres citarũt, & reſponſio ad cap. Diſt. 19. Si Rom. quod Magd. in epiſtolas obiiciunt, & quemadmodum Nicolaus primus citatus teſtis contra epiſtolas à Magd. earum auctoritatẽ probet. Item de epiſtola Clementis prima ad Iacobũ libru

Recognitionum prapoſita, & de altera epiſtola Clem. ex perſona petri ad Iacob. de qua Photius. & de veteribus ſynodis, quæ epiſtolas Pont. Apoſtoli eorum citarunt.
Cap. 23.

ETſi non eſt opus alios teſtes quærere, vt ſummus orator pro Flacco dixit, vbi ipſi, qui iudices futuri ſunt, teſtes eſſe poſſunt. ne tamen nobis deeſſe putentur, hoc quoque genus teſtium producemus, nempe eorum, qui de his epiſtolis in libris ſuis meminere, earúmque auctoritati teſtimonium dederunt: non loquor nunc de Pontificibus, qui contra omnem æquitatem, & rationem Magdeburgenſibus ſuſpecti ſunt, ſed de aliis. Ac primum, quia tāta eſt apud vos Gratiani auctoritas, quod vobis gratulor, vt eam nobis contra has epiſtolas obiiciendam eſſe putaretis, merito, & quidem exemplo veſtro admoniti, eos, qui ante Gratianum harum epiſtolarum decreta ſimili ſtudio, & induſtria collegerunt, quos ille poſteà imitatus, & ſecutus eſt, vobis pro defenſione earũ obiiciemus viros magna auctoritate, & excellenti doctrina, ac vitæ probitate, Iuonem dico epiſcopum Carnotenſem ante quadringentos quinquaginta annos, Burcardum epiſcopum Vormaciēſem, adhuc eo antiquiorem, tum Anſelmum Lucēſem ante annos prope quingentos, hi enim, vt dixi, ante Gratianum harum epiſtolarum decreta ſtudioſè collegerunt, & in certos locos communes diſtributa ſuis illa quidem auctoribus aſſignarunt, vt ſic digeſta, & notata ad vſum eccleſiæ omnibus in promptu eſſent. Cepit verò primus hoc ſtudiũ ante annos nongentos Iſidorus Hiſpalenſis hortatu 80. epiſcoporum, vt ipſe in prologo his verbis ſcripſit, Compellor à multis tam epiſcopis, quàm reliquis ſeruis Chriſti canonum ſentētias colligere. & paulò poſt, Deinde quarundam epiſtolarum decreta virorũ Apoſtolicorũ, interſeruimus, id eſt, Clemētis, Anacleti, Euariſti, & cæterorum Apoſtolicorum, quas potuimus hactenus reperire epiſtolas, vſque ad Syluestrum Papam, poſtmodum vero Nicenam ſynodum conſtituimus, &

De colectorib. decretorum.

deinceps reliqua decreta præſulum Romanorum vſque ad ſanctum Gregoriũ. Hactenus Iſidorus. An non eſt fide dignus auctor, & ex numero Patrum, ſanctus Iſidorus, & ætate Caroli Magni antiquior? vnde didicit beatus Iſidorus tribuere auctoritatem epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum, niſi à maioribus ſuis? Quomodo ergo tam apertè fallere voluiſtis, vt diceretis, neque facilè reperias has epiſtolas ab vllo Patrum, aut fide digno auctore ab hoc ſæculo vſque ad Caroli Magni ætatem citari. ſic enim in accuſatione veſtra ſcripſiſtis, an fortaſſe non citauit epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum, qui eas, & earum decreta ad vſum eccleſiæ catholicæ collegit, vt in promptu eſſent omnibus ad citandum? Ne autem hoc quoque opus Iſidori fictum eſſe, more veſtro dicatis (hoc enim perfugium vobis paraſtis negandi omnia, quæ niſi negetis, veſtra defendere non poteſtis) meminit eius Igmarus Archiep. Rhemenſis in libro de variis capitulis eccleſiaſticis cap. 27. de tranſlatione è Græco, conciliorum, & canonum. ſic enim ait, & beatus Iſidorus in collectario ſuo de canonibus, quatuor æditiones Nicæni concilij compaginauit. & rurſus cap. 33. non ſolum meminit, ſed laudat etiam Hæc ſunt, inquit, quæ prædictus Iſidorus in collectario ſuo de canonibus diligentiſſimè præſcripſit, quem vtique ſi quis ſtudioſè perlegerit, pleniſſimè illa, quæ nos ſummatim tetigimus, ſe inueniſſe gaudebit. Vixit autem, vt ſcitis, Igmarus Rhemen. ſub Carolo, & Ludouico filio, & ad eum Benedictus 3. & Nicolaus primus epiſtolas ſcripſerunt. In vno ergo Iſidoro octuaginta epiſcoporum teſtimonium contra commentum veſtrum producimus. hi enim, niſi has epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum veras, & omni ſapientia, & vtilitate plenas eſſe ſcirent, nunquam ſanctum Iſidorum ad colligendum coegiſſent, vt idem Iſidorus in Prologo ſuo teſtatur, ſic enim ait, ſcire autẽ vos volo 80. epiſcopos, qui hoc opus me incipere, & perficere coegiſtis, & quæ ſequuntur. Igmarus verò cap. 15. libri ſui, quem paulò ante dixi, loquẽs de Symbolo Apoſtolorum epiſtolam Clementis ad Iacobum fratrem domini citat, & cap. 17. loquens de nono canone Apoſto-

In Iſidori prologo teſtimonium 80. epiſc. pro epiſt. Pont. Apoſtolicorum.

lorum, epiſtolam Anacleti primam item citat: & cap. 18. loquens de non eiiciendis epiſcopis citat etiam eiuſdem Anacleti epiſtolam 2. Poſſem hic ex illo ſæculo Caroli, & Ludouici citare teſtem epiſtolæ Clementis, quæ vobis propter Iacobũ fratrem Domini iam mortuum, valde ſuſpecta eſt, imò opinione veſtra planè cõficta, & propter doctrinam beati Petri, quæ in ea recitatur maximè odioſa, teſtem dico epiſtolam Nicolai primi, quam vos fictam eſſe, ſcio, non dicetis, tum ne vobis derogetis, qui teſtimonio epiſtolarum Nicolai in centuria 9 abuti voluiſtis, id quod in aliorum quoque Pont. epiſtolis à ſexto ſæculo facere cœpiſtis, tum ne ſimul totam cauſam regis Lotarij, & Theupergæ vxoris, de qua epiſtola Nicolai ſcripta eſt, fictam facere videamini. Sic igitur ille in epiſtola ad Epiſcopos, & Archiepiſcopos in regno Lotarij, qui à matrimonio Theupergæ vxoris propter pellicem diſcedere volebat, ſcripſit, Sermonem illius, qui nobis per beatũ Clementem recitatur, attendite: Quid in hominum peccatis adulterio grauius? ſecundum namque in pœnis obtinet locum, Quoniam quidem primum habent illi, qui aberrant à Deo, etiam ſi ſobriè vixerint. Propter quod vos ô presbyteri Eccleſiæ, Eccleſiam excolite, & adornate ſponſam Chriſti ad pudicitiam. Hæc Nicolaus ante annos ſeptingentos ex epiſtola Clementis ad Iacobum recitauit, imò hic Pont. Nicolaus totam hanc cauſam defenſionis epiſtolarum pontificum apoſtolicorum aduerſus quoſdam epiſcopos earum inimicos illis temporibus ſuſcepit. quos quia Magdeburgenſes ad dicendum teſtimonium in epiſtolas Zepherini, & aliorum omnium pontificum ſuperiorum in tertia Centuria produxerunt, nos rurſus eorum teſtimonium in eoſdem ipſos Magdeburgenſes producamus. Vt ſuo mucrone confodiantur, id eſt, à ſuis teſtibus redarguantur. Sed recitemus prius, quæ Magdebur. in 3. Centuria de epiſtolis pontificum tertij ſæculi ſcripſerunt. & fuiſſe inquiunt, ſemper aliquos, qui has & ſuperioris, & ſequentium aliquot ſæculorum epiſtolas à tempore, quo primum citari cœperunt, pro apocryphis & ſuppoſititiis habuerũt, eo quod in codice cano-

Igmarus Rhemenſis Archi. ante annos 700 epiſt. Clem. ad Iacob. & epiſt. Anacleti citat.

num non inuenirentur, nec à Conciliis generalibus ſuſceptæ & approbatæ vnquam eſſent, ſed tantum à Romanis tanquam à ſuſpectis & domeſticis teſtibus iactarentur, apparet (inquiunt) ex Grat. diſ. 19. c. Si Romanorum pont. hactenus Magd. Audiamus nunc teſtimonium illorum, qui ex illo capite Gratiani in epiſtolas pontificum citati ſunt teſtes, auctore Nicolao primo, cuius teſtimonio vſi ſunt Magdeburg. vt intelligant omnes, rectè & iſtos, ſicut Daniel iniquis illis iudicibus Iſrael dixit, in caput ſuum mentitos eſſe, Quamquam quidam (inquit) veſtrum ſcripſerint, haud illa decretalia priſcorum pontificum in toto canonũ codicis corpore eſſe deſcripta, & ideo inter canones non eſſe aſſumenda, cum & ipſi, vbi ſuæ intẽtioni hæc ſuffragari conſpiciunt, in omnibus illis indifferenter vtãtur: & ſolum nunc ad diminutionem ſedis apoſtolicæ poteſtatis & ſuorum augmentum priuilegiorum minus accepta eſſe perhibeant. ergo illi qui inter Epiſcopos & Archiepiſcopos Galliæ, ad quos Nicolaus ſcripſit, ſic ſentiebant, veras eſſe priſcorum pontificũ epiſtolas conſitebantur, quas vos negatis non enim cõtendiſſent non eſſe eas inter Canones referendas, ſi vt vos vultis, apocryphas & ſuppoſititias, ac nõ potius veras, & ſuorum auctorum eſſe putarent. aliud eſt enim negare veras eſſe, quod vos facitis: aliud negare earũ auctoritate priuilegia ſua abrogari, quod illi faciebãt. Deinde ſi ſuppoſitas eſſe illi crediſſent, nunquam earum teſtimonio vſi eſſent, vt quidem vſos eſſe teſtis veſter idémque noſter Nicolaus pontifex teſtatur. Præterea ſolum ad diminutionem poteſtatis ſedis apoſtolicæ, & ad augmẽtum ſuorum priuilegiorum, vt idem teſtis Nicolaus ait, illa decretalia põtificum minus accepta eſſe illi perhibebant: at vos Magd. non ad diminutionem ſolum poteſtatis ſedis apoſtolicæ epiſtolas priſcorum pontificum negatis, hoc enim faceretis, ſi tantum decretum de appellationibus repudiaretis, ſed ad diminutionem dogmatum catholicorum, & ad defenſionem doctrinæ veſtræ, quam, niſi epiſtolas illas negetis, aliter defendere non poteſtis. ſentitis ne iam Magd. quod teſtimonium tribuant epiſtolis cõtra vos

Quemadmodũ cap. Si Rom. diſ. 19. à Magd. obiectum in eos retorqueatur.

Quomodo teſtis à Magd. citatus contra epiſtolas, auctoritatē epiſtolarū probet.

veſtri illi teſtes? ſed proſequamur reliqua: & videamus quemadmodum contra illos Nicolaus teſtis Magdeburgenſium nō quidem veritatem epiſtolarum, quam illi ipſi confitebantur, ſed auctoritatem, quā negabant, probet, quo magis intelligatis, quantum inter vos, & illos, quorum ſimiles videri voluiſtis, diſtet. ſi ideo (inquit) non eſſe decretales epiſtolas priſcorum pontificū admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adſcriptæ, ergo neque ſancti Gregorij, nec vllius alterius, qui ante ipſum fuit, vel poſt ipſum eſt, aliquod inſtitutū, vel reſcriptum recipiēdum eſt, eo quod in codice canonum non habeatur, adſcriptum. ergo doctrinam eorum & ſanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in codice canonum non habētur adſcriptæ, de codicibus ſuis abradant, vt quid vel membranas occupant, poſtquam non habentur acceptæ? tametſi illud vos Callidius, quam illi, quod non putaſtis conſentaneum eſſe, confiteri veras illorum pontificū apoſtolicorum epiſtolas, & non habere eas acceptas & ratas. Conſtat ergo, non de veritate, epiſtolarum priſcorum pōtificum, ſed de earum auctoritate canonica teſtes illos diſceptaſſe, quos Magd. ex epiſtola Nicolai apud Gratianum in eaſdem epiſtolas citarunt. Pergit verò Nicolaus refellere illos, & epiſtolarū illarum canonicā auctoritatem, quam negabant, probare decretorum Leonis & Gelaſij, quos recipiebāt, auctoritate. reſtat (inquit) nimirum, quod decretales epiſtolæ Romanorum pont. ſunt recipiendæ, & ſi non ſunt codici Canonum compaginatę, quoniam inter ipſos Canones vnum beati Leonis capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta à ſede Apoſtolica cuſtodiri mandantur, vt ſi quis in illa cōmiſerit, nouerit ſibi veniam denegari, dixit enim cap. 10. ſuarū decretalium, ne quid verò ſit, quod prætermitti à nobis forte credatur, omnia decretalia cōſtituta tam bonæ recordationis Innocentij, quàm omniū prædeceſſorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis ita noſtra declaratione cuſtodiri mādamus, vt ſi quis in illa cōmiſerit, veniā ſibi nouerit deinceps denegari. dicendo verò omnia de-

Quomodo teſtes ex epiſtola Nicolai contra epiſtolas citati veritatem earū confiteantur.

Leonis Magni teſtimoniū pro epiſtolis pontificum Apoſtolicorum.

cretaliũ conſtituta, nullum de decret. conſtitutis prætermiſit, quod nõ mãdauerit eſſe cuſtodiẽdum: & rurſus aſſerendo omnium prædeceſſorum noſtrorũ, nullum pontificum Rom. qui ante ſe fuerunt, excepit. & paulo poſt, itaque nihil intereſt, vtrum ſint omnia, nec ne, decretalia ſedis apoſtolicæ ſtatuta, inter canones conciliorum immixta, cum omnia in vno corpore cõpaginari non poſſint: & illa eis interſint, quæ firmitatẽ iis, quæ deſunt, & vigorem ſuum aſſignent. hoc dixit Nicolaus propter iſta duo decreta Innocentij & Leonis quæ ſunt inter canones, quibus priſcorum pontificum epiſtolæ confirmantur. bene autem habet, quod Magde. epiſtolas Leonis non negant veras eſſe, quarũ teſtimonio ipſi in Centuriis aliquando vti ſolent, vel, vt melius dicam, abuti: nec epiſtolas Gelaſij negant: de quo ſubiungit idem Nicolaus, conſonat autem huic beatiſſimo Leoni Papæ etiam facundiſs ſanctus in decretis ſuis Papa Gelaſius ita inquiens, decretales epiſtolæ, quas beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab Vrbe Roma pro diuerſorum patrum cõſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendas decernimus. in quo notandum eſt (inquit) quod non dixit, decretales epiſtolas, quæ inter canones habentur, vel quas moderni pontifices dederunt, ſed quas beatiſſimi papæ diuerſis temporibus ab Vrbe Roma dederunt. dicẽs autem diuerſis temporibus etiam illa tempora vir ſanctus cõprehendit, quæ crebreſcentibus paganorum perſecutionibus ad ſedem apoſtolicam deferri cauſas epiſcoporum difficillimè permittebant. hactenus Nicolaus. Cum igitur Magd. epiſcopos quoſdam Galliæ teſtes in epiſtolas priſcorum pontificum citauerint, qui nunquam eas epiſtolas falſas, & ſuppoſitas eſſe dixerunt, ſed potius veras eſſe & ſuorum auctorum, quorum eſſe feruntur, confeſſi ſunt, ſupereſt. vt Magdeburgenſibus dicamus, vt iterum repetam, quod Daniel illis ſenibus inueteratis dierum malorum, & iniquis iudicibus, rectè & vos mentiti eſtis in caput veſtrum: ipſi enim veſtri teſtes vos condemnant: qui ſatis veras eſſe epiſtolas aiebant, quarum teſtimonio, cum è re ſua erat, vtebantur: illud tantum obiicientes non eſſe

Gelaſii teſtimonium pro epiſtolis pontificum Apoſtolicorũ.

Teſtimonium epiſtolæ Clem. ad Iacobum in Photio conſt.

inter canones relatas.ſed de his ſatis. Deinde Photius patriarcha Cōſtantinopolitanus eruditiſſimus auctor, ante annos item ſeptingentos,in eo opere,quod de libris à ſe lectis compoſuit, quod Bibliothecam appellauit,epiſtolas duas Clementis ad Corinthios,& aliam eiuſdem Clementis ad Iacobum fratrē Domini, ſe ait legiſſe.an negabitis ſatis idoneum teſtem eſſe antiquitatis epiſtolæ huius Photium Gręcum auctorem, hominem præſertim parū Eccleſiæ latinæ ſtudioſum, imò aliquando æmulum,& obtrectatorem? an dicetis blandiri voluiſſe , & in gratiam Eccleſiæ Latinæ epiſtolam circa tempora Caroli Magni, vt vos ſomniaſtis,fictam, inter libros veterum à ſe lectos, referre voluiſſe? quid hoc amentius?Accedit etiam teſtis epiſtolæ Clemētis ad Iacobum fratrem Domini, his omnibus, quos dixi,antiquior Ruſinus Toranus. qui in prologo librorum eiuſdem Clemētis de beati Petri cum Simone Mago diſputationibus.affirmat,olim hanc epiſtolā interpretatam eſſe & æditam :,quodque in ea de omni ordine eccleſiaſtico contineretur,id quod Magdeburgenſes premit,& ferre nō poſſunt. Vertiſſe autem Ruſinum è Græco in Latinum libros iſtos , quos dixi, in quorum prologo hoc teſtimonium epiſtolæ Clemētis tribuit, Teſtis eſt Gennadius.vetus auctor, in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Illud autem, quod fortaſſe parum rem conſiderāti auctoritatem epiſtolæ imminuere videri poſſet , quod in principio librorum eiuſdem Clementis de Petri ſermonibus , & diſputationibus cū Simone, quos ab hæreticis deprauatos fuiſſe Epiphanius, Hierony. & ipſe idem eorum interpres Ruſinus teſtes ſunt,ab eodem Clemente collocata eſt , vt Photius quoque Conſtantinopolitanus in bibliotheca ſua teſtatur, &.vt nos in ipſo exemplari Græco vidimus, hoc inquam auctoritatem eius non eleuat. Sed magis auget:ſi quidem propter magnam epiſtolæ auctoritatem factum eſt,vt ab illis libris ſepararetur & reliquis epiſtolis eiuſdem Clementis adiungeretur. Itaq; ſicut ex libro Enoch apocrypho ab apoſtolo Iuda teſtimonium,quod inde in epiſtola ſua citat,ſeparatum eſt,& canonica auctoritate deinceps ſancitum , ſic epiſtola

Teſtimonium eiuſdem epiſt.in Ruſino ante annos mille cc.

Gennadius.

Clementis ad Iacobum fratrem Domini, quæ conti-
net doctrinam beati Petri in ordinatione Clemen. & in ea, vt idem Rufinus ait, de omni ordine eccleſiaſtico continetur, vt eccleſiaſticam auctoritatem, quæ ei debebatur, haberet, meritò à libris illis Clementis, quos hæretici contaminare iam tunc auſi erant, à Sanctis patribus olim ſeiuncta eſt. quæ enim alia cauſa eſſe potuit, niſi hæc, cur quibus libris ab auctore præpoſita fuerat, olim ab eis ſeparata, & ſeparatim tranſlata, atq; ædita fuiſſet? aut ſi Rufinus propriam horum librorũ eſſe putabat, cur eam toti operi non præpoſuit, auctoritas igitur eccleſiaſticæ conſuetudinis, quæ illam iam inter decretales epiſtolas pontificum apoſtolicorũ receperat, hoc fecit. hinc quoque factum eſt, vt altera epiſtola Clementis ex perſona Petri ad eundem Iacobum, quæ in altera æditione ſimilium librorum ferebatur, non ſic fuerit ſeparata, & inter cæteras epiſtolas decretales relata, quia ſcilicet nullum decretum continebat: nihil enim aliud agebat quàm monere, & hortari, vt libri iſti ſermonum Petri non communicarentur cum alienis à religione Chriſtiana neque cũ vllis aliis, niſi probatis, quod iam tũc (inquit Petrus) ſermones ſui falſis interpretationibus deprauarentur. quaſi ipſe ſic ſentiret, vt hæretici aiebant, tametſi nõ ſic prædicare auderet. deinde ſubiungit, *οἱ δὲ οὐκ οἶδα πῶς τὸν ἐμὸν νοῦν ἐπαγγελλόμενοι οὓς ἤκουσαν ἐξ ἐμοῦ λόγους, ἐμοῦ τοῦ εἰπόντος αὐτοὺς φρονιμώτερον ἐπιχειροῦσιν ἑρμηνεύειν λέγοντες τοῖς ὑπ' αὐτῶν κατηχουμένοις τοῦτο εἶναι τὸ ἐμὸν φρόνημα, ὃ ἐγὼ οὐδὲ ἐνεθυμήθην, εἰ δὲ ἐμοῦ ἔτι περιόντος τοιαῦτα τολμῶσι καταψεύδεσθαι. πόσῳ γε μᾶλλον μετ' ἐμὲ ποιεῖν οἱ μετ' ἐμὲ τολμήσουσι,* qui (inquit) neſcio quomodo meã mentẽ profitẽtes, Sermones, quos ex me audierunt, magis intelligẽter, quã ego, qui eos locutus ſum, interpretari conãtur, affirmãtes iis, quos erudiunt, hũc eſſe ſenſum meum: quem ego ne cogitaui quidem. quod ſi, me adhuc viuente, hæc mentiri audent, quanto magis idem poſt me, qui me conſequentur, audebunt? valde hæc congruunt cum eo, quod Sanctus Ireneus lib. 3. c. 4. ſcribit de hæreticis illis, qui aiebant, non vt haberet veritas, ſed in hypocriſi, quemadmodum vnuſquiſque

De epiſtola Clem. ad Iacobum præpoſita libris Recogn.

De altera epiſtola Clementis ex perſona Petri ad Iacob.

Teſtimonium e piſtolæ Clementis ad Iacobum in Synodo Vaſenſi 18. epiſcoporum ante annos millecentū.

capiebat, apoſtolos docuiſſe, & in eodem libro c.2. dicent ſe (inquit) non ſolum presbyteris, ſed etiā apoſtolis eſſe ſapientiores, & ſinceram inueniſſe veritatē. Redeo ad epiſtolam Clemētis ad Iacobum fratrem Domini, cui etiam teſtimonium tribuerūt 18. Epiſcopi ante annos mille centum ſub Theodoſio minore in Synodo Vaſenſi prouinciæ Narbonenſis cōgregati. Recitemus teſtimonium: ſic enim aiunt cap.6. Ex epiſtola ſancti Clementis vtilia quæque præſenti tempore Eccleſiis neceſſaria, ſunt honorificè præponenda: & cum reuerentia ab omnibus fidelibus, ac præcipuè Clericis recipienda. Ex quibus quod ſpecialiter placuit, propter venerandam antiquitatem, ſtatutis præſentibus roboramus, quod ſupradictus beatus martyr de beatiſſimi Petri apoſtoli inſtitutione commemorat dicens. Quædam etiam ex vobiſmetipſis intelligere debetis, ſi quæ ſint, quæ ipſe (de Epiſcopo loquuntur) propter inſidias hominum malorum, non poteſt euidentius & manifeſtius proloqui, verbi gratia, ſi inimicus eſt alicui pro actibus ſuis, vos nolite expectare, & quæ ſequūtur, ne omnia recitem. Iam ne vident Magdeburgenſes tot veterum teſtium locupletiſſimum teſtimonium antiquitatis venerandæ huius epiſtolæ? Quod ſi ab illis iā tunc tam veneranda erat epiſtolæ huius antiquitas, & cum tanta reuerentia recipienda eſſe ob venerandam eius antiquitatem: quæ inde ſumebant, iudicarunt, quanto magis à nobis, qui poſt illos amplius mille cētum annis ſequimur, veneranda & colenda eſt? item in Conc. Metenſi celebrato ab archiepiſcopo Treuerēſi Rotbodo, ſiue Roboto & epiſcopo Virdunenſi, & Arnoldo epiſcopo Trullenſium cum multis ſacerdotibus ante annos ſexcentos & amplius c 8. Quæſitum eſt (inquit) à ſancta Synodo, quid de iis ſacra fieri auctoritas iuberet, qui cum prædictis excommunicatis communionem habeant nam non tantum laici, verum etiam presbyteri in celebratione Miſſæ excommunicatos recipiunt: & quid de iis, qui in eadem excommunicatione mortui fuerint? deinde ſubiungit, verū ad hæc tāta auctoritas prolata eſt, ſanctus Petrus Apoſtolus in ordinatione S. Clemētis ita plebes alloquitur, ſi inimicus

eſt alicui pro actibus ſuis. vos cũ illo nolite amici eſſe, & prudenter obſeruare debetis, auertere vos ab eo, cui ipſum ſentitis aduerſum : ſed neque loqui iis, quibus ipſe nõ loquitur, iſtius tranſgreſſores S. Petrus, & omnis auctoritas excõmunicat. Hactenus Synodus. quæ non ſolum teſtimoniũ epiſtolæ Clementis citauit, ſed quantæ id teſtimoniũ auctoritatis eſſet, teſtata eſt, cùm ait, verum ad hæc tanta auctoritas prolata eſt, S Petrus in ordinatione Clementis, & quæ ſequuntur Denique vt hoc genus teſtimoniorum finiam, quia Magdeburgenſes nobis vnum tantũ teſtem produxerunt monachũ cognomento Kaltheiſen, Germanũ, vt opinor, cui tantum fidei tribui voluerunt, vt eius teſtimoniũ ſolius in epiſtolam Clem. & Anacleti ſatis eſſe crederent. idcirco, quando tam religioſa in dicendis teſtimoniis natio Germanica putatur, eoſdem poſtremo hoc loco nationis ſuæ teſtibus conuincam. In Tribirienſi enim Synodo, Arnoldo Imperatore, ante annos, amplius ſexcentos epiſtolæ Clementis ad Iacobũ Anacleti, Alexandri, & aliorũ Pontificum epiſtolis non ſemel & iterum, ſed ſæpius teſtimoniũ fidei dederunt viginti duo Epiſcopi Moguntiacenſis, Agrippinen, Treuiren, Fugiſing. Eiſtatẽſis, Radaſbonen, Auguſtinian. Conſtãtien, Curiẽ, Baſileen, Stazburgen, Spirien, Vormacien, Brumen, Vuirdunen, Hiltineshermenen, Vuiziburgen, Haluaraſtaten, Meten, Nimidens, Padarbrunen, Oſnebrugen. Conferte nunc Magdeburgenſes Centuriatores tempora noſtrorum teſtiũ, numerum, fidem, & auctoritatem cum vno veſtro Kalteiſen, recenti, & teſte ignoto, qui ante annos ſexaginta nõ amplius in epiſtolas, quas prius oderat, teſtimonium dixit. imò venit mihi in mentẽ, vt vobis dicam quod quidã optimus, & eloquentiſs. patronus cauſarum aliis, qui ignotosquoque teſtes quærebant olim dixit, à teſtibus quæretis ignotis, ipſi coniectura nihil iudicabitis? & de quibus aliis teſtes eſſe debetis, de iis ipſis alios teſtes audietis? Ac coniectura quidem facilè eſt iudicare, epiſtolas ſcripſiſſe priſcos illos, & Apoſtolicos pontifices. etenim ſi fuit aliquando neceſſe, vt poſteriores pontifices, ſæpe ac multas decretales epiſtolas, cũ pax eccleſiarũ erat,

Teſtimonium grauiſſimũ epiſtol. Clem ad Iacobũ, & Anacleti, & Alexãdri in Synodo Germanica ante annos Dc.

Quàm ſit probabile ſcripſiſſe epiſtolas primos illos pontifices Apoſtolicos poſt beatum Petrũ.

ſcriberent, quanto magis fuiſſe iudicandum eſt, cum erant bella pugnæ, pericula cum magiſtratus, imperatores, reges, populi, ciuitates gentes, domeſtici, alieni, Chriſtianis inſidiabãtur? cum nullos cœtus iniri, nulla concilia Chriſtianorum haberi patiebantur? an non ſancti Apoſtoli cùm epiſtolas ſcripſerunt, exemplum epiſtolas ſcribendi, ſucceſſoribus præbuerunt? ac ſi is, qui præeſt, in ſolicitudine, vt apoſtolus ait, præeſſe debet, an non pertinet ad ſolicitudinem ad abſentes ſcribere? debet enim talis eſſe epiſcopus, vt ſicut idem Apoſtolus ad Titum ſcripſit, potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere: hoc autem apud abſentes niſi per epiſtolam fieri non poteſt. ſic Dionyſius, Ignatius, & Polycarpus Apoſtolorũ diſcipuli epiſtolas, quæ adhuc extant, ſcripſerunt. Verum: inquient Magdebur. nõ enim negare ſe, quin epiſtolas Apoſtolici pontifices ſcribere, & potuiſſent, & debuiſſent, ſed ſcripſiſſe has, quas habemus, hoc negare. Sed quomodo non negent, cùm niſi negent, neque doctrinam, neque ſectæ ſuæ diſciplinam defendere vllo modo poſſint? At qui nos quæcunque in eas hactenus obiicere potuerũt, planè falſa eſſe docuimus: & puto ne Magdeburgenſibus affatim ſatisfeciſſe. ac ipſi quidem alia argumenta, aut alios teſtes nõ habẽt, nobis verò cum vtrumque ſuppleat, quid eis ſupereſt, niſi vt vel alias epiſtolas ab illis pontificibus ſcriptas proferant, ſi has negant, & alias ſcripſiſſe concedunt: aut has ſanctiſſimas, & grauiſſimas, ac omni memoria antiquiores, quas longinquitas temporis, excipiente memoria, & eccleſia eis vtente, conſecrauit, recipiant, ſi à communi hominum more, ac ratione abhorrere nolunt. Repetam enim hic, quod ex Platonis libro 7. de legibus iterum memini, cum antiquitatem canonum Apoſtolorum libro primo defenderẽ, omnes homines, inquit, eas leges venerari ſolere, vereríque in eis quicquam nouare, in quibus adoleuerunt, educatíque eſſent: quæque diuina quadam ſorte multis ſæculis immutabiles permanſiſſent: neque recordarentur, nec audiſſent, aliter eas vllo vnquam tempore habuiſſe. Hæc Plato, quæ cum noſtra ſint, quia rectè ab illo

Quid Plato de antiquis, & nũquam mutatis legibus ſcripſerunt.

ab illo dicta ſunt, licet ea ad noſtram cauſam trãsferre, id eſt, ad defenſionem epiſtolarum, quæ decretis, & legibus eccleſiaſticis plenæ ſunt. quas diuina quadã prouidentia tam multis ſæculis immutabiles manſiſſe, ne ipſi quidem, qui eas negant, negare poſſunt: cum neq; recordentur, nec audierint, nec ex memoria omnium ſæculorum cognoſcere poſſint, aliter eas vnquam habuiſſe, quam nunc habeant. Quod ſi hoc rurſus Centuriatores adhuc negent nempe multis ſæculis immutabiles manſiſſe, nos non vnum, aut alterum, ſed plures teſtes habemus, tot ſaltem ſæculis non fuiſſe mutatas, quot ab Iſidori Hiſpalenſis ætate vſque ad nos fluxerunt. is enim eaſdem epiſtolas ad vſum eccleſiæ catholicæ ante annos nongentos in vnum collegit, & tales eas poſteris reliquit, quales nunc habemus, quarũ doctrina, & decretis ſemper eccleſia catholica vſa eſt, & nunc vtitur. Sed cum Magd. has pontificum Apoſtolicorum epiſtolas propter doctrinam, & Apoſtolicas traditiones decretorum, quæ in eis ferũtur, quibus tota Lutheranorum diſciplina coarguitur, & frangitur negent, & eas tanto ſtudio oppugnent, & delere cupiant, & nos eaſdem rurſus tãquam teſtes ſanctiſſimos traditionum ſtudioſe defendamus, rogabo eos, ſi iſtis ipſis decretis propter rationem, & auctoritatẽ, qua cõſiſtunt, adhuc vtitur eccleſia, eorumq; conſuetudo ex Apoſtolica traditione profecta in eccleſiaſtica diſciplina ſemper viget, an decreta, iſta minus valebunt, ſi has epiſtolas vt ipſi cupiunt, & laborant, dicam non haberemus? fruſtra igitur Magdeburgenſes in eo laborant, & ſudant, in quo nihil ab eis hactenus profectum eſt, neq; proficitur, neq; profici poteſt. Conſuetudinẽ enim omniũ eccleſiarũ tollere nõ poſſunt: imò neque negare, niſi ex eorum numero eſſe pergant, quos Apoſtolus contẽtioſos vocauit, id eſt, qui obedire nolũt eccleſiis, earumque cõſuetudines ex Apoſtolica traditione profectas, & fideliter omni tempore conſeruatas tenere: quos in alio loco idem Apoſtolus ſubuerſos, & proprio iudicio condemnatos eſſe dicit. Coniectura itaq;, vt paulò ante dicebam, facile eſt, perſpicere, ſcripſiſſe quidem epiſtolas aliquas pontifices illos Apoſtolicos,

Quam multis ſæculis epiſtolæ pontificũ Apoſtolicorum immutabiles permanſerint.

quorum epiſtolas Magdeburgenſes nunc negant: ſcripſiſſe verò has, quas habemus, quia nõ ita facile eſt argumentis, & indiciis, ac coniecturis cognoſcere, & iudicare, ſupereſt, vt proximo capite eodemq; extremo aliquanto fuſius de hoc agamus.

De decretis epiſtolarum quinque Clementis quomodo nõ auctoritate ipſarum epiſtolarum ſed conſuetudinis omnium Dei Eccleſiarum à ſanctis Apoſtolis institutæ & traditæ conſiſtant, & de argumentis antiquitatis quæ ex iis ipſis decretis earum colliguntur, & quomodo probetur, ſcriptas eſſe Græce, & de aliis quibuſdam obſeruationibus item de epiſtolis 3. Anacleti & de decretis earum, & quæ in ipſis veſtigia illius ætatis, qua ſcriptæ ſunt, impreſſa cernantur, & quæ argumenta, ſcriptas eſſe latinè.

Caput 24.

ERgo quia paulò ante à Magd. requirebam, vt relictis teſtibus ignotis, aliquid ipſi cõiectura iudicarent, operæ preciũ eſt, vt doceamus eos Experiri in epiſtolis ipſis, quemadmodum coniectura de iis ipſis epiſtolis iudicium facere poſſint: & de quibus teſtes quærunt, de iis ipſi aliis teſtes eſſe. ſunt enim in ipſis epiſtolis impreſſa veſtigia non rara, quibus ætatẽ illam Apoſtolicam mediocriter ſagacibus odorari liceat. & ne longum fiat, ſi omnes põtificum Apoſtolicorum epiſtolas perſequamur, faciamus hoc in decretis quinque epiſtolarum Clementis, & trium Anacleti, vt hoc exemplo qui voluerit, reliqua perſequatur. Ac vt inde incipiamus, Si qui, inquit, ex fratribus negotia habent inter ſe, ne apud cognitores ſæculi iudicentur, Gentiles dicit, quos verbo illo ſæculi diſtinxit à fratribus, qui ad futurum ſæculũ, & ad patrem futuri ſæculi, & ad filios reſurrectionis pertinent, ſi tamen in fide & dilectione vſque ad finẽ perſeuerauerint. idem prohibent Apoſtoli in lib. 2. eiuſdẽ Clementis de Conſt. Apoſt. c. 46. ne, inquit, cognoſcãt gentes controuerſias veſtras: nec ad dicendum teſtimonia contra vos admittantur. an hic non coniectura perſpicitur, ſcriptum eſſe hoc à Clemente, non ſolum

Decretũ de non adeundis Gentiliũ iudicibus.

quia in eandem ſententiam libro 2. ſuo de Conſtit. ſcripſit, ſed quia tunc publica iudicia & tribunalia non Chriſtianorum, ſed Gentilium erant, quorum dominatu omnia tenebantur, idem enim prohibuit, & eadē ratione Paulus Apoſt. Corinthiis, eos, qui ſecus faciebant, reprehendens, Sic non eſt inter vos, inquit, ſapiēs quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem, & fratrē, ſed frater cum fratre contendit, & hoc apud infideles? illud verò etiam quàm recte cum illa ætate conuenit, quod huic decreto de cognitione cauſarum adiunctū eſt, ſed apud presbyteros eccleſiæ, inquit, quicquid illud eſt, dirimatur, adducaturque res ad cōcordiam, (hoc enim ſignificat συμβιβάζεσθαι, quo verbo vſus eſt Clem. & in epiſtola. & in 2. libro de Conſt. Apoſt.) & omni modo obediant ſtatutis eorum. presbyteri enim adhibebantur, vt eum, qui iudicio, & concordiæ acquieſcere nolluiſſet, cogerent ad parendum, eiiciendo ex eccleſia. ſi quo enim alio ſupplicio capitali afficiendi nocentes poteſtatem ſibi Chriſtiani ſumpſiſſent, in eos, tanquam in ſicarios, Gentiles, qui dominabantur, profectò animaduertiſſent. Quis eſt ergo tam parum ſagax, qui non odoretur hic, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam illo Apoſtolico tempore, id eſt, à Clemente, cum ſic neceſſe erat de litibus in eccleſia iudicandis decerni? Reddamus aliud decretum, vt Epiſcopus, inquit, nō ſit fidei iuſſor, nec aduocatus litibus, nec vlla occupatione ſæcularis negotij implicatus, ne à miniſterio verbi Dei abſtrahatur. hoc ipſum, & eiſdē verbis prohibet idem Clem. libro 2. de Conſt. Apoſt. vt libro 1. huius operis docui, cum huius epiſtolæ & librorum de Conſtitut. Apoſt. characterem conferrem, quod poteſt argumēto eſſe, ſcripſiſſe quoque hoc. fuiſſe autem illius temporis hoc decretum ex epiſtola etiam Pauli intelligi poteſt, cum ſcribens ad Tim. nemo, inquit, militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, de miniſtris enim verbi Dei idoneis ad docendum loquebatur: item ex actis Apoſt. cum aiebant, non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Rurſus Canon. Apoſt. 20. iubet, vt Clericus ne ſponſiones faciat, & Canon. 81. vt epiſcopus, aut presbyter

Decretum de fidei iuſſione, & aduocatione litium non ſuſcipiendis ab eccleſiaſticis.

2. Tim. 2.

Act. 6.

ne adminiſtrent ſæcularia Quare etſi hæc epiſtola oblitterata iam eſſet, & ignoraretur, nihilo minus tamen hoc decretum vigeret, cuius conſuetudo aliunde quã ex Apoſtolorum traditione manare non potuit. Quæ igitur cauſa eſſe potuit fingendi hoc decretum epiſtolæ, aut quæ temeritas eſt, rem geſtam confiteri, & fidẽ inſtrumenti negare? quod tametſi non interceſſiſſet, vt Calliſtratus iuriſconſultus aiebat, nihilo minus res geſta veritate factũ ſuum præbeat. illud verò, non ſpõdere pro aliis, quod Magde. reprehendebant, eatenus in hac epiſtola à beato Petro prohibetur, vt non ſit ſponſio negotioſa, & moleſta, vt fere ſolet: vt iam quæ talis non ſit, ſi charitas poſtulet, ſaluo miniſterio eccleſiaſtico, fieri poſſit. Eſt præterea in hac epiſtola aliud decretum, vt ſacerdotes, & reliqui miniſtri eccleſiæ, omnes quæ plebes epiſcopos ſuos diligere debeant, eorumque pręceptis obedire, etiã ſi ipſi aliter, quod abſit, agant, memores, inquit, illius dominici præcepti, Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. ipſi autem epiſcopi ſi exorbitauerint, ab iſtis non ſunt reprehendendi, vel arguendi, ſed ſupportandi, niſi in fide errauerint. Videamus an hoc decretum ſuſpectum Lutheranis, & aduentitium rectè videri poſſit, vt eſt illis odioſum, & inimicum: ac contra Germanum ſit, & Apoſtolicæ inſtitutionis, & ex eo potius de vero auctore epiſtolæ capienda coniectura. Qui enim à fide, & obedientia eccleſiæ non receſſerunt, nõ poſſunt obliuiſci, vt Lutherani obliti ſunt, quod Dominus de illis dixit, quos vocauit Scribas, & Phariſæos, & Petrus in Actis Apoſt. principes populi, & ſeniores, Quæ dicũt, facite: quæ autem faciũt, nolite facere. quod quidem propter noſtros quoque eccleſiarum principes epiſcopos, & ſacerdotes dixit. neque poſſunt contemnere, vt hæretici faciunt, quod Paulus ad Tim. ſcripſit, Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem. Si enim tantum honoris deferendum eſt ſenili ætati, quantum deferendũ eſt ſacræ dignitati epiſcoporum, qui ſunt principes ſeniorum, id eſt, presbyterorum? ſi qua verò de fide epiſcopi ſuſpicio eſt, inquiritur in eum in eccleſiis catholicorum: nec vlli parcitur, niſi amplectatur, vt Apoſtol.

Quatenus ſpondere pro aliis prohibeatur eccleſiaſticis.

Decretum de charitate, & obediẽtia omniũ erga epiſcopũ.
Matth. 24.
Act. 4.

Tito præcepit, eum, qui eſt, ſecundum doctrinam, fidelem ſermonem & formam habeat ſanorum verborum in fide & dilectione Chriſti, ſicut idem Apoſtolus Timotheum monuit. Apoſtolica itaque eſt hæc traditio, cuius canon Apoſtolorum 31. teſtis eſt, qui prohibet, ne vllus presbyter, contempto epiſcopo ſuo ſeorſum cōgreget, aut altare alterum ponat, ſi non eſt epiſcopus impius, id eſt, ſi non errat in fide. Hoc eſt ergo quod Magd. & cæteri Lutherani pati non poſſunt, vt in eccleſiis noſtris tantus honor, & reuerentia epiſcopis adhibeatur, & tam diligenter, ac ſeuerè, ſicut ſancti Apoſtoli tradiderunt, in hæreticos inquiratur: & hæreſi excepta, ſi quis epiſcopū ſuum propter alias cauſas mouere, & eiicere ſtudeat, vt tyrannicus puniatur. hāc cōſuetudinem ex doctrina Chriſti & Apoſtolorū inſtitutione profectam eccleſiæ Dei habent, quæ nihilo quidem minus ex Apoſtolorum traditione ortū duxiſſet quā ſi nunquam his litteris Clementis cōſignata eſſet. nunc vero cùm conſignata ſit, epiſtola traditionem atteſtatur, & traditio epiſtolam. Lutherani verò contempta traditione, & Apoſtolica diſciplina, & negata epiſtola teſte, quotidie de ſuggeſto in epiſcopos noſtros propter mores, quos obiiciunt, quaſi ipſi ſancti eſſent, nocte, & die furiunt, & bacchantur, Ignari ſe non epiſcopos, ſed Chriſtum contemnere. Sequitur aliud decretum. Omnes legum diuinarum libenter violatores, & ſacrarum inſtitutionum voluntariè perturbatores eccleſiaſtica regula, & ſancta Communione iudicabat indignos. Hanc quoque conſuetudinem cunctæ per Orientē, & Occidentē eccleſiæ Dei habent, vt qui cōmittunt, ne omnia honeſtè, & ſecundum ordinem in eccleſia fiant, ſicut Apoſtolus præcepit, ac canones, quoſdā quibus eccleſiæ cōpoſitio continetur, ſcientes, & volentes violant, & in eo perſeuerant, excommunicentur, & indigni eccleſiaſtica regula habeantur id eſt fiant irregulares. quod quidem verbū clare atteſtatur apoſtolici temporis eſſe hoc decretum, & epiſtola, qua illud conſignatum eſt. non enim aliunde ortum duxit verbum hoc irregulare, vt eo ſemper vſa eſt eccleſia, & nunc vtitur: nec aliud ſignificat, quàm quod beatus

Decretum de irregularibus.

Petrus, vt hæc epiſtola Clementis teſtatur, iudicauit, fieri quempiam aliquando indignum regula eccleſiaſtica, id eſt, indignum, vt fiat ex clero: aut ſi factus ſit ex clero, indignum, vt in eo miniſtret: hoc enim ſignificat regula eccleſiaſtica, nempe ordinē eccleſiaſticum. non loquor nunc ſpeciatim de cauſis irregularitatis, ſed de ipſo genere pœnæ, & de verbo, ex cuius conſuetudine & eccleſiaſtico vſu priſca interpretatio latina huius epiſtolæ Clementis redolet. Si igitur hoc decretum factum eſſe tempore Apoſtolorũ teſtimonio eſt conſuetudo eccleſiarũ omni memoria ſæculorum vetuſtior, quæ iſtos hodie excommunicat, & irregulares eſſe iudicat, an non conſequens eſt, vt certa coniectura iudicandum ſit, hanc etiam epiſtolam Clem. in qua decretum ipſum fertur, illius temporis eſſe? ſi conſtat ex cõſuetudine ipſa omnium eccleſiarũ legem decreti latã eſſe, dubitabimus æditam fuiſſe hanc epiſtolã decretalem, quæ decretum ipſum cum aliis ſanctiſſimis continet? aut quomodo melius quàm per epiſtolam decretalem decretorũ apoſtolicorum traditiones ædi, & ad eccleſias tam multas, & tam longinquas deferri poterant? Sed proferamus aliud decretum epiſtolæ huius. Nullum etiam, inquit, presbyterũ in alicuius epiſcopi parœcia aliquid agere debere, abſq; eius permiſſu docebat. Petrũ dicit, ſed & cunctos presbyteros propriis epiſcopis in omnibus abſque mora obedientes inſtituente Domino eſſe debere dicebat. Hic quoque dicẽdum eſt, quod Paulus dixit, & nos in ſimilibus dicere docuit, ſi quãdo presbyter aliquid in parœcia epiſcopi ſine permiſſu eius faciat, nos talem conſuetudinem nõ habemus, nec eccleſiæ Dei, quæ potius habent cõſuetudinem, vt nihil in eis ſine auctoritate eius fiat. idem dicendum eſt ac multo etiam magis de diaconis, qui ſunt infra presbyteros, vt epiſcoporum, & presbyterorum miniſtri. Huius conſuetudinis, quæ ex Apoſtolica traditione nata eſt, teſtis eſt etiam Canon Apoſt. 39. qui ſic habet. Presbyteri, & diaconi ſine voluntate epiſcopi nihil agant, ipſe enim eſt, cui populus Domini commiſſus eſt, & à quo ratio animarum repoſcenda eſt. hæc ſcilicet ratio eſt, quæ hanc conſuetudinem ex tra-

De priſca conſuetudine verbi irregularis.

Decretum ne quid eccleſiaſticum iniuſſu epiſcopi à presbyteris, aut diaconis in eccleſia fiat.

ditione, vt dixi, natam confirmat. quam idem Clemens exemplo etiam à ſacerdotibus Gẽtilium ſumpto lib. 2. de Conſt. Apoſt. c. 28. probat. Si enim (inquit) cultores Dæmonum in ſuis illis ludibriis falſi cultus nihil ſine execrabili ſacerdote offerunt, aut agunt, quia potius illos putant os ſtatuæ eſſe, illius quę iuſſum expectant, & quæcunque iuſſerit, faciunt, & ſine nutu ac voluntate eius faciunt nihil: tantumque ei honoris habent, vt ſtatuas anima carentes honorent, ac dæmones colant. Si illi, inquam, qui vanam, & confictam opinionem habent, & nulla ſpe firma ſubnixi, ea, quæ ſanctitatem, ac religionem habent, imitari ſtudent, quanto iuſtius eſt, nos, quorum fides ſplendidiſſima eſt, & ſpes vera, qui promiſſum præclarum, & ſempiternum, & quod fallere non poteſt, expectamus, per eos, qui nobis præſunt, honorẽ Deo deferre? ita vt epiſcopos os Domini eſſe arbitremur, Hactenus Clem. Hoc exemplo conuicti ſunt Magd. peiores eſſe quam Gentiles, quippe qui minus exiſtimẽt honorandos eſſe epiſcopos, quã Gẽtiles honorent ſacerdotes ſuos. hoc enim decretũ ad honorem epiſcoporũ pertinens, inter cætera, quæ in has epiſtolas obiecerũt, accuſarũt, quibus iam loco ſuo reſponſum eſt. nunc illud tãtum eſt quærendũ, ſi hoc decretum fictum eſſe exiſtimant, & non eſſe à Petro, & reliquis Apoſtolis traditum, nec à Clemẽte in epiſtola ſcriptũ. imò nec in libris de Cõſt. Apoſt. omnia enim negãt, quid ei propoſiti fuit, qui finxit? quid hoc cõmento aſſequi voluit? an voluit, auctoritate Clementis Apoſtolici pontificis mentita, qui ſermonem beati Petri in ordinatione ſua habitum in hac epiſtola ſcribit, conſuetudinem eccleſiarum confirmare? at hoc non opus erat facere tunc, cum ipſa per ſe conſuetudo ſine vllius epiſtolæ Clementis teſtimonio ſatis valebat. Quin potius à principio faciendum fuit hoc, id eſt, ſcribenda tunc epiſtola, cum erant recentes Apoſtolicæ traditiones, & eccleſiaſticæ regulæ, tum vt ad omnes eccleſias per epiſtolam deferrentur: tum ne obliuio irreperet, & vt cõſuetudo ipſa recens eccleſiæ cõfirmaretur, quæ fuit cauſa, vt canones à ſanctis Apoſtolis ſine ſcripto traditos, litteris quoq; idem Clemẽs

mandaret. Quod de Apoſtolicis huius epiſtolæ decretis hactenus ad probandum eam diximus, dicendũ eſt de confeſſione ſecreta, & de exequiis mortuorũ, eiſq; per preces & eleemoſynas ſecundum doctrinam beati Petri in hac epiſtola ſcriptam adiuuandis, vtrumque enim conſuetudo omnium eccleſiarum, quæ à ſanctis Apoſtolis inſtituta & tradita eſt, defendit. quæ quidem conſuetudo iam tempore Caroli Magni, cum has epiſtolas compoſitas, & confictas eſſe iſti ſomniant, vetuſtiſſima erat: & iã alte radices egerat, vt minime opus eſſet tunc huiuſmodi epiſtolam, & beati Petri in ea doctrinam cõminiſci, Sed de cõfeſſione ſecreta & exequiis mortuorum affatim libro quarto Magdeburgẽſibus ſecundum ſcripturas reſponſum eſt. Rurſus hanc epiſtolam, quæ tota doctrinam beati Petri continet, illud quoque argumento eſt, Clementis eſſe, quod eadem præcepta dat hic epiſcopis, presbyteris, & diaconis, quæ idem Clemens ſcripſit libro 2. de Cõſt. Apoſt. & quod eccleſiam hic in perſona beati Petri cum naui comparat, vt fecit in eodem libro 2. in perſona Apoſtolorum, in quo aliquid eſt ex Platone, cuius fuit perſtudioſus, mutuatus, vt Paulus ex poetis ſolet, quod ipſum teſtimonio quoque eſt, eſſe hanc Clementis epiſtolam. Plato enim libro 12. de legibus ciuitatem cum naui comparat, & eos qui nauim incolumem ſeruant, cum mente, ac cum ſenſibus menti coniunctis. hoc vocat ille in eo loco παράδειγμα, nos exemplũ dicimus: ſcriptura ſancta vocare ſolet parabolam, qua frequenter vti ſolet: & qua Clemens hic ad imitationẽ ſcripturæ ſanctæ vſus eſt. quam valde ingenioſe, & erudite, ac diuinè explicauit. hoc exemplũ nauis Anacletus quoque, citato Clem auctore, in epiſt. ſua prima eiſdem verbis repetiuit. in quo exẽplo illud obiter ad vtilitatem legentium obſeruare libet, cum διθαλάσσους τόπους quæ interpres vertit bithalaſſa loca, cum dubiis mente, & de promiſſionũ veritate nutantibus Clemẽs comparat, Iacobi epiſtolam imitatus eſt, eiuſq; locum interpretatus, cùm eum, qui hæſitat, quem δίψυχον, id eſt, duplicem animo vocat ſimilẽ eſſe ait fluctui maris, qui à vẽto agitatur, fluctui ſcilicet maris, nõ cuicunq;,

ſed fluctui maris dithalaſſi, vt ſi dicas, düplicis maris: in huiuſmodi enim locis dithalaſſis fluctus in contrarias partes agitantur. Præterea quæ de diaconis, & eorum officio hic in perſona Petri Clemens præcipit, eadem fere ſunt cum iis, quæ idem Clemens eodem lib. 2. de Conſt. Apoſt. præcipit, ex quo etiam coniectura iudicare licet, eundem eſſe huius epiſtolę, & illorum librorum auctorem. nec enim diſcrepantia eſt, vt hoc quoque obiter obſeruetur, quod libro 2. de Conſt. Apoſt. cap. 32. præcipitur, vt diaconus nihil tribuat egenti clam epiſcopo in contumeliam eius, ne admurmuratio in eum excitetur. in epiſtola vero ſic ait, vt diaconi ægrotis, quæ neceſſaria ſunt, præbeant cum conſcientia eius, qui præeſt: deinde ſubiungit, quod tamen etiam ſi clam fecerint, non peccabunt: ſcilicet non peccabunt, modo id in contumeliam epiſcopi non faciāt: nec admurmuratio in eos hac occaſione commoueatur. iam de decreto conſtituendi Patriarchas ſiue Primates & Archiepiſcopos, ſiue Metropolitanos dicam, quæ in eo veſtigia ætatis harum epiſtolarum appareant, cum de decretis ſecundæ, & tertiæ epiſtolæ Anacleti diſſeram, ne eadem bis repetam. De primis vero Flaminibus, & Archiflaminibus, qui in hac epiſtola ſunt, tametſi ſupra libro tertio quid ſentiendum eſſet, dixi, tamen quia hic eſt locus proprius, vbi argumenta & indicia veſtigamus, vtrum hæc epiſtola illo ſæculo, quo fertur, à Clemente ſcripta ſit, dicendum eſt iterum. quod enim de iſtis iudicibus nullus vetus auctor meminerit, non ſolùm auctoritatem epiſtolæ huius non infirmat, nec antiquitatem eius ſuſpectam reddit, ſed contra potius, non leuis coniectura ex eo fit, non fictā, ſed veram eſſe Clementis epiſtolam. etenim ſi ficta eſt, quæro, vnde qui finxit, ſumpſit primos iſtos Flamines, ſiue Protoflamines, & vnde itē Archiflamines? in quonam libro apud veteres, eos legit, aut in quo vetere lapide aut nummo? ſi ex nulla antiquitate ſumpſit, ſed ipſe potius finxit, quam nam veriſimilitudinis ſpeciem artificio fingendi imitatus eſt, vt epiſtola, quam fingebat, Clementis eſſe videretur? an non magis mendaciū ſuum ſimul cum imprudentia prodidit, dum & videri,

Quando liceat diacono dare aliquid egēti non conſcio epiſcopo.

De primis flaminibus & Archiflaminib. in epiſt. Clementis, & quomodo ex eis indicium fiat de antiquitate epiſtolæ.

& credi voluit, veteres fuiſſe, & illius ſæculi Clementis id genus iudices, ac poteſtates, quas apparere non poſſet, vnquam fuiſſe? Quis credat tam hebetem & tam imperitum fingendi fuiſſe iſtum? At hoc non fuit Clementi epiſtolæ auctori cauendum, qui credibile fore non arbitrabatur, ignotaſſe ſe, non ſic iſtos iudices olim vocatos fuiſſe: nec exiſtimabat, difficile futurum eſſe intelligere, hoc tantum ſibi propoſitum fuiſſe, vt, cum primos Flamines dixit, primam iudiciariam poteſtatem, vt Anacletus tanquam interpres Clementis dixit, ſignificaret, quæ in primis ciuitatibus Gentilium erat: cum verò Archiflamines, vt ſignificaret minores iudices, vt idem Anacletus vocauit, qui erant in iis ciuitatibus ethnicorum, quæ erant metropoles. Qui autem non contenti hoc propoſito, & mente Clementis adhuc vſum verbi horum nominum quaſi à veritate hiſtoriæ, & Romanæ antiquitatis alienum reprehendunt, ſimiles ſunt iis, qui olim nomen ἔρωτος, id eſt, amoris in ſcripturis reprehendebant, quaſi ab ſcripturis ſanctis alienum, quos Dionyſius Areop. à ratione alienos eſſe dicit, qui non vim propoſiti, ſed vocabula attendant: quique ſonos tantùm auribus inſonantes extrinſecus excipiant, quos in mentem penetrare non ſinunt, aliud enim ſignificare ait, in ſcripturis nomen amoris, quam vulgò ſignificet. Sic in epiſtola Clementis aliud ſignificant Flamines, quam in hiſtoriis antiquis Romanorum, quas Clem. Romanus non ignorabat. Flamines enim ſignificant hic non quidem proprie eos, qui erant ſinguli ſingulis diis, vt in more maiorum fuiſſe teſtatur Cicero, & vt Varro ſcribit, quorum ſacra aſſiduè operabantur, ſed tranſlate eos, qui præerant vel ſinguli ſingulis ciuitatibus primariis, quæ erant capita prouinciarũ, vt Alexan. caput prouinciarum, Aegypti, Lybię, & regionis Pentapolit. Antiochia caput prouinciarũ Orientis, & hos vocat Clemẽs Protoflamines, ſic enim Leo 9. legit: vel ſinguli ſingulis ciuitatibus Metropolit. quæ erant vnaquæque caput ſuæ prouinciæ. & hos vocat Archiflamines. imò videtur quidem idem Clemens non obſcurè ſignificaſſe non ſic appellatos

fuiſſe olim, ſed ſic ſe illos tunc appellare, cum ait, vbi erant Protoflamines eorum, & primi legis doctores: vt enim non vocabantur primi doctores legis, ita neque Protoflamines, ſiue Primi flamines. de ratione verò trãſlationis alij fortaſſis acutius coniicient, mihi quidẽ cur ſic iſtos iudices tranſlate vocauerit, hæc cauſa videtur, quia vt Flamines perpetuo erant rei diuinæ addicti, vt ait Andreas Dominicus Floccus Florentinus, qui hactenus Feneſtella vocabatur, id quod Metellus Pont. Max ſatis declarauit, cum Poſthumium conſulem eũdemq; Flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petẽtem, ne à ſacris diſcederet, multa indicta, vt Valerius narrat, vrbe egredi non eſt paſſus, ſic poteſtates iſtæ iudiciariæ prouinciarũ, quãdiu prouinciis præſidebant, omnem curam habebant prouinciis addictã, quarum rebus neceſſe erat ſemper operam dare & in munere ſuo fungendo aſſiduas eſſe: præſertim cum, vt Philon Alexandrinus in Flaccum præfectũ Alexandriæ ſcribit, non iudiciis tantum priuatis, & publicis præeſſent, ſed etiam, inquit, rationibus tributorum, & vectigalium, quibus, inquit, maior pars anni impendebatur. Deinde habebant iudices iſti etiam in ſacerdotes poteſtatem, tametſi ritus, ac religiones prouinciarum mutare non poſſent, ſed potius cõſeruare oporteret: quod id e rep. eſſet, ſiquidem pro religione, vt ait idem Philon, non minus quam pro anima homines dimicare ſoleãt, vnde idem rurſus ſic de Auguſto in Caium ſcribit, non minus ſolicitus erat de confirmandis ſingularũ prouinciarum ritibus, quam de Romanis cerimoniis, ac fortaſſis in hoc tanto ſtudio iſtorum de non mutandis neque variandis ritibus ſingularũ prouinciarũ ſimilitudo etiã aliqua maior erat eis cũ Flaminibus, quã cum aliis ſacerdotibus, accedit huc, quod vt Flamines ſiquid vitij in ſacris non ritè operandis admitterent, ſacerdotio, quod Flaminiũ vocabãt, mouebãtur vt de M. Cethego, & C. Claudio, & de Sulpitio idẽ Valerius narrat, ſic qui prouincias ſuſceptas, male gerebãt, accuſati, & cõuicti pœnas dabant, vt de Flacco, qui Alexãdriæ, & Aegypto atque Lybiæ præerat, idẽ Philõ ſcribit. hactenus de ratione trãſlationis ducta ex ſimilitudine quadam iſtorũ

Quomodo, & quare Clemens præfectos prouinciarum Protoflamines, & Archiflamines vocauerit.

inter ſe, accommodata etiam ad declarandum quam mira, apta & conuenientia mutata ſint poteſtas & iudicia ethnicorum præfectorum ciuitatum, & prouinciarum in poteſtates,& iudicia præſulum eccleſiarum. vt enim illi iudices vnius ordinis erant, ſed diuerſi gradus, omnes quidem tanquam flamines, quidam, ſed alij, tanquam maiores Flamines, quos vocat Clemens Protoflamines: alij infra eos tanquam minores Flamines, quos idem vocat archiflamines: alij rurſus tãquam flamines adhuc minores, quos tunc, vt Anacl. ait, vocabant comites, ſic eccleſiarum præſides omnes ſunt epiſcopi, diuerſi tamen gradus. alij enim Primates epiſcopi, infra hos Archiepiſcopi, & infra hos rurſus Epiſcopi. præterea oportebat eſſe illorum mores & iudicia, qualia præſidum quoque eccleſiarum, quibus ceſſerũt, eſſe oportet. illos enim oportebat præbere ſe exemplũ in prouincia omnis abſtinentiæ, ac continentiæ, & ſic iudicia ſiue de controuerſiis diſtrahendis, ſiue de puniendis maleficiis exercere, vt grauiores cauſas cum optimatibus iudicarẽt, vt noſtri epiſcopi faciunt cum Synodis. vnde Ignatius preſbyteros vocat conſeſſum epiſcopi. hoc autem de iudicandis cauſis grauioribus à præfecto prouinciæ cum optimatibus ex Philone etiã intelligi poteſt: is enim accuſaturus Flaccum, qui præerat Alexandriæ, quo magis malitia eius pateret, laudat prius, quod initio ſuæ adminiſtrationis, rectè quæ officij ſui erant, exequeretur erat enim inquit in ſua Functione aſſiduus, hoc eſt, quod paulò ante dicebam de ſimilitudine præfectorum cum aſſiduitate Flaminis in munere ſuo, ſequitur, prudens conſiliis, & in iis exequendis induſtrius, & paulò pòſt, gerebat ſe pro dignitate: grauiores cauſas iudicabat cum optimatibus: ſuperbos deprimebat: vetabat cœtus promiſcuæ multitudinis, ſublatis etiam ſodalitiis, quæ prætextu ſacrorum vacabant mero & crapulæ: contumacibus ſeuerus, & rigidus, inductis deinde in vrbem, totam quæ regionem bonis legibus. hactenus Philon. hæc deſcriptio boni præfecti prouinciæ ita in bonos præſides eccleſiarum, id eſt, in ſummos ſacerdotes, qui ſunt epiſcopi, quadrat, vt boni præfecti prouinciarum velut

De ſimilitudine præfectorum prouinciarum, & præſidum eccleſiarum.

quidam ſacerdotes religioſi eſſe viderentur, vel potius quidam Flamines, vt Clem. vocat. hoc enim nomen magis illis conueniebat, vt pote, ethnicis idcirco enim idem Clemens noluit facere eos ſimiles ſacerdotibus, ſicut Flaminibus, quia indigni erant hoc nomine: ſacerdotes enim, & latine, & Græcè ἱερεῖς à ſacro dicuntur, à quo procul abſunt, ethnici. ob hanc enim cauſam, vt antea dixi, ſacerdotes idolorum idem Clemens lib. 2. de Conſt. Apoſt. noluit vocare ἱερέας, ſed verbo à ſe facto μιερέας. vt qui non ſacri, ſed potius execrabiles eſſent. illud etiam obſeruandum eſt, cur Clemens illos primos iuridicos, quos primos Flamines vocauit, πρώτον ὀμοδιδασκάλους, quoque id eſt, primos doctores legis appellauerit. nempe quia eorum, qui prouincias regebant, erat, bonas leges in prouincias introducere, de quo paulo ante Flaccum qui præerat. Alexandriæ Philon laudabat. illud etiam non eſt obſeruatione indignum, quod ex verbo Græco, quo illi ethnici præſides prouinciarum, vt ſic illos nunc vocemus, à principio à Græcis vocati ſunt, quod etiam præſidibus eccleſiarum, quibus illi ceſſerunt, conuenit, intelligi poteſt, quod genus gubernationis eſſet illud, & quanta vtrorumque ſimilitudo eſſet. in qua re digna eſt admiratione S. apoſtolorum prudentia à Spiritu Sancto data, qui in illis ciuitatibus, & prouinciis, vbi illi fuerant ſecundum gradus ſuos, ibidem præſules eccleſiarum item ſecundum gradus ſuos eſſe voluerunt, vt facilius noſtris moribus, & noſtrorum præſidium gubernationi Gentiles aſſueſcerent, quo eſſent illis ſimiliora, quibus prius aſſueti erant. etenim per Romanos quoque, vt idem Clemens lib. 6. de Conſtit. Apoſt. ait, voluit Deus, vt iuſtitiæ lex ſplenderet. eccleſia vero leges humanas rationi, & honeſtati non repugnantes, vt Calixtus Pont. ait, libenter amplectitur. ἡγεμόνες ergo vocabātur illi, quod oporteret eos exemplo vitæ, & morum aliis præire, & illis virtutum omniū duces eſſe. Simili verbo, & eadē ratione præpoſitos eccleſiis vocat apoſtolus ἡγουμένους. quibus præcipit beatus Petrus formam fieri gregis, vt idem Paul. Timotheum monuit, vt eſſet exemplum fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide,

in caſtitate. & Dionyſius de Melchiſed. in cœleſti Hier. cap. 9. ſcribit vocatum fuiſſe ſacerdotem, quod tanquam Hierarcha id eſt, ſacrorum præſes aliis præeundo dux ad ſolum, & verum Deum tendendi eſſet. idem quoque ſanctos Apoſtolos καθηγεμόνας appellat, in quo verbo κατὰ præpoſitio vim habet augendi, ſignificat enim ductum Apoſtolorum in animas penetraſſe, id eſt, non tantum duces corporum fuiſſe, vt illi ethnici, ſed etiam animarum. illis enim propoſitum tãtum erat, vt homines ſecum inter ſe pacem haberent: Apoſtolis verò, vt ſecum, & cum Deo. Ergo vt ad Flamines reuertamur, quia opus erat præfectos illos prouinciarũ omnis innocentiæ, & temperantiæ, ac continentiæ duces eſſe, quod eſt ſacerdotibus peculiare, idcirco nomen non ſacerdotum, quo erant indigni, ſed valde ingenioſè, & accommodate, ad illos nomen Flaminum tranſtulit. quorum quanta eſſet religio, continẽtia, & exiſtimatio ex iis coniici poteſt, quæ Gellius libro 10. noctium Atticarum de Flamine Diali ſcripſit, ſed de his hactenus. ex quibus ſatis iam patere arbitror, quemadmodum hic locus de Protoflaminibus, & Archiflam. ratione, iudicio, & eruditione refertus non ſolum contra epiſtolam non ſit obiiciendus, ſed contra potius ad faciendum iudicium de antiquitate & auctoritate eius multum valeat. ſupereſt, vt probemus ſcriptam eſſe hanc epiſtolam Græcè, vt quatuor reliquas, quod in ſingulis item probabimus, nam hoc quoque quæri ſolet. Quis vero è Græco interpretatus ſit, Rufinus, an alius, dicam poſteà, cum de prima epiſtola Anacleti agam, qui locũ epiſt. 1. Clementis integrum citat eadem interpretatione è Græco, quę eſt in epiſtola Clementis. Scriptam ergo eſſe Græcè, præter quam quod bonam partem eius Græcè vidi, illud manifeſtè declarat, quod ait, exponẽs fidem, Vnde credendum eſt in Deũ, à quo tam præſens vita, quam futura tribuatur. deinde ſubiungit, Deus autem appellatio eſt ſubſtantiæ ſempiternæ, interpretatus eſt etymon verbi Græci, θεὸς, ſecundum Platonem, cuius fuit, vt ſæpe dixi, valde ſtudioſius: explicãs enim Plato in Cratylo etymologiam nominis διὸς, alij, inquit, ζῆνα, alij δία dixerunt, diuidentes vnum nomen in duo.

Vnde conſtet ſcriptam fuiſſe Græcè epiſtolã Clem. ad Iacobũ, vt reliquas Clementis.

hæc autem in vnum coniuncta declarare, ait, naturam ſiue ſubſtãtiam ſummi Dei: rectéque hunc vocari θεὸν, id eſt, Deum δι' ὃν ζῆν καὶ πᾶσι τοῖς ζῶσιν ὑπάρχει, id eſt, per quem viuere, ſemper omnibus viuentibus ineſt. θεὸν ergo Plato à Ζεὺς Διὸς deriuauit, quia in θεῷ ſint coniuncta hæc duo δι' ὃν ζῆν. quæ naturam Dei ſignificant, ita fit, vt θεὸς id eſt, Deus nomen ſit, vt ait Clemens, ſubſtantiæ ſiue naturæ ſempiternæ, id eſt, ſemper viuentis, & vitam tam præſentem quam futuram, vt ait, viuentibus tribuentis. illud vero, ſiue timoris diuini, additum fuit ab aliquo, qui è Græco δέος, quod timorem ſignificat, voluit ducere nomen Dei, quæ etymologia non poteſt cadere in nomen Græcum θεὸς, in quod cadit etymologia illa Platonis, quam Clemens ſecutus eſt. Iam quẽadmodum hęc epiſt. de morte B. Petri ad Iacobum fratrem domini pluribus annis ante mortuum ſcripta fuerit, abunde, vt opinor, à nobis lib. 2. loco proprio ſatisfactum eſt. Quod enim à Dorotheo archiepiſcopo Tyri ſcriptum eſſe exiſtimatur, fuiſſe Simonem cognomento Iudæ, appellatum quoque Iacobum Alphęi, eũdemque poſt Iacobum fratrem domini factum epiſcopum Hieroſolym. vnde factum eſſe, quibuſdam viſum ſit, vt hæc epiſtola, quæ poſteà ad Simonem eundemq; Iacobum Alphæi ſcripta eſſet, ad Iacobum fratrem domini prius ſcripta fuiſſe errore nominis putaretur, neutrum verum eſt. in exemplari enim vetuſto, quod ſic inſcriptum reperi, Dorothei Archiepiſcopi Tyri, martyris, qui fuit tempore Licinij, & Conſtantini imperatoris, liber de 12. Apoſtolis, & 70. diſcipulis, ſic ſcriptum eſt. de 70. diſcipulis, Iacobus frater domini primus epiſcopus Hieroſolymitanus ab ipſo domino factus. ſequitur, Cleopas, qui & Simon ἀνεψιὸς κυρίου, id eſt, conſobrinus domini, & ſecundus epiſcopus Hieroſoly. qui dominum quoque vidit, poſtquàm à mortuis reſurrexit. Hæc Dorotheus. & quæ deinceps ſequuntur de reliquis diſcipulis domini. Idem ſcribit Clem. Rom. lib. 7. de conſt. Apoſt. prope finem, mortuo, inquit, Iacobo fratre domini epiſcopo Hier. ſecundus ſucceſſit Simeõ Cleopæ. & vt in ore duorũ vel trium ſtet omne verbũ, etſi ſolus Clem. Rom. inſtar multorum ſit, idem quoq;

teſtatur Euſeb. Simeon, inquit, ſaluatoris conſobrinus ſecundus episc. Hieroſoly. quare quod in Dorothei ſynopſi vulgata ſcriptum eſt, Simon Iudas cognominatus, qui poſt Iacobum Hieroſolymorum epiſcopus factus eſt, (arbitror eum eſſe Iacobum Alphæi) ſub Traiano &c. neque parentheſis auctoris eſt, ſed interpretis, nec illud verum, Simonem cognominatū Iudam poſt Iacobum factum eſſe epiſcopum Hieroſ. pro quo ſic in meo exemplari manu ſcripto ſcriptum eſt, Simon cognomento Iudas poſtquam Christum prædicauit in Eleutheropoli & Gaza vſque ad Aegyptum, crucifixus, ſepultus eſt in Oſtracina vrbe Aegypti ſub Traiano impio imperatore, & vt auctoris eſſe cōcedamus illam parentheſim, ſiue interpoſitionem, fefellit eum opinio. Iacobus enim qui dicitur Alphæi, & Ioſes, filij fuerunt Alphæi, vt Hier. ſcribens contra Heluidium teſtatur, & Mariæ, quæ dicitur Iacobi, quæ erat ſiue ſoror Mariæ matris Domini, vt Hierony. ait: ſiue filia ſororis Annæ matris Mariæ virginis, vt Cyrillus tradit: atque ita hi duo, fratres Domini erant cognatione. Simon verò cognomento Iudæ, & Iudas fratres item fuerunt, ſed non ex Ioſeph, vt aliqui falſo exiſtimarūt, fuit enim Ioſeph virgo, vt Hieronymus affirmat, ſed ex Cleopha, ſiue Cleopa fratre Ioſeph, vt Euſeb. Cæſar. tradit. quare hi erant non fratres Domini cognatione, ſed conſobrini opinione, quatenus Ioſeph pater Domini vulgo putabatur. Alius igitur erat Simon cognomento Iudas, ſiue Iudæ: & alius Iacobus Alphæi. Deinde quæ fides in hac hiſtoria adhibenda Dorotheo eſſet, tametſi iſtud ſcriberet, quod nunquam ſcripſit, qui inter 70. diſcipulos Cepham quendam ponit, quem inquit, reprehendit Apoſtolus Paulus Antiochiæ, qui fuit epiſcopus Coneæ. cùm tamen, vt Hieronymus in com. epiſ. ad Gal. affirmat, nullum Cepham præterquam Petrum nouerit eccleſia. Sed hactenus de epiſtola prima Clementis. Dicamus de ſecunda.

Quid Dorotheus de Simone cognomēto Iuda, & de Iacobo fratre domini ſcripſerit.

Habet etiam hæc epiſtola decreta, quæ in conſuetudine omnium eccleſiarum ſunt, cuius conſuetudinis origo quia non potuit eſſe alia, quam Apoſtolica traditio, conſequens eſt, vt ipſa decretorum eccleſiaſtica

conſuetudo

conſuetudo teſtis ſit Apoſtolicæ antiquitatis epiſtolæ, qua huiuſmodi decreta per eccleſias catholicorum promulgata ſunt. ex quibus vnum eſt de tribus gradibus eorum, qui diuinis ſacri altaris myſteriis miniſtrāt, nempe de preſbyteris, diaconis, hypodiaconis, & de hoſtiis proportione communicantium conſecrandis, ac de reliquiis earum diligenter, ac decenter in ſacrario cuſtodiendis, & de differendo cibo poſt ſacram Communionem. Partē decreti huius de reliquiis ſacræ Euchariſtiæ ſeruandis ſatis in extrema parte libri 3. defendimus. Si adhuc Lutherani contendere voluerint, non eſſe à principe Apoſtolorum, vt hæc epiſtola teſtatur, traditum, vt hic triplex ordo, ac gradus preſbyterorū, diaconorum, & hypodiaconorum myſteriis diuinis ſacræ aræ miniſtret, & reliquiæ corporis Dominici ſumma diligentia, ac reuerentia in ſacrario ſeruentur, & ne continuo poſt cibum cœleſtem ad cibum terrenum eatur (differre enim vſque ad ſextam, ſi mane communicetur: aut ad veſperam, ſi tertia, aut quarta: non lex, ſed ſuaſio eſt: non præceptum, ſed admonitio.) quin potius poſſe illa ipſa myſteria à miniſtris, & ſuperintendentibus Lutheranis ſine impoſitione manus epiſcopi, id eſt, ſine ſacramento hierarchicæ ordinationis confici, & tractari, item non remanere reliquias corporis Domini, & licere ſtatim nullo pūcto temporis ob religionem, ac reuerentiam interpoſito, cibum ventris ſumere, hoc, inquam, ſi contendere adhuc Lutherani volunt, nos vno verbo, quod nos Apoſtolus docuit, eos frangimus, & conuincimus, nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſiæ dei. Aliud decretum eſt, Altaris palla, cathedræ, candelabrum & velum ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur. Hanc quoque conſuetudinem habent eccleſiæ dei, vt quæ ſunt ad miniſterium ſacrum in eccleſia dedicata, nullus ea ad priuatum vſum transferre audeat, ne ſacra negligendi aliis occaſionem præbeat, & ipſe eorum contemptor exiſtimetur. & à domino, vt rex Babyloniæ propter ſimile auſum puniatur. cum verò fuerint vetuſtate cōſumpta, & eorum nullus in eccleſia vſus eſſe poteſt, cremari iubet, & inferri cineres in locum, qui nec ambulatione,

Decretum de triplici gradu miniſtrorum altaris ſub epiſc. & de ſacra Cōmunione, ac de reliquarum corporis Domini cuſtodia.

Decretū de iis, quibus ad miniſterium altaris vtendum eſt, & extra illud miniſterium non vtendū & poſt vetuſtatem cremanda ſunt.

neque tranſitu teri poſſit,idq́ue in honorem,& cultum dei,cui illa fuerunt ſacra ipſa enim ratio religioniš, ac reuerentiæ ſatis ſuadet hoc decretum. Illa verò ſeueritas pœnæ,qua ſancitum eſt decretum,in diaconos,Clericos,& presbyteros, veſtigium quoddam eſt illius Apoſtolicæ diſciplinæ,& ætatis, in qua ſic eos, qui ſacra pro nihilo ducere viderentur,punire oportebat,vt ſicut de Ananiæ, & ſapphiræ ſeuero ſupplicio ſcriptum eſt, fieret timor magnus in vniuerſa eccleſia, & in omnes, qui audirent. reſtat de hoc decreto,vt aliquid de verbis eius dicamus, in quibus eſt odor quidam illius ſæculi, quo factum eſt decretum, & vulgata, atque ædita epiſtolæ huius interpretatio. pallam enim vocant hodie omnes eccleſiæ latinorum, quod verbum non eſt impoſitum tempore Caroli Magni,ſed tūc, cum ipſa res, cui eſt impoſitum,facta eſt.neque quæ res hodie in cultu altaris palla vocatur, ſic vnquam ante latinam interpretationem epiſtolæ Clementis vocata eſt.fuiſſe enim Græcè ſcriptam paulo poſt docebo. ex verbis igitur huius decreti,vt illa nota ſunt omnibus velum, cādelabrum,palla,ita cathedræ illæ,quæ ſint, fortaſſe nō omnibus idem videatur, cathedræ enim numero multitudinis ſunt in exemplari manu ſcripto vetuſto, quæ quidem quia cōiunctæ ſunt cum iis, quæ ad altare adhibentur,exiſtimo,non ſignificare cathedras,in quibus ſedent epiſcopi in eccleſia, neque ſuggeſta, de quibus concionantur,ſed potius pulpita,quæ ſuper altaria ponuntur,ſic enim vocant hodie pulpitum,in quo Miſſale collocatur.afferamus aliud decretum, Miniſtri altaris presbyteri,ſiue diaconi ad dominica tales eligantur officia,qui ante ordinationem ſuam coniuges ſuas reliquerunt. ſic enim eſt in vetere exemplari manu ſcripto,vt alio loco iterum admonui. de hoc decreto abūde dictum eſt nobis,cum de cœlibatu Magdeburgenſibus reſponderemus. Sequitur pœna in eos,qui hoc decretum non ſeruauerint, quod ſi, inquit, poſt ordinationem miniſtro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris,ſacrarij non intret limina: neque ſacrificij portitor fiat.nec altare contingat: nec ab offerentibus holocauſti oblationem ſuſcipiat: nec ad dominici

De priſca conſuetudine verbi Pallæ,& de cathedris.

corporis portionem accedat: aquam ſacerdotum manibus porrigat. ſic eſt in exemplari vaticano contrario ſenſu exemplaris vulgati. ſequitur, oſtia forinſecus claudat: minora officia gerat: vrceum, ſeu calicem ad altare non ſuggerat. hactenus pœna. ſi hæc lex, quæ eum miniſtrum eccleſiæ punit, & eccleſiaſtico miniſterio priuat, qui cum vxore cuius conſuetudinem reliquerat, vt, ipſa aſſentiente, ordinari poſſet, poſtea conſueſcit, in omnibus eccleſiis catholicorum per cunctum Occidētem, vbicunque eccleſiaſtica diſciplina viget, adhuc ſeruatur, & ſemper ſeruata eſt, vnde dicemus ortum duxiſſe? quem fuiſſe latorem? neceſſe profecto eſt. vt ab Apoſtolis fuerit eiuſmodi conſuetudo eccleſiarum inſtituta, & tradita. cur igitur ſi factum eſt, teſtimonium facti non erit verum? ſi cum re conuenit dictum, cur negetur dictum eſſe? accedit deinde ad decretum de cœlibatu, de quo multa libris ſuperioribus à nobis ſcripta ſunt, illa etiam cautio caſtitatis ſeruādæ, Clericus verò, inquit, ſolus ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque properet: neque ſine maioris natu principis (archipresbyterum dicit) Iuſſione. ſequitur, neque ſolus cum ſola fabulas miſceat: (ſic enim eſt in exēplari vaticano, melius quam in vulgato), nec archidiaconus, aut diaconus ſub prætextu humilitatis, aut officij frequentet domicilia matronarum: aut forte per clericos, aut domeſticos eius matronæ mandet ſecreti aliquid, ſi agnitum fuerit, deponatur: & illa a liminibus arceatur eccleſiæ. ad exemplum diſciplinę huius miniſtri eccleſiæ vſque in hodiernum diem didicerunt verſari in domo Dei: & qui ſic non verſantur, ab eo qui in ſolicitudine, ſicut Apoſt. præcipit, præeſt, deponuntur. Aliud epiſtolæ huius decretum eſt, Eccleſias per congrua, & vtilia facite loca, quæ diuinis precibus ſacrare oportet: & in ſingulis ſacerdotes diuinis orationibus Deo dicatos poni. Hoc quoque decretum documentum, & indicium eſt Apoſtolicæ ætatis epiſtolæ huius, ſi quidem ædificari eccleſias, & Deo per preces tum ipſas, tum earum miniſtros dedicari, cum in more omnium vbique eccleſiarū ſit, origo eius moris nulla potuit alia eſſe, quā Apoſtol. traditio, vnde autem inſtitutio, ac traditio exti-

Correctio lectionis in pœna decreti de cœlibatu.

Decretum de ædificandis, & conſecrandis eccleſiis.

tit.indidem primùm eam excepit, qui per hanc epiſtolam eandem vulgauit,is eſt Clemens Apoſtolicus pót. qui etiam libro 2.de Conſt.Apoſt.c.57 de forma ædificandi eccleſias,quæ vſque ad hunc diem,ſi commode fieri poteſt,ſeruatur , nos in perſona Apoſtolorum admonuit: & libro 8. preces deſcripſit , quibus miniſtri eccleſiæ Deo ſacrantur , quas Dionyſ. Areop. ἱερατικὰς ἐπικλήσεις in eccleſiaſtica Hier.vocat.ſed de eccleſiis,& earum conſecratione copioſe libro 2.diſſeruimus. Hactenus de epiſt 2. Clem. & de decretis eius. quam quidem Græcè ſcriptam eſſe ab auctore,ex Græcitate,quã tota epiſtolæ interpretatio olet,coniectura capi poteſt. quale eſt illud in principio. ſacramenta diuinorum ſecretorum,quod è Græco eſt ἁγιάσματα τῶν θείων μυστηρίων. ἁγιάσματα enim vocat idem auctor lib. 2. de conſt. Apoſt. ſacramenta: ſecreta verò, myſteria dici nemo ignorat. Præterea maiorem natu principem dixit interpres,quod ſatis olet,vnde ſit,nempe è Græco,ἀρχιπρεσβύτερος, iubet enim ne clericus ſine iuſſu principis maioris natu,id eſt,Archipresbyteri ſolus ad domum matronæ accedat: vnde ſtatim ſequitur, nec archidiaconus,neque diaconus, & quæ ſequuntur. Item illud, à principio epiſtolæ vſque ad hunc locum de ſacramentis delegaui bene tuendis, ſic enim eſt in vetuſto codice,è Græco ἐπέστειλα expreſſum eſt illud,delegaui,quod non dicitur de ſcribente epiſtolam , vt illud Græcum. prætereo reliqua , ſatis enim hæc ſunt exempli cauſa. diſſeramus deinceps de tertia epiſtola.

Vnde cõiectura capiatur , quod epiſtola ſecũda Clementis Græcè ſcrip. fuerit.

Tertia epiſtola Clementis ſcripta quoque eſt Græcè, & ex bona parte ex ſermone beati Petri, qui eſt in libro 5.Recognitionum, compoſita . Quæ ſit fortaſſe cauſa, cur nonnullis videri poſſit, non eſſe à Clemēte ſcripta, ſed potius à neſcio quo,qui partim è ſuo,partim ex illo ſermone epiſtolam contexere voluerit.Sed hæc coniectura læuiſſima eſt. multò verò probabilius, vt cum Clemens ad omnes omnium ordinum fideles ſcriberet,velletque ad ea, quæ in prima parte epiſtolæ ſcripſerat,adiungere de ignorantiæ malo,& de cognitione veritatis, ac de libero arbitrio,eſſétq; ille ſermo,quem idem Clemens ex perſona Petri compoſuerat,valde ad

propoſitum accommodatus, voluerit partem ſermonis illius in epiſt. ſuam trāſcribere. Quid enim abſurdi eſt, aut noui, & inuſitati, ſi doctrinā, quam B. Petrus prædicabat. & Clemens ipſe verbis ſuis explicauerat, & conſcripſerat. cum viſum eſt ei operæ preciū eſſe, per epiſt. cum omnibus communicarit? indagemus igitur ex decretis epiſt. huius, vt in ſuperioribus fecimus, antiquitatis. ac veritatis eius argumenta. Primum decretum eſt, Si episco. non obedierint omnes presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi, & reliqui clerici omnéſque principes tam maioris. quam inferioris ordinis, ac reliqui populi, tribus, & linguæ, non ſolum infames, ſed & extorres à regno Dei, & conſortio fidelium & aliminibus ſanctæ eccleſiæ Dei alieni erunt. Hactenus decretum. Hic quoque dicendum eſt Lutheranis, qui epiſcopis carent, ex quo ab eccleſia catholica, quæ epiſcopos habet, defecerunt, Nos talem conſuetudinem nō habemus, nec eccleſiæ Dei. Ex Lutheri enim ſecta multiformi ij prodierunt, qui epiſcopis quidem, quos non habent, obedire non poſſunt: epiſcopo autem omnium eccleſiarū, qui eſt Pont. Rom. Petri principis Apoſt. ſucceſſor, quo carere non poſſunt, & ſi maximè velint, obedire nolūt. Hæc verò conſuetudo omnium eccleſiarum, vt ſæpe de aliis ſimilibus dixi, & dicendum eſt ſæpius, cum aliunde, quā ex Apoſtolica inſtitutione naſci non potuerit. cur iſti ex veſtigio Apoſtol. ætatis, & inſtitutionis tā illuſtri, & quòd ab omnibus cernitur, de antiquitate, & veritate huius epiſtolæ coniectura non decernūt? de ſacro chriſmate, quo epiſcopus vngitur, quod in conſuetudine quoque eſt omnibus per Occidentem eccleſiis, dicam poſteà in epiſt. 1. Anacleti, qui idem decretum repetit. Dicamus nunc de ritu baptizandi in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, quam in hac epiſtola ſecundum traditionem Apoſt. Clemens deſcribit, & ſancit. Accedat, inquit, qui vult, ad ſacerdotem ſuum vt ipſi det nomen ſuum, atq; ab eo audiat myſteria regni cœlorum: ieiuniis frequentibus operam impēdat: ac ſemetipſum in omnibus probet, vt tribus menſibus iam conſumandus in die feſto poſſit baptizari. Baptizetur autē vnuſquiſque in aquis perennibus nomine trinæ beatitudi-

Decretum, vt omnes epiſcopo obediant.

Decretum de ritu baptizādi.

nis inuocato ſuper ſe, perunctus primum oleo per orationem ſanctificato, vt ita demum per hæc conſecratus poſſit locum percipere cum ſanctis. Hactenus decretũ de ritu baptizãdi. in quo decreto & ſi quædam ſunt ſimiliora admonitioni, quam legi, & ſuaſioni, quam mãdato, vt illud de conſumando, quod è Græco πλῶθαι expreſſum eſt, id eſt, initiãdo tribus menſibus, & de baptizando die feſto, ac de ieiuniis ante baptiſmũ, cuiuſmodi ſunt non pauca in Conſt. Apoſt. vt in extremo capite libri primi admonuimus, cathecheſis tamen in grãdioribus, quos adultos vocamus, neceſſaria eſt, vt ritè fiat baptiſmus: item probatio, & vnctio omniũ ante baptiſmũ ex oleo ſanctificato: & datio nominis. Quæramus ergo à Lutheranis, vnde didicerunt dare nomen miniſtris, & ſuperintendentibus pro ſuis infantibus, cum baptizandi ſunt. nec enim, vt audio, hunc ritum, ac cõſuetudinem eccleſiæ reliquerunt. An melius ſit, ſi dicãt ſe hoc arbitratu ſuo, & nullo magiſtro, ac lege facere, quam ſi Apoſtolica traditione inſtitutos ſe facere confiteantur? pœnitet fortaſſe talium magiſtrorũ, id eſt, ſanctorum Apoſt. quod ſi non pœnitet, & in hac epiſtola Clementis decretum vident. quod ipſi ſeruant, decretum dico à ſanctis Apoſtolis profectum, cur epiſtolam Apoſtolicæ traditionis, teſtem negant? cur malunt videri quod faciunt, ſine auctoritate, & maiorum inſtitutione facere, quam facere exemplo paternæ traditionis? præſertim cum dare nomen non vacet myſterio, quod in eiuſmodi datione nominis ſancti Apoſtoli ad eruditionem, & vtilitatem abditum eſſe voluerunt: in dando autem nomen arbitratu ſuo, & vulgari more, nullũ ineſt myſterium. Dare enim nomen, vt deſcribatur baptizatus inter fideles, ſignificat, vt ait Dion. Areop. quod ex Apoſt. Paulo, cuius diſcipulus fuit, didicit, aſcitũ eſſe in ordinẽ ſanctorum, pertinereque iam ad eorum ſtatum. hoc enim eſt, pro quo agere gratias Deo, idem Apoſt. in epiſt ad Coloſſ. Hortatur, cum ait, gratias agentes Deo, & patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, id eſt, qui per baptiſmum, (hoc enim vocat. lumẽ, vt alias ſolet, ſicut Diony. & aliis. patres) fecit, vt communionis ſanctorum participes effi-

In decreto de ritu baptizandi quæ ſint ſuaſionis, & quæ legis.

De ritu dandi nomen in baptiſmo, quid ſignificet in myſterio.
Col. c. 1.
Heb. 6.

ceremur. Hanc deſcriptionem inter natos ex Deo per baptiſmum,cuius diſcriptionis Symbolũ eſt illud dare nomen,ſignificabat in ænigmate,vt hoc etiam addam, illa deſcriptio vniuerſi orbis, quæ ad edictum Cæſaris Aug.facta eſt,cum Chriſtus eſt natus. Significabat, inquam,natum eſſe eum, per quem danda erat poteſtas omnibus hominibus vniuerſi orbis,vt nati ex Deo inter filios Dei deſcriberentur, & cenſum ſpiritualẽ acciperẽt fidei,ſpei,& charitatis, hæc enim in baptiſmo infuſa ſunt.adduxit me ad hãc Theoriam,quod viderem eodem nomine vocaſſe Dionyſiũ illam deſcriptionem baptizatorũ,quo Lucas illam vniuerſi orbis:vterque enim dixit ἀπογραφήν.Hæc autem omnia eo à me dicta ſunt,vt intelligant Centuriatores & omnes Lutherani, non fuiſſe leue,nec ſanctis Apoſt.indignum, neq; myſterio, ac fructu vacuum, quod ab eis traditum eſt, vt qui baptizandus eſſet,nomen daret. Cuius traditionis cum teſtis ſit cõſuetudo eccleſiarum,quæ inde nata eſt, & eam adhuc ipſi Lutherani retineant,ipſi iam epiſtolę huius aliis teſtes eſſe debent,veram eſſe,& auctore ſuo Apoſtol dignam,quæ hunc ritum baptizandi,quem tenemus,& patres,ac maiores eorum, tenuerunt, & ipſi adhuc ex parte tenent,atteſtatur.aquas verò perennes, quibus baptizari iubet, aquam viuam vocat idẽ Clem. in epiſt.4.ſic enim recitat locum euãgelij, niſi quis renatus fuerit ex aqua viua,non introibit in regnũ cœlorum.aqua ergo viua,& aqua perennis,aqua cũ virtute ſpiritus ſancti eſt.ſic videtur Clemens didiciſſe ex Apoſtolis interpretari illam aquam viuam ſalientem in vitã æternam,quam Dominus dixit,dum Samaritanam alloqueretur. de vnctione ex oleo ante baptiſmum ſatis aduerſus Magdeb.libro.2.diſſeruimus. Illud præterea in hac epiſtola,& in reliquis obſeruandum eſt, idcirco decreta, ſiue leges eccleſiaſticas in epiſtolas inter præcepta vitæ,& morum Clementem inſeruiſſe, vt ſimul leges ipſas ſuaderet, quod ad peritiam boni legiſlatoris pertinet:in quo Platonem quoque ſecutus eſt, qui leges,quæ ferũtur oportere ait ſuadere.hoc ipſum imitati ſunt poſtea conſecuti pont. quod prius Clemẽs fecit.hoc qui non aduertunt,exiſtimare poſſunt, non eſſe

Cur aquã baptiſmi perennes aquas, & aquã viuam vocet Clem.

Cur decreta inter præcepta de virtutibus inſerta ſint.

interdum decreta quędam recte collocata, cum tamen maximè ſint. exempli cauſa, in hac epiſt. 3. vt ſuaderet Clemens decretum de non celebrandis Miſſis, niſi in locis ab epiſcopo conſecratis, multa prius de obediētia præcipit, quæ præſtāda ſūt præpoſitis, vt Deo, quia hoc Deo placet: cuius voluntatem, quamdiu in hac vita ſumus, vt cognoſcamus, ſtudere debemus. Cui autē hoc ſemel perſuaſum eſt, facile amplectitur legem de non celebrando Miſſam, niſi in loco ab epiſcopo conſecrato, ſi quidem hæc eſt voluntas Dei, vt epiſcopo obediamus & non alio loco Miſſas celebremus, quā quo ipſe iubet, aut qui ab ipſo ſacratus eſt. Hæc etiā conſuetudo ſumma religione per omnes eccleſias Dei tum in Oriente, tum in Occidente ſeruatur quæ teſte Clemente, à ſanctis Apoſtolis tradita eſt. quæ cum ad aliam originem quam Apoſtolicæ traditionis referri non poſſit, nec vlla ratio, aut vtilitas fingendi poſtea hoc teſtimonium appareat, quis vel hac ſolùm coniectura non decernat, non fictum, ſed verum eſſe teſtimonium? & tot teſtes eius eſſe, quot teſtes eſſe poſſunt, nunquam nos, nec eccleſia Dei aliam conſuetudinem in hac re habuiſſe? ſed hactenus de epiſt. 3. dicēdum eſt deinceps de quarta.

Clementis ergo epiſtola quarta, excepto principio, tota eſt ex ſermone beati Petri, qui eſt in ſexto lib. Recognit. paucis quibuſdam additis, fecit enim Clemens, quòd à nobis aliquando fieri ſolet, vt quæ alio loco, & tempore, & aliis aut ſcripſimus, aut locuti ſumus, eiſdē alio loco, & tēpore, & apud alios, acceſſione aliqua, aut parua commutatione facta, vtamur. Quid enim prohibet, quominus hoc, quod fieri poteſt, & ſolet, & cū opus eſt, rectè fit, Clemens fecerit? vt hic, cum Iulium, & Iulianum, ab errore, in quem à gentibus, inter quas habitabant, inductos eſſe audiebat, non ſolum reuocare vellet, ſed ita corrigere, & inſtituere, vt & alios poſſent ipſi illi in viam reducere à veritate auerſos, & eos, qui veritatem nondum audierant, docere, viſus eſt ei ſermo, quem ex perſona Petri libro 6. ſcripſerat, ad hoc, quod volebat, aptiſſimus. Quare operæ preciū eſſe iudicauit, eum ſermonem in epiſtolam ſuam ad illos inſerere,

principio ex re ipſa, atque occaſione epiſtolæ ſumpto. In hac igitur epiſtola ſunt quoque veſtigia ætatis eius, qua ſcripta eſt, propria, & illi ætati, qua ſcripta eſſe, à Magd. fingitur, aduerſa. Vbi enim erant poſtea tēpore Caroli Gentiles, inter quos Iulius, & Iulianus habitabant? vbi idololatria, quam hic confutat Clemens? an erant illi inter Turcas, at iſti, etſi pagani ſunt, non tamē idola colunt: neque ſtatuas pro diis habent. an erant apud Indos? ne id quidem, ſiquidem paulò ante ætatis noſtræ memoriam ignoti erant. Quæ igitur temeritas eſt, ſine teſte, ſine argumento, ſine coniectura, negare fuiſſe vnquā iſtos, quos Clemens nominat, & ad quos nominatim epiſtolam ſe ſcripſiſſe affirmat? aut fuiſſe quidem concedere, ſi fortè concedunt, ſed nunquā ad eos hanc epiſtolam miſiſſe? ſed de Magd. & reliquis magiſtris Lutheranis, cum eam, & reliquas negent, ſatis patet, nempe quia, vt ſæpe ſæpius dicam, niſi negēt, doctrinam lutheri, quam tradunt, & profitētur, defendere non poſſunt. vt cum præcipit in hac epiſtola, vt qui baptizatus fuerit, ab epiſcopo poſtea confirmetur, vt à beato, inquit, Petro accepimus, & cæteri Apoſtoli præcipiente domino docuerunt: ergo qui ſacramentū confirmationis negant, quomodo hanc epiſtolā probare poſſunt, niſi probando, ſibi ipſi ſimul contradicāt? ſed de hoc ſacramēto affatim libro 2. aduerſus Magd. ex ſcripturis ſanctis diſputatum eſt, nunc illud tantum annotabo, quia iudicia antiquitatis epiſtolæ inueſtigamus, quod in hoc ſacramento verbo confirmādi vſus eſt Clemens in hac epiſtola, & eodem vſus eſt libro 3. de conſtitutionibus Apoſtolorum, & vſque in hodiernum diem omnes eccleſiis Occidentis ſacramentum confirmationis ſic vulgò vocant, hoc veſtigium nominis odorem præbet ætatis illius Apoſtolicæ, vnde inſtitutio conſuetudinis eccleſiarum, & conſignatio epiſtolæ Clem. deſcendit. quæ quia ſanctiſſimis, & euāgelicis præceptis, & Apoſtolicis monitis, ac ſpiritu ſcripturæ ſanctæ referta eſt, in tanto honore & auctoritate ſemper eſt habita, vt quamuis pauca quædam in ea ſint, quę ab auctore aliena videri poterant partim vitio interpretis, partim artificio hæreticorum, nunquam

Quid in nouō teſtamento fieri ſoleat, & debeat. ſiquid vitio veteris interpretis creatū eſt.

tamen catholici negare eam, aut de ea dubitare auſi ſint. & ſiquid in ea duriuſculum occurrebat, piè interpretando mollire ſtuduerunt, id quod in ſcripturis quoque ſanctis, (quæ maioris auctoritatis ſunt, fieri ſolet: vt tametſi vitio interpretis aliquid quandoque erratum ſit, piè potius interpretemur, quam reiiciamus, vt verbi cauſa, quod in quibuſdam exemplaribus epiſtolæ ad Hebræos male legitur, vt χωρὶς θεοῦ, id eſt, vt ſine Deo pro omnibus guſtaret mortem, vt Neſtoriani legebant, quo Chriſtum in duas perſonas diuiderent, Theodoretus interpres alioqui bonus, & catholicus, tametſi non ignorabat non ſic legi ab aliis ſanctis patribus, ſed ſic χάριτι θεοῦ id eſt, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem, mortuus eſt enim pro nobis, nō quia debuit, ſed quia per gratiam ſuam voluit, nō tamen reiicit, quin potius catholice interpretatur, vt Oecumenicus quoque teſtatur. Sic ego nunc non reprehendo, quod quædam in hac epiſtola nō rectè hactenus legebantur, ſed potius ad exemplum eccleſiaſticæ regulæ, quæ ſecundum Hieronymi ſentētiam in nouo teſtamento ad Græci ſermonis normam veritatē examinat, fontem exemplaris Græci repeto, vt inde purū, & liquidum hauriamus. non dubito piè interpretatos eſſe, qui ſic hactenus, vt nunc eſt, legebant, ſed ſi fontē iudicando, hoc aſſequor, vt in interpretando piè nō ſit deinceps laborandum, exiſtimo, boni potius conſulendum eſſe, quàm reprehendendum. Illud ergo, quod eſt hac in epiſtola, ſpiritus à Deo initium habet, ſic enim dixit Moiſes propheta, in principio fecit Deus cœlū & terram, terra autē erat inuiſibilis & incōpoſita: & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, recte hactenus de ſpiritu creato. quale eſt illud, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ, & illud Amos prophetæ, Ego dominus creans ſpiritum, ſic enim Cæſarius frater Greg. Naz. in reſponſis ad varias quæſtiones de locis ſcripturarum, & Theodoretus, ac Gennadius, & alij, ne omnes enumerem, interpretati ſunt. at illud, quod in epiſt. Clem. ſequitur, adulterinū fortaſſe videri queat, quaſi faciat Spiritū S. ſpiritum creatū, ſic enim ſubiūgit ſtatim, qui Spiritus, iuſſu Dei, quaſi ipſa

Heb. 2.

De iis, quæ in epiſtola quarta Clementis ad normā Græci, exemplaris corriguntur.

Am. 4.

manus conditoris lucem ſeparauit à tenebris: & poſt illud inuiſibile cœlum, iſtud viſibile produxit, vt ſuperiora quidē habitaculū faceret angelis: inferiora verò hominibus. quod autē adulterinum hoc ſit, & alienū, atq; ab hæreticis inſertū, fieri poteſt cōiectura ex libris Clem. in quibus eſt tot' hic ſermo Petri, vt paulò ante dixi, ex quo ſermone epiſt. hæc fere tota conſtat. quos libros ab hæreticis fuiſſe deprauatos teſtes ſunt Epiphanius, Hierony. Rufinus, & nos ipſi experientes probamus. auget etiā coniecturam, quod hæc, quæ inſerta eſſe videri poſſunt, non reſpondent propoſito ſcribētis epiſtolā, imò ab eo penitus aliena ſunt. cum enim idololatriā confutaret, aiebat, ex ipſis ſimulachris intelligi poſſe, nō eſſe Deos, ſi quidem ipſa, quibus ſimulachra fiunt, effecta ſunt, & mutationi obnoxia. ferro enim inquit, facta ſunt ſimulachra: ferrū igni factū eſt molle. Ignis aqua extinguitur: aqua autē ſpiritu agitatur: ſpiritus verò à Deo initium habet. Hic igitur ſpiritus, qui à Deo initium habet, non eſt, nec eſſe poteſt ſpiritus ille omnipotēs qui vna cum Deo patre, & filio lūcem ſeparauit à tenebris, & poſt illud inuiſibile cœlū, iſtud viſibile produxit: quem vt creaturā Arianus aliquis, aut Macedonianus faceret, dixit Iuſſu Dei quaſi ipſam manū cōditoris feciſſe hæc. & quod Clemēs de ſpiritu creato dixerat, initium habere à Deo, ad ipſum ſpiritū Dei trāſtulit. Imò, ne quis dubitet, nō ab auctore huius epiſtolę Clemēte, qui de Spiritu S. imò de tota Trinitate fidē, quā eccleſia catholica tenet, in epiſtola prima rectiſſimè expoſuit, ſed à corruptore librorum eius ſcriptū eſſe hunc locū, recitemus eū Græce ex lib. 6. non quidē æditionis Ruſini, ſed alterius aliquantum diuerſæ, licet eiuſdē argumēti, de qua idem Rufinus in procœmio recognitionē meminit, quæ ad manus meas aliquādo venit, in qua æditione non hic locus ſolum, ſed alij quidā cōtra diuinitatem filij, & Spiritus Sancti corrupti erant, in eo igitur libro 6. eſt ſermo Petri, ex quo, vt dixi, tota fere hæc epiſtola quarta Clementis compoſita eſt. incipiamus ergo inde recitare ἢ καὶ οὐχ ὑπὸ σιδήρου ἐτορεύθησαν, καὶ ὁ τορεύσας σίδηρος ὑπὸ πυρὸς ἐμαλάχθη, καὶ τὸ πῦρ σβέννυται ὑπὸ ὕδατος, τὸ δὲ ὕδωρ ὑπὸ

πνεύματος τὴν κίνησιν ἔχει, καὶ τὸ πνεῦμα ἀπὸ τοῦ τὰ ὅλα πεποιηκότος θεοῦ τὴν ἀρχὴν ἐκτάσεως ἔχει, οὕτως γὰρ ὁ προφήτης εἴρηκε μωσῆς, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, καὶ σκότος ἐπάνω τῆς ἀβύσσου, καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος, deinde ſubiungit, ὅπερ καὶ λέγοντος τοῦ θεοῦ τὸ πνεῦμα ὥσπερ χεὶρ αὐτοῦ τὰ πάντα δημιουργεῖ φῶς ἀπὸ σκότους χωρίζον, ἢ μετὰ τὸν ἀόρατον οὐρανὸν τὸν φαινόμενον ἁπλώσας ἵνα τὰ ἄνω τοῖς τοῦ φωτὸς ἀγγέλοις οἰκηθῇ, τὰ δὲ κάτω ὑπὸ ἀνθρώπων ἅμα τοῖς δι' αὐτὸν γινομένοις πᾶσι διοικηθῇ. διὰ γὰρ σε τὸν ἄνθρωπον &c. alter locus ſententia & verbis ſimilis de filio Dei corruptus eſt in libro 8. huius æditionis, vnde etiã coniectura ducitur, quod ab eodem artifice ſit hic locus epiſtolæ Clementis deprauatus. Sic enim ait. ἐκτείνεται ἀπ' αὐτοῦ ὡς χεὶρ δημιουργοῦσα τὸ πᾶν, id eſt, extẽditur filius ab ipſo ſcilicet Deo tanquã manus omnia fabricans, hic verò dixit de ſpiritu Dei ἔχειν τὴν ἀρχὴν ἐκτάσεως ἀπὸ τοῦ τὰ ὅλα πεποιηκότος τοῦ θεοῦ ὥσπερ χεῖρα αὐτοῦ τὰ πάντα δημιουργοῦσαν, id eſt, ſpiritũ habere initiũ extenſionis à Deo omniũ conditore tanquam manum eius omnia fabricãtem. at in ſancta Trinitate non eſt, ἔκτασις, id eſt, extenſio, neque πλάσις id eſt, formatio, neque τομὴ, id eſt. ſectio, vt ait Greg. Naz. ſed eſt vna & eadem ſubſtantia cum tribus proprietatibus ingeniti, generationis, & proceſſionis. & paulò poſt vbi ait in epiſtola, omnia gignuntur ex aquis, aqua verò per vnigenitum ex initio facta eſt: vnigeniti verò omnipotẽs Deus caput eſt, duriuſculũ eſt, & forma verborum nõ ita ſana, vt eſt illud Apoſtoli. Chriſti autẽ caput Deus, notio enim vnigeniti non ſic declarat naturam humanam, propter quam Deus eſt caput Chriſti, ſicut declarat notio Chriſti, & primogeniti in multis fratribus, qui ſumus nos. Itaque nec hoc Clementis eſt, neque enim Græcè legitur, ſed pro eo eſt, τὰ πάντα τὸ ὕδωρ ποιεῖ, τὸ δὲ ὕδωρ ἀπὸ πνεύματος κινήσεως τὴν γένεσιν λαμβάνει, τὸ δὲ πνεῦμα ἀπὸ τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ τὴν ἀρχὴν ἔχει, id eſt, omnia gignit aqua: aqua verò ortum motus ab ſpiritu ſiue flatu accipit. ſpiritus verò, ſiue flatus à Deo vniuerſi, habet initium. ſatis hæc cõgruunt propoſito: illa verò minimè, aqua per vnigenitum ex initio facta

Recognitio locorum epiſtolæ 4. Clementis ad normam exemplaris Græci.

1. Cor. 11.

Rom. 8.

eſt, vnigeniti verò omnipotẽs Deus caput eſt nec enim intelligi poteſt, quorſum hæc. illic verò facile intelligitur, quorſum ſpectet illa progreſſio à generatione ex aquis ad ſpiritum, & ab ſpiritu ad Deum, qui illum creat, & ex eo rurſus nubes, & aquas, ac tonitrua. vt Amos propheta expoſuit, celebrans Dei potentiã. Voluit igitur Clemens hac phyſiologia & naturæ ratione idolorum culturam coarguere, & gentibus, quæ ſcripturas ſanctas neque ſciebant, nec eis credebant, baptiſmum etiam ſuadere, qui fit ex aqua, & Spiritu S. quem dominus in euangelio cum ſpiritu, qui flat. cõparauit diſſerens de regeneratione ex aqua & Spiritu S. cum Nicodemo. Huc pertinet quod ait Cyrill. in Geneſim, ab exordio ſignificatam eſſe gratiam baptiſmi in eo, quod Moiſes ſcripſit. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Illud quoque repurgãdum eſt, quod ſiue culpa interpretis, ſiue vitio exemplaris Græci in hanc epiſtolam irrepſit, ne quando ab aliquo audace in auctorem epiſtolæ Clementem obiiciatur. ſic enim ait, Denique ipſe magiſter, cum ab iis, qui ignorabant eũ, duceretur ad crucem, orabat patrẽ pro interfectoribus ſuis, & dicebat pater, & quæ ſequuntur. non enim dixit Dominus, cum duceretur ad crucem, pater, dimitte illis, ſed cum eſſet in Cruce, atq; ſic quidem eſt Græce. αὐτὸς γὰρ ὁ διδάσκαλος προσηλωθεὶς ηὔχετο τοῖς αὐτὸν ἀγνοοῦσι ἀφεθῆναι τὸ ἁμάρτημα. id eſt, ipſe enim magiſter affixus cruci, orabat, vt condonaretur peccatum iis, à quibus occidebatur. Illud præterea, vt per aquas, quæ primæ creaturæ ſunt, denuò renaſcamini, melius eſt Græce. non enim ſunt, aut dicuntur aquæ primæ creaturæ, ſed initium generandi. hoc enim ſignificat ὕδωρ πρωτογόνον, & hoc, propoſito epiſtolæ conuenit, nempe vt per aquam, quæ generandi initium eſt, homo capiat nouum ortum, & initium creaturæ, vt beatus Iacobus de baptiſmo ait. Rurſus paulò poſt. Sed dicitis fortaſſe, quid confert aquæ baptiſmus ad Dei cultum? primò quidem, quia quod Deo placuit, impletur: ſecũdo, quia regenerato ex aquis, & Deo renato fragilitas prioris natiuitatis, quæ vobis per hominem facta eſt, amputatur. at hoc ſi quis ſubtiliter limatam veritatem

Am. c. 4.

Ioan. c. 3.

Iacob. c 1.

requirat, fortaſſe non vſquequaque verum eſſe videatur. manet enim homo adhuc poſt baptiſmum fragilis ad moriendũ, & ad peccandum. Quomodo igitur amputatur per baptiſmũ fragilitas primæ natiuitatis? præmuniẽdum ergo eſt hoc, ne quando à quopiam limatulo contra epiſtolam ſanctiſſimam, & grauiſſimã, parum religioſe tententur, tametſi à nemine hactenus, quod ſciamus, propter epiſtolæ auctoritatẽ, & in Apoſtolicũ auctorem reuerẽtiam factum eſt. Culpa igitur eſt interpretis, non enim Græce dicit fragilitatẽ primæ natiuitatis per baptiſmum amputari, ſed primam natiuitatem ex concupiſcentia. hæc enim eſt, quæ poſt baptiſmũ non manet. nam qui ex aqua, & Spiritu S. natus eſt, filius Dei efficitur. filius autem Dei non fit ille, qui natus eſt ex ſanguinibus, aut ex voluntate carnis, aut ex voluntate viri, id eſt, qui natus eſt ex concupiſcentia: ſed qui natus eſt ex Deo per baptiſmum igitur aufertur natiuitas prima ex concupiſcentia. non enim poſſunt eſſe ſimul duæ natiuitates ex concupiſcentia, & ex Deo. ſic itaque ait Clemens Græce, ἐξ ὕδατος ἀναγεννηθεὶς θεῷ τὴν ἐξ ἐπιθυμίας πρώτην σοι γενομένην ἀποτέμνῃ γένεσιν, καὶ οὕτως σωτηρίας τυχεῖν δύνῃ. Illud præterea obſeruandum eſt, in eo loco prope finem epiſtolæ huius, vbi variè legitur, cantharides, catuli, canthari, cathari, & ſi hoc extremum in exemplari vetuſto manu ſcripto reperi, & alio loco probaueram, legendum tamen eſſe canthari ex Græco exemplari didici, ſic enim eſt, τί δέ, εἰ μὴ καὶ τοῦ θεοῦ θρησκεία τὸ καθαρεύειν, ἀπέκειτο. ὑμεῖς ὡς οἱ κάνθαροι ἡδέως ἐκυλίεσθε, interpretemur nos, Quid verò? & ſi mundum non pertineret ad religionem, vos more ſcarabeorum libenter volutaremini? Hactenus de quarta epiſtola. erant alia & ſi minuta, melius quidem ab auctore Græce dicta, quam ſunt ab interprete, ſed mihi non fuit propoſitum notare niſi grauiora. trãſeamus ad quintam epiſtolã eandemque extremam, & breuem.

Variæ lectionis correctio ex exemplari Græco.

Habet hæc epiſtola decreta duo, alterum de vita communi, de qua ſatis ſuperque libro 5. ſcripſimus, quæ quidem vita communis cum non nitatur in hac epiſtola Clementis, ſed potius in Apoſtolica traditio-

ne, vnde conſuetudo communis vitæ religioſorum, & eorum clericorum, qui ex voto nihil poſſident, ad omnes eccleſias Dei manauit, nihil refert ad conuincendos hæreticos, quod eam negent Clementis eſſe. non enim opus eſt nobis obiicere eis huius epiſtolæ auctoritatem, tametſi magna ſit, & grauis in eccleſia: ſed eccleſiarum Dei cõſuetudinem eis obiicimus, quæ veritati huius epiſtolæ teſtimonium locupletiſſimum tribuit. Alterum decretum eſt de interpretandis ſcripturis ſanctis ſecundum traditionem patrum, quod quidem ita religioſe omnes eccleſiæ catholicorum tenent, & ſeruant, vt ſi quis aliter prophetet, ſiue interpretetur, conuincatur, ſicut Apoſt. ait, ab omnibus, diiudicetur ab omnibus. Cum ergo ſemper in eccleſia auditum ſit, Clementis eſſe hanc epiſtolam, ex quo tempore ipſius decretis vtitur eccleſia, neque recordẽtur homines, nec audierint aliter vnquam eam habuiſſe, ipſaque epiſtola de rebus illius ætatis, & ſæculi cum ſumma dignitate, ac ſanctitate contineat, omnis ratio poſtulat, vt ſicut alias epiſtolas ſuorum auctorũ eſſe affirmamus, & profitemur, quamuis qui teſtes ſint, vidiſſe ſe, cum ipſas illas epiſtolas ſcriberẽt, nõ habeamus, ſic quoque affirmandum, & profitendum ſit, eſſe hanc cum reliquis ſuperioribus Clementis. Illud enim de communitate vxorũ & ſi appoſitum fuiſſe ab alio, ſatis patet ex exemplaribus Vaticano, & Florentino ſancti Marci, in quibus, vt antea dixi, non hoc legitur, illa tamen adhuc coniectura magna eſt, quod pars epiſtolæ de communitate rerum ſecundum naturam ſumpta eſt à Clemente in epiſtola ex libro ſuo 10. Recognitionum: vbi hoc ipſum quoque de communitate vxorum ab iis, qui libros illos corruperunt, appoſitum eſt, & inde in epiſtolam tranſlatum. tanta fuit tamen ſemper epiſtolæ huius in eccleſia auctoritas, tanta etiam catholicorum pietas, modeſtia, ac reuerentia, vt nunquam eius fidem, ne tantillum quidem, hæc aſperſa macula imminuere potuerit. quod eſt ingens de Apoſtolico eius auctore præiudiciũ. hinc factũ eſt, vt qui non habebant coniecturam, quam nos habẽmus, vnde hoc affictum eſſe iudicarent, in eo vtcunq;

Decretũ de modo interpretandi ſacram ſcripturam.

pie interpretando aliquando laborare maluerint, quã ad reiiciendum tanquam alienum parati eſſe. Hactenus de Clementis epiſtolis. agrediamur ad epiſtolas Anacleti.

Epiſtolas Anacleti latinè ſcriptas fuiſſe.

Ac primum quidem ſcriptas eſſe latine epiſtolas Anacleti. præterquam quod de ſtilo ipſo nuſquã Græcũ olente coniectura fieri poteſt ab iis, qui in ſtudio linguæ Græcæ mediocres progreſſus fecerũt, ipſe auctor plane indicat, cum vocabulum Apoſtatæ, quod Græcũ eſt, latine interpretatur, Transgreſſores enim (inquit) ſponte legis ſuæ, eiuſque violatores, apoſtatæ nominãtur. verbum, quod ſciebat, non eſſe latinum, quid latine declararet, interpretatus eſt. Deinde, quod maius adhuc argumentum eſt, Ciceronem citat, cum verba eius citat, vt Paulus Epimenidem, ſiue Callimachum, & Menandrum, atque Aratum citat, quia eorũ verſus citat. Quid dulcius (inquit) quam habere, cum quo omnia poſſis loqui, vt tecum. Hæc in Lælio Tullius, quem ſi hic non citat Anacletus, neque Menandrum citat Paulus, vt veteres annotarunt, cum ait, corrumpũt bonos mores colloquia praua. ſermone autem vulgi inculto, & impolito, vtendum illi fuit, vt facilius ab omnibus intelligerentur, quæ omnibus eccleſiis communiter tradebantur: & noua verba interdum nouis rebus inuenienda, quæ Magd. portenta verborum vocant. quæ propter eandem cauſam pater eloquẽtiæ, & princeps ac magiſter latinitatis non horruit, vt Hieronymus in epiſt. ad Galat. teſtatur. itaque ij, inquit, qui diſertos ſæculi legere conſueuerunt, ſi cœperint nobis de nouitate, & vilitate ſermonis illudere, mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæſtionibus Philoſophiæ prænotantur: vt videant, quanta ibi neceſſitate compulſus ſit tanta verborum portenta proferre, quæ nunquam latini hominis auris audiuit: & hoc cum de Græco, quæ lingua vicina eſt, transferret in noſtrã. huiuſmodi ſermo tunc vulgaris, de triuio ſumptus, quali Anacletus vtitur, placuit quoque illis temporibus in interpretatione latina noui teſtamenti, qua vtebantur, quæ antiquior eſt Anacleto. eſſe autem hãc epiſtolam Anacleti, & ſi inelegans ſit, quod Magd. viri elegantes

1. Cor. 15.

De ſermone inculto in epiſtolis Anacleti.

pati nolunt, præter teſtes, & famam veterẽ, & memoriam omnium ſeculorum, de quibus paulò ante abũde dictum eſt, decreta, quæ in ea ipſa ſunt, teſtantur: ſunt enim & de rebus, illis temporibus, maximè neceſſariis & ex ipſa ratione rectæ gubernationis eccleſiarum à ſanctis Apoſtolis à principio inſtitutæ, ac traditæ nata. vt decretum de non admittendis accuſatoribus & teſtibus apoſtatis, id eſt, qui à fide, vel religione defecerunt: vel regulariter inquit, prohibita neglexerunt, qui ſponte ſunt ſuæ legis tranſgreſſores. Nihil enim illo ſæculo magis neceſſarium erat, quàm cauere, ne ad pericula, & inſidias, & accuſationes Gentilium, licẽtia accuſandi innocentes fratres, & bonos epiſcopos, & dicendi cõtra eos teſtimoniũ licentia permiſſa eſſet falſis fratribus quales ſunt, quos hic pont. notat. hi enim ſunt, quorum teſtimonio propria vitæ, & religionis, eorum inconſtantia omnem fidem derogat. quàm frequens ergo eſt in his epiſtolis pontificũ, decreti huius repetitio de legitimis, & idoneis teſtibus in alios fratres, tam frequens veſtigium eſt illius ſæculi, in quo Chriſtianũ eſſe tam periculoſum erat, ac multo magis præeſſe Chriſtianis, vt niſi à falſorum fratrum accuſatione, & teſtimonio, innocentia fratrum tuta fuiſſet, offendiculum, ſicut Apoſt. ait, euangelio Chriſti datum eſſet: ſiquidem plurimos hic metus à fide profitenda deterruiſſet, ac multo etiam magis à cura paſtorali ſuſcipienda, in qua plus diſcriminis erat. Aliud præterea indicium illius ſæculi, & Apoſtolicæ diſciplinæ ex hoc decreto redolet, quòd Paulus poſtquam Timotheo præcepit, vt presbyteri accuſationem non reciperet niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus, quia ſæpe numero cõtingit, vt eſt in Apoſtolica conſt. de teſtibus probandis lib. 2. Clem de Conſt. Apoſt. duos, aut tres conſpirare ad accuſandum, aut ad dicendum falſum teſtimonium, vt in Suſannam, in Nabot, in Chriſtum *Dan. 13.* Dominum, in Stephanum protomartyrem, idcirco *3. Reg. 21.* ſubiunxit admonens eum de huiuſmodi Apoſtolica traditione, in non admittendis teſtibus non probatis, teſtor corã Deo, & Chriſto eius Ieſu, & electis angelis eius, vt cuſtodias hæc ſine præiudicio, nihil faciens in

Decretum de accuſatoribus, & teſtibus reiiciendis.

alterutram partem declinãdo. Deinde ex verbis ipſius decreti licet quoque illud ſæculum, & Apoſtolicã traditionem odorari. Accuſandi, inquit, vel teſtificandi licentia denegetur illis, qui chriſtianæ religionis & nominis dignitatem, & ſuæ legis, vel ſui propoſiti normam, aut regulariter prohibita neglexerunt. Deinde ſubiungit, tranſgreſſores enim ſpõte legis ſuæ, vel violatores apoſtatæ nominãtur. Omnis enim apoſtata refutãdus eſt ante reuerſionẽ ſuã nõ in accuſatione rectè agentiũ, aut teſtimonio recipiendus. Hactenus decretum. in quo apoſtatas vocat eos, qui defecerunt vel à fide Chriſti, vt hæretici, vel à norma ſui propoſiti, hanc nos religionem vulgò vocamus, vel à vita Chriſtiana, à qua ille deficit, qui regulariter prohibita negligit, id eſt, qui mandata vitæ chriſtianæ non ſeruat. eodẽ nomine apoſtatæ vſque in hodiernũ diem eos, quia fide defecerunt, appellamus. Sicut Paulus quoque in epiſt. ad Heb. appellat, cum aït, videte fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor malũ ἀπιστίας, id eſt, incredulitatis, diſcedẽdi, ſiue vt verbo Græco pro latino vtar, apoſtatandi à Deo viuo. eos verò, qui à vita chriſtiana diſceſſerunt, id eſt, eos, quos turpem vitam, & in peccatis viuere ſcimus, & ſi apoſtatas, quia eſt grauius verbũ, nõ vocamus, vocarũt tamẽ Apoſtolici patres, vt Anacletus hic, & preter eum, vt in ore duorum, vel triũ ſtet omne verbum, Dionyſius Areop. is enim deſcribens in Eccl. Hierarch. c. de Communione eos, qui ſecundum Apoſtolicam traditionem, & conſuetudinem omniũ eccleſiarum ad ſacram Communionẽ non admittũtur, poſt Cathecumenos, eos numerat. qui turpiter viuunt, & voluptates vitæ huius æternis bonis anteponunt, quos vocat, θεοειδοῦς ἀποστάντας ζωῆς .i. qui à vita Chriſtiana apoſtatarunt. hanc enim vocat θεοειδῆ, quod nos Deo ſimiles efficiat. Huius modi igitur apoſtatas, quos manifeſtum eſt velle manere in peccato ad mortem, vt beatus Ioannes vocat, quia nolunt reuerti, vnde diſceſſerunt, ait Anacletus eſſe tranſgreſſores ſponte ſuæ legis, eiuſq; violatores, imitatus Apoſtolum, qui de ſimilibus loquens in epiſt. ad Hebr. vocat eos voluntarie peccantes, cuiuſmodi ſunt excommunicati, qui-

Qui dicantur apoſtatæ.

Ioan.5.

bus idem Apoſtolus ibidem ait, non relinqui hoſtiam pro peccatis:pro excommunicatis enim ſecundũ apoſtolicam traditionem,& Pauli Apoſtoli ſcripturam, & omnium eccleſiarum conſuetudinem ex illa traditione ortam,non offertur in eccleſia Dei Ex hac igitur Apoſtolica traditione non recipiendi ad accuſationem & ad teſtimonium hoc triplex genus Apoſtatarum, quia hi ſunt excommunicandi, quæ traditio hoc decreto Anacleti,& aliorum pontificum Apoſtolicorum conſignata eſt, nata eſt conſuetudo, quam omnes eccleſiæ Dei habent, non admittendi excommunicatos, nec excommunicandos ad accuſandum, aut ad dicendum teſtimonium, quia vt ait S. Anaclet. huiuſmodi apoſtatæ vtpote duplices animo, vt ait beatus Iacobus, inconſtantes ſunt, in omnibus viis ſuis. Iam illa,quæ paulò poſt in epiſtola dixit, vt eos, qui perſecutionem patiebantur,exemplo ſuæ perſecutionis cõſolaretur, ego autem labefactatam nõ ſolum quietem meam,ſed & ſalutem, inimicorum valetudine, & rumorum procellis agnoſco,potens eſt diuinitas imméſa, tempeſtatis incerta bono ſerenitatis amouere, an non conueniunt in illud ſæculum? aut non congruũt Anacleto, qui ſub Traiano Chriſtianorũ perſecutore & hæc ſcripſit,& martyrium ſuſtinuit?Aliud decretum epiſtolæ huius eſt,vt epiſcopi in locis Deo conſecratis ſacrificent,& vt plures epiſcopo,cum ſacrificat, aſſiſtãt diaconi, quam ſacerdoti ita vt ſolemnioribus diebus ſacris induti veſtimentis 7.aut 5.aut 3 aſſiſtant presbyteri quidem ad dextram,& leuam:diaconi verò,& hypodiaconi à fronte,& à tergo.& vt cuſtodiant inquit, epiſcopum à maleuolis hominibus:& teſtes ſint ſacrificare epiſcopum ritè, & in loco ſacro. Hactenus decretum.ratio quidem numeri 7.aut 5.aut 3.hæc eſt,aut enim ſunt duo,qui vtrumque latus cuſtodiant, & duo item à tergo,& duo à fronte,& vnus diaconus,qui diſcurrat miniſtrandi cauſa,vt neceſſe eſt, qui ſunt 7. aut duo ad dextram & ſiniſtram, & vnus à tergo, & item vnus à frõte,& quintus,qui diſcurrat: aut duo presbyteri vtrinq;, & vnus diaconus ad diſcurrẽdũ.eos verò, qui in has epiſtolas pontificum Apoſt. obiiciunt, non

Decretum de numero miniſtrorum,quos epiſcopo ſacrificanti aſsiſtere oportebat.

agi in eis de rebus illorum temporum, rogemus hic, vtrum cuſtodiri epiſcopum ſacra facientem, illorum temporum eſſet, cùm perſecutio Chriſtianorum feruebat, cum inſidiæ vbique? ex hoc ergo decreto plane illud ſæculum redolet. cuius decreti veſtigia quædam in eccleſiis catholicorum adhuc remanent Duo enim aſſiſtunt diaconi feſtis ſolemnioribus ſacerdoti ſacrificãti præter alios miniſtros minores, non iam vt ſacrificãtem defendant, & protegant, ſed maioris honoris, ac reuerentiæ cauſa. erat itaq; illa tunc conſtitutio ſimilior admonitioni, ac ſuaſioni quam legi, cuiuſmodi multa à bonis, & peritis legiſlatoribus, vt alio loco admonui, ſtatui ſolent. Præterea illud decretum, quod ſequitur, vt peracta conſecratione, omnes communicẽt, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus, teſtis quoque eſt ætatis huius epiſtolæ: eſt enim ſentẽtia canonis 8. Apoſtolorum, qui iubet, vt epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, aut denique clericus, qui peracta oblatione, non communicauerit, & cauſam, cur non communicet, nõ dixerit, vt ſi probabilis ſit, ei ignoſcatur, excommunicetur. quia nocuit, inquit, populo, & ſuſpicionem in eum, qui obtulit, mouit. hactenus canon. illis igitur miniſtris omnibus eccleſiæ iuxta canonis huius ſententiam iubet Anacletus hoc decreto cõmunicare, peracta conſecratione, quos voluit tanquã teſtes eſſe, & comprobatores ſacrificij eius, cui aſſiſtũt, ſic quoque Igmarus archiepiſcopus Rhemenſis hoc Anacleti decretum intellexit, & interpretatus eſt, vt libro primo iterum memini. Erat autem illo ſæculo hęc lex neceſſaria, quod eo minus erant tunc nota loca ſacra, quominus tutum erat ea frequentare propter inimicos noſtræ religionis, qui omnia tenebant, inter quos magno periculo habitare, & verſari neceſſe erat: & eo item minus noti epiſcopi, & preſbyteri, quo magis eis, quàm cæteris chriſtianis inſidiabantur, & quo periculoſius erat cognoſci, & denotari poſſe: quamobrem & cuſtodibus, & teſtibus opus erat. tunc autem teſtimonium dabatur, ſacrificari, cum preſbyteri, & diaconi, qui aſſiſtebant, communicabant. nunc verò, cum hæc neceſſitas, quæ cauſam legi dedit, ſublata

Decretum de miniſtris altaris peracta conſecratione communicaturis.

ſit, abiit lex, & decretum in admonitionem, & ſuaſionem. itaque cum hoc tempore diebus ſolemnioribus diaconi, ac ſubdiaconi ſacris veſtibus induti, gratia potius maioris honoris, quam teſtimonij ſacerdoti ſacrificanti aſſiſtant, liberum eſt eis cōmunicare, aut nō cōmunicare niſi aliqua conſuetudo obſtet, vt fortaſſis in aliquibus eccleſiis religioſorū. an igitur ratio tunc, cū hæc epiſtola ſcripta eſt, neceſſaria communicandi, quæ explicata iam eſt non eſt indicium, eſſe hanc epiſtolam auctoris illius tēporis, id eſt, Anacleti? Videamus aliud decretum epiſtolæ huius, illud ſcilicet de cauſis ſæcularibus à laicis præſente epiſcopo iudicandis. ſic enim ait pars decreti de iudiciis, Si verò fuerit ſæculare negotiū, apud eiuſdē ordinis viros, id eſt, apud ſæculares, iudicio tamen epiſcoporū cum Apoſtolus priuatorum Chriſtianorum cauſas magis eccleſiis deferri, & ibidē iudicio ſacerdotali terminari voluerit, hactenus decretum. ſi indicia ætatis, ac ſæculi, quo hæc epiſtola ſcripta fuit, quærimus, vt Anacleti eſſe, cuius eſſe fertur, plane appareat, Quis non videt decretum hoc non potuiſſe in aliud tempus aptius cadere, quam in tempus Apoſtolorum, & eorum, qui eos proximè ſecuti ſunt? Quod enim Apoſtolus in epiſt. ad Cor. tunc ſtatuit, id ipſum & ob eandē cauſam Anacletus hic ſtatuit. nēpe vt apud infideles ne litigarent Chriſtiani, quin potius, ſi controuerſia eſſet non eccleſiaſtica, ſed ſæcularis, decreuit Anacletus, vt à ſæcularibus, præſente tamen epiſcopo, diiudicaretur: alioqui quomodo, aut à quo, qui parere nollent, ad parendum ſententiæ iudicum, cogerentur, niſi epiſcopus, qui excommunicare poterat, adeſſet? alia. n. poteſtate gladij, quā vocant, chriſtiani tūc vti non poterāt. idē ſanxit Alex. 1. 11. q. 1. c. Relatum. Vbi iudices, apud quos accuſari ſacerdotes vetat, iudices publicos vocat, qui erant Gentiles. Quod quidem qui non intellexerunt, vt hoc obiter obſeruandum ſit, dixerunt, valuiſſe hoc ſecundum primum illum ſtatum eccleſiæ, ſcilicet vt cauſæ ſęculares ad eccleſiaſticos deferrentur. imò verò cauſas ſæculares à ſæcularibus in eccleſia cognoſci, & iudicari voluit Apoſtolus, & non à Gentilibus, epiſcopo tamen, aut qui epiſcopi au-

Decretum de cauſis ſæcularibus à laicis præſente epiſcopo in eccleſia iudicandis.

Queſnam publicos iudices in decreto ſuo Alexan. 1. vocauerit.

ctoritatem, haberet, præſente, vt neceſſe erat ob eam cauſam, quam dixi. Hæc eſt ergo decreti Anacleti ſententia, quam auctoritate apoſtoli idem Anacletus confirmauit, ac ſanciuit. quæ vel ſola clarum indicium eſt, & certum veſtigium illius ſæculi, & epiſtolæ huius Anacleti auctoris apoſtolici. Hactenus de decretis epiſtolæ primæ Anacl. & de ſignis, quæ in eis illius ætatis, & auctoris clarè apparent. Reliquum eſt, vt occurramus ei, cui fortaſſe ſuſpicionem epiſtolæ fictæ illa loci Clementis de comparatione eccleſiæ cum naui citatio ex interpretatione Rufini mouere poſſit. Eiſdem enim verbis totus ille locus epiſtolæ Clementis in hanc epiſtolã Anacleti tranſcriptus eſt, vt alter locus eiuſdem epiſtolæ Clem. ſimiliter eiſdem ipſis verbis in epiſtolã tertiam Anacleti item tranſcriptus. Quid igitur reſpõdendum eſt? etenim ſi Rufini interpretatio eſt, non eſt hæc epiſt. Anacleti. Si verò Anacleti eſt, vt quidem eſt, & à nobis pluribus coniecturis, indiciis, & argumentis probatũ, interpretatio epiſtolæ Clementis è græco nõ eſt Rufini, cuius eſſe fertur. niſi quis dicat tranſcripſiſſẽ Ruffinum hanc particulã ex epiſtola Anacleti in ſuam tranſlationẽ, quod quidem neque veriſimile eſt, neque ab interpretibus fieri ſolet. Ergo quãuis Magd. nõ hoc in epiſtolã Anacleti obiecerunt, quia hactenus nõ aduerterunt, quod diuino conſilio factũ eſſe credo, ſcilicet ne in ſuſcepta, propoſitáque ſentẽtia negandi, has epiſtolas obſtinatiores efficerẽtur, nos tamen quia veritatem, quæ nullas amat latebras, nec vlla argumenta metuit, defendimus ἐκ περιουσίας ad illa etiam, quæ Cẽturiatores non obiecerunt, ne quãdo fortaſſis obiiciãtur, libenter reſpondemus. Epiſtola ergo Clemẽtis ad Iacobum fratrem Domini iam olim ante Rufinum è Græco tranſlata erat. Etenim ſi teſtibus credendũ eſt, plures teſtes ſunt, & grauiores, & antiquiores eſſe hãc epiſtolam Anacleti, in quã tota illius loci epiſtolę Clementi interpretatio latina tranſcripta eſt, quam ſint teſtes, eſſe illã interpretationẽ Rufini. imò nemo, quod ſciã, ex antiquis hoc teſtatur. quin potius Gennadius, qui de aliis eius interpretationibus meminit, teſtis eſt, nõ eſſe à Ruffino tranſlatam, poſtquam enim enume-

De locis epiſtolæ primæ Clementis recitatis in epiſtolis Anacleti ex interpretatione eiuſdẽ epiſtolæ Clementis.

De interprete epiſtolæ primæ Clementis.

ſauit, quæcunque Ruffinus è Græco in latinum cõuerterat, Baſilium. Greg. Naz. Clementis Romani Recognitiones, Xiſti ſententias, Euagrij item ſententias, librum Pamphili martyris contra mathematicos, ſubiungit, Horũ omnium quæcunque præmiſſis prologis à latinis leguntur, à Ruffino interpretata ſunt: quæ autem ſine prologo, ab aliquo trãſlata ſunt, qui prologũ facere noluit. Origenis non omnia tranſtulit, quæ ſuo prologo diſcernuntur. Hactenus Gennad. cum igitur hæc epiſtola, quæ olim ante recognitiones tranſlata, & ædita erat, ipſo etiã Ruffino teſte, prologũ Ruffini non habeat, cõſequens eſt, vt teſtimonio Gennadij non ſit Ruffini interpretatio, ſed alterius. nec enim dici poteſt propter breuitatẽ epiſtolæ non ſcripſiſſe prologũ, cum ſit epiſtola lõga, & prolixa, & cum teſtetur Gennadius ſcripſiſſe prologum in ſentẽtiis Euagrij, quæ ſunt perbreues: præſertim cũ eſſet Ruffino propoſitũ, interpretationes ſuas ab aliorũ vſurpatione prologis defendere. Deinde quod potiſſimũ eſt, ipſe idẽ Rufinus videtur plane teſtis eſſe in prologo Recognitionũ, nõ eſſe ſuã interpretationem. recitemus locũ, ſic enim ait, epiſtolã ſane, in qua idem Clemẽs ad Iacobum fratrẽ Domini ſcribens de obitu nuncians Petri, & quod ſe reliquerit ſucceſſorem cathedræ & doctrinæ ſuæ, in qua etiã de omni ordine eccleſiaſtico continetur, ideo nunc huic operi nõ præmiſi, quia & tẽpore poſterior eſt, & olim interpretata, atque ædita. ſic enim legendum eſt. nam ſi olim epiſtolã Clemẽtis interpretatus erat, & ædiderat, quæ erat alioqui libris Recognitionũ prępoſita, cur illam nõ præmiſit operi Recognitionũ, quod ipſe interpretatus erat, & cui præpoſita fuerat ab auctore, vt Photius quoq; in bibliotheca ſua teſtatur? Quæ enim cauſa erat non prẹmittendi illam huic operi, quia à ſe olim interpretata & ædita erat? imò vero ob hãc ipſam cauſam, id eſt, quia ipſe olim interpretatus erat, & ædiderat, præmittere illã huic operi, cui debebatur, oportebat: vt interpretatio ſui auctoris & in opere, & in epiſtola ipſi operi à Clemente præpoſita, integra agnoſceretur. Quamobrem, ſi vbi teſtes deſunt coniectura, & argumentis iudicandum eſt, & ſequendum,

quod eſt rationi conſentaneum, ſic potius ſentiẽdum eſt. Quia olim tranſlata, & ædita erat epiſtola. Rufinus vir modeſtus neque alienum laborem attribuere ſibi voluit: nec ipſe denuo transferre, ne cum priore interprete certare videretur, quod à noſtris ſæpe fieri ſolet. Eſſe itaque appoſitum illud, à me, vbi erat ſolum, olim interpretata, & ædita, omnis ratio probabilitatis conuincit. Sic ergo, vt paulò ante dixi, legendum eſt. ideo nunc huic operi non præmiſi, quia & tempore poſterior eſt (hoc enim dixit, quia quæ in libris ipſis Recognitionum ſcripta ſunt à Clemente, prius geſta ſunt, quam Petrus Clementem ordinaret, & illum in ordinatione eius ſermonem, qui in epiſtola eſt, haberet) & quia olim interpretata, & ædita. Si quis verò quærendum putet, vnde factum fuerit, vt attributa ſit Rufino interpretatio iſta epiſtolæ, ego hanc fuiſſe exiſtimo, quod ferebatur vulgo illa ipſa epiſtola ſine nomine interpretis, vt ex reliquis epiſtolis, excepta tertia, cõiecturam facio, raro enim initio eccleſiæ, qui è Græco transferebant, nomen interpretis inſcribebant tum propter modeſtiam, tum etiam, quia parum negotij videbatur, & indignum inſcriptione nominis, eadem eiſdem verbis conuerſa dicere, præſertim cum nullam elegantiam adhiberent. ſic videmus factum eſſe in interpretatione noui teſtamenti, à quo enim ſit facta, ignoratur: licet à quo ſit correcta poſtea, ſciamus. Sic interpretationes epiſtolarum Ignatij, Et multo poſt librorum Irenæi, ac poſterius adhuc Heſychij in Leuiticum, & ſi qui alij ſunt ex antiquis, non ferunt inſcripta nomina interpretum. Quare cum opus Recognitionũ Clemẽtis à Ruffino tranſlatũ eſſet, fuiſſetque epiſtola hæc ipſi operi præpoſita, facilè fuit interpretationẽ epiſtolæ, quæ ſine nomine interpretis ferebatur, Rufino interpreti Recognitionum per errorẽ opinionis aſſignare. præſertim cum ipſe idẽ Rufinus in prologo Recognitionem affirmaret, olim ante interpretationem Recognitionum interpretatam, & æditam fuiſſe, quod ita quidam accipiſſe videntur, quaſi diceret Rufinus, à ſe interpretatam, & æditam, quod minimè dixit: vnde iſti ſecundum ſenſum ſuum illud, à me, adſcripſerunt.

Quod vero tertia epiſtola Clementis nomen Rufini interpretis inſcriptum habet, factum eſt, vt opinor, ſiue quia Rufinus eam epiſtolam primus interpretatus eſt, vtpote cuius magna pars ex libro 5. Recognitionũ ſit: ſiue quia alius interpres fuit, qui cum interpretationem eius partis, quæ ex 5. libro Recognitionum eſt, vt dixi, ex illo ipſo libro 5. mutuatus eſſet, totius epiſtolę interpretationem Rufino Recognitionum interpreti inſcripſit. libentius enim veteres illi laudem laboris, & induſtriæ ſuæ aliis tribuebant, quam vt alieni ſtudij, & operis gloriam ſibi vindicarent. Quinta vero epiſtola Clementis & ſi aliquantulum interpretationis Rufini ex libro 10. Recognitionũ in eam tranſcriptum eſt, quia id paululum eſt, non habet Rufini nomẽ inſcriptum: imò ſine nomine interpretis fertur. idem factum eſt in epiſt. 4. etſi enim fere tota epiſtola ex lib. 6. Recognitionum ſit, tamen quia non eſt ille 6. liber cum reliquis ex æditione Recognitionum, quas Rufinus interpretatus eſt, gemina enim æditio, vt antea dixi, ferebatur, quod ipſe idem Ruf. teſtatur, idcirco huius epiſtolæ quartæ non eſt aſſignata Rufino, imò nullius interpretis nomen inſcriptum habet. Hactenus de epiſtola prima Anacl. notemus decreta ſecundæ.

In decretis etiam epiſtolæ ſecundæ notæ ſunt, & argumenta illius ſæculi, quo ſcripta eſt, & auctoris Anacleti. in cuius principio nequis hereat propter vitium librarij, ſic eſt in exemplaribus manu ſcriptis, Nam licet eccleſiæ, in qua ſanctus Apoſtolus reſidens docuit, quodammodo nos gubernacula teneamus, tamẽ profitemur, & quæ ſequuntur. inueſtigemus ergo ex decretis epiſtolæ huius, quo ſæculo ædita ſit. Ordinationes, inquit, epiſcoporum auctoritate Apoſtolica ab omnibus, qui in eadem fuerint prouincia, epiſcopis ſunt celebrandæ, qui ſimul conuenientes ſcrutinium diligenter agant, ieiuniumque cum omnibus precibus celebrent, & manus cum ſanctis euangeliis, quæ prædicaturi ſunt imponentes, Dominica die, hora tertia orãtes, ſacraque vnctione exemplo prophetarum, & regũ capita eorum more Apoſtolorum, & Moiſis vngentes, quia omnis ſanctificatio conſtat in ſpiritu ſancto cuius

Decretum de ordinatione epiſcoporum.

virtus inuiſibilis ſancto Chriſmate eſt promulgata. Hactenus decretum. Si hic ritus Apoſtolicus epiſcopos ordinandi eſt in conſuetudine omnium eccleſiarum,& conſuetudo, quam omnes eccleſiæ habent, vt dixi ſæpe,& ſæpius inculcandum eſt,non aliunde,quá à primis eccleſiarum magiſtris,& legiſlatoribus profecta eſt,quid magis abſonum,& à ratione auerſum eſſe poteſt,quam veritatem rei geſtæ confiteri,& conſignationem litterarum negare? Quid rurſus rationi conuenientius, quam fidem ſcripto adhibere, cum res geſta cum ſcripto conuenit? Quare ſi ex facto,& ex tempore coniectura capienda eſt, cum hic ritus ordinationis epiſcoporum res ſit illius ætatis ac ſæculi qua fuit Anacletus,vt non ſolum conſuetudo,vt dixi, eccleſiarum, quæ non ab alio,quàm ab Apoſtolis inſtituta,& tradita eſſe poteſt, ſed Clemens quoque libro 8. de Conſtitutionibus Apoſt.c.4.& Dionyſ.Areop.in eccleſ.hier.c.5. de ſacris ordinationibus teſtes ſunt, cur dubitabimus, quin hæc epiſtola, ex cuius decreto de ordinationibus illud ſæculum olet, Anacleti ſit? Quod enim Clemens Dionyſius,& Anacletus non ex æquo, ac totidem cerimoniis hanc legem, ac ritum ordinandi epiſcopos deſcribant,fidem hoc potius Apoſtolicæ inſtitutionis auget.tantum abeſt,vt minuat.ita enim fit, vt quominus ad idem dicendum conſpiraſſe videntur, eo verior eorum ſermo appareat: ſicuti in euangeliſtis factum eſt, tametſi impar ſit epiſtolæ huius auctoritas.itaque quatenus cuique horum ſufficere viſum eſt, eatenus de ritu ordinationis ſcripſit. Dionyſius de impoſitione manuum,& libri euangeliorum ſuper caput eius, qui ordinatur,meminit,& de precibus cóſecratoriis,quas vocat ἐπικλήσεις ἱερατικάς: Clemens de numero ordinantiũ epiſcopum,& de impoſitione libri euangeliorum,& de die ordinationis Dominico,tum de ſcrutinio, & aſſenſu populi,licet in epiſt.tertia de vnctione quoque epiſcopi meminit: Anacletus de impoſitione manuum, & euangeliorum,item de die Dominico,hora 3.ac de numero ordinantium,de ſcrutio, & aliorum aſſenſu epiſcoporum, tum etiã de vnctione capitis ex chriſmate. Quæ verò ex his plane neceſſaria ſint,& quæ nõ,ſi ad-

hiberi non poſſint, non eſt hic locus diſſerendi. Sed cũ Anaclet. teſtetur in hac epiſt. ſe hunc ritum epiſc. ordinandi à B. Petro accepiſſe, quomodo Cẽturiatores Lutherani, eſſe eã epiſt. Anac. atteſtari poterãt, niſi ſe ſimul ſententia ſua condemnaſſent? qui cum nullos epiſc habeãt, nullas miniſtrorũ ordinationes canonic. & eccleſiaſtic. habere poſſunt. Verũ de decreto ipſo ordinationis epiſcop. nihil hic amplius dicã, tum quia non opus eſt, nec ratio propoſiti plus exigit: tum quia lib. 2. quod de impoſitione libri ſuper caput epiſc. in ordinatione eius Magd. accuſabant, abunde, vt opinor defendimus. illud autẽ hic obiter aduertendum eſt, in exemplaribus manu ſcriptis de chriſmate, quo caput vngitur in ordinatione epiſc. non ſic legi, vt in vulgatis exemplaribus, Omnis ſanctificatio cõſtat in Spiritu S. cuius virtus inuiſibilis ſancto chriſmate eſt permiſta: ſed ſic, cuius virtus inuiſibilis ſancto chriſmate eſt promulgata. quo verbo promulgãdi ſatis declaraſſe pont. videtur, vt hoc quoq; obſeruemus, nõ ſigna tantũ eſſe ſacramenta, ſed cauſam quoq; gratiæ. nulla enim res per aliã, quę nihil operetur, promulgatur. Quare, ſi chriſma ſignũ tãtum eſſet gratiæ, & non ſimul cauſa, nõ recte diceretur gratia, chriſmate promulgari. Vt cum princeps per miniſtrum ſuũ aliquid promulgat, fieri non poteſt, quin miniſter ad id, quod opera ſua promulgatur, miniſterium ſuum, aliquid operando, adiungat. eadẽ enim ratio eſt miniſterij, & inſtrumenti. Redeo ad ordinationẽ epiſc. quam idem Anacletus non minus quàm à tribus fieri debere, à B. Petro ſe ait didiciſſe, quod quidem cum ita eſſe, canon quoque primus Apoſt. à Clemẽte Romano deſcriptus, qui idem iubet, atteſtetur, quomodo licebit dubitare, quin hoc Anacletus ſcripſerit? Deinde quod ait, Iacobum epiſcopum Hieroſoly. à beato Petro, Iacobo, & Ioanne ordinatum eſſe, vt ſcilicet non ſolum canone, ſed exemplo etiam huiuſmodi ritus ordinationis epiſc. à ſanctis Apoſt. ſanciretur, cum hanc Iacobi epiſcopi Hieroſ. ordinationem à tribus iſtis Apoſtolis factam, qui memoriæ prodiderit, nullum ante Anacletum ſciamus, & qui hoc deinceps meminerunt, vt Euſeb. lib. 2. hiſtor. eccl. & alij, omnes ab illo accepe-

Lectio ex vetuſto codice manuſcripto.

Decretum de ordinatione ſacerdotum & diaconorum.

rint, quomodo fiet veriſimile, non hoc Anacletum ſcripſiſſe, quod in hac epiſtola, in qua nomen eius inſcriptum eſt, legimus, ſed alium potius, quem neſcimus, & cuius nomen ignoramus? De ordinatione verò aliorum ſacerdotum, & diaconorum, vt à proprio fiat epiſcopo, & vt ieiunantes, aſſentiente populo, & reliquis ſacerdotibus, ordinentur, omnes etiam eccleſiæ dei teſtes ſunt huius Apoſtolicæ traditionis: non enim conſuetudinē habent, vt ordinarie, extra quatuor tempora Ieiuniorum, aut populo contra dicente, aut aliis ſacerdotibus repugnantibus, vllus ſacerdos, aut diaconus ordinetur. Aliud decretum eſt, vt accuſatio epiſcoporum non niſi ab idoneis, ac probatiſſimis viris, qui & ſuſpicionibus, & ſceleribus careant, fieri debeat, ex eo quoque quod toties hic pont. in epiſtolis ſuis 3. cauet de non facile accuſandis epiſcopis, & de teſtibus, quales eſſe oporteat, olfacere poſſumus, illo ſæculo ſcriptas fuiſſe, cum perſecutio in Chriſtianos incenſa, ardebat. cum enim maius periculum epiſcopis, quam cæteris chriſtianis tunc impenderet, ſi, vt antea dixi, ad illas perſecutiones, & illud maius diſcrimen epiſcoporum, audacia, & temeritas eos inique accuſandi acceſſiſſet, vix vllus, qui paſtor eſſe vellet, repertus fuiſſet. ob eandem cauſam, vt iterum dicam, iuſſit apoſt. Timotheo, ne accuſationem aduerſus presbyterum, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus, ſuſciperet. cum enim presbyterum dixit, epiſcopū quoque intelligi voluit: Metropolitanus enim erat Timoth. & epiſcopos in diœceſi Epheſina habebat. debere autem eſſe viros bonos, & omni ſuſpicione carentes, vt hic iubet Anacletus admonuit eundem Timotheum Paulus, cum ſtatim & quidem interpoſita Dei, & Chriſti, atque angelorum eius teſtificatione, monuit, vt in ſuſcipienda accuſatione, & admittendis teſtibus nihil temere fieret. hoc enim ſignificat, vt ſæpe alias dixi, πρόκριμα, quod interpres vertit, præiudicium. temere autem fit, cum is, qui ſuſpicione non vacat, in alium teſtis accedit. in eo autem quod ad defenſionem quoque epiſcoporum pertinēs, idem Anacletus in hac epiſtola paulò poſt ſcribit ſtatuiſſe Apoſtolos, vt ſi quis aduerſus epiſcopos, aut eorum eccleſias commotus eſ-

ſer. aut cauſas haberet, prius ad eos recurreret charitatis ſtudio, vt familiari colloquio ſanarent, quæ ſananda eſſent: & charitatiue emendarent, quæ emendanda agnoſcerent, docui libro primo, quemadmodum non verba, ſed ſententiam Canonis Apoſtolorum 71. citauerit, id quod in aliis quoque locis facit. quod genus citandi ſanctis Apoſtolis vſitatum, indicium quoque eſt eius eſſe hanc epiſtolam, qui hoc ab Apoſtolis didicit. Quod vero quædam in his epiſtolis Anacletus ſæpius repetit, ne quis hoc ab auctoritate antiqui ſcriptoris alienum eſſe putet, ipſe idem Anacletus excuſat Apoſtolum imitatus, cum ait in epiſtola ad Philipp. eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum: vobis autem neceſſarium. ſimiliter Anacletus, quædam autem, inquit, ex his iã aliis fratribus ſcripſimus, quæ toties ſunt replicanda, quoties fuerint neceſſaria. Igitur ſi aliquando neceſſe eſt eadem ab eodem repeti, cur non erit aliquando neceſſe, vt eadem repetant diuerſi? Hinc enim factum eſt, vt de non accuſandis epiſcopis, & de teſtibus idoneis, & probatis in eos, & de appellationibus ad pont toties ab eiſdem, & à diuerſis pontificibus decreta in eorum epiſtolis repetantur. id quod Magd. in ipſas illas eorum epiſtolas, nulla neq; neceſſitatis, nec vtilitatis cauſa, aut ratione conſiderata, temere, obiiciendum eſſe putauerunt. imo vt mihi quoque à quorundam auribus, vel faſtidioſis, vel nimis delicatis caueam, cui neceſſe quoque fuit eadem ſæpius in his libris repetere, ſi in canticis ſpiritualibus, & hymnis, ac pſalmis crebras eiuſdem verſiculi repetitiones non faſtidioſe audimus, cur non idem in diſputatione ferendum ſit, vt eadem, cum opportunum, & neceſſarium eſt, ſæpius dicantur? quale eſt illud, nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia Dei, quod mihi cũ contentioſis diſputanti, & veſtigia vetuſtę originis harum epiſtolarum ex eccleſiaſtica & Apoſtolica conſuetudine decretorum, quæ in eis ſunt, indaganti, ad iſtos ſententia Pauli conuincendos millies inculcãdum fuit. Deinde quod in decreto de electione epiſcoporum nõ ſolum verbis Apoſtoli ex epiſt. ad Tim. quales ſint eligendi, præcipit, ſed ex interpretatione quoque nominis

De frequenti eorundem decretorum repetitione in epiſt. pontificũ Apoſt.

preſbyteri, quod ſenem ſignificat, argumentum ducit, debere eſſe ſenili prudentia, non ſolum non eſt leue, nec indignum Apoſtolico pontifice, ſed potius graue eſt, & imitationem habet Apoſtoli ad exemplum namque Pauli vſus eſt hoc argumento ex interpretatione nominis, ſicut Paulus ex interpretatione nominis Melchiſedec, qualis eſſet Chriſtus, cuius ille typum expreſſit, docuit. Prætereà quod idem Anacletus ait hoc loco, diſcrimen fuiſſe inter ſacerdotes legis naturæ, vt Melchiſedec, Abraham, Iſaac, & Iacob, & ſacerdotes legis Moſaicæ, quod illi ſpontanea voluntate, non ſacerdotali auctoritate ſacrificabant, cum eandem ſentẽtiam, licet non eiſdem verbis apud Clementem Romanum lib. 6. de Conſt. Apoſt. c. 2. legamus, argumentum eſt, inde didiciſſe, vnde didicit Clem. Quare iudicij fuerit parum acuti, imò obeſæ naris hoc quoque veſtigio illud priſcum epiſtolæ huius ſæculum nõ olfacere. ſed conferamus locum Clemẽtis, cum ſciret inquit, Deus, quod prius Abel, Noe, Abraham, & alij deinceps, οὐκ αἰτηθέντος, id eſt, nullo ab eis hoc requirente, ſed lege naturali excitati, ſponte ſua, ex animo grato ſacrificarunt, & quæ ſequuntur. Itaque non ſacrificaſſe illos in lege naturæ ſacerdotali auctoritate, ſed ſponte ſua, nihil aliud ſignificat, quàm fuiſſe tunc ſacerdotes ἀχειροτονήτους, id eſt, ſacerdotes nõ ex ordinatione, vt quidem fuerunt in vetere lege ſacerdotes ex ordinatione Moſaica, quæ fuit figura ordinationis ſacerdotalis in nouo teſtamento. Eſt aliud adhuc veſtigiũ illius priſtini ſæculi in hac epiſt. 2. in eo quod ait Anacletus de diuiſione prouinciarum, id eſt, de deſcriptione ciuitatum in prouincias, eſſe eam multo ante Chriſti aduentum maxima ex parte factam, & ab Apoſtolis, & Clemente poſtea renouatam. cum enim illud à Sylla in omnibus ciuitatibus Aſiæ annis circiter 80. ante aduentum Chriſti factum in libris Gentilium legamus, & hoc de renouatione facta à ſanctis Apoſtolis deſcriptionis ciuitatum in capita prouinciarum ad conſtituendos in eis patriarchas, & in Metropoles, ad Archiepiſcopos & in alias ciuitates minores ad epiſcopos, ita factum eſſe ipſa deſcriptio, quæ vſque in hodiernum diem per

De differentia ſacerdotum in lege naturæ, & lege Moiſis.

ſedes patriarcharum,& Metropolitanorum,& epiſcoporum durat, teſtetur, an non eſt hoc magnum argumentum,& clarum indicium illius ſæculi? Quod enim huiuſmodi diſtinctio prouinciarum, de qua Clemens & Anaclet. ſcribunt, à ſanctis Apoſtolis renouata, & ſancita fuerit:& hæc rurſus ipſa illa ſit, quæ primum à gentilibus facta erat, alterum Nicena Synodus teſtatur,cum ait,cap.6. priſca conſuetudo ſeruetur per Aegyptum,Lybiam,& Pentapolim, vt Alexandrinus epiſcopus horum omniũ habeat poteſtatem:Similiter autem & epiſcopo Antiochiæ in aliis prouinciis priuilegia ſuis ſeruentur eccleſiis.priſca enim cõſuetudo ante ſynodum Nicenam non poteſt ſecundum rationem, & vim verbi Græci ἀρχαῖα intelligi, niſi quæ ad ſeculum Apoſtolorum pertineat:alterum ex libris veterum ſcriptorum licet cognoſcere,cum de prouinciis, & earum poteſtatibus fit mentio. vt cum Philõ in Flaccum ſcribit fuiſſe eum factum à Tiberio Cæſare præfectum Alexandriæ,Aegypti, & Lybiæ, cum qua Pentopolitanam regionem quæ à Plinio Africa Cerenaica vocatur, coniunxit. in has enim eaſdem epiſcopus primus, ſiue patriarcha Alexandrinus poteſtatem teſte ſynodo Nicena priſcis temporibus, id eſt à ſanctis Apoſtolis accepit. eadem renouatio deſcriptionis ciuitatum in prouincias, & diſtinctionis prouinciarum à Gentilibus factæ, facta quoq; eſt in Oriẽte à ſanctis Apoſtolis, & S. Clemente in ciuitatibus, & prouinciis Antiochiæ. teſtatur enim eadem Synodus Nicena in eodem canone fuiſſe quoque iam tunc eandem priſcam conſuetudinem,Scilicet à S.etiam Apoſtolis ortam, vt eſſet Antiochia prima metropolis, & caput prouinciarum totius Orientis.ſic enim B. Hieron. in epiſtola ad Pammachium contra errores Ioannis Hieroſol.canonem Nicenum intellexit,& interpretatus eſt,canonem ſecundum Synodi Conſt. quæ Nicenum canonem renouat, & confirmat, ſecutus. ex quo Canone Niceno concludit epiſcopum Hier. ſubiectum eſſe epiſcopo Antiocheno vt primati, & Cæſarienſi vt Metropolitano: in eodẽ enim canone teſtatur eadem Synod. priſcã quoq; traditionem iam tunc fuiſſe,nempe à S. Apoſto-

lis profectam, vt eſſet Cæſaria metropolis Paleſtinæ, quæ in Syria eſt, eſt autem Iudæa, vbi Hieruſalem eſt, in Palæſtina. quod autem hęc diſtinctio prouinciarum Antiochiæ ipſa illa ſit, quæ à Gentilibus facta fuerat, teſtatur euangelium, in quo legimus fuiſſe Cyrinum ſub Aug. Cæſare præſidem Syriæ: Syria autem multas habet prouincias, quarum caput eſt Antiochia. Nihil itaque ſancti Apoſtoli facere potuerunt, aut naturæ aptius, aut rationi gubernationis conuenientius, aut ad concordiam accommodatius, quam ad deſcriptionem à filiis huius ſæculi prudentiſſimis proportione factam prouinciarum in ciuitates, & ciuitatum in prouincias, diſtinctos gradus epiſcoporum accommodare, vt in illis tunc primariis ciuitatibus primates eſſent, velut primi patres, in aliis velut matribus ciuitatum alij tanquã illorum filij, qui eſſent velut fratres maiores natu: infra quos eſſent in aliis ciuitatibus non paruis alij epiſcopi tanquam fratres minores. ita vt qui eſſent in amplioribus ciuitatibus, ampliorem ſolicitudinem ſuſciperent, vt Iulius pont. dixit, & poſt eum Leo magnus: ſimul etiam, vt qui ſcirent ſe quibuſdam eſſe præpoſitos, vt idẽ Iulius ait, non moleſte ferrent, aliquem ſibi eſſe prælatum: ſed obedientiam, quam exigerent, & ipſi dependerent. Sic enim futura erat omnium concors conſenſio, & glorificandus Deus per Dominum Ieſum in Spiritu Sancto. Hactenus de epiſtola Anacleti 2. ſequitur, vt tertiam attingamus.

Decretum de presbyteris per ſingulos titulos conſtituendis.

Epiſtola Anacleti 3. referta quoque eſt veſtigiis, & odore illius ætatis, qua ſcripta eſt. Epiſcopi autẽ, inquit, non in caſtellis aut modicis ciuitatibus debent Conſtitui, ſed presbyteri per caſtella, & modicas ciuitates, atque villas debet ab epiſcopo ordinari, & poni: ſinguli tamen per ſingulos titulos ſuos. recitatum eſt decretum. Hic quoque dicendum eſt, ſi hanc cõſuetudinem omnes eccleſiæ dei habent, & nemo eſt, qui audierit, aut legerit, aliter vnquam factum eſſe, quam vt hic ſecundum ſtatutum Apoſtolorum decretum eſt, an non ſatis res ipſa fidem epiſtolæ aſciſcit, & vindicat? in eo vero, quod iubet, vt per ſingulos titulos ſinguli presbyteri ponantur, iam non ſolum res, ſed nomen ab initio

tio impoſitum rei,retinetur:ſingulis enim parœciis ſinguli presbyteri præſunt: & titulos ſemper à principio per vniuerſas eccleſias Occidentis vocare conſueuerunt. Quod nomen cum à nullo auctore eccleſiaſtico vetuſtiore in hac re poſitum reperiatur,ſed ab Anacleto primum in hac epiſt. primum legamus,nonne argumentum eſt,& indicium perſpicuum, eſſe illius ſæculi nomen,cuius eſt res ſubiecta,cui impoſitum eſt? Simile veſtigium ſæculi Apoſtolici in eo eſt,quod ſecundũ traditionem Apoſtolorum decretum in hac epiſtola eſt,vt illæ vrbes,quas leges, & principes ſæculi honore principatus affeciſſent,ita vt capita eas non prouinciæ,ſed prouinciarum feciſſent,honore quoque patriarcharum ſiue primatum afficerentur:in reliquis verò ciuitatibus, quæ eſſent Metropoles, id eſt, vna quæque ſuæ prouinciæ caput,non patriarchæ,aut primates appellarentur,ſed nomine Archiepiſcoporum,aut Metropolitanorum:quia hæc eadem, inquit, & leges ſæculi in ſuis continent principibus non enim appellabantur conſules imperatores:neque prætores conſules. de poteſtatibus enim ſæculi dixit Apoſt. à deo eſſe, quæ autẽ à deo ſunt,ordinata ſunt.& reddere iuſſit omnibus debita, cui tributum,tributũ: cui vectigal. vectigal:cui timorem,timorem:cui honorem,honorem. Hæc quoq; conſuetudo à ſanctis Apoſtolis inſtituta,vt alij ſint primates,ſiue patriarchæ,& alij archiepiſcopi,ſiue Metropolitani,cum in omnibus eccleſiis dei ſemper fuerit,& adhuc ſit, ipſa eadem conſuetudo locupletiſſimus teſtis eſt eſſe hoc illius ſæculi decretum,& ab eo ſcriptam eſſe epiſtolam,qui ipſum decretum Apoſtolicum litteris ſuis conſignauit:& nomẽ ſuum illis inſcripſit. Illud vero quod Anacletus addidit, aliæ autẽ ciuitates, quas vobis conſcriptas in quodam tomo mittimus à ſanctis Apoſtolis. & à beato Clemente, ſiue à nobis primates prædicatores acceperunt. Hic etiam, quia res geſta, vt aiebat Calliſtratus, veritate factum ſuum præbet, non minus valet,quàm ſi hic tomus adhuc extaret, in quo erant deſcriptæ ciuitates Primatum prædicatorum, id eſt,Archiepiſcoporum, ſiue primorum epiſcoporum, ſic enim vocantur in canone Apoſtolorum 34. qui iu-

Decretum de Patriarchis, & Metropolitanis conſtituendis.

De tomo Anacleti primarum ciuitatum.

bet, vt epiſcopi ſingularum gentium ſuum primùm agnoſcant: id eſt, ſuum Metropolitanum. Nunquid igitur hodie non ſunt primæ ciuitates, id eſt, Metropoles Rhemenſis, quæ primum prædicatorem, & archiepiſcopum S. Sixtum à beato Petro accepit? & Senonenſis, quæ ab eodem S. Sabinianum? & Rothomagenſis, qui S. Nigaſium à beato Clemente? & Vienenſis, quæ Creſcentem à beato Paulo? prætereo reliquas Metropoles, ne omnes percurram. Hæ enim primæ ciuitates in ſua quæque earum, prouincia, & aliæ eiuſmodi, quæ in tomo illo deſcriptæ erant, primos prædicatores à ſanctis Apoſtolis acceperunt. fuiſſe autem deſcriptas eiuſmodi ciuitates in tomo illo, coniectura etiam ducitur ex alio ſimili tomo, quem ſynodus Cart. vocat ματρίκιον, ſiue ἀρχαιοτύπων, in quo erat deſcriptus ordo epiſcoporum Numidiæ, & Mauritaniæ, vt conſtaret, qui eſſent poſteriores, & qui priores. Illud autem obſeruare hic libet, ne quis contra hoc decretum Apoſtolicum de nomine, & honore primatum, factum fuiſſe exiſtimet, quòd in Africa omnes epiſcopi primarum ſedium primates erant, & dicebantur, tametſi Archiepiſcopo Carthaginenſi ſubiecti eſſent. illud enim factum eſt propter multitudinem epiſcoporũ, qui in ſingulis prouinciis Africæ erant, quæ multitudo epiſcoporum neceſſitatem impoſuit primatem in prima ſede cuiuſque prouinciæ conſtituendi. licuiſſe autem, & oportuiſſe ſic facere ſecundum Apoſtolicam traditionem, intelligi poteſt ex epiſtola Aniceti Apoſtolici pontificis, ſic enim ait repetens eiuſdem decreti Anacleti ſententiam: Nulli Archiepiſcopi primates vocentur, niſi illi, qui primas tenent ciuitates, quarum epiſcopos Apoſtoli, & ſucceſſores Apoſtolorum regulariter patriarchas, & primates eſſe conſtituerunt. ſubiungit deinde, niſi aliqua gens deinceps ad fidem cõuertatur, cui neceſſe ſit propter multitudinem epiſcoporum primatem conſtitui, ſic enim eſt in exemplari Vaticano, & Florentino. ipſa etiam ratio conuincit non eſſe legendum propter multitudinem eorum, ſed ſic, propter multitudinem epiſcoporum primatem conſtitui. de multitudine autem epiſcoporum Africæ non dubitabit, qui legerit, fuiſſe

Cur in Africa epiſcopi primarum ſedium primates erant, & dicebantur.

aliquando in Africa ſexcētos epiſcopos. Sed pergamus vlterius, & captemus adhuc ex aliis huius epiſtolæ veſtigiis illius ſæculi odorem. Primam enim ſedem eſſe dicit eccleſiæ Romanæ, eamq́ue non ab Apoſtolis, ſed à domino primatum obtinuiſſe. ſicut, inquit, ipſe beato Petro dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebūt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Secundam dixit eſſe Alexandrinam, quam nomine beati diſcipulus eius Marcus conſecraſſet: tertiam vero Antiochenam, quia eam beatus Petrus, antequam Romam veniret, tenuit. eſſe autem hoc ab Anacleto ſcriptum, coniectura perſpicitur, ſiquidem teſtem habemus ſynodum Nicenam, fuiſſe iam tunc, cū illa ſynodus habita eſt, id eſt, ante annos mille trecentos priſcam conſuetudinem, vt ſecundo loco poſt epiſcopum Rom. epiſcopus Alexand. poteſtatem haberet in epiſcopos Aegyptios, Lybicos, & Pentapolitanos, & poſt eum epiſcopus Antiochenus in epiſcopos ſibi ſubiectos. Quemadmodum verò eadem ſynodus Nic. ibidem docuerit ex poteſtate epiſcopi Romani tanquam ex cauſa ductam eſſe poteſtatem epiſcopi Alexandrini in epiſcopos ſuos, item Antiocheni in ſuos, explicatum à nobis eſt libro 3. c. 3. ne eadem ſine neceſſitate repetamus. igitur ſi iam, vt dixi, tempore Conc. Niceni priſca erat illa conſuetudo poteſtatis Alexandrini epiſc. in epiſcopos Alexandrinæ diœceſis, & Antiocheni in Antiochenæ neceſſe eſt, vt fuerit à ſanctis Apoſtolis inſtituta. quare deſcriptio ordinis harum ſedium in hac epiſtola Anacleti tertia, res eſt illius ſæculi Apoſtolici, quo Anacletus hanc epiſtolam ſcripſit. Eſt præterea indicium vetuſtatis epiſtolæ huius canon 34. Apoſtolorum hic ab Anacleto citatus. quem quidem canonem cum nullus ante Clementem memoriæ prodidiſſet, profecto aut ab apoſtolis, qui eum ſine ſcripto tradiderunt, aut à Clemente, qui eum cum reliquis nobis deſcripſit, neceſſe eſt, didicerit. hoc autem plane confirmat Iulij pontificis epiſtola increpatoria ad Orientales in cauſa Athanaſij. in qua Iulius eundem cano-

nem Apoſt. 34. & Anacleti ſententiam partim eiſdem, partim ſimilibus verbis ſecutus eſt. Sic enim ait Anacl. inde namque & beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt, vt epiſcopi ſingularum ſcirent gentium, quis inter eos primus eſſet, quatenus ad eum potior eorum ſolicitudo pertineret, nam & inter beatos Apoſtolos, quędam fuit diſcretio. & licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à domino eſt conceſſum, & ipſi inter ſe idem voluerunt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis: qui & eandem formam ſuis ſucceſſoribus, & reliquis epiſcopis tradiderunt. Hæc vero Iulius ſic imitatus, ac ſecutus eſt inquiens. Quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. de qua forma epiſcoporum quædam eſt orta diſtinctio, & magna ratione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent: ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia. Metropolitanos dicit, qui ſunt inter epiſcopos ſuæ diœceſeos velut fratres maiores natu. & ſubiungit de patriarchis ſiue primatibus, & rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem per quos ad beati Petri ſedem vniuerſalis eccleſiæ cura conflueret: & nihil à ſuo capite diſſideret. Hæc Iulius quæ eadem ad verbum Leo primus in epiſtolam ſuam 82. tranſcripſit, & ſi nomen Iulij reticuit: nihil enim refert. fecit namque quod fieri à nobis ſolet, cum propter magnam auctoritatem, & notitiam, atque nobilitatem auctoris, verba ſolum, tacito auctore, recitamus. Neque rurſus refert, quod Synodus Tolet. 11. quædam, quæ Leo ex eadem epiſtola Iulij paulo poſt illa, quæ proximè recitauimus, mutuatus eſt, ex epiſtola Leonis nominatim, & non Iulij recitauit. fortaſſe enim epiſtolam Iulij non dum nouerat. Sed de his hactenus. Longum enim eſt, ſi velim omnia illius ſæculi veſtigia in epiſtolis pontificum Apoſtolicorum impreſſa perſequi. Quæ hactenus in epiſtolis S. Clementis, & tribus Anacleti animaduerſa, & notata ſunt, ſatis erunt ad excitandum alios, vt idem in reliquis facere aggrediantur, quod non erit difficile in ex-

emplum huiuſmodi noſtræ inueſtigationis intuentibus. Habes igitur Reuerendiſſime, & Illuſtriſſime Domine Staniſlae Hoſi, Cardinalis lectiſſime, quæ pro eccleſiaſticis canonibus ſanctorum Apoſtolorum, & epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum ſecundi ſæculi cõtra accuſationem Magdeburgenſium reſpondere, vt nobis iuſſum fuerat, adiutore Deo, libris 5. mediocri induſtria potuimus. Qui ergo Magdeburgenſium Cẽturiatorum accuſationem, & defenſionem noſtrã ſtudio cognoſcendę veritatis legerint, ij iuſti iudices erũt. eorum enim bonæ menti, & religioſo propoſito ſpiritus Dei aſpirabit, vt reiecto mendacio, veritatem, vt confidimus, amplectantur. & canones Apoſtolorum, & priſcorum Pontificum epiſtolas, in eccleſia, vt decet, reuereantur, ac venerentur. vt ſit gloria Deo patri, cum filio, & vtriuſque ſpiritu in ſempiterna ſæcula, Amen.

Index obſeruationum librorum QVINQVE ſuperiorum.

ABraham primitiæ, & origo veteris populi propter fidei excellentiam fol. 161.b
Abſentes qua ratione dici, & haberi ſoleant præſentes 158. a
Abſolui ſe à ſacerdote qui petit, quæ afferre debeat, vt impetret, ex Dionyſii Areop. 313. b
Accuſare Epiſcopos quando liceat, & quæ vtilitas exiſtat ex eo, quod accuſari poſſint 266 a
Accuſandi à vulgo laicorũ quare non ſint ſacerdotes 142.b
Accuſandos non eſſe epiſcopos quomodo Igmarus Rhemenſis defenderit, & interpretatus ſit 264 b 265 a
Actorum liber quomodo inter canonicos libros ſcripturarũ à Clemente numeratus ſit 30.a
Aetas Mariæ Virginis quanta fuerit, & quæ de ea opiniones, & qui auctores 170.a
Altaris miniſtras eſſe mulieres cur prohibitum ſit, & quid de virginibus, & viduis eccleſiæ Apoſtolica conſtitutio dicat 382.a
Ambroſij commentarij in epiſtolas Pauli qui eſſe feruntur, quibus coniecturis, & argumentis probentur non eſſe eius 404.a
Amicorum omnia eſſe communia quatenus hoc Clementi probetur 371.b
Anacleti epiſt. duabus teſtimonium tribuit Damaſus in exemplaribus antiquis manu ſcriptis 441 a b
Anacletum ſucceſſorem Clementis fuiſſe. vt ignorarit Euſebius, & Euariſtum ſucceſſorem eius fecerit, & ex Cleto anteceſſore Clementis, Anacletum finxerit, quæ cauſa errandi fuerit 147 b
Anacletus Clementis ſucceſſor, auctore etiam Auguſtino, qui cletũ quoque prętermiſit 148 b
Anathematis in Preſbyteros, vel Diaconos negligenter corpus domini in ſacrario cuſtodientes & in eos, qui palla, quę corpus domini tetigit, mortuum tegunt, quæ ſit ratio 362. a b
Animæ collum quod ſit in prou. Solom 318. a
Antiochia cum ei præfuit Petrus, fuit qualis Roma nunc, id eſt princeps omniũ eccle. & quare, & vnde hoc 268. b
Apocryphus liber canonum apud Gelaſium quis intelligen-

dus,& cur,& de libris Apocryphis 48.a
Apochryphos eſſe canones Apoſtolorum præter 50. cap. non Leonem dixiſſe, ſed vmbertū, & de quibus dixerit vmbertus, & cur 47.b
de Apocrypho libro canonum apud Gelaſium quid Igmarus Rhemēſis Archiepiſcopus ſenſerit 48.b
Apoſtatæ qui ſint, & dicantur. 74.a
Apoſtoli vnius doctrina quomodo ſit omnium Apoſtolorum doctrina 156 a
Apoſtoli quomodo eſſent præſentes, cum Clemens libros de cōſtitut. ſcripſit ibid.
Appellationem non eſſe ad Pontificem, quare Synodus Carthaginenſis exiſtimauerit decretū eſſe in Niceno conc. 195.a
Appellationis ad pont. ius quomodo in 6. canone Concilij Nic. contineatur 204.a b
Appellationem non eſſe ad pontificem & ſi canone Niceno 6. falſo exiſtimaret Synodus Carthagin. decretum eſſe, nihil tamen ſummæ poteſtati pōtificis derogari iudicabat, & quare 195.a.b
de Appellatione ad pontificem Rom. & de primatu eius teſtimonium 250. Epiſcoporum Synodi Sardicenſis & de epiſtola eius Synodica collata cum epiſtola Iulij, de qua iidem patres meminerunt 210.a
Appellationis ad Pont. decre quomodo canon 9. concilij Chalcedon. confirmet ſine vlla ambiguitate 212.a
Appellationes ad pont. quomodo canon Synodi Carth. 63 non à quibuſcunque ſed ab arbitris prohibuerit 202.a
Appellationis ad Pontificē Rom. decretum à Synodo Carth. 3. receptum 201.a
Appellandi Pontificem quæ cauſæ tempore Apoſtolicorū Pontificum eſſe potuerint 193. a b
de Appellationibus canonem 7. Synodi Sardicenſis quomodo Baſilius in litteris ſuis ad Pontificem ſecutus ſit 220.a b
de Appellationibus decretū Sixti 1. quare à Magdeburg. diſſimulatum ſit 193.a b
Appellationis ad Pont. decretum quomodo tenuit Synodus Carth. 3. cap. 7. 201.b
Appellationis ad Pontificem exēpla apud Cyprianum, & in hiſtoria Gregorij Turon. & in epiſt. Orientalium ad Symmachum, & in hiſtoria Socratis 215.b 216.a
Appellationis decretum quomodo non lædat nec ei contradicat Leonis imperatoris conſtitutio 214 b
pro Appellationis decreto, & primatu Pontificis teſtimonium multiplex Baſilij 220 a b
Appellationis iure qui Epiſcopi ad Rom. Pontificem olim confugerint. 209.a

Appellationis epiſcoporũ ad Põt. decretum quomodo non neget canõ Synodi Carth. 92. & quomodo intelligendus ſit. 201.b

In appellationis decretum quod Synodus Carthag. 6. peccauerat, quomodo poſtea Bonifacio 2. Pontifice correxerit. 203.c

Appellationis ad Pont. exemplum in epiſtola Theodoreti ad Leonem, & in altera ad Renatum ex collegio ſacerdotum, quos nunc vocãt Cardinales, & quomodo proprio verbo appellandi, quod græcè dicitur ἐπικαλεῖν, vſus ſit. 216.b 217.a

Pro appellationis decreto teſtimonium Praxeæ hæretici, & Tertulliani Vetuſtiſſimi auctoris. 219. a

Appellationis ad Pont. decretum quomodo Conſtantius Imperator Arianus, confiteretur: & Amianus Marcellinus auctor gẽtilis teſtetur. 218.a

Appellationis ad Pontificem decretum quomodo defendendũ ſit. 193.194.195.196.197.a b

Appellãdi Pontificem ratio vnde ortum ducat. 220.a.b

Appellationis decretum quare Synodus Carth. non recipiebat, ſi primatum reuera concedebat. 198.a

Aquæ benedictæ cum ſale theoria, id eſt mystica & ſpiritualis interpretatio quę ſit, & ad quid valeat. 229.a

Aquæ benedictio, ſiue ſanctificatio per verbum & orationem, & quæ oratio tradita ſit in cõſt. Apoſt. & collatio eius cum loco Pauli ad Tim. 226 b

Aquæ benedictæ cum ſale ex epiſtola Alexandri, defenſio aduerſus hæreticos. 225.226.227. 228.a & b

Aquæ benedictæ cum ſale, inſtitutum, & ritum cur Lutherani oderint. 229 a.b

Aquæ benedictæ virtutem operari quomodo in energumenis quotidie experimur & quanta eius virtus ſit teſtimonio eſſe, quæ Euſebius, & Epiphanius narrant. 228.a.b

Aquam benedictam qui negant valere ad auxiliandum nobis, quomodo nouum teſtamentũ non poſſint interpretari, vt cõſonet veteri: & plus virtutis tribuãt typis quã veritati. 227.a

Aquæ benedictæ cum ſale traditio per ſermonem quomodo etiam ſcripturæ auctoritate nõ careat. 226.a

Arij hæreſis quomodo ex Philoſophis nata ſit. 150.a.b

Arij hæreſim prope 130. annis ante Arium Pontifices Rom. confutarunt teſte Athanaſio. ibid.

Aſperſionẽ ex aqua & ſale benedicto eſſe genus oblationis, & ſpiritualis hoſtiæ. 379.b

Auguſtini confutatio Fauſti dicentis corruptum eſſe nouum teſtamentum quomodo quadret in eos hæreticos, qui has epiſtolas Pontificũ Apoſt. corruptas eſſe aiunt. 452.a.b

Auguſtini ſcripta contra Fauſtum pro defenſione noui teſtamenti, quomodo valeant ad probandum epiſtolas Pont. Apoſtolicorum. 451.a.b

B

BAptiſmi quæ ſit trina merſio canone Apoſtolico ſancita. 67.a

De Barnabæ prędicatione Romę. 171.a

Beati quomodo dicantur dolere caſus noſtros. 157.a. b

Benedictio aquæ cum ſale ab Apoſt.tradita. 379.b

Benedictionis aquæ oratio ex cōſtitutionibus Clementis collata cum loco Pauli ad Tim. de ſanctificatione creaturæ per verbū & orationem. 226.a b

Benedictionis ciborum antequā guſtentur, conſtitutio Apoſtolica à Clemente ſcripta. 225.b

Benedictio Lutheranorum ſuper cibos qualis ſit. 383.b

Benedictio nuptialis cur à ſanctis Apoſtolis inſtituta, & tradita ſit. 375 b

Benedictionis nuptialis quæ neceſſitas, & vtilitas. 376.b.377.a

Bigamus poſt baptiſmum quis ſit. 34.a

Bonifacius Germaniæ Apoſtolus quid ſcripſerit ad Gudbertum Archiepiſcopum Angliæ ante annos octingentos decreuiſſe in Synodo de obedientia Pontifici Rom. præſtanda. 366.a.b

C

CAlix domini myſticus quam ebrietatem efficiat in bibentibus digne. 254.b

Canones Apoſtolorū, quos Magdeburgenſes ſe reperiſſe aiunt, cuiuſmodi ſint, & quales rubricas, ſiue ſummas eis addiderint. 85.86.87 88 89.90.a.b

Canones Apoſtolorum quomodo in Synodo Nicena citentur, & ſi non omnes aduertant. 34.35.36.37.a.b

Canones Apoſtolorum eccleſiaſtici 85 non in Antiochena, ſed Hieroſolymitana Synodo traditi ſunt. 94.a

Ex canonibus Apoſtolorū quomodo poſtea manarint acceſſiones legum eccleſiaſticarum 80.b.81.82.83.84.85.a.b

Canones Apoſtolorum non eſſe verſos à Clemente Romano, vt Magd. ſcripſerunt, ſed Græce ſcriptos. 1.b

Canonis Apoſtolorū 48. de quadrageſimæ ieiunio & quartæ ac ſextæ feriæ defenſio. 8.a

Canones Apoſtolorum vnde nati ſint, & quis eorum finis ac fructus. 106.b

Canones Apoſt. 17. & 18. citat Leo Pont. 81.b

Canones Apoſtolorum non eſſe ab Apoſtolis ſcriptos, ſed poti⁹ ſine ſcripto ab eis traditos. 1.b

Canonum Apoſtolorum antiquitas vnde maximè appareat, & quid Plato de antiquitate legū

ſcripſerit 56.b

Canonis Apoſtolorum de Synodis bis per annum habēdis defenſio 24.b

Canonis Apoſtol. 27. de nuptiis lectorum, & cātorum defenſio & interpretatio 6.b

Canones Apoſtolorū negare quomodo, & qua ratione ſit abſurdum 106 a

Canones Apoſtolorū pari auctoritate probantur eſſe Apoſtolorū, vt canones ſynodorū probantur eſſe ſynodorum 84.a

Canones Apoſtolorum non eſſe cōmittendos niſi epiſcopis, qui eos poſſint interpretari ſacerdotibus ex Nicolao 1. 83 b

Canonis Apoſtolorū 72 ſentētia à Iulio citata, & collata 76 b

Canonis Apoſt 34 ſententia ab Eleutherio & ab Anacleto citata & explanata 78.b

Canonis Apoſtolorum 74. ſententia ab Alexandro citata, & collata 77 a

Canonis Apoſtolorum 9. ſentētia ab Alexando citata 77.b

Canonis Apoſt. 8. ſententia ab Anacleto citata 76.b

Canones Apoſtolorū beatus Gelaſius in epiſtolis ſuis frequēter citat 49.b

Canones Apoſt. 74, 75. à Damaſo citati 83.a

Canonis Apoſtol 31. ſententia ab Anacleto & Alexandro citata, & collata 74 a

Canonis apoſt. iubentis, vt epiſcopus non faciat extra diœceſim ſuam ordinationes clericorum defenſio 23.a b

Canonem Apoſtol. 34. quomodo Synodus Nicena ſuppleuit 81.b

Canon Apoſtolorum 14. à Cœleſtino, & Anthero Pontificibus citatus, & cōfirmatus, teſtimonio etiam Nicephori 84 b

Canones Apoſtol. 85. quomodò ad numerum 70. ſentētiarum, quas Zepherinus dicit, redigātur 63.a b

Canones Apoſt. inſcripti in vetuſtis codicibus Græcis περὶ εὐταξίας ἐκκλησιαστικῆς, id eſt, de bono ordine eccleſiaſtico 30.b

Canones Apoſtol. ſine ſcripto traditi ſunt ab Apoſto. ſcripti verò à Clemente Romano 67.a b

Canonis Apoſtol. 71, & 73. ſentētia ab Anacleto citata, & collata 76 a

Canones Apoſt. partim ſcriptura defendit: partim ratio: vniuerſos priſca conſuetudo confirmat: & fides eccleſiæ vbiq; & ſemper cuſtodiuit 108.b

Canones Apoſt. 25. & 34. citat Leo, item canonem 37. 82.a

Canones Apoſt. quam variis nominibus citari in Synodis ſoleant, & quare 35 a

Canones Apoſt. canones de bono ordine eccleſiæ inſcripti ſunt 80.a

Canones Apoſt. 85. non omnes ſtatim à principio ad eccleſiam latinorum veniſſe latine tranſlatos, nihil refert, neq; prohibet, quin omnibus illis ſemper ec-

eleſiæ latinæ ſcripto vſæ fuerint 101.b

Canones Apoſt. qui negare pergunt, ſapientiorem faciũt Platonem in conſtituenda ciuitate ſua, quam Apoſtolos in conſtituenda eccleſia 109.a b

Canones Apoſtolorũ qui negãt, quid abſurdi conſequenter cõcedere cogantur 43.b

Canon Apoſt.28.à Nicolao 1. citatus 83.b

Canon Apoſt.37. citatus ab Anacleto 83.a

Canon Apoſt.3. de oblationibus ad domũ ſacerdotis deferendis ab Eutychiano citatus. 83.a

Canon 1.apoſtolorũ ab Anacleto citatus & explicatus 75.b

Canon apoſt.9.de intrante ad eccleſiam & non communicante à Nicolao 1.citatus 83.b

Canonis apoſt. 34. interpretatio auctore S. Anacleto & cur in eo de Metropolitanis, & non de Patriarchis facta ſit conſtitutio 53.b

Canonis apoſt.75. ſententia ab Anacleto,& Alexandro citata,& collata 73.b

Canonis 5.apoſtolorũ defenſio & explicatio pro cœlibatu 11.a

Canonem apoſt.34. quomodo Anacletus interpretatus ſit,& ei' interpretationem ſecutus Iulius 79.a

Canonũ apoſt.origo quæ ſit 37.a

Canonibus apoſtoli non omnia cõſtituere potuerũt, quin multa neceſſe eſſet eis relinquere ſucceſſoribus,& Synodis cõſtituenda 81.a

Canonũ apoſt. vſus in omnibus iudiciis eccleſiaſticis teſtimonio Leonis 4 84.a

Canon apoſt 34 citatus ab Aniceto, Calixto, & Anacleto 81.b

De canonibus apoſt. vbi cõſtituti fuerint & qui eorũ vſus, & ex quib' locis Pauli intelligi poſſit, conſtitutos eſſe ab apoſtolis canones eccleſiaſticos ad gubernationem eccleſiarum 51.b

De canonibus apoſt.citatis in Synodo Antioch.Epheſ.Chalced. Gangr.Carthag.2. & 5.& Afric. Nicen.2. conſt.8. & aliis Synodis 38. 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46.a b

De canonibus apoſt. citatis ab Anacleto, Alexãdro, Eleutherio, Sixto 2.Marcello, Euſebio, Iulio, Collatis ſentẽtiis citatis cũ ipſis canonibus 73.b 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, a. b

De canonibus apoſtol.quid S.Iſidorus ſenſerit,& ſcripſerit 51.a

De canonibus Apoſtolorum & pœnis eorum quid Conſtantinus cognomento ἀπὸ σχολαστικῶν tempore Iuſtiniani ſcripſerit 101.a

De canonibus apoſtolorum ad pacem, & honeſtatem, ac ordinem pertinentibus, quos ex loco epiſtolæ ad Corinth. neceſſario ſequitur ab apoſtolis conſtitutos eſſe 105.a b

De canonib.Apoſt.quid Synodus 6.in Trullo ſenſerit 47.a b

De canonibus Apoſtolorum quid Igmarus Rhemenſis ſcripſerit. 48.b.

De canonum Apoſtolorũ diſpenſationibus, quæ iuſtæ, & quæ iniuſtę, & vnde exiſtat poteſtas diſpenſandi in eis. 103.a

De canonibus Synodi Antiochenæ Apoſtolorum in bibliotheca Origenis à Pamphilo martyre repertis. 91.a

Pro canonibus Apoſtolorum teſtimoniũ omniũ auctorũ, qui Nomocanones apud Græcos compoſuerũt & apud Latinos concordantias decretorũ. 70.b

Pro canonibus Apoſtolorum teſtimonia multiplicia antiquorum auctorum, qui canones eorum citarunt. 64. 65 66. 67. 68.69.70.71.72.a.b

Pro canonibus Apoſtolorum teſtimonia multiplicia ex antiquis auctoribus, qui eos citãt, Iuſtiniani, Hieronymi, Cypriani, Athanaſij, Baſilij, Sidonij Apollinaris, Origenis, Euſebij Alexãdrini, Anaſtaſij Antiocheni, Cyrilli, Epiphanij, Damaſceni, Taraſij Conſtant. Ignatij martyris, Photij Conſtantinop. Bonifacij Germanici Apoſtoli, Dionyſij Areop. Ibidem.

Ex canone Apoſtolorũ 74. quomodo aliæ leges eccleſiaſticæ de qualitatibus accuſatorũ manarint. 80.a.b

Canones eccleſiaſticos quare non vniuerſos tradiderũt Apoſtoli, ſed potius plurimos reliquerũt à Synodis futuris & ſanctis patribus conſtituendos. 109.a

Canones eccleſiaſticos ad gubernationem eccleſiarum ab Apoſtolis cõſtitutos, & traditos eſſe quomodo ratio cõmunis vtilitatis conuincat. 94.a b

Caſtum eſſe quomodo ſit penes naturam auctore Greg. Naz. & voluptates carnis nõ ſit neceſſaria, ſed ἐκ περιουσίας auctore Ariſt. 411.b

Cathedra Moyſis quomodo fuerit vmbra Cathedræ Pet. 286.a

Cauſarum ſæcularium cognitionem quare diaconis Clemens commiſerit. 247.b.248.a b

Cauſarum maiorum iudicium ad Pontificem Romanum pertinere in quo canone Apoſtolorum contineatur. 53.b

Cauſarum omnium ſæcularium iudicium liberum cur Theodoſius, & Carolus Magnus eccleſiaſticis iudicibus permiſerint, & cur eiuſmodi lex abrogata ſit poſtea. 250.b.251.a

Cauſarum omnium ſæcularium iudicium quatenus ad epiſcopum pertinere poſſit. 250.a.b

In cauſarum ſæcularium iudicio quare tempore Pauli, & Anacleti opus eſſet auctoritate epiſcopi. 249.b.

Cauſas ſæculares quomodo Apoſtolica conſtitutio iubeat Preſbyteris iudicare, nõ ſæculariter ſed eccleſiaſtice. 247.b.248.a

Cauſas ſæculares iudicandi in eccleſia quæ ratio ſit, & quomo-

do non faciat cōtra illud, principes gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. 248.a
Cauſas ſeculares in eccleſia iudicare, quod in epiſtola Anacleti ab hæreticis accuſatur, quomodo ſecundum Apoſtolū defendatur. 247.b.248 249.a.b
Cauſas maiores ad Pontificē Romanum pertinere vnde cōſtet in Euangelio. 54.a
De cauſis ſæcularium in eccleſia iudicandis quomodo idipſum Anacletus decreuerit quod Apoſtolus. 249.b
Cephas Syriacum vt in cephas ex Græco factum mutaretur, ſapientiſſime, ac diuino conſilio factum eſſe à magnis auctoribus. 122.a b
Cephas, id eſt, caput, qua ratione, & exemplis conſtet hæc interpretatio in epiſtola Anacleti. 121.122.123.a. b.
Cephæ interpretationem in caput quare, & quo conſilio reprehendant Magdeb. 123.a
Chalcedonēſis Concilij canon 9. quomodo à Nicolao I. explanetur, & de tenore & forma eius. 212.b.213.a
Chalcedonēſis Concilij canon 9. quomodo abſurde, & repugnāter veritati explanetur à Balſamone, & Zonara. 213.b.214.a
Chalcedonenſis Concilij canō 9. quomodo decretum de appellationibus ad Pont. Rom. confirmet. 213.a.b
Character ſcriptoris quomodo in ſermone, & doctrina cernatur. 113.b
Chirographis vi extortis non ſeruandis. non eſt in eis approbatio confeſſionis falſi criminis, ſed venia confitentis per vim. 231.a.b
Chirographa per vim extorta nō valere, vnde ortum ducat decretum & quomodo auctore Deo, & ſanctis Apoſtolis, vt Alexander ait, factum ſit. 229 b. 230.a.
De Chirographis vi extortis non ſeruandis decretum quomodo ſit ſecūdum præceptum Pauli. 231.a b
De chirographis vi extortis ſententia quomodo cōtineatur in 74. canone Apoſt. 231.a
De chirographis vi extortis quid Cyrillus ad Dominum ſcripſerit. 230.b
Ad chirographa vi extorta, quomodo pertineat quod Athanaſius ad Ruffinianū ſcripſit decretum eſſe in Cōciliis Galliæ, Hiſpaniæ, Græciæ de iis, qui per vim tracti lapſi eſſent. 231.a
Chriſtus quare mutatione vnius litteræ bonum, & vtilem ſignificet. 123.a
Ciborum delectus quomodo ex Apoſtolica cōſtitutione eliciatur, & quid de eo Cyrill. Hieroſ. ſcripſerit. 175.b
Ciborum delectus quemadmodū non ſolum non prohibeatur in epiſt. Pauli ad Coloſſ. cap. 2. ſed poti⁹ hæreticos redarguat. 10 a

Ciborum delectus quando, & quomodo prohibitus, aut non prohibitus ſecundum ſcripturam 382.b 383.a
Ciborum delectum qualem, & qua ratione Paulus prohibuerit 386.b
De ciborum delectu canon apoſtolorum 93.b
Ciborum ſanctificatio, ſiue benedictio qualis eſſe debeat, & quando iuſtè, aut iniuſtè fiat 383.b
Ciborũ quod genus eſſet immolatitium, & ad idololatriã pertinens 15.b
Cibos iuſte ſumendi legem fuiſſe iam tunc, cum Paulus epiſtolã ad Tim. ſcripſit, quomodo ex verbis eius demõſtretur 384.a
Cibos prohibendi legem ad Phariſaicas traditiones, & onera iudaica qui pertinere dicunt, vt Lutherani, quomodo Paulum accuſant, & correctores eius eſſe volunt 384.a b
Cibis quibuſdam abſtinere quomodo lex non propter naturã ciborum iuberet, ſed propter ſpiritum, Polycarpo auctore, & interprete 435.a b
Clemens Petro, quomodo ſucceſſerit, & quemadmodum intelgẽdum ſit verum eſſe, quod tã variè de ſucceſſione Clemẽtis ſcriptum eſt 146.b 147, 148.a b
Clemẽtis ſucceſſor quomodo nec Euariſtus, neque cletus fuit 148.a
Clemens in ſcribenda doctrina Apoſtolica inducto ſermone Apoſtolorũ, qui iam deceſſerãt, & in ſcribenda doctrina Petri ad Iacobum, qui ante Petrum mortuus fuerat, quomodo Platonem imitatus ſit 155.b
Clemens Iacobo fratri domini epiſcopo epiſcoporum regenti Hieruſalẽ & omnes vbique eccleſias, quomodo hæc inſcriptio vera ſit, & ſic Græce etiam feratur, & fuerit ante mille annos à Sidonio citata 159.b
Clemens primitiæ gentium cur dictus à Petro 160.b
Clemẽs quomodo ſe annumeret iis, qui morti Ananiæ & Sapphiræ Hieroſolymis interfuerunt, cum nondum iudæam tunc vidiſſet 172.a
Clemẽs quo genere ſcribẽdi vſus ſit, & quos imitatus, 28 b
Clemẽtis epiſtolæ ad Iacobũ fratrẽ domini quomodo Damaſus in exemplari vetuſto manu ſcripto meminit 441 a
Clemẽtis epiſtola quomodo ſcripta ſit ad Iacobũ iam mortuũ per trãsfigurationem perſonæ, & quæ cauſa, & vtilitas ſic ſcribendi extiterit 153.b
Clementis epiſtolæ locus ex lectione vetere dè continentia ſacerdotum conſonans epiſtolæ Pauli ad Tit. 4.a
Clementis elegantia in libris ſermonum & diſputationũ beati Petri cum Simone, auctore Photio 117.a
Clementis epiſtola cur ad Iacobũ

iam mortuum ante beatum Petrum, iuſſu eiuſdẽ Petri ſcripta fuerit 152.b

Clemẽtis epiſtola, quã Hieronymus dicit à veteribus reprobatam fuiſſe, quomodo de epiſtola ſecũda ad Cor intelligendũ ſit neceſſario,. & non de epiſt. clem. ad Iacobum & quid de illa epiſtola ſecunda ad Corin. Photius ſcripſerit 430.b

Clemẽtis epiſtolam ad Iacobum fratrem domini quomodo ſit incredibile potuiſſe ab vllo fingi, imò ipſa ratio cogat confiteri Clementis eſſe 152 a

Clementem Petro ſucceſſiſſe vbi Hieronymus affirmet 148.b

Cœlibatus iuſtam cauſam, & finẽ eſſe ἄσκησιν id eſt, exercitatione continentiæ carnẽ menti ſubiicere 12.a

Cœlibatus quomodo in Synodo Nicena cõfirmatus ſit, & de interpretatione canonis Niceni ex Synodo Arelatẽſi 4[illegible]417.a

Cœlibatus ſacerdotalis legẽ qui putat remitti poſſe, quid abſurdi contra Pauli locum epiſt. ad Tit. concedere cogatur 2.b

Cœlibatũ diaconorũ, quomodo Nicolaus vnus ex 7. diaconis hæretice ſuſtulit, & poſt eũ ante annos mille quidam preſbyter illam hæreſim iam tunc extinctã renouauit, & auxit in preſbyteris ex Synodo Turonenſi & hãc poſtremo Lutherani iterum ſuſcitarunt 418.a

Cœlibatum qui, cum creatione, & creatura, ac natura pugnare dicunt, quomodo à S. Sixto 3. martyre, & Pontifice confutentur 422 b 423.a b

Cœlibatum in concilio Niceño confirmatũ eſſe quomodo epiſtola Baſilij probet, citato canone, & decreto Synodi 417.a

Cœlibatum quomodo Heerbrãdus doctor ſcholæ Tubingenſis oppugnet, & quomodo redarguatur 406.b 407,408,a b

De cœlibatu ſacerdotũ quid Tertul. antiquiſſ. auctor ſenſerit 6 a

De cœlibatu ſacerdotum canon apoſt. 17. quid legis diuinæ & rationis, ac teſtimonij habeat 5.b

In cœlibatus quæſtione Lutherani contra ſcripturam, & rationem, & teſtes ſibi tantum credi poſtulant 6.a

In cœlibatꝰ dogmate minus errare Græcos quã Lutheranos 6.a

In cœlibatum eccleſiæ Romanæ æditus canon 13. Synodi ſextæ in Trullo, quem ſi quis defendat eccleſiæ noceat 6.a

Pro cœlibatu canonis 5. apoſt. defenſio, & explicatio 11.a

Communitas rerũ duplex altera ex charitate naturali, altera ex charitate ſpirituali 572 a

Communis vita nõ ſolum in cœnobiis ſed in eccleſiis à clericis canonicis ex voto iã olim ſuſcepta 574.a

Communis vitæ religioſorum ſtatum qui accuſant iidem ſtatum naturæ integræ ante peccatum

accuſant. 371.a

Communis vitæ origo ad ortum naturæ integræ ante peccatum relata. 371.b

Communem vitam quibus & ad quid neceſſariā eſſe Clemēs dixerit. 371.b

Communem vitam Eſſeorū quomodo Philon, & Ioſephus, & Plinius laudauerint ſolā rationem naturalem ſecuti. 372.b

De communi vita religioſorum quomodo peius ſentiāt Lutherani qui ſe euangelicos appellarunt, quam qui ſe olim vocarunt apoſtolicos, & quam aliqui Gentiles. 372.a b

Communicandum eſſe omnibus peracta conſecratione quomodo intelligendum ſit de miniſtris Eccleſiæ, & nō de laicis in epiſtola Anacleti. 77 a

Concilia bis ſingulis annis habēdi conſuetudo quomodo apoſtolicæ traditionis ſit, & vnde id conſtet. 24.b

Concilia prouincialia bis quoq; anno habenda eſſe, vnde probetur. 25 b

Concubina quæ ſit & dicatur in Synodo Tol. cap.17. 34.b

Quod confeſſio contra libertatē ſit nō ſpiritus, ſed carnis. 354.b

Confeſſio extorta quæ ſit dicēda. 77 a.b

Confeſſio ſecreta quomodo notata ſit à beato Petro & comparata cum vomitione, notata itē in prou Salomonis. 350.a.b

Cōfeſſio, quos prius ſanguis Chriſti mūdauit, ſi poſtea inquinati ſunt, quomodo eos ſecundum epiſtolam beati Ioannis mundet. 351 b

Cōfeſſio ſecreta, & neceſſaria omnium peccatorum grauiū quomodo non ſit difficilis. 352.a.b

Cōfeſſio in ſpecie & ſingulorum quomodo probetur ex loco Ezechielis cum loco epiſtolæ Ioannis collato. 353.a

Cōfeſſionem oris ſecretam quomodo cum vomitione Petrus comparauerit. 350.a

Cōfeſſionem qui facit in genere, id eſt qui confitetur ſe peccatorem eſſe, nihil in ſpecie, & ſigillatim confeſſus, quomodo nō erubeſcat. 351.a

Confeſſionem ſecretam qui veterum meminerint. 357.a

Cōfeſſiones vi extortæ cuiuſmodi ſint, & quid de eis Athanaſius ſcripſerit decretum eſſe in conciliis Græciæ, Galliæ, & Hiſpaniæ. 231.b

De confeſſione ſecreta quæ ſcripſerint Leo, Hieronym. Baſil. 392.a

In confeſſione non vereri erubeſcere propter metum Dei, quomodo gloria, & gratia ſit ſecūdum Salomonem. 351.b.352.a

Confitendi laborem & pudorem contra ſcripturas putat Lutherus aduerſari chriſtianæ libertati. 354.b

Confirmationis ſacramētum qui acceperunt, quibus verbis vocentur ab Apoſtolo. 177 b

Confir-

Confirmationis ſacramentum vt negarent hæretici, cur Satanas ſuaſit 176 b
Confirmationis verbum, quo ſacramentum hoc in omnibus eccleſiis catholicorum appellatur quomodo teſtimonium apoſtolicæ traditionis ſit 175.a
Ad confirmationis ſacramentum quæ oratio adhibeatur in apoſtolicis conſtitutionibus clemẽtis, qua Oriẽtis eccleſiæ vſque in hodiernum diẽ vtuntur 175 b
De confirmationis ſacramento Ioannem diſſerere, & Eſaiam prophetare quomodo teſtatur Cirill. Hieroſoly. 176 b
De confirmandis Synodis à Pontifice, quid Benedictus 3. ad Igmarum Rhemenſem, & quid Leo ad Marcianum ſcripſerint 132.a
De confirmationis ſacramento conſtitutio Apoſtolica. 175.a
De cõfirmationis chriſmate quomodo locum Eſ. c.25. Cirillus Alex. & Theophanes interpretentur 178.b
De confirmationis ſacramento quid Dionyſius Areop. & Cyrill. Hieroſo. ſcripſerint 175.b
Vt confirmentur concilia à Pontifice Romano quomodo ortũ duxerit conſuetudo iſta ex Synodo illa apoſtolorum Hieroſolymitana 132.a
Cõiugiis duobus copulatus poſt baptiſmum, quis ſit intelligendus 34.b
Cõſecrationis eccleſiæ multiplex cerimonia cum theoria id eſt myſtica interpretatione ex Iuone Carnotenſi 186. b 187.a
Conſecrationẽ eccleſiarũ qui negãt, quomodo ſcripturas veteris, & noui teſtamenti negent 181.b
Conſecratum locum in nouo teſtamento quomodo demonmus ſucceſſiſſe templo veteri ex duobus pſalmis, qui ſecundum apoſtolicam traditionem mane vnus, & alter, veſpere canuntur 182.b
Conſecratum locum ad ſacrificandum & orandũ vt in nouo teſtamento hæretici, concedãt reſpondere loco in vetere teſtamento conſecrato item ad ſacrificandum, & orandũ quomodo auctoritate ſcripturæ ſanctæ cogantur 180.b
De conſecrata domo domini ad orandum cõſtitutio apoſtolica 182, a b
De conſecratione eccleſiarũ diſputatio ex ſcripturis 179, 180, 181, 182, 183.a b
Pro conſecratis Deo eccleſiis teſtimonium Cõſtantini magni, Arianorum, Athanaſij, Ennodij Ticinenſis 185 b 186. a
Conſtantinus quam poteſtatẽ in Patriarchas cõtulerit Põt. Ro. diſt. 96. c. conſtant 239.a
Conſtitutionum libros à Clemẽte ſcriptos quomodo tempore Photij quidã reprehenderent, quod idẽ auctor leue eſſe, & fa-

cile refelli poſſe iudicauit 157 a
Conſtitutionum apoſtolicarum, quas Clemens deſcripſit duplex inſcriptio 233.b
Conſtitutionũ Apoſtolicarũ materia quomodo generaliter ab Apoſt. deſcripta & cõprehẽſa ſit in epiſt. ad Philip. 98.b
Conſtitutionum Apoſtolicarum quas Clemens ſcripſit auctoritate, qui veterum auctorũ vſi fuerint 173.a
Conſtitutiones Apoſtolorum à Clemẽte Rom deſcriptæ, quas Διατάξεις vocauit, quomodo ſimiliores ſint monitis, quam legibus eccleſiaſticis, quas canones Apoſtoli vocarunt 98. b
Conſtitutiones Apoſtolorũ quomodo neceſſariæ ſint ad cuſtodiendum canones Apoſtolorũ 98.b 99.a
De conſtitutionibus Apoſtolorũ à Paulo generaliter cõprehenſis, & à Clemente ſigillatim deſcriptis 99.b
Conſubſtantialitatẽ filij qui ante Arium negauerint 150.a b
Conſubſtantialitatem filij Dei prope centũ viginti annis ante Arium quomodo Sixtus 2. in epiſtola ſua, quæ adhuc extat, defendit 151.a
Conſuetudo ad quam primatus Pontificis Roman. in epiſtolis Pont. & ſanctorum Patrum libris, & in Synodis referri ſolet, quomodo & qualis intelligẽda ſit 208 b
Cõſuetudo quomodo in natura & ſcriptura niti poſſit, quod Magd. non intellexerũt 209.a
Conſuetudo priſca epiſcopi Romani quæ ſit intelligenda in 6, canone conc. Niceni 205.a
Conſuetudines eccleſiarum catholicarum cur nõ ſit mirum, negari à Lutheranis 189.b
Conſulum notatio in litteris à Pontificibus datis quam ſit incerta & nullius momenti ad auctoritatẽ ipſarũ litterarũ, & quid Maſſæus chronographus de ea re ſcripſerit 246 b 247 a
Continẽs cum ſolum ponitur, id eſt, ſine additione eius rei, cuius quis continens eſt, vt gloriæ, auri & ſimilium, quomodo ad voluptates guſtus & tactus proprie refertur, etiam in ſcripturis 2.a
Continens & caſtus, ſiue pudicus quid inter ſe differant 2.b
Continentis nõ eſſe vxore ſua vti ſecundum Paulum 2.b
Continentes qui dicantur apud Paulum & quæ ſit continẽtia ex apoſtolica doctrina 407.b
Continentiæ ſacerdotalis præceptum diuinum & non humanum eſſe auctore Clemente Romano 4.a
Continentiam non poſſe accipi pro generali virtute in loco Pauli epiſt. ad Tit. c.1. 3.a
Continendi facultas quomodo in homine continere volente ſit, idque ſcriptura, ratione, & auctoritate & exemplis teſtantibus 410.b 411.a

Contraria ſanctos patres decrecreuiſſe, qui exiſtimat, is ſpiritui S. iniuriam facit, Igmaro Rhemenſi auctore 166 b
Cor in ſcriptura ſignificare mentem cum dilectione notatum à veteribus 308.a b
Cordibus tabula quæ ſit in Prou. Salom. 318.a
Corde intelligere quid ſit 317.a
Creatura aquæ, vel panis cũ per verbum & orationem cũ gratiarum actione ſanctificatur, quomodo neceſſario virtutem aliquam ſpiritualem accipiat, nec id Lutherani negare poſſint 227.a b
Credere perfecte, & ſane quis dicatur ſecundũ ſcripturã 310.a
Cultus Dei voluntarij & ſi fiant ſine verbo Dei iubente, nõ tamen ſine verbo Dei, approbãte 379.a
Cultus Dei voluntarios ac ſine mandato Dei, non eſſe ſuperſtitioſos vt hæretici tradũt, ſed Deo acceptos 378, 379, 380.a b
Cultus diuini ex duplici genere aut præſcripto, ſiue iuſſo, aut volũtario, ſiue ſpõtaneo quomodo contra ſcripturam alterum id eſt voluntarium hæretici noui tollant 383. b 384.a
Curię ſæculari tradi clericos reos mortis quomodo ſcripturę noui teſtamenti conſonet 163.a b
Curię ſæculari tradi clericos reos mortis cum Pius iuſſit decreto ſuo quomodo non intellexit de ſæculari curia chriſtianorũ, quæ nulla tunc erat 163.a

D

Damaſus quo genere vitas Pontificum ſcripſerit 441.a b.
Damaſus de epiſtola Clementis ad Iacobum & de doctrina Petri in ea, ac de duabus itẽ epiſtolis Anacleti in exemplari vetuſto manu ſcripto meminit 440.b
Dæmonia qua fide & quibus meritis eiicerẽt ex corporibus Apoſtoli 344.a b
Decreta aliqua citata ex epiſtolis Pontificũ ſi in eis non reperiãtur, quid ſentiendum 443 b
Decreta ex epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum à Gratiano ſumpta quomodo ſuis auctoribus contra commentũ Magdeburgenſium ab eodem aſſignata ſunt 442.b 443.a
De depoſitis clericis non excommunicandis 67.a
Detrimentum pati quid in ſcriptura ſignificet 338.a
Dei cur in ſcriptura vocẽtur, qui ſunt iudices 263.a
Dicere quis dicatur ſecundum idioma ſcripturæ 328.a
Dierum obſeruationem, quã adhuc hæretici tenẽt, quomodo excuſare ſoleant, & quomodo redarguantur 426.a
Dierum obſeruatio ad ieiunandum quomodo ex euangelio deriuata ſit 427 b

Dierum obſeruationem ad ieiunandum, & ad celebrandum Paſcha Aerius hæreticus ante Lutheranos negauit. 428.a
Dierum obſeruationem ad ieiunandum quarta, & ſexta feria quomodo Epiphanius ab Apoſtolis traditam eſſe dicit, & de quo ieiunio intelligatur 429 a
Dierum, & temporum obſeruatio ad lectionē ſcripturarū in eccleſia vnde profecta ſit 429 b
Dilectio quomodo ſit primus motus mentis ad diuina mandata facienda 314 b
Diœceſes eccleſiarum aſſignatæ, & diſtributæ epiſcopis ſuis tēpore Apoſtolorum 23.a b
Diœceſis Pōtificis Rom. niſi eſſet vna toti⁹ orbis chriſtiani, quid abſurditatis, & repugnantiæ ſequeretur 207.b
De diſpenſandis canonibus conciliorum, & Apoſtolorum quę Igmarus Rhemenſis ſcripſerit 103. b
Diſpenſandi in legibus eccleſiaſticis & canonibus Apoſtolorum quomodo varias cauſas breui attigit Eutychianus Pōt 103. b
Diſpenſator non fidelis, neq; prudens quomodo non minus cōſtitutus ſit ſuper familiam domini, quam fidelis & prudens 397.a
Diuina & non humana quando aliquis loqui dicendus eſt 4. b
Dolere caſus noſtros quomodo dicantur beati 157.a b
Dominici diei obſeruatio vniformis ad honorem, & cultū reſurrectionis domini quando Magdeburgenſes & Lutheranos omnes vniformem obſeruationem Paſchalem damnātes coarguat 426.a
Dominico die qui prætextu beneficientie, & eleemoſynæ pauperum operas conducit, quomodo furetur diem domini, ex Euſebio Alexandrino 426.a b

E

EBrietas, quā efficit calix Dominicus in iis qui digne bibunt, qualis ſit 359.a
Ebrietas, in ſcriptura aliquando ſignificat ecſtaſim, id eſt, mutationem in meliorem ſtatum, aut excellentiam intelligentiæ 358.b 359.a
Eccleſias eſſe domos ad orationē Deo dedicatas qui negāt, alienos eſſe à prophetia Eſaiæ c. 56. & ab euangelio 181.b
ab Eccleſia omnino abſcindi clericū, vt eſt in canone 28. quid ſit, interpretatus eſt Nicolaus 1 cum citat hunc canonē 83.b
Eccleſiam eſſe ædificatam ſuper ſedem Apoſtolicam, quid ſignificet 133.b
Eccleſia vniuerſalis quemadmodum ſit ſingulis epiſcopis cōmiſſa. nec id primatui Pont. repugnet 144, 145, 146, a b
In Eccleſiæ rebus ablatis reſtituē

dis, quid ſit quintam partẽ adiicere iuxta canonem Apoſtolorum. 76.b 77.a

Eccleſiæ vniuerſalis quæ ſint partes,& quomodo diſtinctę ſint, ſed non diuiſæ, imò cohærentes 145.b 146.a

De Eccleſiarum cõſecratione vide conſecrationem eccleſiarũ 179.b

Ad Eccleſiarum priuilegia pertinere, vt res earum Deo conſecratæ habeantur 76 b

Eccleſiaſtica ab Apoſtolis conſtituta, ac diſpoſita eſſe quomodo non ſolum Paulus, ſed propheta quoque Dauid teſtis eſt 99.b 100.a

In Eccleſia quod neque Miſſas celebrare, nec aliud quid ſacri miniſterij exercere liceat ſine auctoritate epiſcopi 188.a

Eccleſiam ædificatam eſſe ſuper Petrum quomodo neceſſario concludatur ex ratione firmãdi fratres, & eccleſias fratrum in fide, quod ei dominus commiſit 133.a

Eccleſiam ædificatam eſſe ſuper eccleſiam Romanam quomodo Magdeburgenſes finxerint ſcriptũ eſſe ab Anacleto 140.a b

In eccleſiis deo ſanctificatis quomodo neceſſe eſt impleri quod Salomon dixit, vt in æternum ſit ibi nomen Dei 185.a

Eccleſiam catholicam quomodo negant, qui originem & fundamentum vnitatis eius id eſt, Pontificem negant 141.a

Eccleſia catholica, quam credere oportet ſecundum articulum Symboli, quomodo vna ſit finite,& determinate,& non infinite 141.a

Eccleſias cum Lutherani ſpoliãt, quomodo, quod de Antichriſto à Daniele prædictum eſt, tanquam præcurſores eius faciunt 118.b

Eccleſia Romana cur princeps omnium eccleſiarum ſit 268.a

De eccleſiæ loco quid ſcripſerit Euſebius Alex. in homilia de die Dominico 184.b

Eccleſias in fide firmare quod Põtifici Rom. conueniat vt Petræ eccleſiæ, teſtimonio eſt, Synodus Eph. 128.b

In eccleſia orandi fructus ex ſancto Maximo & de religione ædium ſacrarum ex Aug locis variis 185 b

Eccleſiæ fundamentum quale ſit Chriſtus,& quale Petrus 267.b 268 a

Eccleſiæ id eſt, domui domini ad orandum & ſacrificandũ, quæ nomina impoſita ſint ab Apoſtolis, quæ hodie durant, vt ſint in teſtimonium ædificationis, & ſanctificationis eius 183.a

Eccleſias omnes regere quomodo dictus ſit Iacobus frater domini à Clemente 73.b

De eccleſiæ extructione, ſiue ædificatione verſus orientẽ 183.a

Eccleſiam domum domini quõ verbo Apoſtoli vocarunt, &

quomodo ex eo nomine demonſtretur. quod nō ſit locus communis 182.a
De eccleſiæ forma in modū nauis ab architectis ſpiritualibus S.Apoſtolis deſcripta, & conſtituta 182.b
Eccleſiam ædificatam eſſe ſuper ſedem Apoſtolicam quid ſignificet in epiſtola Anacleti 133.b
Eccleſiam vniuerſalem dupliciter committi, in ſolidum, aut ex parte 146.a
Eccleſiæ locum ſenſibilem quomodo magis cōueniat ſanctificari per verbum & orationē ad orandum, quam cibum ad comedendum 181.b
Eccleſias qui negant domos eſſe ſanctificatas Deo peiores eſſe Iudæis,& quare 184.a b
Eccleſiarum diſpoſitio per grad⁹ diſtinctos epiſcoporū in Belgica & Germania à tempore Apoſtolorum 168.b
Eccleſiam noſtrā eſſe domū nouiſſimam ſub ſenſum cadentē ab Aggæo prophetatum 184.a
Eccleſia,quod ſit domus ſanctificata, demonſtratio ex prophetia Aggæi 185 a
Eccleſia ad quem vſum ædificetur,ex verbis Salomonis in dedicatione tēpli intelligi 183. b
Pro eccleſiis conſecratis Deo teſtimoniū Magni Conſtantini, Arianorū, Athanaſij, Ennodij Ticinenſis 185. b 186.a
Eligere in ſcriptura,quomodo ſit homonymum 57 a b
Eligēdi duplex genus in ſcripturis 57.a
Epiſcoporum typus & vmbra quomodo fuerint Moyſes & Aaron 270.a b
Epiſcopatus vnus & indiuiſus,cuius pars in ſolidum tenetur, quod Cyprianus ſcripſit, quomodo intelligendum ſit 145.b 146.a
Epiſcopos quales non eſſe accuſandos, & à quibus, Petrus in doctrina ſua in epiſt.Clem. teſtimoniis propheticis, quæ citat,declarat 266.267.a b
Epiſcoporum ſupra principes ſæculi quanta ſit excellentia ex apoſtolica cōſtitutione à Clemente ſcripta 394.b 395.a
De Epiſcopis nō accuſandis quæ Igmarus Rhemenſis Archiepiſcopus ſcripſerit erudite 264.b 265.266.a b
Epiſcopos ſupra principes,& magiſtratus ſæculi eſſe quomodo ex ſcripturis doceatur 395.a b
Epiſcopi, qui ſunt diſpenſatores eccleſiæ,quomodo olim dicebantur actores 78 a b
Epiſcopum,& preſbyterū differre inter ſe,quomodo ſenſerit Hieronymus aduerſus Magdeburgenſes, & eorum teſtem Kalcheiſem 445.a b
Epiſcopatum vnū eſſe, qui apud ſingulos epiſcopos in ſolidum eſſet, quomodo patronus Molinei finxerit ſcriptū eſſe à Cypriano 146.a
Epiſcopatus quam difficile opus,

& labor ſit, ex Iſidoro Pelusiota 262.a

Epiſcopos accuſare quãdo liceat, & quæ vtilitas inde exiſtat, quod accuſari poſſint 266.a b

Epiſcopi, quos epiſtolæ Põt. Apoſtolicorum accuſari prohibẽt, qui ſint, & quales Euariſt⁹ Clariſſimis verbis docuit 257.a

Epiſcopus epiſcoporum vt Pont. dicatur, ex qua forma ſumptũ ſit & vbi Tertullianus ſic Pontificem appellauerit 117.b

Epiſcopis quare tantopere Apoſtolici Põtifices cauerunt, ne à quibuſuis, & facile accuſarentur 262.a

De epiſcopis accuſandis, & non accuſandis decreta, quæ cõtraria videntur, quomodo concilientur 265.b

Epiſcopos à quib⁹ laicis accuſari, & quãdo Clemẽs permiſerit interprete Anacleto 254.b 255.a

Epiſcopum quando ſubditi accuſare poſſunt 266.a

Epiſcopos inique, & temere accuſare quod tam diligenter Põtifices Apoſtolici prohibuerint, cur tantopere hæretici centuriatores reprehendant 264.a b

Epiſcopos, & ſacerdotes quomodo Lutherani minus honorẽt quam Gentiles ſuos ſacerdotes idolorum 398.a

Epiſcopis quantum honoris tribuendum ſit, quomodo Greg. Pont ad Mauritium Imperatorem ſcripſerit 399.a

Epiſcopis quantũ honoris & reuerentiæ adhibendum ſit, quomodo exemplo Gentilium cõſtitutio apoſtolica à Clemente ſcripta docuerit 398.a

Epiſcoporum diſtinctos gradus eſſe, id eſt, alios epiſcopos, alios Archiepiſcopos & alios Patriarchas quomodo ſit ab Apoſtolis traditum, & hæc traditio ſcripturæ conſentiat 167.b 168.a

Epiſcopos non eſſe à laicis accuſandos de quibus Epiſcopis, & de quibus laicis intelligẽdum ſit in epiſtolis Põtificum Apoſtolicorum quomodo ex eiſdẽ epiſtolis intelligitur 252.b 253.a

Epiſtolæ Pontificũ quibus Conſſ. ſcriptæ fuerint, ad earũ auctoritatem nihil referre cũ magna ſit interdum inter auctores de Conſſ. diſſenſio 246.b 247.a

Epiſtolæ Alexandri locus emendatus ex vetere exemplari. 78.a

Epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum veras eſſe quomodo confiteri cogantur, qui eas negant, aut omnium auctorum præteritorum libros falſos eſſe dicere 450.b

Epiſtolam Clementis quomodo, & quib⁹ argumẽtis Molineus in margine decreti Gratiani 6. q.1. oppugnet & reſponſio ad ea 254.a

Epiſtolas Põtificum Apoſtolicorũ vt Magdeburgẽſes cẽturiatores negarent, quid eos mo-

uerit 111.b

Epiſtolas priſcorum Pontificum qui in libris ſuis meminerint 454.a

Epiſtolæ Clementis ad Iacobum character cum libris eiuſdem de conſt. collatus 113.a b

Ad epiſtolarum Pōtificalium accuſationem reſpondendi quæ cauſæ fuerint 111.b

Ex epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum quod ſententiæ aliquando à poſterioribus vſurpentur, auctoribus earum non citatis nominatim, quomodo hoc non minuat auctoritatem illarũ ſed augeat potius 114.a

In epiſtolas Pontificum ſimilitudo ſtyli, & argumenti quam ridicule obiiciatur ab hæreticis 112.b

Epiſtolas Pontificum à ſexto ſæculo poſt natalē domini Magdeburgenſes recipiunt 223.b

De epiſtola Pauli ad Philip. quādo ſcripta 165.a

Epiſtolas decretales Pontificum Apoſtolicorum cur Leo 4. nō cōmemorauerit inter epiſtolas aliorum Pontificum, quas cōmemorauit diſ. 20. 440.b 441.a

Epiſtolam ad Corinthios ex perſona eccleſiæ ſcripſit Clemēs, & quomodo faciendo perſonam eccleſiæ aliquid ſimile fecerit, vt faciendo perſonam Iacobi iam mortui, ad quā ſcripſit 160.a

Epiſtolarum materia, quā Magd. requirunt in Apoſtolicis Pōtificibus, quomodo in eis reperiatur 149.b 150. 151.a

Epiſtolam eſſe alteram partē dialogi, vnde vt fieri ſolent perſonæ in dialogis, ſic etiam poſſe in epiſtola 160.a

Euchariſtiam ſacram, peracta cōſecratione, eſſe ſuper altare, & adorari, & peracta communione, ſeruari, quomodo ſcriptura, & apoſtolica cōſtitutio, ſancti patres, concilia, & conſuetudo omnium eccleſiarum probant, & dæmones ipſi etiā licet inuiti confitentur 361.b

Euchariſtiam ſacram extra vſum eſſe quomodo Synodus Nicena aperte dixerit, & quomodo Caluinus locū Synodi deprauare conatus eſt 361.a

Euchariſtiā eſſe extra vſum quomodo Paulus Samoſatenſis cōfitebatur, quamquam alio modo impiè & hæreticè de Euchariſtia ſacra ſentiret 359.b

Euchariſtiam eſſe extra vſum cōmunionis quomodo ex euangeliſtis inter ſe collatis demōſtretur 359.a

Euchariſtiam qui negligenter cuſtodiunt presbyteri vel diaconi cur anathemate affici beatus Petrus iuſſerit 361.b

Euchariſtiæ ſacræ reliquias non eſſe ſeruādas ex quo principio hæretici duxerunt 357.b

Euchariſtiæ reliquias ſeruandas eſſe, & ad quid ex Synodo Nicena 358.a

Euchariſtiæ ſacræ reliquias ſeruā-

das eſſe in ſacrario conſtitutio Apoſtolica 357.b
Euchariſtiam ſacram eſſe extra vſum ex ſcriptura ſancta demonſtratur, & aduerſus hæreticos defenditur 357, 358, 359, 360, 361. a b
In Euchariſtię ſacrę myſterio quē errorem Corinthij committerent, & Paulus correxerit, auctore Cyrillo 88.a b
Euſebium obiicientibus, qui Dionyſij non meminiſſet, quid S. Maximus reſponderit 439 a
Euāgeliorum materia multiplex à Dionyſio ſummatim notata, & comprehenſa 188 b
Euſebius Cæſarien. quam multos libros dicat non veniſſe ad manus ſuas 438.b
Euangelium Ioannis quo tempore ſcriptum fuerit 27.a
Excommunicatio cur dicta exiliū finitimum 74.a
Excommunicatione cur dignum crimen eſſet veſci ſanguine, & ſuffocato 15.a
Excommunicari ad agēdam pœnitentiam laicis, & non clericis conuenit, & cur. & vnde hæc cōſuetudo manarit 18 a. b
Excommunicandorum omnium catalogum non texuit apoſt. 1. Cor. c. 5. contra Magd. 14.a b
Excommunicatione dignum ieiunare die dominico & cur 16.a
Excommunicationis pœna cur quædam olim ſancire expediret, quæ nunc non expedit 107.b

F

Fama quā ſit grauis teſtis harum epiſtolarum 450.a
Feſtos dies ſanctorum celebrare quomodo Euſebius Alexand. ante annos mille trecentos & amplius teſtetur, præcepiſſe dominū ſcilicet per Apoſtolos ſuos & ad quid proficiat 427.a b
Feſtorum dierū obſeruatio quomodo ex Apoſtolica traditione profecta in ſcriptura Pauli doceatur 426.b
Feſtos dies Apoſtolorum celebrare qui dicunt non fuiſſe modeſtiæ Apoſtolorum præcipere, quid eis reſpondendum ſit, & quomodo refellendi 427.a
Fidem quoties laudat ſcriptura, quam fidem laudet 318 b
Fidei Abrahæ & promiſſionis ei factæ comparatio cum fide Petri, & promiſſione ei facta 134, 135, 136.a b
Fidem eccleſiæ Romanæ tanquā regulam, & medicinā quomodo ad epiſcopos prouinciarum Pontifex creatus antiquo more mittebat, vt beatus Gelaſius teſtatur 127.a b
Fides Petri qualis, & quomodo totius trinitatis fuerit 134.b
Fides Petri, quam confeſſus eſt à domino interrogatus, quos hæreticos coarguat 161.a
Fidei ſoli quare vim iuſtificandi tribuant Lutherani 313.a
Fidei perfectionem ex dilectione,

uerit 111.b

Epiſtolas priſcorum Pontificum qui in libris ſuis meminerint 454.a

Epiſtolæ Clementis ad Iacobum character cum libris eiuſdem de conſt collatus 113.a b

Ad epiſtolarum Pōtificalium accuſationem reſpondendi quæ cauſæ fuerint 111.b

Ex epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum quod ſententiæ aliquando à poſterioribus vſurpentur, auctoribus earum non citatis nominatim, quomodo hoc non minuat auctoritatem illarū ſed augeat potius 114.a

In epiſtolas Pontificum ſimilitudo ſtyli, & argumenti quam ridicule obiiciatur ab hæreticis 112.b

Epiſtolas Pontificum à ſexto ſæculo poſt natalē domini Magdeburgenſes recipiunt 223.b

De epiſtola Pauli ad Philip. quādo ſcripta 165.a

Epiſtolas decretales Pontificum Apoſtolicorum cur Leo 4. nō cōmemorauerit inter epiſtolas aliorum Pontificum, quas cōmemorauit diſ 20. 440,b 441.a

Epiſtolam ad Corinthios ex perſona eccleſiæ ſcripſit Clemēs, & quomodo faciendo perſonam eccleſiæ aliquid ſimile fecerit, vt faciendo perſonam Iacobi iam mortui, ad quā ſcripſit 160.a

Epiſtolarum materia, quā Magd. requirunt in Apoſtolicis Pōtificibus, quomodo in eis reperiatur 149.b 150. 151.a

Epiſtolam eſſe alteram partē dialogi. vnde vt fieri ſolent perſonæ in dialogis, ſic etiam poſſe in epiſtola 160.a

Euchariſtiam ſacram, peracta cōſecratione, eſſe ſuper altare, & adorari, & peracta communione. ſeruari, quomodo ſcriptura, & apoſtolica cōſtitutio, ſancti patres, concilia, & conſuetudo omnium eccleſiarum probant, & dæmones ipſi etiā licet inuiti confitentur 361.b

Euchariſtiam ſacram extra vſum eſſe quomodo Synodus Nicena aperte dixerit, & quomodo Caluinus locū Synodi deprauare conatus eſt 361.a

Euchariſtiā eſſe extra vſum quomodo Paulus Samoſatenſis cōfitebatur, quamquam alio modo impiè & hæreticè de Euchariſtia ſacra ſentiret 359.b

Euchariſtiam eſſe extra vſum cōmunionis quomodo ex euangeliſtis inter ſe collatis demōſtretur 359.a

Euchariſtiam qui negligenter cuſtodiunt preſbyteri vel diaconi cur anathemate affici beatus Petrus iuſſerit 361.b

Euchariſtiæ ſacræ reliquias non eſſe ſeruādas ex quo principio hæretici duxerunt 357.b

Euchariſtiæ reliquias ſeruandas eſſe, & ad quid ex Synodo Nicena 358.a

Euchariſtiæ ſacrę reliquias ſeruā-

das eſſe in ſacrario conſtitutio Apoſtolica 357.b
Euchariſtiam ſacram eſſe extra vſum ex ſcriptura ſancta demonſtratur, & aduerſus hæreticos defenditur 357, 358, 359, 360, 361 a b
In Euchariſtię ſacrę myſterio quē errorem Corinthij committerent, & Paulus correxerit, auctore Cyrillo 88.a b
Euſebium obiicientibus, qui Dionyſij non meminiſſet, quid S. Maximus reſponderit 439 a
Euāgeliorum materia multiplex à Dionyſio ſummatim notata, & comprehenſa 188 b
Euſebius Cæſarien. quam multos libros dicat non veniſſe ad manus ſuas 438.b
Euangelium Ioannis quo tempore ſcriptum fuerit 27.a
Excommunicatio cur dicta exiliū finitimum 74.a
Excommunicatione cur dignum crimen eſſet veſci ſanguine, & ſuffocato 15.a
Excommunicari ad agēdam pœnitentiam laicis, & non clericis conuenit, & cur. & vnde hæc cōſuetudo manarit 18 a. b
Excommunicandorum omnium catalogum non texuit apoſt. 1. Cor. c. 5. contra Magd. 14.a b
Excommunicatione dignum ieiunare die dominico & cur 16.a
Excommunicationis pœna cur quædam olim ſancire expediret, quæ nunc non expedit 107.b

F

Fama quā ſit grauis teſtis harum epiſtolarum 450.a
Feſtos dies ſanctorum celebrare quomodo Euſebius Alexand. ante annos mille trecentos & amplius teſtetur, præcepiſſe dominū ſcilicet per Apoſtolos ſuos & ad quid proficiat 427.a b
Feſtorum dierū obſeruatio quomodo ex Apoſtolica traditione profecta in ſcriptura Pauli doceatur 426.b
Feſtos dies Apoſtolorum celebrare qui dicunt non fuiſſe modeſtiæ Apoſtolorum præcipere, quid eis reſpondendum ſit, & quomodo refellendi 427.a
Fidem quoties laudat ſcriptura, quam fidem laudet 318 b
Fidei Abrahæ & promiſſionis ei factæ comparatio cum fide Petri, & promiſſione ei facta 134, 135, 136.a b
Fidem eccleſiæ Romanæ tanquā regulam, & medicinā quomodo ad epiſcopos prouinciarum Pontifex creatus antiquo more mittebat, vt beatus Gelaſius teſtatur 127.a b
Fides Petri qualis, & quomodo totius trinitatis fuerit 134.b
Fides Petri, quam confeſſus eſt à domino interrogatus, quos hæreticos coarguat 161.a
Fidei ſoli quare vim iuſtificandi tribuant Lutherani 313.a
Fidei perfectionem ex dilectione,

quæ voluntatem operãdi perficit, quomodo natura, & ſcriptura doceant 317.b
Fidei Petri cum fide Abrahæ cõparatio ex notatione Hieronymi 161.b
Fides vt iuſtificet vnde accipiat vim, ſcilicet ex charitate, & quare 313.a
Fidem ſolam qui habet, fidem quam habet, quare videatur nõ habere ex S.Diadocho 312.a
In fide eccleſias firmare quod Põtifici Romano conueniat teſtimonium grauiſſimum Synodi Epheſinæ 129.a b
Fidei confirmationem à Romano Pontifice per Synodicas literas Patriarchas petere Apoſtolica traditio 126.a b
Fideiuſſores fieri cur, & quando clericis nõ liceat & de canone Niceno hoc prohibente 21.b
Fidei Põtificis Eccleſiæ Rom. ſanitas vnde exiſtat, & vnde ſanitas fidei aliarum eccleſiarum 126.b
In Fide firmare fratres quomodo beato Petro tãquam Petræ eccleſiæ conueniat exemplum illuſtre in Paulo conferente euãgelium cum eo 124.a b
Fides aliorum patriarcharum cur aliquando defecerit, imò cum fide ſuas ſedes ſimul & libertatem amiſerint 126.b
Fides ſola quomodo non habeat hanc naturam ſecundum Lutheranos, vt exerat vires ad operandum 309.a
Fides beneplaciti quæ fides vocetur in Eccl.c.15. 322.a
Fidem viuam, & mortuam quomodo neceſſe ſit, vt concedat, qui concedit eſſe ſpem viuam, quam vocat beatus Petrus, cui neceſſe eſt oppoſitam eſſe ſpẽ mortuam 326.a b
Fidem non amitti propter peccata mortalia quomodo ex ſcriptura demonſtretur 310, 311, 312.a b
Fide Chriſtum apprehendere pro nobis paſſum quando, & quomodo ſufficiat 317.a
Ex Fide eſſe qui dicantur ab Apoſtolo 346.b
Fides & oratio latronis in cruce qualis fuerit 329.a
Fides quomodo ſit fundamẽtum iuſtitiæ 318.b
Fidem ſolam ad iuſtificandum valere qui tradũt, quas naturæ repugnantias in iis, quibus vtimur, afferant 318.b
Fidem tantum, ſiue fidem ſolam qui ex catholicis patribus laudarunt quomodo fidem cum dilectione intellexerint 319.b 320.a
Fides viua quomodo demonſtretur eſſe cum dilectione 326.b 327.a
In fide confirmati quomodo fuerint omnes à Petro in illa Synodo Hieroſolymitana 132.a b
Fidem perfectã & ſanam eſſe, quę habet obedientiam adiunctã, quomodo Paulus probet teſtimonio Eſaiæ 309.b 310.a

Fide ſola apprehēdere Chriſtum pro nobis paſſum, quomodo nihil aliud ſit quam eſſe auditorem legis, qui ſecūdum Paulum non iuſtificabitur 324.a
Fidem ſolam ſine charitate dæmonum eſſe & nō hominum, quomodo redarguatur contra hæreticos per ſcripturam 312.a
De fide ſola iuſtificante quæ Heerbrandus Tubingēſis doctor nuper contra Synodum Tridentinam ſcripſerit, & eorum confutatio 311.b
Fidem vt noui hæretici amiſerint, vnde factum ſit ſecundum Cypriani veriſſimam ſententiam 141.b
Fidem à fiducia diſtingui, quomodo ex ſcripturis demonſtretur 315.a b
Per fidem ſolam quomodo Lutherani cōmendent apud deū, quos Chriſtus, & Apoſtolus eius Paulus non commendant, ſi non ſunt operarij inconfuſibiles 277.a
Fidem ſolam & nudam prædicare quo modo audientes ſubuertat 277.a
Fiducia leuis quæ ſit, & quæ bona, & ſancta 313.b
Firmare in fide eccleſias quomodo neceſſario ei conueniat, ſuper quem ædificata eſt eccleſia, id eſt Pontifici Petri ſucceſſori 133.a
Flamines, & archiflamines, de quibus non meminit antiquitas, vnde Clemens acceperit, curioſè quærunt, qui cauſam cur ſic appellauerit, ignorant 237.b
Flamines primi, & archiflamines quos Clemens dicit, qui iudices eſſent, nempe religionis, & cur ſic dicti à Clemente 237.b
Fundamentum eccleſiæ quale ſit Chriſtus & quale Petrus 267.b 268.a

G

GRadus eccleſiaſticos diaconorum, preſbyterorum, epiſcoporum, & aliorum maiorum, quam ſint epiſcopi, vt ſunt tum Archiepiſcopi ſiue Metropolitani, tū Patriarchæ, quomodo Dionyſius Areop. diſtinxerit ex obſeruatione etiā S. Maximi 237.a
Gradus eccleſiaſtici cum quibus comparentur in epiſtola Clementis, & Anacleti 233.a
Gratia quomodo cum libero arbitrio conueniat, quo exemplo Methodius martyr docuerit. 298.a b
Gratiam dei cum libertate arbitrij quomodo ſcriptura coniūgere ſoleat 294.b 295, 296.a b
In Gratiani decr. 9.q.2.c. Epiſcopi, quid falſo appoſuerit margini Molineus 211.a
Grat. diſt. 96.c. Conſtātinus, quid Imperator Conſtan. Pontifici in Patriarchas cōceſſerit 239.b 240.a

Grat.6.q 1.quæ in margine à Molineo praue annotata ſunt, & confutatio eorum 253.b

H

HÆretici quibus morbis laborent, notaſſe Irenæum verbis propriis 246.b
Hæreticorum ſuperbia maxima nolle cum Rom. Pontifice & eius eccleſia conferre euangelium ad exemplum Pauli 127.a
Hieroſolymitanus Archiepiſcopus quibus prouinciis præſit, &cur Metropolitano Cæſareæ ſubiectus ſit 159.a
Homouſij verbo, quod Athanaſius ſcribit, non fuiſſe inuētum in Synodo Nicena, quomodo Euſebius Alexādrinus vſus eſt in homelia in Aſcēſionem domini 151.a
Hoſtiæ ſpirituales aure, & cauda carentes quæ ſint in Leuitico 378. b
Hypocriſis Lutheranorum à Paulo de hæreticis futuris prædicta, quæ ſit 273.a

I

IAcobus frater domini quomodo dictus ſit in epiſtolæ Clementis inſcriptione regere omnes eccleſias 160.a
Iacobum iam mortuum vbi viuētem faciat Clemens in libris de conſtitutionibus Apoſt. vt alios Apoſtolos, ſicut in epiſtola quoque viuentem fecit 155.b 156.a
Ad idolorum cultum qui cibi pertinerent 15.b
Ieiunium fructū pœnitentiæ quomodo Ioannes ſimul cum pœnitentia prædicaret 384.b
Ieiunium Niniuitarum vnde didicerit rex, & cur vſque ad pecudes progreſſum, & quid illud docuerit in ænigmate 384.b
Ieiunium indictū quomodo Bauaros ante annos prope octingentos à plaga mortifera ſeruauerit 10.b
Ieiunij lex quare non poſſit ad ſeruitutem pertinere, vt hæretici tradunt 386.b
Ieiunium ſpontanei cultus dei quod ſit 389 a b
De ieiunio Dominici quid Synodus Gangrenſis ſanxerit 70.b
Ieiunij ratio quomodo non patiatur, non abſtinēdum eſſe ab eſu carnis, & de etymologia vocabuli 385 b
Ieiunium ſextæ feriæ, & ſabbati ieiunium inchoatum eſſe in abſtinendo ab eſu Carnis 68.b
Ieiunium quartæ feriæ & ſabbati inchoatum, non eſſe in commune traditum 69.a
Ieiunium genus oblationis, & ſacrificij auctore Tertullia. 388.b 389.a
De ieiunio quartæ & ſextæ feriæ in eccleſia Orientis, & Occidētis 88.b
Ieiunium quadrageſimæ nō ſeruare cur excommunicatione

crimen dignum 16.a
Ieiuniorum legis moderationem quam eleganter Prudẽtius deſcripſerit, & nõ ad ſeruitutem, ſed ad charitatem pertinere ſignificauerit 392.b
Ieiuniorum, quæ iuſſa ſunt, quã ſit ſuauis lex & ad infirmitatẽ humani corporis accomodata, & varia eorũ ratio, & modus 392.a
Ieiunij quadrageſimæ quæ ſit ratio auctore etiam Chryſoſtomo 388 b
Ieiunium quoddam inchoatum eſſe abſtinere à carne, licet non ſemel prandeatur 9 b
Ieiunium nõ licuiſſe patribus indicere qui tradunt, quomodo à ratione, & à ſanctis ſcripturis diſcrepant 384.b
Ieiunij tempore peccatum eſſe edere non propter ſumpſionem cibi, ſed propter inobediẽtiam legis 389 a
Ieiunij diſtinctio in perfectum, & imperfectum ſiue inchoatum ſecundum Damaſcenum 68.b
Ieiunium quartæ & ſextæ feriæ à domino & ab Apoſtolis eius indictum 9.b
Ieiunium indicere, non eſſe laqueum conſcientiis iniicere, vt tradunt Lutherani, quemadmodum ex ſcripturis doceatur. 8.b
Ieiunium quadrageſimæ ex Apoſtolica traditione, vnde conſuetudo omnium eccleſiarum orientis & Occidentis fluxit 385.b
Ieiunij duplex ſcopus & finis ex Anaſtaſio Antiocheno 388.b
Ieſus nomẽ Hebraicum quomodo quaſi ductum eſſet ex Græco ἀπὸ τῆς ἰάσεως, medicum interpretati ſint antiqui & eruditi auctores 122.b
De imaginum cultu quid beatus Athanaſius ſcripſerit 92.b
Imaginum cultum qui tollunt quomodo idola colentibus faueant 91.b
De imaginibus Chriſti, & ſanctorum eius colendis canon Apoſtolorum 91.a
De imagine Chriſti adoranda vbi ſcriptum ſit ex Nicephori Patriarchæ conſtantinop. dialogo 92.b
Imaginis adoratio quid differat à prototypi adoratione, cum ſit vna 92.a b
Imago, & prototypum quemadmodum ſint vnum ibi.
Imaginum cultum qui tollunt, quomodo cũ natura. cum ſcriptura. cum ratione, cum traditione Apoſtolorum, cum conſuetudine eccleſiarum, & earũ fide pugnent 93.a
Imagines Chriſti, & ſanctorum honore non proſequi, & verba euangelij, cum legitur, proſequi, quomodo repugnantia ſit 93.b
Incarnationis dogma ante Neſtorium, & Eutychem qui Pontifices contra alios hæreticos defenderint 150.b
Infamiam duplicem eſſe canoni-

cam, & ciuilem 162.b

Innocentij capitula 16. cum canonibus Apoſtolorum, vnde fluxerunt collata 31,32,33,34, a b

Ioannis euangelium quo tempore ſcriptum ſit 27.a

Inquiſitorum officium in eccleſia quam ſit vtile & neceſſarium, & antiquum 278.a

Interpretatione 70. vſum eſſe Alexandrum Pontificem in epiſtola ſua euidens argumentum 116.a

Interpretationem Hieronymi ex Hebraico poſitam eſſe pro interpretatione 70. in pleriſque locis harum epiſtolarum quomodo diuino conſilio factum videatur 449.a b

Interpretationem 70. quomodo in epiſtola ad Hebr. in teſtimoniis veteris ſcripturæ vſus ſit interpres epiſtolæ ex Hebraico 449.a

In Interpretatione noui teſtamēti quæ vitia verborum, & ſolœciſmos Hieronymus auctor alioqui eloquentiſſ. & elegans interpres diſſimulauerit 116.b

Interpretatione 70. vſū eſſe Paulum in epiſtola ad Hebræos, quam Hebraice ſcripſit, quomodo, & qua ratione non ſit veriſimile 449.a

Interpretatio Hieronymi cur in teſtimoniis veteris teſtamenti, quæ in epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum citata ſunt, poſita ſit pro interpretatione 70. qua illi pontifices vſi ſunt, & quomodo hoc probetur 446.a

Ex interpretatione falſa ſcripturarum relicta traditione quomodo ſectæ multiplices Lutheranorum natæ ſint 285.b

Iudicium arbitri quale ſit ex Vulpiano & Platone 202.a

De iudicio pulſis prius reſtituendis, à quibus, & quomodo, & quare decretum ſit 222.a b. 223.a

De iudiciis peregrinis ſiue externis declinandis vt decretum fieret, quæ cauſæ extiterint 194.a b

Iudices ſcriptura quare vocet deos 263.a

Iudicium cauſarum ſæcularium in eccleſia quale ſit, quære in verbo, cauſa 249.a,b

Iudicia eccleſiaſtica cur Apoſtoli ſecundum diſtinctionem prouinciarum & iudiciorum à gētilibus factam conſtituerint. 238.a b.

De iudicandis, aut non iudicādis abſentibus quæ Igmarus Rhemenſis pro concordantia canonum annotauerit 266.a b

Iuriſdictionis ſæcularis poteſtas quomodo non potuit ab Imperatoribus eripi eccleſiæ. 251 a

Iuriſdictionis ſæcularis poteſtas quomodo & quare ſit poteſtatis eccleſiaſticæ propria, & ex eſſentia eius fluens 251.a

Iuriſdictionis laicæ iudicium eccleſiaſticorum quod ſit fundamentum in euangelio & quæ lex 250.b

De iuſtificatione ex ſola fide quæ Heerbrandus Tubingenſis doctor contra Synodum Tridentinam nuper ſcripſerit, & eorũ confutatio 311 b

Iuſtificandi vim & rationẽ quare Lutherani magiſtri ſoli fidei tribuant 313 a

Iuſtificationẽ fieri ex fide ſimul, & operibus quibus parabolis antiquiſſimi auctores docuerint 319.a b

Iuſtificationem qui ſoli fidei tribuunt, quomodo ſe ad legem ſeruitutis imprudentes reuocent 318.a

Iuſtificari gratis quid ſit, & quare ſic dicatur. 322.a

Iuſtitia ex fide ſola quomodo non ſuperet iuſtitiam ex lege. 318.a

Iuſtus quid à ſancto, qui ὅσιος Græcè dicitur, differat auctore Photio Conſtantinopolitano. 2.b

L

LAqueum iniicere quid ſit, & quomodo dare præceptũ de benedictione nuptiali non poteſt pertinere ad laqueũ 375.b.376.a

Latine bene loqui à pleriſque negligebatur etiam tempore Ciceronis 119.b

Latine bene loqui cur à pontificibus illis priſcis negligeretur 119.b

Latronis in cruce fides, & oratio qualis fuerit 329.a

Lauandi extrinſecus ſordes conſuetudo ex natura, ſcriptura, & apoſtolica traditione orta. 369.a

Lauatio corporis poſt legitimum concubitum ſuperſtitioſa, & Ebionitarum 370.b

Lauandi traditio, ac conſtitutio ſimilior ſuaſioni, & admonitioni, quam legi 369.a

Lauatio, quæ chriſtianos decet, non eſt qualis Phariſæorũ, aut Ebionitarum 369.b

Lectio Ezech. Danielis, & minorum prophetarum cur in eccleſia à Decembri vſque ad aduentum domini 429.b

Lectio epiſtolarum Pauli in eccleſia cur à Dominica poſt Natalem vſq; ad ſeptuageſ. 430.b 431.a

Lectio Geneſis cur à ſeptuageſima incipiat in eccleſia vſq; ad quartam dominicam quadrageſimæ 430.b

Lectio Actu. Apoſt. Apocalypſis, & epiſtolarum canonicarum vſque ad Pent. 431.a

Lectio ex libris Reg. & Paral. cur in eccleſia ab octaua Pẽtecoſt. vſque ad Calendas Augusti. 432.a

Lectio ex Prou. Eccleſiaſte, Sap. Eccleſiaſtico cur in eccleſia à prima Dominica Aug. vſq; ad Cal. Septemb. 432.a

Lectio Iob, Tobiæ, Eſther, Eſdræ cur deinceps à Septembri vſq; ad Octob. in eccleſia 432.a

Lectio Maccabeorum cur in eccleſia ab Octobri vſque ad Nouemb 432.a b

Leges datæ quomodo inſtitutis nō ſcriptis, quæ ſimiliora ſunt monitis, quam legibus, tanquā vinculis quibuſdam continentur 98.a

Lex iniuſtis poſita qualis eſſet, & quod illa nō eſſet poſita iuſtis, non ſolum ex ſcriptura, ſed duce, & magiſtra natura intelligi 347.b

Lex non poſita iuſtis qualis eſſet, quomodo neque ſcriptura, neque natura docuit Lutherum 348.a

Leges ſine ſcripto dandi quæ vtilitas auctore etiam Lycurgo. 102.a

Sine legibus eccleſiaſticis gubernatas fuiſſe eccleſias à S. Apoſtolis, quam ſit abſurdum cogitare 101.a b

Leges ſæculares, & eccleſiaſticas peccato obligare eos, qui non obediūt, ſcriptura docet 399.b 400.a

Leges de quibus ſint ferendæ, & de quibus non, ex Platone 98.a

De lege libertatis quid in apoſtolica conſtitutione apud Clemētem ſcriptum ſit 347.a

Legis pœna quas vtilitates afferat, ex Platone 100.a

De legibus ciuilibus vel ſæcularibus quid Cyrill. contra Iulianum reſponderit, & quid Calixtus Pont. dixerit 164.a

Sine legibus eccleſiaſticis quomodo Apoſtoli non poterunt eſſe paſtores eccleſiarum 100.a

Leges ſæculi quales eccleſia recipiat ex decreto Calixti Pont. 222.b

Legum ciuilium quanta vis eſſet ad efficiēdum meliorem quomodo à Platone explicatum ſit & quomodo hanc vim in legibus eccleſiaſticis ignoraſſe Apoſtolos valde abſurdū ſit dicere, aut putare 108.b

Lex libertatis quæ ſit, & in quo conſiſtat 347, 348, 349.a b

Lex ſeruitutis quæ ſit, & in quo conſiſtat 347.a b

De Lege ſeruitutis quod ſcriptum erat ab Apoſtolo in epiſtola ad Tim. quomodo deprauate trāſtulit Lutherus ad legem libertatis, & ad opera fidei tollenda 347.b

Legiſlatoribus neceſſe eſſe multa relinquere aliis ſancienda, & vbi hoc Plato dixerit 109.b

De Legiſlatoris perfecti officio quod Plato rectè ſcripſit magiſtra natura, quomodo in apoſtolis cernitur, vnde apparet eorum chariſma in dandis legibus eccleſiaſticis, quas canones, vocarunt 92.a b

Leo 4. cur diſt. 20. nō meminit de epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum, cum epiſtolas aliorum Pontificum poſteriorum numerat 441.b

De Libero arbitrio Philonis obſeruatio, quando ſcriptura totam poteſtatem electionis noſtræ

deo,& quando homini tribuere videtur 296 b

Libero cum arbitrio quomodo conueniat gratia, quo exemplo Methodius martyr docuerit 297. a,b

De Libero arbitrio quæ Ennodius Ticinenſis ad Conſtantium quendam pulcherrime ſcripſerit 298.b

Cum Libero arbitrio quomodo gratiam dei coniungere ſoleat ſcriptura 295, 296,297,a,b

Libertatem chriſtianam non magis legibus ſiue conſtitutionibus eccleſiaſticis deprauari quã lege decalogi 346.b 347.a

In Libertatem chriſtianam nihil poſſe obiici de eccleſiaſticis cõſtitutionibus 346.b

De Libero arbitrio doctrinã Lutheri quomodo Philippus Melancthon corrigere, & moderari voluerit nouo errato 348.a

Libido in quo corpore maxime excitetur & caſtitas magis infeſtetur 276 a,b

Librorum auctoritatem quomodo eccleſiaſtica patrum traditio magis commendet quam titulus certi auctoris 443 b

Libros ad vtilitatem communem ſcriptos qui occultant, quomodo ſint prædones bibliothecarum: & qui non eos aliis commodant,maxime inuidi,auctore ſancto Ephræm 439.a

Libri alicuius emendatius exemplar quomodo non continuo cętera exemplaria condemnet. 443,b

Libros Maccabæorum canonicos eſſe qui teſtentur ex antiquis 341.b

Libros negare, quorum auctoritate coarguebantur, Arianorum fuit,& Manichæorum, vt nunc Lutherani epiſtolas priſcorum Pontificũ negãt 452,b 453,a

Libros quam multos Euſebius Cæſarienſis confiteatur ſe non vidiſſe 438.b 439.a

Lignum,fœnum, & ſtipulæ quomodo peccata digna igne, id eſt,mortalia ſecundum conſuetudinem ſcripturæ ſignificent 337.a b

Lingua vulgari,& non ignota vti in eccleſia quomodo cũ Pauli epiſtola pugnet 86.a

Linguæ vulgaris in eccleſia incõmoda ab Innocentio 3. notata 86.b

Lingua vulgari cum Boemi vti vellent in ecclèſia, & hoc ſibi permitti à Greg.7.peterẽt,quid Pont.reſponderit 86.b

Lingua loqui in eccleſia quid ſit, & quibus conuenit & qui nũc teneant in ea locum interpretis 87.a

Linum & non Cletum legendum eſſe in epiſtola Ignatij ad Marium Zarbenſem 148.a

Linum viuente Petro mortuum eſſe auctores ſunt Clemens & Sophronius 147.a

Loquendi lingua duplex chariſma 87.a

Lutherana hæreſis vnde ortũ cepit ſecundum parabolam euãgelij de ſeminante 366.a

M

De Maccabæorum libri tertij argumento,& libr.trium collocatione 29.b
De Maccabæorum libro tertio vtrum canonicus ſit,an nõ 29.a b
Mariæ Virginis ætas quanta, & quot de ea opiniones, & quomodo eius funeri Petrus intereſſe potuerit 170.a
Materia,quam in epiſtolis Pontificum Apoſtolicorum Magd. requirunt, quomodo in eis reperiatur 150,151.a b
Matrimonij vnitas carnis quomodo ſit duplex 419.a b
Matrimonium continẽtium quomodo Apoſtolus docuerit excellentius eſſe matrimonio nõ continentium 419.a 420.b
Matrimonium qui nondum conſumauerunt, quomodo ſint vna caro ratione coniugij, ſed non vna caro ſimul, id eſt, ratione commiſtionis, & ita eſſe interpretãdum quod ait Alex. 3.419.a
Matrimoniũ non diſſolui per fornicationem quomodo ex euangelio, & ex Pauli epiſtola demonſtretur 401.a b
Matrimonium fornicatione diſſolui quomodo doceatur non eſſe ex ſententia Ambr. 404.b
Matrimonium quomodo probetur ſacramentum eſſe auctoritate Pauli & aliis ſcripturis,& rationibus 421.a b
Matrimonium non diſſolui per fornicationem quomodo euãgelium, Paulus, canon Apoſt. & Concilia tradant 403.a
Matrimonium qui per fornicationem diſſolui putauerunt, quomodo eorum error ortus ſit ex ignorantia virtutis verborum Pauli 402.a
Matrimonij fideliũ ſanctitas vnde exiſtat & ad quid adiuuet coniuges 421.b
Matrimonij cauſas,& controuerſias qui ad iudicem ſæcularem pertinere vult, vt Marloratus Caluinianus, quomodo nihil differre putant contractũ matrimonij à contractu emptionis & venditionis 406.a
Matrimonia ſoluere Montanus princeps Cataphrygarum docuit, quem Lutherani imitari voluerunt 402.a
Matrimonio qui bene vtitur quã tam gratiam conſequatur, auctore Athanaſio, & quomodo locum Hieremiæ de matrimonio interpretatus ſit 415.b
Menſtruatam non tangere moralis decentiæ, ac naturalis continentiæ eſſe,&non ad cerimoniam veteris legis pertinere 367.a b 368.a
Menſtruatam non tangere inter iuſtitias decalogi retulit Ezech, 367.a
Metropolitani nomine patriar-

chæ quoque comprehendi ſolent, & vbi comprehenſi ſint. 207.a
Miracula in nomine Ieſu facta quomódo plus valebāt ad probādum reſurrectionem, quam ſi Chriſtus omnibus apparuiſſet poſt reſurrectionem 431.b
Monachi nomen, & monaſterij licet non ſit in ſcriptura, eſſe tamen in ſcriptura rē verbo ſubiectam, & quomodo hæc nomina nata ſint cum ipſa Apoſtolica traditione vitæ communis 373.b 374.a
Monarchiæ eccleſiaſticæ quæ vtilitas, & neceſſitas 397.b
Monarchiæ eccleſiaſticæ optimū ſtatum tollere, & peiores eſſe quàm pecudes, qui principatū vnius epiſcopi in eccleſia tollunt 221.b
Monarchiæ ſimilitudo & imago quomodo ſit in ſingulis eccleſiis, ſiue familiis domini quibus ſinguli epiſcopi præſunt, tota verò & integra monarchia in vno epiſcopo Romano 397.b
Moniales nubere ante annos ſeptingentos quinquaginta prohibuit Synodus Saliſburgens. S. Vigilio Archiepiſcopo 370.b
Ad Mortuum ſcribendi qui rationem ignorant in Clementis epiſtola, quid interim facere debeant 156.b
Mortuus Iacobus quomodo dicatur epiſcopus Hieroſoly. 158.a
Mortuo tanquam ad viuentē ſcribere ſimile eſt, vt mortuos inducere loquētes, quod in libris de Apoſtolicis cō ſtitutionibus idem Clemens fecit 154.b
Mortuo ſcribere quomodo ad imitationem perſonarum pertineat, quod genus frequens ſit in ſcripturis ibid.
Ad Mortuum ſcribēdi epiſtolam exemplum in Theodoſio, qui ad Chryſoſtomum iam vita defunctum pluribus annis, ſcripſit 157.b
Mundatio duplex per ſanguinem Chriſti in baptiſmo, & per lachrymas pœnitentiæ & confeſſionis, & quomodo de vtraque Ioan. in epiſt. ſua ſignificauerit 351.b
Myſterium, in turpi facto ſolet ſignificari allegoricè aliquando in ſcripturis 422.b

N

NIceni conc. canon. 6. & cano. 9. quomodo in hiſtoria Rufini falſa interpretatione corrupti ſint 211.a
Niceni concilij canon. 44. ex Arabico tranſlatus de Patriarchis, Metropolitanis, Epiſcopis, & Pontifice Rom. & vnde de auctoritate huius canonis, & reliquorum qui Arabicè reperti ſunt, fides fiat 235.a b
Niceni conc. acta diligentiſſimè ſcripta fuiſſe, qui auctores teſtentur, & quemadmodum iudicia, & actiones cauſarum ac canones etiam iudiciales in eis continerentur 203.a b

In Niceni conc. canone. 6. quod ſumma poteſtas Pont.Rom & ius eum appellandi contineatur, quemadmodum neque ipſi Magd. negare potuerint & quomodo eum receperint inuiti & neſcientes 211.a

Niceni conc.canonem.6. quomodo Iulius Pont. intellexerit, & ſecutus ſit, & quomodo de ea re, & de epiſtola Iulij Theodoretus meminerit 209.a b

Niceni concilij canones à Iulio relati quomodo ex actis ipſius Synodi Nicenæ ſumpti ſint, & vnde id conſtet 203.b

Niceni conc. canonem. 6. quomodo Paſchaſinus legatus Põt. in Synodo Chalced. pro ſumma auctoritate Pontificis citauerit, & Synodus acquieuerit 210.a

Niceni conc.canonem.6.quomodo Melchiades ſecutus ſit 208. a,b

In Niceni conc.canone.6.quid parilis mos ſignificet, & quomodo hæretici interpretẽtur 211 b

Niceni conc.canon.6.quanti referat, vt bene intelligatur 204.b

Niceni canones reperti Arabice, citati à magno Baſilio, & Auguſtino 37.b

Nicena Synodus vbi canones Apoſtolorum nomine Apoſtolorum citauerit ibid.

Nicena Synodus vbi, & quomodo canones Apoſtolorum citet 35,36,37.a b

Niceni conc.canonẽ.6.quomodo Athanaſius intellexerit, & Igmarus Rhemenſis 206.a

In Nice.concilij canone.6. interpretando quod auctor ſcripſit in lib. 3. de dogmaticis characteribus, quomodo intelligendum ſit, ne exiſtimetur à ſe diſſentire 205 b

Niceni conc.canonem 6. quomodo Leo primus, & Nicolaus 1. intellexerint 207.a

In Niceni conc. canone 6. quare dixerit. Synodus vigeant conſuetudines priſcæ &c. & non dixerit, ſtatuimus, aut viſum eſt 199.a

Nicena Synodus in cano. 6. quomodo Anicetum Pontificem Rom. ſecuta ſit 208.a

Nuptias quomodo laudet, & probet Apoſtolus ex Sixto in libro de caſtitate, & quomodo intelligendum ſit, quod ibi dicit Sixtus 3. 415.a b

Nuptiæ ſic inſtitutæ, vt præter cõmiſtionem carnis non habeãt ſacramentũ cõiunctionis Chriſti, & eccleſiæ, quas dãnat Leo Pont. quæ ſint. 27.q.2.c. Cũ ſocietas 422.a.b

Niceni conc.canon.6. quomodo nunquam falſatus fuerit, quod hæretici obiiciunt 210 b.211.a

Niceni conc canonis.6.exacta interpretatio 204,205,206.a b

Nicena Synodus canones Synodi Ancyranæ & Neocæſarienſis excepto vltimo canone Synodi Neocæſarienſ. approbauit 35.a b

O

Oblationes deo odioſæ quorum ſint ſecundũ Apoſt. conſtitutionem 305.b
Oblationum, quæ deo placuerũt, enumeratio ex libro 7. Clemẽtis de conſt. Apoſt 330.b
Oblationes ſuper ſepulturas mortuorum panis, & vini ponere in multis eccleſiis catholicorũ ex priſtinæ conſuetudinis traditione, quorſum ſpectet 341.a
Obſeruationum in cibis, & potibus, & aliis huiuſmodi multiplicium apud Iudæos, quæ eſſet cauſa 435.b
Ex Operandi voluntate pendere, ſcire proprie, ſic operandum eſſe, vnde philoſophi gentiles didicerint, & quomodo hoc faciant ad redarguẽdos hæreticos, qui fidei ſolitariæ tantam perfectionem tribuunt ad operandum 317.a b
Opera fidei, ex quibus iuſtificatur homo, quomodo in ſcriptura vocẽtur virtutes dei, opera dei, & dona dei, opera beneplaciti, & opera bona, & fructus ſpiritus 322.a
Ex Operibus legis eſſe, qui dicantur ab Apoſtolo 346.b
Opera legis, ſiue decalogi quot modis conſiderari poſſint, & ex quibus operibus homo nõ iuſtificetur, & ex quibus iuſtificetur, & quomodo, & vbi vtrumq; Paulus ipſe docuerit 321.a b
Opera ad conſequẽdam ſalutem æternã in cœlo, quomodo putabant non eſſe neceſſaria illi contra quos Aug. pro fide & operibus & Sixtus 3. diſputant & in quo differant à Lutheranis 282.b
Opera, ex quibus, qui in lege naturæ recte iuuebant, iuſtificabãtur, quod gratia dei fierẽt, quomodo, & vbi Philon Iudæus ſcripſerit 349.a
Orandum eſſe pro mortuis quomodo ex loco Eccleſiaſt. can. 7. probetur 342. a b
De Orando pro mortuis quid Euſebius Alexand. antiquiſſimus auctor ſcripſerit. 343.a
Orandi pro mortuis conſuetudo quam rationem habeat, & quę ratio ſit merendi in vita huiuſmodi adiumenta orationum poſt vitam 333,334.a
Orare pro mortuis cum Lutherani damnant, patres, & maiores ſuos condemnant 340.a
Orare pro mortuis quomodo Apoſtoli conſtituerint 339.b
Orare pro mortuis in Germania ante annos 800. receptum, & vſitatum 340.a
Orare in Spiritu Sancto quid ſit in epiſtola Iudæ 328.b
Orare ſanctos, & eorum dies feſtos celebrare quomodo ante mille trecentos annos Euſebius Alex. teſtatus ſit à domino traditum eſſe 427.a
Orationes vt exaudiantur quales eſſe oporteat & ex quibus locis ſcript. demonſtretur 327.b 328.a

Orationes ſacerdotum quãto digniores fuerint tanto facilius exaudiri, quomodo verum ſit in epiſtola Alexandri 329.a b
Oratio ſacerdotis abſoluentis cõfitentem quantæ vtilitatis ſit 333.b
Orationibus aliorum, ſiue qui in terra ſunt, ſiue qui in cœlo, adiuuari, vt quis dignus ſit, vnde exiſtat 334.a
Orationes non debere fieri pro particularibus error Vviclef. & quomodo cõfutetur. 336.a b
Oratio Dominica quando remittit peccata venialia 355.b
Ordinatio Apoſtolorum in epiſcopos quando facta fuerit, 190.a b
Ordinationes epiſcoporum quod ad Pontificem cõfirmare olim quoq; pertinebat, teſtatur Leo magnus, qui Vicarium ſuum Archiepiſcopum Theſſalonicẽſem hoc in Oriente facientem habebat 127.a b
Ordinari epiſcopum à duobus, vel tribus iuxta canonem Apoſtolorum, & ordinari non minus quam à tribus iuxta epiſtolam Anacleti, quomodo non diſcrepent hæc duo 77.a
Ordinationes epiſcoporũ vt Pontifex ſucceſſor Petri confirmet, traditio eſt Apoſtolica, cuius teſtis eſt conſtitutio à Clemente ſcripta 127.b
De Ordinatione Neophyti, & Digami prohibitis, & cur 102.a
Ordinatio Epiſcopi cum impoſitione libri ſuper caput ei⁹, quid ſibi velit, & vnde ſit, & quid de ea Diony. ſcripſerit 188.b
Ortus ſpiritualis per baptiſmum comparatio cũ ortu Iſaac carnali per promiſſionem 134.a

P

Pacificæ litteræ quæ ſint. 219.a
Prædicatio Chriſti in deſcẽſu ad inferos, quæ fuerit, & quibus prædicauerit 336.a
Præeſſe ciuitati, aut prouinciæ qui ſciat, & poſſit bene, non eſſe difficile reperire, & cur, difficile verò eſſe reperire qui bene præſit eccleſiæ 396.b 397.a
Præfectorum litteræ adiunctæ ad litteras Põtificis, quæ in epiſtola Euariſti obiiciũtur quomodo interpretandæ ex coniectura contra coniecturam hæreticorum, & quid ſecundũ veritatem reſpondendum ſit 241. b. 242.a b
Paſcha Apoſtolos celebraſſe, quo die & tempore nunc eccleſia catholica celebrat, qui ſint teſtes 19.b
Paſcha non vno die, & vno modo celebrantes cur omnes Synod. Nicena excommunicauerit: canon vero Apoſt. tantum epiſcopum, preſbyterum, & diaconũ deponi iubet, & laicos non excommunicat 20.b
De Paſcha decretum Niceni concilij quid noui receperit, & quo

modo ſignificatum ſit 199.a
Paſcha qui præſcripto die nobis tradito celebrari nolũt, vt cum Iudæis aliquando celebremus, volunt, & quid inde ſequatur 424.b.425.a
Paſchalem obſeruationem quomodo Epiphanius contra Aëriũ defenderit auctoritate ſcripturæ 428.b
Paſchalis obſeruatio vniformis quomodo, & qua formula ſancita fuerit in Synodo Nicena & recitatio decreti Græce & interpretatio 424.a
Paſcha vt in die reſurrectionis omnes vbique celebrarent, cur neceſſe fuit decerni in Synodo Nicena 20.b
Paſcha quomodo factum ſit ex Hebraico, & quare, & quid in eo Greg. Naz. notauerit 121.b
In Paſchæ celebratione ſtatuenda qua formula vſi ſint patres in Synodo Nicena, & cur 20.b
Paſchalis obſeruationis vniformis, defenſio contra Lutheranos 424,425,426,427 a b
De Paſchæ celebratione ſimiliter ſentire Luthera. vt Audianos hæreticos olim 21.a
Paſcha vt vniformiter celebretur, quæ ſit cauſa, ex qua neceſſitas ſic celebrandi intelligatur 424.b
De Paſcha vno eodémque die celebrando non ſolum ſine ſcripto traditum eſſe ab Apoſtolis, ſed in ſcriptura etiam Pauli inſinuatum 20.b
Patriarchæ Metropolitani quoq; nomine interdum comprehẽſi ſunt 207.a
Patriarcharum electiones, & ordinationes quod epiſcop. Rom. firmaret, vbi teſtetur Synodus Chalced. 207.a
Patriarchas quomodo Conſtantinus Pontifici Romano ſubiecerit diſt.96.c. Conſtant. 240.a
Patriarchæ verbum in eccleſiaſtica hierarchia vnde ſumptum ſit, & interpretatio eius ex Synodo Nic. 117.b 118.a
Patrum nomen ad longinquitatẽ temporũ falſo referunt Magd. quoties citari eos legunt ab iis, qui Apoſtolos audire potuerũt 149.a
Peccata inæqualia inæquali ſupplicio punienda iuxta conſtitutionem Apoſtolorum 353.b
Peccatorem nemo ſe negare poteſt, iniquum verò, poteſt aliquis ibid.
Peccatum ab aliis committi, & pro eo alios puniri, quando cõtingat, & exempla huius rei. 381.a
Peccata leuia ſiue venialia quando per orationem Dominicam remittuntur 255.b
Perſonas in dialogis fieri ſolere, & quomodo epiſtola ſit altera pars dialogi Artemone auctore apud Demetrium Phalereũ 160.a
Ad Perſonæ imitationem pertinere ſiue facere nomen loquentis, ſiue nomen eius, cum quo

per epiſtolam loquaris 155.a
Petrus primitiæ electionis domini eadem ratione dictus, qua pater Apoſtolorum 162.a b
Petrus in epiſt. 2. quare cũ de propinqua morte ſua admonuit, non admonuit etiam de ſucceſſore ſuo Clemente 165.a b
Petrus quomodo adhuc in ſede ſua Romana præſideat 158.b
Petri aduentus Romam, & inde diſceſſus, ac reditus, quando, & qua occaſione 169.a
Petri ſentẽtia in illa Synodo Hieroſolymitana quam auctoritatem habuerit, quid Tertull. in lib. de pudicitia ſcripſerit 131.b 132.a
De Petri nomine proprio, & Petræ tranſlato 133.a
Petrus quomodo quia factus eſt petra eccleſiæ, ſuper quam ædificata eſt eccleſia, idcirco conuenit ei, quod dominus ei commiſit, firmare ſcilicet fratres in fide 124.a
Petrus à petra dictus, & quare 133.b 134.a
Petrus quare fuerit primitiæ electiõis domini 160.b 161, 162.a b
Petrum prius Romæ prædicaſſe quam Paulum 164.b
Philonem Chriſtianum fuiſſe, & à fide defeciſſe ſcribit Photius 372.b
Pœnitentiã agendi præſcribi poſſe tempus, ex quibus locis ſcripturæ conſtet 16.b 17.a
Pœnitentia peccatorum qualis eſſe debeat, ex Eze. c. 18. & 33. 353.a
Pœnitentiam ſimul cum ieiunio fructu pœnitentiæ quomodo Ioannes prædicabat 385.a
Politiæ eccleſiaſticæ forma ex Patriarchis, Metropolitanis, epiſcopis vnde probetur quam ſit antiqua in eccleſia 234.a b
Politiæ eccleſiaſticæ formã, quæ & quanta ſint, quæ cõmendãt, & defendunt 236.b
Politiæ eccleſiaſticæ forma generalior quomodo ex epiſcopis, presbyteris, diaconis, catechizantibus, & laicis conſtet ſecũdum ſcripturam 232.b
Politiæ eccleſiaſticæ forma ſecundum diſtinctionem graduum ex conſtit. Apoſtolorum à Clemente ſcriptis 233.b
Polycrates quid de Pontificis Ro. poteſtate ſenſerit 245.a
Pontificem quomodo Magd. cõcedant eſſe epiſcopum primæ ſedis, male de eo interpretantes canonem Syn. Carth. 3. & quomodo concedentes hoc & negantes primatum, ſibi ipſi contradicant 197.a
De Pontificis primatu nunquam fuiſſe quæſtionẽ vſque ad Concilium Florentinum 194.b
Pontificis Romani auctoritatem in omnes eccleſias quibus verbis noui hæretici eludant. 128.a
Pontificem maledictis cum Lutherani vexant, & proſequuntur, quomodo quod de Antichriſto prædixit Dan. tãquam præcurſores eius faciunt 281.b

Pontifices Romanos cur Amianus Marcellinus æternæ vrbis epiſcopos vocauerit & quomodo Gentilis plus eccleſiæ Romanæ detulerit, quam Lutherani 218.a b

Pro pontificis Romani principatu quæ Gennadius Scholarius aduerſus Græcos aduerſarios ſcripſit, quantæ auctoritatis apud hæreticos eſſe debeant 140.a b

De Pontificis Romani principatu quæ Georgius Trapezuntius aduerſus Cretenſes ſcripſerit 140.b.141.a

Poteſtates ſæculi omnes quomodo pertineant ad familiam domini, ſuper quam conſtitutus eſt diſpenſator non laicus, ſed eccleſiaſticus 397 a

Poteſtatibus ſæculi cuſtodiã tantum corporũ commiſſam eſſe, eccleſiaſticis verò corporũ, & animarum ſecundum Apoſtolicam conſtitutionem 399.a

Poteſtatis ſæcularis,& ſpiritualis diſtinctio, & diſcrimen ex Nicolao primo ad Michaelẽ Imperatorem 399.b

πρεσβεῖον quid in 6. canone conc. Niceni ſignificet,& quid in eo verbo interpretando patronus Molinei errauerit 207.b

Primatum Pontificis nunquã refutaſſe, ſed potius agnouiſſe Synodum Carthaginẽſem, teſtimonium multiplex Auguſt. qui interfuit, & cõc. Mileuitani,Proſperi, Poſſidonij 196.b

Primatum Pontificis quomodo agnouerit Polycrates in ſuis ad Põtificem ſuper paſcha literis 245 a

Primatum pontificis in eccleſia qui tollunt quomodo optimũ ſtatum monarchiæ eccleſiaſticæ tollat, ſintque peiores pecudibus 221.b

De primatu quid Africani patres ſenſerint, & quid ex concilio Mauritaniæ ad Damaſum ſcripſerint 200.b

Primatũ eccleſiæ Romanæ quomodo Irenæus teſtatus ſit clariſſimo & grauiſſimo teſtimonio 246.a

Primatum pontificis quomodo Synodus Carth.clare confiteatur 200.a

Primitiæ gẽtium quare dictus ſit Clemens à Petro 162.a

Primitię generis humani deo oblatæ ſecundus Adam non primus 161.a

Primitiarum ratio non cõſiſtit in anticipatione temporis, ſed in maturitate perfecta fructus 162.a

Primitiæ in lege quare nõ ſoluerentur ex fructibus primis triũ annorum 161.a

Primitiæ electionis domini quare fuit Petrus 161.a

Priuilegij verbum quod græce eſt πρεσβεῖον quid in 6. canone concilij Nic. ſignificet 207.a

Prophetæ qui dicantur à Paulo in duabus epiſtolis ad Cor & quomodo interpretationes ſer

monum ſint prophetię 243.a b
Prophetarum litteræ, vt in epiſt. Euariſti legẽdum eſt pro præfectorum litteris, quæ ſint intelligendæ 242.b 243.a
Prophetam dici pro Chriſto in epiſtola 3. Clementis quam ridicule reprehenderint Magd. 118.b
Prophetam verum dici cur Chriſto conueniat ſoli 118.b 119.a
urgatorium eſſe quomodo doceat conſtitutio Apoſtol. de orando pro mortuis, vt adducãtur ad regionem eorum, qui ſunt ſoluti 339.b
Purgatorium eſſe quomodo ex epiſtola beati Petri demõſtretur 335.a
Purgatorium eſſe quomodo demonſtretur ſcripturis collatis cum loco Pauli ad Corinth. 1. c.3. 337,338,339,a.b

Q

QVadrageſimæ ieiuniũ quomodo eccleſiæ Orientis ſeruent, quæ ſabbatis, vno excepto magnæ hebdomadæ, non ieiunant? & de duplici ieiunio pleno, & nõ pleno ex libro Damaſceni 393.a b
Quadrageſimæ ieiunium 8. hebdomadis Acephali & Ariani tanquam neceſſarium tradebant 393.a
Quadrageſimæ ieiunio quod patres in eccleſiis Orientis ad 7. hebdomadas octauã addiderunt ad cultum ſiue religionẽ ſpõtaneam, & nõ neceſſariam pertinere voluerunt 393.b
Quadrageſimæ ieiunium ex Apoſtolica traditione eſſe, qui ſint auctores ex antiquis 393.b
Quadrageſimæ ieiunium 7. hebdomadis plenis nõ eſſe iuſſum, ſed ſuaſum à Teleſphoro, quomodo Synodus Aurelianenſis prima interpretata ſit 393 b
Quadrageſima quid repræſentet, & efficiat 16.a
Quadrageſimæ ieiunium 7. hebdomadis plenis à Teleſphoro nõ iuſſum, ſed ſuaſum eſſe clericis, pertinere quæ ad cultum ſpontaneum, vt Paulus vocat 392.a
Quadrageſimæ ieiunium hebdomadis 7. quomodo non à Teleſphoro primum inſtitutũ ſit 391.b
Quadrageſimæ ieiunium à feria ſecunda id eſt, 7. hebdomadis plenis per eccleſias Oriẽtis, & qui ſint auctores ex libro Damaſceni de ieiuniis 392.a

R

RAtio naturalis quomodo ſit duplex inſita ſecundum potentiã tantũ, & ſecundũ etiam gratiam Dei 324.a b
Regeſta Pontificum quàm multa ſint nondum vulgata & quorũ Pontificum 438 a
Religionẽ quomodo Lutherani mutare tentarunt ad imitatio-

nem Antichriſti ſecũdum prophetiam Dan 446.b
Religionis voluntariæ, ſiue cultus ſpontanei, qui ἐθελοθρησκεία dicitur à Paulo, varia exempla 389.a b
De Reſtituẽdo pulſos, ante iudicium decretũ in Synodo Nice. ex Iulio, & Damaſo, Nicolao 1. confirmante 223 b
De Reſtituendo pulſos ante iudiciũ, quid Iſidorus in prologo ſuæ collectionis ſcripſerit, & quod teſtimoniũ pro antiquitate huius decreti dicat 222 b
Reſtituẽdi pulſos, ante iudicium decretũ quã ſit vetus, & ex naturali æquitate profectũ 222 a
De Reſtituendo pulſo ante iudicium quid Cyrill. ad Domnũ ſcripſerit 223 a
Reſurrectionẽ domini quomodo manifeſtius declarabãt miracula, quæ in nomine Ieſu fiebant, quàm ſi manifeſte apparuiſſet omnibus poſt reſurrectionem 431.b 432.a
Ritus ſacramẽtorum noſtrorum quomodo dæmones conati ſint imitari 179.a

S

SAbbato non ieiunare in eccleſiis Orientis defendit Auguſt. in epiſt. ad Caſſulanũ contra Vrbicum, & Tertullianus in apologetico 69.b
Sabbato non ieiunare quare ab Apoſtolis traditum eſt eccleſiis Orientis 69.b
Sabbato cur in Oriente non ieiunetur, cauſam falſam attulit Theorianus 70.a
Sacerdotes noui teſtamenti quomodo nõ ſint ſucceſſores Chriſti ſacerdotis ſecundum ordinem Melchiſedec, vt obiiciunt hæretici 292.a
Sacerdotes Gentilium Clemens non vocat ἱερέας quia nõ erant digni eo nomine, ſed μιερέας id eſt non ſacerdotes vno verbo à ſe facto 238.a
Sacerdotum miniſterio quæ beneficia à Deo tribuantur 394.b
Sacerdotium externum & viſibile qui in nouo teſtamento negant, quomodo conſequẽs ſit, vt negent ſacerdotium vetus, exemplar fuiſſe 289.a b
Sacerdotij Chriſti quomodo ſacerdotes noui teſtamenti non poſſint eſſe ſucceſſores, quia ſunt miniſtri tantum 289.a
Sacerdotiũ miniſteriale quomodo neceſſe ſit ſecundum ſcripturam aliud eſſe præter ſacerdotium ſpirituale commune omnium 289.a
Sacerdotium ſpirituale ex baptiſmo quomodo ſit perfectius vetere ſacerdotio ſpirituali ex circuncisione 289.b
Sacerdotij ſui quomodo Chriſtus ſit non miniſter tãtum, ſed miniſter & dominus, ſacerdotes vero noui teſtamenti eiuſdem ſacerdotij miniſtri tantũ 289.a
Sacerdotium externũ & viſibile

ex ordinatione qui negãt,quomodo conſequens ſit, vt ſcripturam Moyſis & Pauli negẽt 289.b

Sacerdotium quomodo aliud ſit à miniſterio ſacerdotij, quod Lutherani nõ diſtingũt 289 a b

Sacerdotium quãto ſit regno excellentius, & quid ad munus regis, & quid ad ſacerdotis pertineat 295.a

Sacerdotium ſpirituale commune omniũ quomodo non poſſit eſſe imago illius veteris, quod erat vmbra 289.b

Sacramentorum ritus quomodo dæmones conati ſint aliquãdo imitari 179.a

Sacrificium fieri ſuper altare, & offerri pro viuis & pro mortuis quomodo ex inſtitutione domini, quæ in euãgelio ſcripta eſt, neceſſario concludatur 90.a b

Sacrificium externum, & verum cum Lutherani negant, quomodo quod Dan. de Antichriſto prædixit,tanquam præcurſores eius anticipãt 281.b 282.a

Ad Sacrificij inſtitutionem ac traditionem conſeruandam quomodo canon Apoſtolorum 3. pertineat 95.b 96.a

Ad Sacrificium digne faciendum & participãdum vniuerſa diſciplina eccleſiaſtica, & monita, atque inſtituta apoſtolica, & canonum conſtitutio refertur 99.b

Ad Sacrificij myſtici ritũ,& cultũ qui canones Apoſtolorũ pertineant 107.a b

De Sacrificio cum differit Paulus in epiſtola ad Heb. quomodo diſtinxerit oblatũ ab oblatione,ſiue ſacrificatum ab immolatione: & modum oblationis ab oblatione, & quomodo ex ignoratione harum diſtinctionum ortus ſit error hæreticorum 291.b

Sacrificium, & ſacerdotium quæ fuit cauſa vt Lutherani in epiſtola ad Hebræos tolli putarẽt 291.a

De Sacrificio vno quid propoſitum fuerit Paulo docere in epiſtola ad Hebr. auctore etiam Damaſceno 291 a b

Sacrificium verũ, & reale, externum eſſe in eccleſia,quomodo ex loco epiſtolæ Pauli ad Hebræos neceſſario, & euidenter demonſtretur 87.b

Sacrificium externum, & verum eſſe in eccleſia quomodo ex propriis verbis Apoſtoli eliciatur 293.a

Sæculares cauſas in eccleſia iudicandi quæ ratio, & modus ſit, quære in verbo cauſa 249.a b

Sãctificationis creaturæ per verbum & orationem quæ ſit virtus, & quomodo qui eam negant, ſcripturam Pauli negent 226.a

Sanctorum vita cœleſtis quæ ſit, & quid agunt ſancti, ex S. Athanaſio 427.b

Sanctus,qui ὅσιος Græce dicitur,

quid à iuſto differat, Photio Conſtantinopolitano auctore 2.b
Satisfactio cum pœnitentia Dauid, & cum pœnitentia Niniuitarum, & cum pœnitentia Adæ 301.b
Satisfactio cum pœnitentia, ab Apoſtolis ſancita, & conſtitutio de ea à Clemente Romano ſcripta 304.a
Satisfactio Chriſti pro nobis quomodo intelligenda ſit 304.b 305.a
Satisfactio cum pœnitentia quomodo oſtendatur inter fructus illos pœnitentiæ Corinthiorũ propter inceſtum illũ 301.a b
Satisfactio quod ad pœnitẽtiam peccatorum interiorem adiũgẽda ſit, quibus locis ſcripturæ probetur 300,301,302,303.a b
Satisfactio cum pœnitentia quomodo in Corinthio illo inceſto oſtenſa ſit 303.a
Satisfactionem qui cum pœnitẽtia tradunt non eſſe miſcendã, quomodo legem naturæ, & legem gratiæ vitient 302.b
Satisfactionis verbum in ſcriptura oſtenditur contra Lutherũ, qui id negat 300.b
Satisfactio cum pœnitentia quomodo oſtendatur in iis, qui ad Ioannem Baptiſtam veniebãt 301.a b
Scripturæ conſuetudo trãſcundi à nomine proprio ad tranſlatũ 133.a
Scripturas interpretari quomodo Apoſtolica conſtitutio præcipiat 226.b 227.a
Scripturas recte interpretandi quas regulas Andronicus tradiderit 227.a
Scripturæ ſanctæ vnde recta intelligentia petenda ſit, diuinè à Clemente notatum & à Mag in epiſtola eius diſſimulatum 259.b
Scripturæ ſenſum aliquẽ ex Deo eſſe, quomodo probandum ſit 306.a
Scripturas quare Lutherani non poſſint recte interpretari 226.b 227.a
Scripturæ, ſiue ſermonis ſpiritus qua regula optima ſecundum Apoſtolos, Ioannem, & Paulũ probetur, vtrum ex Deo ſit 259.a b
Scripturas recte interpretandi regulam eſſe per neceſſariam, nõ diſcedere à ſenſu Apoſtolicæ traditionis 110 b
Ad Scripturæ interpretationem qui teſtes veri ſenſus admittere nolunt, iidem volũt eſſe iudices, & teſtes, quod Iudæorũ fuit in morte Chriſti 260.a
Scripturæ locus, quãdo difficilis eſt ad intelligendum, à quibus deprauari poſſit, & ſoleat 86 a b
In Scripturæ ſanctæ tractatione quæ ſint quæ Lutherani magiſtri negligant 33.a b
Scripturæ ſpiritus quomodo inquirendus ſit, ne diſcordia in ſcripturis reperiatur 319.a b

Scripta etiam nobilium ſcriptorum quomodo aliquando nō ita longinquo tempore obſoleſcant,& quæ huius rei exempla memoret Varro 438.a

Sectæ multæ in Moſaica hierarchia quomodo ex falſa interpretatione ſcripturarum, relicta traditione cathedræ Moyſis,ortæ fuerint 286.a

Sectas nouas qui introducunt,ſeductores à beato Ioanne vocantur 259.a

Similitudo ſtyli,argumēti,& materiæ dogmaticæ,& parænetice quanta ſit in epiſtolis Apoſtolorum 113.b

Spes viua quæ ſit & dicatur ſecūdum ſcripturam 326.b

Spondendi duo genera,quorum alterum interdictum ſit, alterū non ſit 22.b

Succeſſores Apoſtolorū qui ſint primi,ſecundi,& tertij 236 b

Superintendētis verbum alioqui ſordidum cur nouis hæreticis placeat & epiſcopi diſpliceat 118.b

Symbolo Niceni conc. nihil nouum ſtatutum eſſe, quomodo patres Synodi verbis ſuis ſignificauerint,ex Athan. 199.a

Synodica epiſt. Petri Patriarchæ Conſtantin ad Leonem 9. pro confirmatione fidei, & ordinationis 128.a b

Synodica epiſtola Sophronij Hieroſolymitani ad Honoriū Pōtificē pro confirmatione fidei, & ordinationis ſuæ 125.a b

Synodica Nicephori Patriarchæ ad Leonem 3.pro fidei,& ordinationis ſuæ confirmatione 126.b

De Synodica epiſtola Proterij Patriarchæ Alexandrini ad Leonem primum pro confirmatione fidei,& ordinationis ſuę teſtatur idem Leo 127.a

De Synodo Antiochena Apoſtorum teſtimoniū Innoc.1. 94.a

T

Temporis obſeruationem ad lectionem Act. Apoſt. in eccleſia poſt paſcha quomodo defendat Chryſoſtomus 431.a b

Temporū obſeruatio ad lectionem ſcripturarum pro ratione myſteriorum, & vtilitatis fidelium , & ordinis eccleſiaſtici 429.b 430,431,432,a b

Teſtamentum vetus , & nouum quid differant , obſeruatio locorum Auguſtini 290.a

Teſtamētum nouum quomodo Aug.probauit contra Fauſtum ſcriptū eſſe ab Apoſtolis,& nō eſſe corruptum. ſic nos epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum ab ipſis ſcriptas eſſe, & in corruptas probamus 452.a b

Teſtes ad dirimēdam controuerſiam , qui repudiant , naturæ, ſcripturæ,& omnium eccleſiarum conſuetudini eos repugnare 267.b

Teſtis à Magdeburgenſibus contra epiſtolas Pontificum Apoſtolorum vnus tantum,& quis

ilie, & qualis 445.a
Teſtes qui ſint, veras eſſe Pontificum apoſtolicorum epiſtolas 450. 451. 452, 453, 454.a b
Theophilus Cæſareæ in Palæſtina quomodo nõ potuerit eſſe is Theophilus ad quem Victor Pont. Rom. ſcripſit ſuper celebratione Paſchæ 244.b
Theophilus Alexãdrinus ad quẽ Victor ſcripſit, quomodo neceſſe eſt, fuerit epiſcopus Alexandriæ Aſiaticæ, & non Alexandriæ Africanæ 244 a
Tonſura quo verbo appelletur in eccleſiis Oriẽtis, & quomodo nomen cum theoria de manus impoſitione conueniat 437.a
Tonſuræ clericorum in ſummo capitis in modum ſphæræ quę ſit ratio naturæ, & ſcripturæ conueniens 433.b
Tonſura quomodo ſit index impoſitionis manus, idque Synodus Nicena ſecunda ſignificaſſe videatur 433.b 434.a
Tõſuræ capitis quam multiplex ratio ab aliis allata ſit, & inter tam multas communes omnium fidelium quæ ſit propria clericorum ratio, & de beati Petri tonſura 437.a b
Tõſuram clericorum quomodo ratione cõſuetudinis omnium eccleſiarum defendere Tertullianus docuerit, ſimili argumento, vt aliam conſuetudinẽ defendit 434.a b
Tonſuræ traditio quomodo ſit traditio hominum non ſecundum elementa mundi, ſed ſecundum Chriſtum, & qui ſint teſtes eſſe ex Apoſtolica traditione nata 436.a b
Traditionẽ de conſtituendis preſbyteris per ciuitates neceſſe eſſe, vt ſine ſcripto Paulus Tito reliquerit 167.b
Traditionẽ nihilominus eſſe ſeruandam, ſi cauſa, & ratio eius ignoretur, quam ſi non ignoretur 436.b
Traditionum Apoſtolicarũ vnũ genus tantum nouiſſe Dionyſium Areopagitam, id eſt, diuinum, non autem humanum
Traditiones cum Lutherani negant, quos locos ſcripturæ negent 345.b
Traditiones ſine ſcripto quas nunc etiam Lutherani ſeruent 225.b
Traditiones hominum alias eſſe ſecundũ elemẽta mundi, alias ſecundum Chriſtum 436.a
Traditiones de gradibus epiſcoporũ qui negãt, in quas repugnantias incidant 166.a
Traditiones ſine ſcripto qui negant, negare verbum Dei ſcriptum 166.a
Traditionis regula in Moſaica hierarchia ad ſcripturas recte interpretandas 285.b
Traditiones partim ex præcepto ſuſceptæ, partim ex voluntate 68.b
Traditiones hominum quæ ſint, quomodo, & vbi docuit dominus 286.a

Traditionis maiorum quanta vis ſit ad legitimam interpretationem legũ, quomodo Moyſes, & Apoſtoli perfecte per ſpiritũ Dei; Gentiles verò vtcunque duce natura cognouerunt 287.a b
Traditiones Apoſtolicas ſine ſcripto qui non tenent quomodo verbis Pauli conuincantur cecidiſſe 379.b
Traditiones ſine ſcripto qui negarint, nõ eſſe primos Lutheranos,& quid de traditionibus Cyrillus in homilia Paſchali 8.ſcripſerit 167.a
Traditiones Paulum ſine ſcripto reliquiſſe qui negãt,quomodo eos ſenſus communis,& natura redarguat mendaciis 16?.b
Traditiones quaſdã ſine ſcripto ipſi etiam Lutherani qui traditiones negant, tenent 331. b 332.a
Traditiones Apoſtolorum omnes eſſe diuinas 4.b
Traditiones canonum Apoſtolorum ſine ſcripto ſancitas cur neceſſe fuit litteris poſtea mãdari 31.a
Traditiones eccleſiæ cum ſcripturis conſentire 167.a
Transfigurationis perſonæ quæ exempla ſint in ſcriptura 154 a
Transfigurare in perſonã Iacobi iam mortui, ea quæ Clemens de doctrina Petri ad omnes epiſcopos pertinente ſcribit, quæ cauſæ ſuaſerint 153.a b
Tranſlatio in Euchariſtia quomodo contra hæreticos demonſtretur 172.b 173a

V

VAniloquia profana quæ, & qualia ſint,& quare in eccleſia noſtra non tradãtur 278 a
Vaſa ſacra tangi à fœminis ſacratis,& incenſum ferri ad altare cur Magdeburgenſes velint, & quod à Pontifice Sothere prohibitum ſit, reprehendant 381.a b
Vaſa ſacra templi Moſaici ſanctiora putant hæretici, quàm eccleſiæ noſtræ 224.a
Vaſa ſacra ne à laicis tangerent, quod Euariſtus decreto ſanxit, quomodo defendatur aduerſus hæreticos huius decreti accuſatores 224.a b
Vaſa ſacra cum laicus tangit,cur populus aliquando pro eo puniatur 380.b
Vaſis ſacris quomodo plus honoris debuiſſe regem Babylonis exiſtimant Magd,quam Euariſtum Pontificem ſanctiſſ. 224.b
De Vaſis ad miniſterium eccleſiæ dedicatis religioſe tractandis, & non profane 362 b
Vaſa ſacra ad prophanos vſus adhibere quam graue crimen ſit, & cur excommunicatione dignum & vnde conſtet 16 a b
Vaſis ſacris in conuiuio vtendis ſupplicium Balthaſari regi Babylonis

bylonis inflictum non meruũt Magd in vaſis eccleſiæ noſtræ ſacris profanandis 224.b

Verba quædam Græca extriuio ſumpta à Clemente auctore alioqui elegantiſſimo in libris de conſt. Apoſt. 117.a

Verbis plebeis, & ſermone rudi qui auctores in ſtudiis humanitatis alioqui eruditi delectati fuerint 116.b

Verbi logos ſignificata omnia ab Euſebio notata 390.b 391.a

Verbis ex conſuetudine vulgi aliquando vſa eſt ſcriptura, & quibus 120.a

Propter verba quædã, quæ propter ſignificata non admittunt hæretici, quomodo epiſtolas Pontificum negent 115.b

In Verbis ſcripturæ vtendis, ſed eorum ſignificatis non curandis quomodo faciant noui hęretici, quod quidam olim, in quos Athanaſius ſcripſit 115.b

Verborum portenta, ſiue portentoſas phraſes quæ vocẽt Mag. in epiſtolis Pontificum 117 b

Verbis ſecũdum opinionẽ vulgi notioribus quibus & vbi vſa ſit ſcriptura 120.a

In Verborum negligentia, & imperitia ſermonis quomodo Apoſtolici Pontifices Apoſtolos in epiſtolis ſuis imitati ſunt 115.a

Verba quædam non ex veritate rei, ſed ex conſuetudine vulgi ſumpſiſſe aliquando euangeliſtas, obſeruaſſe Magnetem, & Photium 121.a

De Verbis beati Pauli horrendis, & de ſermone eius inculto quid à Chryſoſtomo, & Greg. Nyſſ. notatum ſit 116.a

Verba quædam rudia & plebeia in epiſtolis Cypriani alioqui eloquentis 115.a

Vnctionem myſticam olei non adhiberi ad baptiſmum ab hęreticis, quam bene cum eorum falſo dogmate de ſola fide cõueniat 174.a

Vnctionis ſacrę, quę in baptiſmo fit, qui ex ſanctis, & antiquis patribus meminerint, & de theoria, ſiue myſtica interpretatione eius 173.b 174.a

Vnctionem ſacram totius corporis, an partiũ in baptiſmo fieri, nihil refert 174.b

In Victoris Pontificis epiſt. quid Magd. accuſent, vt eam negẽt, & quid eis reſponſum ſit 244 245 246.a b

Virgines deo dedicatas apud Cyprianum cum contra religionem voti hæretici obiiciunt, quid reſpondẽdum ſit & quid ſimile Gelaſius de viduis dixerit. 175.a

Virtutẽ diſcere vbi ſcriptura præcipiat 3.b

Virtutis veræ regula prudentia ſpiritualis, quæ in ſcripturis vocari ſolet γνῶσις Ibidem.

Vniuerſalem Papam quare noluerit ſe appellari Greg. & tamen ſe eſſe vniuerſalem ſignificauerit 197.b

Vniuerſalis eccleſia quemadmodum ſingulis epiſcopis cõmiſſa ſit, nec id primatum Pontificis Rom. tollat 144,145,146,a b

Voluntas boni operis quomodo non ſit cauſa proprie, ſiue simpliciter, ſed cõcauſa more inſtrumenti 297. a b

Voluntatis noſtræ proprius conatus duplex ſecũdum gratiã, & ſecundum potentiam. Ibidem.

Voluntas quomodo inſtrumentum liberum ſit operans per motionem gratiæ bonũ ſecũdum virtutem propriam more inſtrumenti Ibidem.

Voluntatem non poſſe ex ſe eligere bonum, ſed potius à Deo id eligendum adduci, beatius eſſe, quam habere libertatem ad eligẽdum quod melius eſt, ex Philone 296.b

Voti de nihil poſſidẽdo fracti Ananias cum vxore reus, & quibus auctoribus 374.a

Vxorum comitatum ex rep. Platonis in epiſtolam Clementis inſertam cur Magdeburgenſes diſſimularunt, quin reprehenderent 371.a

Vxorem Paulus an habuerit, & quomodo ex verbis eius conſtet non habuiſſe 7.b

In Zepherini epiſtola, quod hæretici reprehendunt tanquam falſum, Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis vt 70. diſcipulos in adiumentum eligerent, quomodo intelligendum ſit 57.a

In Zepherini epiſtolam quæ alia crimina obiiciatur, & reſpõſio ad illa 58.b 59.a

In Zepherini epiſtolam quæ ab hæreticis obiiciantur partim tanquam non cohærẽtia, partim tanquam falſo cõcluſa, & reſponſio, ac defenſio 55.a b.

Zepherini epiſtolæ locus ambiguus correctus ad exemplar vetuſtum bibliothecæ vaticanæ 54.b

Zepherini epiſtolarum quomodo nec Euſebius, nec Hieronymus neque Damaſus meminerunt 60.b

In Zepherini epiſtola 2. canon Apoſtolorum 74. citatus, & de interpretatione 70. in ea, quomodo antiquitatem epiſtolæ probet 62.b

In Zeferini epiſtola 1. ſententiæ illæ 70. quas dicit ab Apoſtolis præfixas fuiſſe, quomodo ad numerum 85. canonũ Apoſtolorum redigantur. 63.a b

INDEX LOCORVM SACRAE ſcripturæ tum veteris, tum nouæ.

GEn.19. ingreſſus (inquiunt) es vt aduena, nunquid vt iudices? quomodo hunc locũ Anacletus prudentiſſime ad prohibendum iudicia peregrina & externa accomodauerit, quod Magd non intellexerunt 142.a

Gen.38. Quid tibi vis pro Arrabone dari? annulum tuum, & armilam, & baculũ, quẽ manu tenes, &c. quæ ſit in his allegoria ex Cyrillo 422.a b

Ex 7. percuſſit aquam fluminis, quæ verſa eſt in ſanguinem, quid in myſterio ſignificaret interprete Cyrill. 225.a b

Ex 25. vide omnia facito ſecundũ exemplar, quod tibi monſtratum eſt in mõte, quomodo nõ ſolum Moyſi ſed Dauid etiam idem de templo à Salomone ædificando oſtenſum eſt 180.a

Leu. 10. cur non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto, explanatio, & collatio loci cum loco Oſeæ interprete Cyrillo 329 b

Leu. 22. bouem, & ouem aure, & cauda amputatis voluntarie offerre potes, votum autem ex eis ſolui non poteſt, quomodo ſit ſecundum ſpiritum intelligendum 378 a

Num.16. nouit deus ſuos, & ſanctos ſuos adduxit ad ſe. & quos nõ elegit ſibi, nõ adduxit ad ſe, quomodo tota poteſtas eligẽdi bonũ videatur hic tribui Deo, quia Deus eſt proprie cauſa, vt illud eligamus 297.a

Num.19. omnis, qui tetigerit humanæ animæ morticinium, & mortuus fuerit ſine hac mũdatione &c. quomodo hunc locũ Paulus interpretatus ſit ad reſurrectionis fidem pertinere, & ad ſatisfaciendum pro debitib minutis mortuorum 341.b

Num 30 aut ſe cõſtrinxerit iuramento, pro quo eſt apud 70. præſcribere ſibi præſcriptione, quomodo ad cultum dei ſpõte adhibitum pertineat 389 b

Deut.30. elige ergo viã, vt viuas, quare tota poteſtas eligendi bonum videatur hic tribui homini 296.b

Deut 30 prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis, quomodo Paulus de iuſtitia ex fide interpretatus ſit hoc 307 b

1. Reg. 7. hauſeruntque aquam, & effuderunt in cõſpectu domini, quid in ænigmate ſignificaret hæc effuſio aquæ, Cyrillo interprete 225.a

3. Reg.8. vt in æternum ſit ibi nomen dei, quomodo hoc in tẽplis chriſtianorum manufactis neceſſe ſit impleri 185.a

1. Paral.28. nec non & omnium,

quæ fuerint in ſpiritu cum eo, quomodo hoc intelligendum ſit de templo Salomonis oſtē ſo in ſpiritu regi Dauid 180.a

Tobi. 4. cur præceperit filio ponere panem & vinum ſuper ſepulturam iuſti 341 a

Iob 37. in manu omnis hominis ſignat, omnis homo infirmitatem ſuam, quomodo hoc Synodus Mileuitana de peccatis venialibus interpretata eſt. 353.b

Iob 42. & nomen tertiæ cornu, Amaltheæ, quare ſic vocata eſt vna ex filiis fœminis Iob ſecūdum.70. 120 a

Pſal.13. dixit inſipiēs in corde ſuo, non eſt Deus quid hic ſignificet dicere 328.b

Pſal. 18. delicta quis intelligit? quomodo veteres omnes de peccatis leuibus ſunt interpretati 355.a b

Pſal.18. quod ſi mei non dominata fuerint tum emundabor à delicto magno, quomodo hoc intelligendum ſit 356.b 357.a

Pſal.18. in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, quomodo hanc prophetiam falſam eſſe faciant Lutherani 273.a

Pſal.33. guſtate, & videte, quam bonus dominus, quidam veteres legunt, quod Chriſtus dominus 123.b

Pſal. 44. pro patribus tuis nati ſunt tibi filij quomodo de Apoſtolis dictum eſſe Cyrillus interpretetur 149 a

Pſal.49. qui ordinant teſtamentū eius ſuper ſacrificia, quomodo de ritu myſtici ſacrificij ab Apoſtolis tradito accipiēda ſunt 99.b

Pſal. 62. & Pſal.140. explanatio 182 b 183.a

Pſal.115. credidi propter quod locutus ſum quomodo Apoſtolus interpretatꝰ ſit hoc 309.a b

Pſalm. 117. cur ſingulis diebus dominicis in eccleſia canitur 425.a

Pſal.117. Hæc dies quam fecit dominus, exultemus, & lætemur in ea, quare de reſurrectione dictum ſit 425.b

Pſal.118. voluntaria oris mei beneplacita fac domine, iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ quomodo ad cultū Dei voluntarium hæc pertineant. 378.b

Pſal.98. Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius, quomodo hoc pertineat ad probandum maiores cauſas referendas eſſe ad Pontificem Rom. 270.b

Pſal.132. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, quomodo hoc & quibus auctoribus ad vitā communem religioſorū pertineat 373.a

Prou.2. inclinabis cor tuum ad cognoſcēdam prudentiā, quid ſignificet hic cor interprete Procopio Gazæo 308.b

Prou.3. miſericordiæ, & fides ſint

tibi.&c quomodo demonſtretur hic,iuſtitiam eſſe ex fide cũ charitate 318.a
Prou.16. cor hominis diſponit viam ſuam,quomodo hoc intelligendum ſit 295 a
Prou.12. iuſtus annũciabit fidem oſtenſam, locus collatus cum loco epiſt.Iaco.2. 312.b
Prou 19.à domino autem aptatur mulier viro,&c.quomodo hic locus pertineat ad ſacramentũ matrimonij 421.b
Prou.11. recta incedit Iuſtus,quid hoc ſit 52.a
Prou.26 ſicut canis cum reuertitur ad ſuum vomitũ. &c quomodo de reuerſo poſt confeſſionem ſecretam ad peccatum intelligendum ſit 350.b
Eccl.6 & ſi quid fuit, iam vocatũ eſt ab eo nomen eius,quomodo intelligendum hoc ſit 123. a
Eccl.7.mortuo ne prohibeas gratiam,quomodo hic locus probet orandum eſſe pro pie mortuis 342 b
Eccl.32.in omni opere crede animæ tuæ, quomodo pertineat ad illã ſententiã Iacobi. ſuſcipite inſitũ verbũ quod poteſt ſaluare animas noſtras 324.b
Eſ.6. ne forte videant oculis, & auribus audiant,& corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. quid ſit corde intelligere. 317.a
Eſ.7.niſi credideritis, non intelligetis, quomodo de fide cũ dilectione neceſſario intelligendum ſit. 316.b
Eſ 8 dominum virtutum ipſum ſanctificate, quomodo intelligendum ſit 226.b
Eſ. 9.ardebit peccatum eorum,& erit populus quaſi ab igne cõbuſtus homo, collatio huius loci cum loco Pauli de purgatorio 338 b
Eſ.25. deuorauit mors præualẽs, & abſtulit Deus omnẽ lachrimã ab omni facie, quomodo intelligendum ſit hoc 178.b
Eſ 49.exite,qui in vinculis,& qui in tenebris reuelamini, quomodo iis, qui erant in purgatorio ante aduentum Chriſti, hoc ſit dictum 335.b
Eſ.25. Vngẽtur vnguẽto, de chriſmate cõfirmationis interprete Cyrillo Hieroſoly. 176. b
Eſ 61. Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, quomodo hoc ad ſacerdotes noui teſtamẽti, de quibus prophetat in eo loco,pertineat 437 a
Eſ.25.bibent vinum, bibent lætitiam,vnguento vngẽtur, quomodo ratione connexi cogãtur hæretici concedere, prophetiam eſſe de ſacramento Chriſmatis 177.b 178 a
Eſ.56.domus mea,domus orationis vocabitur cunctis populis, quomodo neceſſario hæc prophetia de loco ſub ſenſum cadente ad orandum conſecrato accipienda ſit 180.b
Eſ.54. ſicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, ſic iuraui, &c. quo

tineat hoc 430.b

Eſ. 6.&. filios aduenæ,qui adhærent domino,vt colant eũ &c. quomodo interprete Cyrillo hic locus probet Euchariſtiã eſſe extra vſum 358.a

Eſ.56 ſumamus vinum,& impleamur ebrietate quid hic ſignificet ebrietas ex Greg. Niſ.358.a

Hier.23.prophetias linguæ. quomodo Paulus imitatus ſit hic Hieremiã in epiſt ad Cor.243 a

Hier.23. linguas ſuas aſſumentes qui ſint nunc, & qui prophetias eiicientes ſimiles iis, de quibus loquitur Hieremias. 87.a

Ez.14. neque filios, neque filias ſuas liberabunt Noe, Daniel, & Iob cur iſtos tres nominarit, & quos filios Danielis dicat, qui ſecundum carnem nullos habuit 353.b

Ezech.locus c.18.& 33.de pœnitẽtia peccatorum collatus,& explicatus 353 a b

Ez 34 quod eiectum erat,non reduxiſtis, ſatis docuit hoc loco propheta,ad paſtores pertinere legibus gubernare. quæ pœnis ſancitæ eſſent, quæ ſunt canones eccleſiaſtici, eiicere enim ex eccleſia pœna eſt,quæ frequens eſt in legibus eccleſiaſticis 100.a

Dan.7.& ecce cornu illud faciebat bellum aduerſus ſanctos, & quæ ſequũtur,de ante Chriſto prædicta quomodo aptiſſime in Lutheranos Antichriſtos conueniant 381.a b

Oſe 4.peccata populi mei comedẽt, & ad iniquitatẽ eorũ ſubleuabũt animas ſuas,explanatio loci ex com. Cyrilli 329.b

Oſe 4.& erit populus ſicut ſacerdos, cui cõtradicitur, quomodo Cyrillus interpretetur.448 a.b

Oſe 5. ſicut vacca aſilo percuſſa inſaniuit Iſrael,&c.collatio interpretationis Hiero. & 70. & interpretatio loci citati 447.b

Oſe 4. propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis,qui habitat in ea in beſtia agri,& volucre cœli,& piſces maris deficient 448.a

Oſe 5.oppreſſit Ephrain aduerſarium ſuũ quam apte cõueniat hic locus propoſito epiſtolæ Alexãdri,in qua citatur.447.b

Ionæ 3.ad huc quadraginta dies, triplex lectio apud veteres & quomodo impleta fuerit minatio 17.a

Naum 1. nõ vindicabit dominus bis in idipſum, explicatur locus Cyrillo interprete 17.b

Habbac 1. cum deuorauerit impius iuſtum & facies homines quaſi piſces maris 448.b

Agg.2.interroga ſacerdotes legẽ, ſi accipiat homo carnẽ ſanctã &c. explanatio totius loci ex Theodoro Antiocheno 184. b

Agg. 2. magna erit gloria iſtius domus nouiſſimæ pluſquam primæ, explanatio huius loci totius ex Cyrill. 184.a

Zach.2.qui vos tangit, pupillam oculi ſui tangit, interpretatio loci huius ex Cyrilli commentariis in hũc prophetam. 262 b

Zach.13. & erit in die illa dicit dominus, duæ partes peribũt, &c. collatio huius loci cũ loco Pauli de purgatorio. 339.a

Zach. 9. in ſanguine teſtamenti tui, emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua, conuertimini ad munitionem vincti ſpei, quomodo de purgatorio ante aduentum Chriſti neceſſario hoc ſcriptum ſit 335. b

Malach.2. & particeps tua, & vxor fœderis tui &c. quomodo Cyrill. interpretatus ſit hunc locum 419 a

Malach. 3. & dixiſtis, vanus eſt, qui ſeruit Deo, quid hic ſignificet, dicere 328.b

Malach.3. ſedebit conſtans, & emundas argentum, & colabit eos tanquam aurum & argentum, collatio huius loci cum illo Pauli 1.Cor.3. 338.b

2.Macc.12.facta collatione, Iudas Maccabæus miſit duodecim milia drachmas Hieroſolymã offerri pro peccatis mortuorũ &c. vnde hoc facere didicerit Iudas Macc. 341.b

Matth.3.eſca autem eius erat locuſtæ, & mel Syluestre, quod genus locuſtæ ex Athanaſio. 585.a

Matth. 5. Qui dimiſerit vxorem (excepta cauſa fornicationis) facit eam mœchari, qualis ſit, & quam vim habeat, & quo pertineat hæc exceptio fornicationis 402.b

Matth.5. non veni ſoluere legem, ſed adimplere, quomodo S. Sixtus 3. interpretatus ſit 164 b

Matth. 6. niſi ſuperabundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & Phariſeorum, quæ ſit iſta ſuperabundantia iuſtitiæ ex epiſt. ad Tim 1.c.1. intellegi 347.a

Matth 13. cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania, quomodo diſcrimen verorũ & falſorũ dogmatũ oſtẽſum ſit hic Photio Conſt. interprete 366.a

Matth.15. Quare & vos trãſgredimini mandatũ dei propter traditionẽ veſtrã, nam Deus dixit, honora patrem &c. quid hic docuerit dominus 286.a

Matth.16. & portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam. quid ſignificent hic portæ inferi Euſebio auctore, & collatio cum illo, quod dictũ eſt Abrahæ, & poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum 155.b

Matth. 16. & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meã, quid ſignificare voluerit, cum dixit meam, & collatio cum eo, quod dixit Abrahæ, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te 134. b

Matth.16.caro, & ſanguis non reuelauit tibi, quomodo hoc in-

terpretatus ſit beatus Hier. in libro de circunciſione 135.a
Matth.16. & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiā meā, quod illa coniunctio, & valeat hic, quia & cauſa reddatur nominis Petro impoſiti, ſicut reddita eſt cauſa nominis impoſiti Abrahæ 133.a
Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, qui auctores anti qui tum Greci, tum latini interpretati ſint, ſuper hanc petrā id eſt, ſuper Petrum, 135 b. 136. 137. 138. a b
Matth.18. videte, ne contemnatis vnū ex his puſillis &c. quid ſit contemni hic & quomodo ex canone Apoſt. & epiſtola Anacleti intelligatur 75 a
Matth.18. ſi peccauerit in te frater tuus, vade &c. explanatio huius loci ex Photij ſcholio 250.a
Matth. 18. quæcunque ligaueris ſuper terrā, &c. quomodo ex hac poteſtate primū beato Petro data ſequatur ratione cōnexi ius appellandi cum 271.a
Matth.10. Qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet, & qui recipit prophetam, &c. quomodo hoc ad feſtos dies ſanctorum celebrandos pertineat 427.a
Matth 18. quia lunaticus eſt, cur dæmoniacus appellatus ſi lunaticus, cū nihil in eo efficiat luna 121.a
Matth.18 ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terrā, de omni re, quamcunque petierint, fiet eis à patre meo, de quibus duobus intelligendum ſit auctore S. Paciano 333.b
Matth 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vēde omnia quæ habes, &c. quomodo hoc ad vitam communem religioſorū pertineat 373.a
Matth.21. Domus mea Domus orationis vocabitur, quomodo neceſſe ſit de loco ſenſibili ad orādum accipere, collata prophetia Eſaiæ c. 56. 180.b 181.a
Matth. 25. vnicuique autem dedit ſecundum propriam virtutem, quæ iſta propria virtus ſit 295.a b
Matth.16. & impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiā prophetam, & acceperunt triginta argēteos, quomodo hoc in deſcriptionib. Hieremiæ citatis 2. Macc. c.2. contineretur 156.a
Luc.6. non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum interpretatio loci huius ex ſynodo Rom. Silueſtri pont. 264.a
Luc. 6. non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, quomodo hic locus & quando prohibeat epiſcopos à laicis accuſari 255.a
Luc c 10. Poſthæc deſignauit domin⁹ alios 72. diſcipulos, quid hic ſignificet, deſignare, & quo modo apoſtoli elegerūt, quos hic dominus deſignauit 57.b
Luc.12. ignem veni mittere in terram &c. quomodo de euāge-

lio accipiendum ſit, & cur dicatur euangelium ignis 190.b

Luc.12. Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit dominus &c. quomodo neceſſario intelligenda ſit hæc parabola de diſpenſatore eccleſiaſtico & non laico 396.a b

Luc.12. ſeruus neſciens voluntatẽ domini, vapulabit paucis, quomodo intelligatur 344. a

Luc.13. interpretatio parabolæ de arbore fici 16.b

Luc.22. ego oraui pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus cõfirma fratres tuos, quomodo orauerit, & impetrauerit, & quomodo ex ratione firmandi fratres in fide ducta ſit ratio Petræ & ædificationis eccleſiæ ſuper hãc Petram, quæ eſt Petrus 124.a

Luc. 22. hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem, quomodo hinc eliciatur offerri pro viuis, & pro defunctis 90.a

Luc 22. Dico enim vobis, quia ex hoc nõ mãducabo illud, donec impleatur in regno Dei, quomodo intelligendum ſit de myſtico paſcha, & non de typico 360.a b

Ioan.8. Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt, quomodo de die reſurrectionis intelligendum ſit. 425.b. 426.a

Ioan.8. & eiecit ex templo ementes, & vendẽtes, quomodo dominus hoc exemplo epiſcopos ab indignis accuſari prohibuerit 257.b

Act.c.1. oſtende, quem elegeris ex his duobus, quomodo verbum eligendi hic accipiatur 57.a

Act.2. & apparuerunt eis diſpertitæ linguę ignis, ſeditque ſupra ſingulos illorum, quid hic ſignificatum ſit 190 a

Act.2. agite pœnitentiam, & baptizetur vnus quiſque veſtrum, quomodo hunc locum citent hæretici ad probandum iuſtificationem ſine operibus ex ſola fide, & eodẽ ipſo redarguatur falſum eorum dogma 325. a

Act 4. nec enim eſt aliud nomen ſub cælo datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri, quomodo hoc loco, quẽ hæretici ad probandum iuſtificationẽ ſine operibus pertinere volunt, redarguatur eorum falſum dogma. 325.b 57. a

Act.6. & elegerunt Stephanum, quomodo hoc loco verbum eligendi accipiatur, vt laicis cõueniat

Act c. 8. non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto, quomodo intelligẽdum ſit de excommunicatione 28. b

Act 10. huic inquit Petrus, omnes prophetæ teſtimonium perhibent, quæ teſtimonia prophetarum recitauerit tunc Petrus, quæ Lucas prætermiſit breuitatis cauſa, ex Clemente Rom.

hoc ſcitur 131.a

Act.10. huic omnes prophetæ teſtimonium perhibēt remiſſionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum, quomodo non poſſit accipi iſtud credere de ſola fide ſine operibus ac volunt hæretici 31,b,32,a

Act.apoſt.c.14. diſputante autem illo de iuſtitia,&caſtitate,quod de iuſtitia ſpeciali virtute,& de continētia item ſpeciali, id eſt, carnis,ſit intelligendum,& nullo modo de generali 3.a

Act.15. deus viſitauit ſumere ex gētibus populum nomini ſuo quid hic ſignificet,viſitauit, & ſumere nomini ſuo 130.b

Act.15. tacuit autem omnis multitudo,quod iſtud ſilentium fuerit, & quomodo hoc ſignificet acquieuiſſe omnes ſententiæ Petri tanquam in fide iam ab eo confirmatos 131,b

Act.15.Simon narrauit, verbum ἐξηγήσατο quo vſus eſt hic Lucas, quomodo declaret, plura in illa ſynodo Hieroſolymitana Petrum dixiſſe,quā hic ſcripſerit Lucas,illa ſcilicet dixiſſe, quæ Clemens lib. 6 narrat, & cur à Luca prætermiſſa ſint hic 129,b 130,a

Act 15.Simon narrauit,quomodo non Simeon,vt Chryſoſtomus legit, ſed Simon legendum ſit 129,b

Act.15.ab antiquis diebus deus in vobis elegit per os meum audire gentes euangeliū,quomodo illud per os meum τὸ αὐθεντικὸν petri,id eſt,auctoritatem in omnes ſignificauerit 132,b

Act.c.15. abſtinere à ſanguine, & ſuffocato, quatenus neceſſariū eſſet,& à ſanctis apoſtolis prohibitum, & qui ſint auctores, 8.3,a

Act.17.& accepta ſatisfactione à Iaſone & cæteris, dimiſerunt illos,quid hic ſatisfactio ſignificet 300,b

Act 20. propter quod vigilate memoria retinentes, &c. quomodo Paulus Epheſios hic inſtruxerit aduerſus hæreticos, futuros, & curioſos illos Magicos 366,a b

Act.20.feſtinabat,ſi fieri poſſet,vt diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis, quomodo ex hoc loco vniformis obſeruatio Paſchæ concludatur neceſſario 428,b

Rom.2.iis, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt,vitam æternam,quomodo ſit hic eadem ſententia quæ in doctrina Petri epiſtolæ Clementis à Magd. reprehenditur 322,b

Rom.2. natura,quæ legis ſunt faciunt, quomodo accipiendum ſit hic hoc verbum natura & quomodo clare dicat hic apoſtolus iuſtificari gentes ex operibus faciētes naturaliter quæ legis ſunt 323,a,b

Rom.2.cum enim gentes,quæ le-

gem non habent, natura, quæ legis ſunt faciunt, quomodo hunc locum Philippus Melanchthon hæretice interpretatus ſit & quid de eiuſmodi gentiũ operibus recte Philon Iudæus ſcripſe it r 347,a,b

Rom.2 non enim auctores legis iuſtificabũtur, quos vocet Paulus hic auditores legis 323,b

Rom.2. naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, quomodo intelligendum ſit, & de quo conatu voluntatis 295,a

Rom 3 omnes ſunt peccatores, & egent gloria dei. quod egeant, vt ſanentur, & vt ſani facti, recte operentur 143,a

Rom 5. arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operib⁹, quomodo hic locus ſit ex numero eorum, de quibus dixit Petrus, eſſe quædam difficilia intellectu in epiſtolis Pauli, & quomodo ipſe Paul. ſit eius loci interpres 326,b,327,a

Rom. 7. nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, quomodo Ennodius Ticinenſis interpretetur 298,a b

Rom. 7. Quod enim operor, non intelligo, quomodo Methodius martyr interpretatus ſit 355,b

Rom.9. Iſrael ſectando legem iuſtitiæ, ad legẽ iuſtitiæ non peruenit, quia nõ ex fide, ſed quaſi ex operibus legis, quid ſit, quaſi ex operibus legis, & quid hoc diſſerat ab operibus legis 321,a,b

Rom. 10. corde creditur ad iuſtitiam, quomodo de fide cum operibus neceſſario, Paulo ipſo interprete intelligẽdũ ſit 307,b

Rom.10. ore autem fit cõfeſſio ad ſalutem, quomodo hoc etiam probet iuſtitiam ex fide cum operibus 308,b

Rom.10 quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, ne dixeris in corde tuo, loci Deuteronomij interpretatio ex Paulo 308,a

Rom.10. fides ex auditu eſt, quid hic ſignificet auditus ſecũdum idioma ſcripturæ, & quomodo intelligatur, interprete Theodoro Antiocheno 324,a

Rom 11. dedit eis ſpiritum compunctionis, interpretatio ex Cyrillo, quis ſit ſpiritus compunctionis. 218,a

Rom.11. ſi autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia, quomodo hic locus ex eorum numero ſit, de quibus affirmat Petrus, eſſe quædam in epiſtolis Pauli difficilia intellectu, & quomodo ipſe Paulus ſit huius loci interpres 320,b

Rom.12. vt probetis, quæ ſit voluntas dei bona vnde probatio iſta petenda ſit, ex c. 7. ad Rom. intelligi 3,b

Rom. 12. memoriis ſanctorum communicantes, qui auctores ſic legant, & quid ſit memoriis ſanctorum communicare, & quomodo vtraque lectio neceſſitatibus, ſiue memoriis ſit

alterius interpretatio 340.b
Rom.13. non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam, quo modo ex hoc loco eliciatur, leges ſæculares obligare peccato eos, qui nō obediūt eis 399.b
Paul. Rom c.13. nō enim ſine cauſa gladium portat, de quibus poteſtatibus dicat, & quare 163.b
1. Cor.2. in oſtenſione ſpiritus, & virtute quomodo hic demonſtratio propria ſcripturæ contineatur, interprete Orig. 115.a
1. Cor.2 ſapientiam loquimur inter perfectos quomodo de ſacramento confirmationis intelligatur 177.a
1. Cor.2. nos autem non ſpiritum huius mūdi accepimus, ſed ſpiritū, qui ex deo eſt, quomodo intelligatur, & quid ſit comparare ſpiritualia cum ſpiritualibus 306.a
1. Cor.3. ſi quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum. &c. explanatio totius loci, & demonſtratio purgatorij ex eo 337, 338, 339, a,b
1. Cor.3. vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit de igne duplici Gehēnæ, & purgatorij, & de duplici genere peccatorum loqui Paulū hic quomodo ex proprietate ſermonis, & verborum cōſequētia doceatur 337,b 338.a
1. Cor.4. mihi autē pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die, quid ſit iudicari ab humano die collatis ſcripturis 352.b
1. Cor.5. ſi quis frater nominatus inter vos eſt fornicator, aut auarus &c. non eſſe hic poſitum catalogum omnium excommunicandorum contra hæreticos 14.a,b
1. Cor.5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quomodo de Paſcha myſtico & incruēto intelligendum ſit 360.a
1. Cor.6. ſæcularia igitur negotia &c. quomodo ex hoc loco eliciatur ſæcularis, ſiue laicæ iuriſdictionis poteſtatē in eccleſia eſſe 350.b
1. Cor.6. ſæcularia igitur iudicia ſi habueritis &c. quomodo ex hoc loco Pauli decretū de iudiciis externis declinandis manarit 194.a
1. Cor.6. contemptibiles, qui ſunt inter vos illos conſtituite, quare hoc Paulus conſtituerit, & collatio huius loci cū loco epiſtolæ Clementis 248.a
1. Cor.7. præterit enim figura huius mundi, quomodo hoc ad ſuadendum continentiam pertineat, ex libro Sixti de caſtitate 423.a,b
1. Cor.7. præcipio nō ego, ſed dominus, vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam aut reconciliari viro ſuo, quomodo ſententiam domini, & non verba citauerit 405 b
1. Cor.7. ſi quis frater vxorem ha-

bet infidelem⁹, & hæc conſentit habitare cum eo, non dimittat illam, quomodo hoc ſit præceptum, & quibus auctoribus 213 b

1. Corinth. 7. porro hoc ad vtilitatem veſtrã dico, non vt laqueũ vobis iniiciam, quid ſit la queũ iniicere 375. b

1. Cor. 7. melius eſt enim nubere quàm vri, quibus dictum ſit, & quid ſignificet 274. a

1. Cor. 7 non ego, ſed dominus, & rurſus, non dominus, ſed ego, quæ diſtinguere his verbis apoſtolus voluerit 4 b

1. Cor. 7. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ domini ſunt, quomodo placeat deo & c. explanatio Sixti 3. in totum hunc locũ. 415. a, b

1. Cor. 7. de quibus autem ſcripſiſtis mihi, bonũ eſt homini, mulierem non tangere de quibus interrogatus fuerit Paulus, & de quibus reſponderit, quomodo ex ipſo Paulo, & ex antiquis auctoribus intelligatur 407. a, b

1. Cor. 7. precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum, interpretatio loci huius & collatio cum altero ex epiſtola Petri 346. b

1. Cor. 7 quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut reconciliari viro, quomodo quod Marloratus Caluinianus miniſter dixit loqui Paulum hoc de diſcedẽtibus ob aliam cauſam, & non propter fornicationem, ſcripturis, ratione, & auctoritatibus redarguatur 405. a

1. Cor. 9. Qui in agone certat, ab omnibus ſe abſtinet, quomodo vnum ex illis omnibus ſit etiam cubile propriæ vxoris, & quomodo ad exempla illa pugillum continentium quę Plato memorat, reſpexiſſe videtur apoſtolus 411 a

Pauli locus 1. Cor. c. 9. omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, de qua abſtinentia interpretandus ſit 3. b

1. Cor. 9. locus de poteſtate mulierem ſororem circumducendi explicatus proprietate verborũ examinata 7. a, b

1. Cor. 11. ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiũt multi quomodo hoc ad ſupplicium populi pertineat propter indigne communicantẽ 380. b

1. Corinth. 11. omnia ſecũdum ordinem, & honeſte fiant in vobis, quomodo in eccleſia ſine legibus Eccleſiaſticis fieri hoc non poterat, non magis quam in ciuitate ſine legibus ciuilibus 105 a

1. Cor. 11. cætera cum venero diſponam, quomodo, hic de diſpoſitionib⁹ eccleſiaſticis, quas canones vocant, ſignificauerit. 95. b

1. Cor. c. 11. ego enim accepi à domino, quod & tradidi vobis & c. quorſum pertineret hęc domini inſtitutio à Paulo repetita hic, & quomodo Canon. 2. A-

poſtolorum huc pertineat 88,b
1.Cor.11.ſi quis vult contentioſus eſſe,&c. quid ſignificet verbum contentioſi, ex obſeruatione Philonis 189,a
1.Cor. 12.nemo poteſt dicere,dominus Ieſus, niſi in Spiritu S. quomodo intelligendum ſit,S. Diadocho interprete 328,a
1.Cor.14. omnia autē honeſte, & ſecundum ordinem fiant in vobis, quomodo hoc loco traditionem regularum eccleſiaſticarum,quæ canones vocātur, ſignificauerit 96,a
1.Cor.15. ſi mortui non reſurgūt, vt quid baptizantur pro mortuis? explicatio huius loci ſecundum ſcripturam, & veterū auctoritatem 341,b, 342,a
Paul 1.Cor.15. cur Chriſtus primitiæ dormientium 102,a
1.Corint. 16. Permanebo Epheſi vſque ad Pentecoſtem,quomodo hoc loco probetur vniformis obſeruatio Paſchæ 428,b
2.Cor.1.qui ſignificauit nos,& dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris quomodo de ſacramēto confirmationis intelligatur 177, a
2.Cor.2. ſufficit ei,qui huiuſmodi eſt,obiurgatio, quæ fit à pluribus,quomodo de ſatisfactione ad pœnitentiam accedente accipiendum ſit 300,a, b
2.Cor. 2. nam ego quod donaui, ſi quid donaui, cur dixerit, ſi quid donaui 305, a,b
2.Cor.7.ecce enim,inquit,hoc ipſum ſecundum deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed & defenſionem &c quomodo fructus pœnitentiæ hic comprehenſi ſint 301, a,b
Gal.1.licet nos,aut angelus de cœlo euangelizet vobis præter quàm quod euangelizauimus, quomodo hoc ſcripſerit non prius quam euangelium cum Petro contuliſſet 125, b
Gal.2.& contuli cum illis euāgelium, quid de hac collatione Tertullianus, & Theodoretus, & Sophronius Hieroſolymit. ſcripſerint 124, b
Gal.2. dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, quæ ſymbola concordiæ, & conſenſionis hic ſignificet 128,b
Gal.2.Iacobus,Cephas, & Ioannes, quare hoc loco vocatus eſt à Paulo Petrus Cephas 124, b
Gal.5.ſed fides, quæ per dilectionē operatur, quomodo ex virtute verbi Græci, quod interpres vertit operatur paſſiue, demōſtratur,charitatem eſſe formam fidei, ſine qua neceſſe ſit eſſe mortuam fidem, vt corpus ſine anima 273, b
Paul. Eph.1. in quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, quomodo de chriſmate ſiue de ſacramento cōfirmationis intelligendum ſit 177,a
Eph.3.gentes eſſe hæredes & concorporales in Chriſto propter

ſacram Euchariſtiæ communionem interprete Cyrillo dictum eſſe 88,b

Eph. 5. ſacramentum hoc magnū eſt, ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia, quomodo hunc locum Greg. Naz. & Methodius martyr interpretati ſint 419,b

Epheſ. 5. nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, quomodo ad hunc locum pertineat, quod de abſtinendo à vino adoleſcētibus prohibet Marc⁹ Anachoreta 276, a,b

Philipp. 4. de cætero fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, &c. quomodo ſit hoc loco comprehenſa generaliter materia conſtitutionum Apoſtolicarum, quas Clemens deſcripſit 98, b

Philipp. 3. Verum tamen ad quod præuenimus, vt idē ſapiamus, in eadem regula permaneam⁹ 52, a,b

Coloſſ. 1. cur Chriſtus primogenitus ex mortuis 162,a

Coloſſ. 2. videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, quales ſint huiuſmodi traditiones hominum per philoſophiam 435,a

Coloſſ. 2. locus ipſe de delectu ciborum quemadmodum Lutheranos redarguat, & conſuetudinem catholicorum defendat 10, a

Coloſ. 2. nemo vos iudicet in cibo & potu, quomodo hic locus cibos diſcernere ſecundum literam, & Iudaice, prohibeat, nō autem diſcernere ſecundū ſpiritum 94, a

Coloſſ. 3. nemo vos ſeducat volēs in humilitate, & religione angelorum &c. ex interpretatione veterum auctorum 387, b 388, 389, 390, a,b

Coloſſ. 3. quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in religione &c. quomodo apoſtolus complexus eſt hic omnia, quæ abſtinentiam ciborum, & delectum commendant 387, b

Coloſſ. 3. quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ &c. quomodo virtute, & conſequentia verborum Pauli coarguantur hæretici, qui hunc locum ad damnādum delectum ciborum pertinere dixerunt 390, a

Coloſſ. 5. in humilitate ad non parcendum corpori, non in honore aliquo quomodo hæc pertineant ad approbandum cultū, & religionem abſtinētiæ ciborum voluntariæ 389,b

2. Theſſ. 2. tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam noſtrā, quomodo hæc ſint, qualia Plato vocat νόμιμα ἄγραφα, id eſt, inſtituta ſine ſcripto

2. Theſſ. c. 2. rogamus autem vos fratres, & quæ ſequuntur, quomodo in Lutheranos quadrent 279, 280, 281, 282, 283, a,b

2.Theſſ.2.nam myſterium iniquitatis iam operatur. quod iſtud myſterium ſit 281.a
1. Theſſ.4. vt ſciat vnuſquiſq; vas ſuum continere in ſanctificatione &c. locus collatus cum loco ad Heb.13. honorabile cõnubium. & explanatus 412.a,b
1. Tim.1. finis præcepti eſt charitas, quomodo hic locus probet fidem ſolam imperfectam eſſe, ac proinde non poſſe iuſtificare 326.a
1. Tim. 1. lex eſt iniuſtis poſita, quomodo hunc locum Philippus Melancthon ad locum epiſ. ad Rom. de gentibus illis, natura, quæ legis ſunt, facientibus, peruerſe pertinere exiſtimauit 348.b
1.Tim.1.Lex non eſt poſita iuſtis, de qua lege intelligendum ſit 347.a
1.Tim. 1. charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, quæ ſit fides ficta, quãuis vera fides ſit 327.a
1. Tim. 1. ſuperabundauit gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cũ fide & dilectione, quomodo ex hoc loco demonſtretur, gratiã domini noſtri negare eos, qui per ſolam fidem iuſtificari tradunt 317.b
1. Tim.2. obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus, quomodo in omnibus hominibus pie mortui cõprehenſi ſint ſecundum cõſuetudinem ſcripturæ 336.a
1.Tim.3. qui epiſcopatum deſiderat, bonũ opus deſiderat, quid hic ſignificet bonum opus, ex Iſidoro Peluſiota 262.a
1.Tim.3.& mulieres ſimiliter pudicas, quomodo de vxoribus epiſcoporum, & presbyterorũ, ac diaconorum hoc Apoſtolus dixerit 409.a
1.Tim. c. 3. hæc tibi ſcribo Timothee, ſperans me ad te venire cito, vt ſcias interim &c quomodo hoc loco, ſignificauerit de legibus eccleſiaſticis tradendis, cum præſens eſſet 95.a
1.Tim.4. quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, quid ſit percipere cum gratiarum actione cibos 382.b 383.a
1.Tim.4. ſanctificatur enim creatura per verbum & orationem, quid ſignificet ibi oratio, græcè ἔντευξις ex Theodoreto, & Athanaſio 226.a
1. Tim.4. ſpiritus manifeſte dicit, quod nouiſſimis temporibus diſcedent quidã à fide &c. quomodo in Lutheranos conueniat hæc prophetia & quomodo demonſtretur, ipſos eſſe qui à fide diſceſſerunt, & non nos 272.a
1.Tim 4.abſtinere à cibis, quomodo, & qua ratione ad doctrinã dęmoniorũ hoc pertineat. 94.a
1. Tim. 4. promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, quomodo vtriuſque vitæ per

gloriam

riam in cœlo,& per gratiam in terra coniuncta ſit nexu inſeparabili promiſſio 282.b

1.Tim.4. nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt &c. ex ſancti Maximi & ſancti Nili interpretatione 386.a b

1.Tim.4.ineptas,& aniles fabulas deuita, quæ ſint iſtæ fabulæ. 385.b.

1.Tim. 4. prohibentium nubere, de Manichæis, & Marcioniſtis prophetatum eſſe 175.a

1.Tim 5.vt hæc cuſtodias ſiue pręiudicio,quod hic ſignificet ſine præiudicio ex Cyrillo 231.a

1.Tim.5. vtere modico vino propter ſtomachum quomodo ad caſtigādum carnem illa à vino abſtinentia pertineret 176.a

1.Tim.5. ſeniorem ne increpaueris,ſed obſecra vt patrem,quomodo intelligendum ſit. 263.b

1.Tim.5.habentes damnationem, quia primā fidem negauerunt, quomodo non de fide baptiſmi,ſed de fide promiſſionis omnino intelligendum hoc ſit cōtra hæreticos & explanatio eruditiſſima Chryſoſtomi in hunc locum. 413.b

1.Tim.5.damnationem habentes, quia primā fidem negauerunt, locus explanatus in Sinod. Carth. 4.& cum conſtitutione apoſtolica collatus. 274.ab

2.Tim.2. ſolicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo,&c. rectè tractantem verbum veritatis 52 a

2.Tim.2. profana autem vaniloquia deuita, quid ſit vaniloquiū, & quæ exēpla eius.278.a

2.Tim.2. recte tractātem verbum veritatis quæ regula ſit ab apoſtolo tradita in epiſt.2.ad Tim. 278.a

2.Tim 2. quæ à me audiuiſti per multos teſtes. quæ ſint, quæ ſic audiuntur,id eſt,per multos teſtes 305.b

2.Tim.c.3. tu autem permane in iis,quæ didiciſti & credita ſunt tibi,ſciēs, à quo didiceris,quomodo hæc inſtructio hæreticos coarguat 366.b

Ad Tit 1. locus de vnius vxoris viro multorum collatione explicatus 5.b

Tit.1. increpa eos dure, vt ſani ſint in fide,quæ iſta ſit fidei inualetudo 310.a b

Tit.1.ſicut ego diſpoſui tibi, neceſſe eſſe vt diſpoſitiones ſine ſcripto ſignificauerit, quæ ſint traditiones 167.a

ad Tit.1.locus explicatus,oportere epiſcopum eſſe hoſpitalem, benignum,iuſtum,ſanctū continentem 2.a

Tit.1.Reliqui te cretæ, vt quæ deſunt, corrigas, quo pertineat hic locus ſecundum proprietatem verborum 434.b

Tit.c.1.reliqui te Cretæ,vt ea quę deſunt,corrigas, quid hic ſignificet ἐπιδιορθῶν 81.a

Tit.2.ſenes vt ſint pudici, graues, quam pudicitiam requirat hic à ſenibus Paul. 408.a

2.Theſſ.2. nam myſterium iniquitatis iam operatur. quod iſtud myſterium ſit 281.a
1. Theſſ.4. vt ſciat vnuſquiſq; vas ſuum continere in ſanctificatione &c. locus collatus cum loco ad Heb.13. honorabile cõnubium, & explanatus 412.a,b
1. Tim.1. finis præcepti eſt charitas, quomodo hic locus probet fidem ſolam imperfectam eſſe, ac proinde non poſſe iuſtificare 326.a
1. Tim.1. lex eſt iniuſtis poſita, quomodo hunc locum Philippus Melancthon ad locum epiſ. ad Rom. de gentibus illis, natura, quæ legis ſunt, facientibus, peruerſe pertinere exiſtimauit 348.b
1. Tim.1. Lex non eſt poſita iuſtis, de qua lege intelligendum ſit 347.a
1. Tim.1. charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, quæ ſit fides ficta, quãuis vera fides ſit 327.a
1. Tim.1. ſuperabundauit gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cũ fide & dilectione, quomodo ex hoc loco demonſtretur, gratiã domini noſtri negare eos, qui per ſolam fidem iuſtificari tradunt 317.b
1. Tim.2. obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus, quomodo in omnibus hominibus pie mortui cõprehenſi ſint ſecundum cõſuetudinem ſcripturæ 336.a
1. Tim.3. qui epiſcopatum deſiderat, bonũ opus deſiderat, quid hic ſignificet bonum opus, ex Iſidoro Peluſiota 261.a
1. Tim.3. & mulieres ſimiliter pudicas, quomodo de vxoribus epiſcoporum, & preſbyterorũ, ac diaconorum hoc Apoſtolus dixerit 409.a
1. Tim. c. 3. hæc tibi ſcribo Timothee, ſperans me ad te venire cito, vt ſcias interim &c quomodo hoc loco, ſignificauerit de legibus eccleſiaſticis tradendis, cum præſens eſſet 95.a
1. Tim.4. quos deus creauit ad pcipiendum cum gratiarum actione, quid ſit percipere cum gratiarum actione cibos 382.b 383.a
1. Tim.4. ſanctificatur enim creatura per verbum & orationem, quid ſignificet ibi oratio, græcè ἔντευξις ex Theodoreto, & Athanaſio 226.a
1. Tim.4. ſpiritus manifeſte dicit, quod nouiſſimis temporibus diſcedent quidã à fide &c. quomodo in Lutheranos conueniat hæc prophetia, & quomodo demonſtretur, ipſos eſſe qui à fide diſceſſerunt, & non nos 272.a
1. Tim 4. abſtinere à cibis, quomodo, & qua ratione ad doctrinã demoniorũ hoc pertineat 94.a
1. Tim. 4. promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, quomodo vtriuſque vitæ per gloriam

riam in cœlo,& per gratiam in terra coniuncta ſit nexu inſeparabili promiſſio 282.b
1.Tim.4. nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt &c. ex ſancti Maximi & ſancti Nili interpretatione 386.a b
1.Tim.4.ineptas,& aniles fabulas deuita, quæ ſint iſtæ fabulæ. 385. b.
1.Tim. 4 prohibentium nubere, de Manichæis, & Marcioniſtis prophetatum eſſe 175.a
1.Tim 5.vt hæc cuſtodias ſiue præiudicio,quod hic ſignificet ſine præiudicio ex Cyrillo 231 a
1.Tim.5. vtere modico vino propter ſtomachum quomodo ad caſtigãdum carnem illa à vino abſtinentia pertineret 276.a
1.Tim.5. ſeniorem ne increpaueris,ſed obſecra vt patrem,quomodo intelligendum ſit. 263.b
1.Tim.5.habentes damnationem, quia primã fidem negauerunt, quomodo non de fide baptiſmi,ſed de fide promiſſionis omnino intelligendum hoc ſit cõtra hæreticos & explanatio eruditiſſima Chryſoſtomi in hunc locum. 413.b
1.Tim.5.damnationem habentes, quia primã fidem negauerunt, locus explanatus in Sinod. Carth. 4.& cum conſtitutione apoſtolica collatus. 274. a b
2.Tim.2. ſolicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo,&c. rectè tractantem verbum veritatis 52 a
2.Tim.2. profana autem vaniloquia deuita, quid ſit vaniloquiũ, & quæ exẽpla eius.278.a
2.Tim.2. rectè tractãtem verbum veritatis quæ regula ſit ab apoſtolo tradita in epiſt.2.ad Tim. 278.a
2.Tim 2. quæ à me audiuiſti per multos teſtes. quæ ſint, quæ ſic audiuntur,id eſt,per multos teſtes 305.b
2.Tim.c.3. tu autem permane in iis,quæ didiciſti & credita ſunt tibi,ſciẽs, à quo didiceris,quomodo hæc inſtructio hæreticos coarguat 366.b
Ad Tit 1. locus de vnius vxoris viro multorum collatione explicatus 5 b
Tit.1. increpa eos dure, vt ſani ſint in fide,quæ iſta ſit fidei inualetudo 310.a b
Tit.1.ſicut ego diſpoſui tibi, neceſſe eſſe vt diſpoſitiones ſine ſcripto ſignificauerit, quæ ſint traditiones 167.a
ad Tit.1.locus explicatus,oportere epiſcopum eſſe hoſpitalem, benignum,iuſtum,ſanctũ continentem 2.a
Tit.1.Reliqui te cretæ, vt quæ deſunt, corrigas, quo pertineat hic locus ſecundum proprietatem verborum 434.b
Tit.c.1.reliqui te Cretæ,vt ea quę deſunt,corrigas, quid hic ſignificet ἐπιδιορθῶν 81.a
Tit.2.ſenes vt ſint pudici, graues, quam pudicitiam requirat hic à ſenibus Paul. 408.a

Tit.1. vt conſtituas presbyteros per omnes ciuitates,ſcilicet maiores presbyteros per maiores ciuitates:minores verò per minores, & quomodo ſic eſſe intelligendum,ipſa diſpoſitio,ac conſtitutio eccleſiarum Cretẽſiũ,quæ ab ipſis vſque Apoſtolorũ tẽporibus vſq; in hodiernũ diẽ durat,doceat 167.b 168.a

Hebræ 6. terra ſæpe ſuper ſe venientem bibẽs imbrem,& germinãs herbam opportunã illis à quibus colitur, accipit benedictionẽ à Deo,quãdo hoc cõtingat,& qũo intelligatur 351.b

Hebr 8. talẽ habemus põtificem, qui cõſedit in cœlo ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Deus,& non homo, quomodo ſancta, & tabernaculum verum vocauerit Paulus carnem Chriſti . 292.a

Heb 10. vt appareat nunc vultui dei pro nobis, ad quid ſe offerat nunc Chriſtus pro nobis in cœlo,& per miniſtros in eccleſia. 306.b

Heb.9.Ipſa autẽ cœleſtia melioribus hoſtiis, de quibus hoſtiis neceſſe ſit intelligere in nouo teſtamento, de quo loquitur Apoſtolus 292.a

Hebr.10. voluntarie peccantibus iam nõ relinquitur hoſtia pro peccatis,quomodo hoc neceſſario accipiendũſit de ſacrificio reali,& externo myſtico 87.b

Hebr. 10 quod ſi ſe ſubtraxerit, non placebit animæ meæ, de qua ſubtractione loquatur. 310.b

Hebr 10 accedamus cũ vero corde, & plenitudine fidei vnde exiſtat iſta plenitudo fidei 331.a

Hebr.10.Voluntarie peccantibus iam nõ relinquitur hoſtia pro peccatis,qui ſint iſti voluntarie peccantes,& quomodo de hoſtia externa vera neceſſe ſit accipere 292.b 293.a

Hebr.c.10. vna enim oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos, quid faciendum ſit, vt veram interpretationem hic locus accipiat 306.a

Heb.11. arbitrans, quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus, vnde eum & in parabolam accepit 425 b

Heb.11. ante tranſlationem teſtimonium habuit placuiſſe deo, Enoch ſcilicet, quod iſtud teſtimonium fuerit 307.a

Hebr.11. ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, quomodo neceſſario intelligendum ſit hoc de fide cum operibus 307.b

Hebr.13. Honorabile connubiũ in omnibus quam abſurde, & repugnanter hũc locum Marloratus Caluinianus interpretetur & quomodo interpretandus ſit 415.a

Heb.13. Honorabile connubium in omnibus quomodo locus 1. Theſſ.4. vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum &c. interpres ſit loci huius ad Heb. 412.a

Hebr.13. habemus altare de quo

edere non licet, quomodo ex ratione verbi Græci, quo hic vſus eſt Apoſt. demonſtretur, ſacrificiũ fieri ſuper altare 89.a
Hebr.13 Honorabile connubiũ, & thorus immaculatus in omnibus, quibus hoc dictum ſit, quomodo ex cauſis dictorum, & circunſtantiis perſonarũ intelligatur 409.b 410.a
Heb.13. mementote præpoſitorũ veſtrorũ, qui vobis locuti ſunt verbum &c. quomodo ad cultum dierum feſtorũ pertineat hic locus 426.b
Iacob.2. oſtẽde mihi fidem tuam ſine operibus,& ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus, quomodo imitatus ſit Salomonem in prou. 312.b
Iacob.1. Suſcipite inſitum verbũ, quod poteſt ſaluare animas veſtras, de quo verbo inſito ſiue ratione inſita intelligendum ſit hoc 324.a
1.Petr.1. in virtute dei cuſtodimini per fidẽ in ſalutẽ, quomodo de fide viua neceſſario intelligendum ſit, contra hæreticos, qui hunc locũ obiiciunt 326.a
1.Pet.1. regenerati in ſpẽ viuã per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti, quæ ſit ſpes viua 326.b
1.Pet.1. cuſtodiri nos in ſalutẽ per fidem, quomodo beatus Petrus intelligi voluerit, ex epiſtola Iudæ intelligi 319.a
1.Pet 2. quam bonus dominus, quomodo quidam veteres legunt, quod Chriſtus dñs 123.b
1.Petr.2. quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui dei, interpretatio, & collatio huius loci cum altero ex epiſt. Pauli. 346.b
1.Pet.2. vos autem genus electũ, regale ſacerdotium, quomodo ſi hæc auctoritas ſecũdum Lutheranos ſacerdotiũ externum tollit in nouo teſtamento, neceſſe ſit, vt tollat quoque in vetere 290 b
1.Pet.3. viri ſimiliter cohabitantes ſecũdũ ſcientiã, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartiẽtes honorẽ,&c. explanatio loci huius & collatio cum locis Pauli ad Theſſ. & ad Heb. 412.b
1.Pet c.3.& iis, qui in carcere erãt, ſpiritibus veniens prædicauit, qui incteduli aliquando fuerant. quomodo ex hoc loco cũ altero ex eadem epiſt. c.4. demonſtretur, purgatorium eſſe 335.b
Pet.4. propter hoc & mortuis euãgelizatũ eſt, vt iudicẽtur quidẽ ſecundũ homines, viuant autẽ ſecundũ Deum in ſpiritu, quomodo ex hoc loco demõſtretur, eſſe purgatorium 335.a
2.Petr.c.1. vos autem curam omnem ſubinferẽtes miniſtrate in fide virtutẽ, in virtute &c. quomodo ex hoc loco clariſſime demonſtretur, vt fides aliquid valeat, debere eſſe ſubſtructam dilectioni 324.b 325.a
2.Pet.1. locus explicat⁹, miniſtrate

in fide virtutẽ: in virtute ſcientiã in ſciẽtia abſtinentiam 7.b
2.Pet.1. vos ante omnẽ curã ſubinferẽtes, ſubminiſtrate in fide virtutẽ &c. quõo hinc demõſtretur, poſſe eſſe fidẽ ſolã ſine charitate, quod hæret. negãt 311.a
2.Pet.2. dabo operã frequẽter habere vos poſt obitũ meũ, vt horũ omniũ memoriam faciatis, quõo intelligendum ſit 158.b
2.Pet.2. contingit illis illud veri prouerbij, canis reuerſus ad ſuum vomitum explanatio loci & collatio cũ doctrina eiſdẽ Petri de confeſſione in epiſtola Clementis. 350.a
2.Pet.2 dominationẽ cõtemnunt ꝙ eſſet illorũ hæreſis illa fortaſſe quæ fuit Iudæ Gal. 346.a
2.Pet.2. & eum, qui emit eos, negant &c. quomodo hoc in Lutheranos conueniat 282.b
2.Pet.3. in quibus ſunt quædã difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauãt quomodo duob⁹ verbis admonuit hic Petrus quid eſſet faciendum in difficilib⁹, & obſcuris locis Pauli recte intelligendis 110.b
Ioan.1.c.2.& vos vnctionẽ, quam accepiſtis ab eo, in vobis maneat. de Chriſmate, ſiue ſacramento confirmationis Cyrillo Hieroſoly. auctore 176 b
1.Ioan.1. fidelis eſt & iuſtus, vt remittat peccata noſtra, quõo ad euãgelium, & ad Ezech. reſpexerit Ioan in hoc loco 353.a b
1.Ioã.1. ſi cõfiteamur peccata noſtra &c. collatio huius loci cũ doctrina Petri de cõfeſ. ſecreta, & in ſpecie, in epiſtola Clẽ. & explanatio eiuſdẽ loci 351.a
1.Ioan.2.& nõ neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, quomodo intelligendum ſit 177.a
1.Ioã.2. ex nobis exierũt, quõo hoc in Lutheranos cõueniat 280.b
1. Ioan.3. maior eſt enim Deus corde noſtro, & nouit omnia quõo hic admoneamur, & ſi nobis nihil conſcij ſimus, maius tamen eſſe iudiciũ Dei, iudicio cõſcientiæ noſtræ, idcirco ſemper metuendum eſſe 305.a
1.Ioan. 4. probate, ſi ſpiritus ex Deo ſunt, quõo intelligendũ ſit de ſenſu ſcripturarum 306.a
1.Ioan.4. qui nõ diligit, nõ nouit Deũ, quõo intelligendũ ſit 312.a
1.Ioã.4. probate, ſi ſpiritus ex deo ſunt, de quo ſpiritu accipiendũ ſit, & quæ ſit optima regula ad probandum hoc 258 b 259, a
Apoc.2. age pœnitẽtiam, & prima opera fac, quæ ſint illa prima opera, & quid mouere candelabrum 255.b
Apoc.14. ſcribe, beati mortui, qui in domino moriuntur, quia amodo, dicet ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. explicatio huius loci, & quomodo illud amodo, non poſſit ſignificare ſtatim. 332.a b

FINIS.

LVTETIÆ PARISIORVM,

Cudebat Ioannes Charronius Typographus, anno domini M.D. LXXIII. ſexto idus Iulij, impenſis Sebaſtiani Niuellij & Nicolai Cheſneau, Bibliopolis.

terpretatus ſit beatus Hier. in libro de circuncisione 135.a
Matth.16. & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiã meã, quod illa coniunctio, & valeat hic, quia & cauſa reddatur nominis, Petro impoſiti, ſicut reddita eſt cauſa nominis impoſiti Abrahæ 133.a
Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, qui auctores anti qui tum Greci, tum latini interpretati ſint, ſuper hanc petrã id eſt, ſuper Petrum, 135 b.136. 137.138. a b
Matth.18. videte, ne contemnatis vnũ ex his puſillis &c. quid ſit contemni hic & quomodo ex canone Apoſt. & epiſto la Anacleti intelligatur 75 a
Matth.18. ſi peccauerit in te frater tuus, vade &c. explanatio huius loci ex Photij ſcholio 250.a
Matth. 18. quæcunque ligaueris ſuper terrã, &c. quomodo ex hac poteſtate primũ beato Petro data ſequatur ratione cõnexi ius appellandi eum 271.a
Matth.10. Qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet, & qui recipit prophetam, &c. quomodo hoc ad feſtos dies ſanctorum celebrandos pertineat 427.a
Matth 18. quia lunaticus eſt, cur dæmoniacus appellatus ſi lunaticus, cũ nihil in eo efficiat luna 121.a
Matth.18 ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terrã, de omni re, quamcunque petierint, fiet eis à patre meo, de quibus duobus intelligendum ſit auctore S. Paciano 333.b
Matth 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vẽde omnia quæ habes, &c. quomodo hoc ad vitam communem religioſorũ pertineat 373.a
Matth.21. Domus mea Domus orationis vocabitur, quomodo neceſſe ſit de loco ſenſibili ad orãdum accipere, collata prophetia Eſaiæ c. 56.180.b 181.a
Matth. 25. vnicuique autem dedit ſecundum propriam virtutem, quæ iſta propria virtus ſit 295.a b
Matth.16. & impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiã prophetam, & acceperunt triginta argẽteos, quomodo hoc in deſcriptionib. Hieremiæ citatis 2. Macc. c.2. contineretur 156.a
Luc.6. non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum interpretatio loci huius ex ſynodo Rom. Silueſtri pont. 264.a
Luc. 6. non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, quomodo hic locus & quando prohibeat epiſcopos à laicis accuſari 255.a
Luc c 10. Poſthæc deſignauit dominꝰ alios 72. diſcipulos, quid hic ſignificet, deſignare, & quo modo apoſtoli elegerũt, quos hic dominus deſignauit 57.b
Luc.12. ignem veni mittere in terram &c. quomodo de euãge-

lio accipiendum ſit, & cur dicatur euangelium ignis 190.b

Luc.12. Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit dominus &c. quomodo neceſſario intelligenda ſit hæc parabola de diſpenſatore eccleſiaſtico & non laico 396.a b

Luc.12. ſeruus neſciens voluntatē domini, vapulabit paucis, quomodo intelligatur 344. a

Luc.13. interpretatio parabolæ de arbore fici 16.b

Luc.22. ego oraui pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus cōfirma fratres tuos, quomodo orauerit, & impetrauerit, & quomodo ex ratione firmandi fratres in fide ducta ſit ratio Petræ & ædificationis eccleſiæ ſuper hāc Petram, quæ eſt Petrus 124.a

Luc. 22. hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem, quomodo hinc eliciatur offerri pro viuis, & pro defunctis 90.a

Luc 22. Dico enim vobis, quia ex hoc nō mādueabo illud, donec impleatur in regno Dei, quomodo intelligendum ſit de myſtico paſcha, & non de typico 360.a b

Ioan.8. Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt, quomodo de die reſurrectionis intelligendum ſit. 425.b.426.a

Ioan.8. & eiecit ex templo ementes, & vendētes, quomodo dominus hoc exemplo epiſcopos ab indignis accuſari prohibuerit 257.b

Act.c.1. oſtende, quem elegeris ex his duobus, quomodo verbum eligendi hic accipiatur 57.a

Act.2. & apparuerunt eis diſpertitæ linguę ignis, ſedit que ſupra ſingulos illorum, quid hic ſignificatum ſit 190 a

Act.2. agite pœnitentiam, & baptizetur vnus quiſque veſtrum, quomodo hunc locum citent hæretici ad probandum iuſtificationem ſine operibus ex ſola fide, & eodē ipſo redarguatur falſum eorum dogma 325.a

Act 4. nec enim eſt aliud nomen ſub cælo datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri, quomodo hoc loco, quē hæretici ad probandum iuſtificationē ſine operibus pertinere volunt. redarguatur eorum falſum dogma. 325.b 57.a

Act.6. & elegerunt Stephanum, quomodo hoc loco verbum eligendi accipiatur, vt laicis cōueniat

Act c. 8. non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto, quomodo intelligēdum ſit de excommunicatione 28. b

Act 10. huic inquit Petrus, omnes prophetæ teſtimonium perhibent, quæ teſtimonia prophetarum recitauerit tunc Petrus, quæ Lucas prætermiſit breuitatis cauſa, ex Clemente Rom.

hoc ſcitur 131.a
Act.10. huic omnes prophetæ teſtimonium perhibẽt remiſſionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum, quomodo non poſſit accipi iſtud credere de ſola fide ſine operibus ac volunt hæretici 31,b,32,a
Act.apoſt.c.14. diſputante autem illo de iuſtitia, & caſtitate, quod de iuſtitia ſpeciali virtute, & de continẽtia item ſpeciali, id eſt, carnis, ſit intelligendum, & nullo modo de generali 3.a
Act.15. deus viſitauit ſumere ex gẽtibus populum nomini ſuo quid hic ſignificet, viſitauit, & ſumere nomini ſuo 130.b
Act.15. tacuit autem omnis multitudo, quod iſtud ſilentium fuerit, & quomodo hoc ſignificet acquieuiſſe omnes ſententiæ Petri tanquam in fide iam ab eo confirmatos 131,b
Act.15.Simon narrauit, verbum ἐξηγήσατο quo vſus eſt hic Lucas, quomodo declaret, plura in illa ſynodo Hieroſolymitana Petrum dixiſſe, quã hic ſcripſerit Lucas, illa ſcilicet dixiſſe; quæ Clemens lib. 6 narrat, & cur à Luca prætermiſſa ſint hic 129,b 130,a
Act 15.Simon narrauit, quomodo non Simeon, vt Chryſoſtomus legit, ſed Simon legendum ſit 129,b
Act.15.ab antiquis diebus deus in vobis elegit per os meum audire gentes euangeliũ, quomodo illud per os meum τὸ αὐθεντικὸν petri, id eſt, auctoritatem in omnes ſignificauerit 132,b
Act.c.15. abſtinere à ſanguine, & ſuffocato, quatenus neceſſariũ eſſet, & à ſanctis apoſtolis prohibitum, & qui ſint auctores, 8.3,a
Act.17. & accepta ſatisfactione à Iaſone & cæteris, dimiſerunt illos, quid hic ſatisfactio ſignificet 300,b
Act 20. propter quod vigilate memoria retinentes, &c. quomodo Paulus Epheſios hic inſtruxerit aduerſus hæreticos, futuros, & curioſos illos Magicos 366,a b
Act.20.feſtinabat, ſi fieri poſſet, vt diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis, quomodo ex hoc loco vniformis obſeruatio Paſchæ concludatur neceſſario 428,b
Rom.2.iis, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam, quomodo ſit hic eadem ſententia quæ in doctrina Petri epiſtolæ Clementis à Magd. reprehenditur 322,b
Rom.2. natura, quæ legis ſunt faciunt, quomodo accipiendum ſit hic hoc verbum natura & quomodo clare dicat hic apoſtolus iuſtificari gentes ex operibus faciẽtes naturaliter quæ legis ſunt 323,a,b
Rom.2.cum enim gentes, quæ le-

gem non habent, natura, quæ legis ſunt faciunt, quomodo hunc locum Philippus Melan-cthon hæretice interpretatus ſit & quid de eiuſmodi gentiũ operibus recte Philon Iudæus ſcripſerit 347,a,b

Rom.2 non enim auctores legis iuſtificabũtur, quos vocet Paulus hic auditores legis 323,b

Rom.2. naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, quomodo intelligendum ſit, & de quo conatu voluntatis 295.a

Rom 3 omnes ſunt peccatores, & egent gloria dei. quod egeant, vt ſanentur, & vt ſani facti, recte operentur 143,a

Rom 5. arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operib⁹, quomodo hic locus ſit ex numero eorum, de quibus dixit Petrus, eſſe quædam difficilia intellectu in epiſtolis Pauli, & quomodo ipſe Paul. ſit eius loci interpres 326,b,327,a

Rom. 7. nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, quomodo Ennodius Ticinenſis interpretetur 298,a b

Rom. 7. Quod enim operor, non intelligo, quomodo Methodius martyr interpretatus ſit 355,b

Rom.9. Iſrael ſectando legem iuſtitiæ, ad legẽ iuſtitiæ non peruenit, quia nõ ex fide, ſed quaſi ex operibus legis, quid ſit, quaſi ex operibus legis, & quid hoc differat ab operibus legis 321,a,b

Rom. 10. corde creditur ad iuſtitiam, quomodo de fide cum operibus neceſſario, Paulo ipſo interprete intelligẽdũ ſit 307,b

Rom.10. ore autem fit cõfeſſio ad ſalutem, quomodo hoc etiam probet iuſtitiam ex fide cum operibus 308.b

Rom.10 quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, ne dixeris in corde tuo, loci Deuteronomij interpretatio ex Paulo 308,a

Rom.10. fides ex auditu eſt, quid hic ſignificet auditus ſecũdum idioma ſcripturæ, & quomodo intelligatur, interprete Theodoro Antiocheno 324,a

Rom 11. dedit eis ſpiritum compunctionis, interpretatio ex Cyrillo, quis ſit ſpiritus compunctionis 218,a

Rom.11. ſi autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia, quomodo hic locus ex eorum numero ſit, de quibus affirmat Petrus, eſſe quædam in epiſtolis Pauli difficilia intellectu, & quomodo ipſe Paulus ſit huius loci interpres 320,b

Rom.12. vt probetis, quæ ſit voluntas dei bona vnde probatio iſta petenda ſit, ex c. 7. ad Rom. intelligi 3,b

Rom. 12. memoriis ſanctorum communicantes, qui auctores ſic legant, & quid ſit memoriis ſanctorum communicare, & quomodo vtraque lectio neceſſitatibus, ſiue memoriis ſit

alterius interpretatio 340.b

Rom.13 non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam, quo modo ex hoc loco eliciatur, leges ſæculares obligare peccato eos, qui nõ obediũt eis 399.b

Paul.Rom c.13.nõ enim ſine cauſa gladium portat, de quibus poteſtatibus dicat, & quare 163.b

1.Cor.2. in oſtenſione ſpiritus, & virtute quomodo hic demonſtratio propria ſcripturæ contineatur, interprete Orig. 115.a

1.Cor.2 ſapientiam loquimur inter perfectos quomodo de ſacramento confirmationis intelligatur 177.a

1.Cor.2. nos autem non ſpiritum huius mũdi accepimus, ſed ſpiritũ, qui ex deo eſt, quomodo intelligatur, & quid ſit comparare ſpiritualia cum ſpiritualibus 306.a

1.Cor.3.ſi quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum.&c. explanatio totius loci, & demonſtratio purgatorij ex eo 337,338,339, a,b

1.Cor.3.vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit de igne duplici Gehẽnæ, & purgatorij, & de duplici genere peccatorum loqui Paulũ hic quomodo ex proprietate ſermonis, & verborum cõſequẽtia doceatur 337,b 338.a

1. Cor.4. mihi autẽ pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die, quid ſit iudicari ab humano die collatis ſcripturis 352.b

1.Cor.5. ſi quis frater nominatus inter vos eſt fornicator, aut auarus &c. non eſſe hic poſitum catalogum omnium excommunicandorum contra hæreticos 14.a,b

1.Cor.5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quomodo de Paſcha myſtico & incruẽto intelligendum ſit 360.a

1.Cor.6. ſæcularia igitur negotia &c. quomodo ex hoc loco eliciatur ſæcularis, ſiue laicæ iuriſdictionis poteſtatẽ in eccleſia eſſe 350.b

1.Cor.6.ſæcularia igitur iudicia ſi habueritis &c. quomodo ex hoc loco Pauli decretũ de iudicijs externis declinandis manarit 194.a

1.Cor.6.contemptibiles, qui ſunt inter vos illos conſtituite, quare hoc Paulus conſtituerit, & collatio huius loci cũ loco epiſtolæ Clementis 248.a

1.Cor.7. præterit enim figura huius mundi, quomodo hoc ad ſuadendum continentiam pertineat, ex libro Sixti de caſtitate 423.a,b

1.Cor.7.præcipio nõ ego, ſed dominus, vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam aut reconciliari viro ſuo, quomodo ſententiam domini, & non verba citauerit 405 b

1.Cor.7. ſi quis frater vxorem ha-

bet infidelem, & hæc conſentit habitare cum eo, non dimittat illam, quomodo hoc ſit præceptum, & quibus auctoribus 213 b

1. Corinth. 7. porro hoc ad vtilitatem veſtrã dico, non vt laqueũ vobis iniiciam, quid ſit laqueũ iniicere 375. b

1. Cor. 7. melius eſt enim nubere quàm vri, quibus dictum ſit, & quid ſignificet 274. a

1. Cor. 7 non ego, ſed dominus, & rurſus, non dominus, ſed ego, quæ diſtinguere his verbis apoſtolus voluerit 4 b

1. Cor. 7. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ domini ſunt, quomodo placeat deo &c. explanatio Sixti 3. in totum hunc locũ. 415. a, b

1. Cor. 7. de quibus autem ſcripſiſtis mihi, bonũ eſt homini, mulierem non tangere de quibus interrogatus fuerit Paulus, & de quibus reſponderit, quomodo ex ipſo Paulo, & ex antiquis auctoribus intelligatur 407. a, b

1. Cor. 7. precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum, interpretatio loci huius & collatio cum altero ex epiſtola Petri 346. b

1. Cor. 7 quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut reconciliari viro, quomodo quod Marloratus Caluinianus miniſter dixit loqui Paulum hoc de diſcedẽtibus ob aliam cauſam, & non propter fornicationem, ſcripturis, ratione, & auctoritatibus redarguatur 405. a

1. Cor. 9. Qui in agone certat, ab omnibus ſe abſtinet, quomodo vnum ex illis omnibus ſit etiam cubile propriæ vxoris, & quomodo ad exempla illa pugillum continentium quę Plato memorat, reſpexiſſe videtur apoſtolus 411 a

Pauli locus 1. Cor. c. 9. omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, de qua abſtinentia interpretandus ſit 3. b

1. Cor. 9. locus de poteſtate mulierem ſororem circumducendi explicatus proprietate verborũ examinata 7. a, b

1. Cor. 11. ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiũt multi quomodo hoc ad ſupplicium populi pertineat propter indigne communicantẽ 380. b

1. Corinth. 11. omnia ſecũdum ordinem, & honeſte fiant in vobis, quomodo in eccleſia ſine legibus Eccleſiaſticis fieri hoc non poterat, non magis quam in ciuitate ſine legibus ciuilibus 105 a

1. Cor. 11. cætera cum venero diſponam, quomodo, hic de diſpoſitionib[9] eccleſiaſticis, quas canones vocant, ſignificauerit. 95. b

1. Cor. c. 11. ego enim accepi à domino, quod & tradidi vobis &c. quorſum pertineret hęc domini inſtitutio à Paulo repetita hic, & quomodo Canon. 2. A-

poſtolorum huc pertineat 88,b
1.Cor.11.ſi quis vult contentioſus eſſe,&c. quid ſignificet verbum contentioſi, ex obſeruatione Philonis 189,a
1.Cor. 12.nemo poteſt dicere,dominus Ieſus, niſi in Spiritu S. quomodo intelligendum ſit,S. Diadocho interprete 328,a
1.Cor.14. omnia autē honeſte, & ſecundum ordinem fiant in vobis, quomodo hoc loco traditionem regularum eccleſiaſticarum,quæ canones vocātur, ſignificauerit 96,a
1.Cor.15. ſi mortui non reſurgūt, vt quid baptizantur pro mortuis? explicatio huius loci ſecundum ſcripturam, & veterū auctoritatem 341,b, 342,a
Paul 1.Cor.15. cur Chriſtus primitiæ dormientium 102,a
1.Corint. 16. Permanebo Epheſi vſque ad Pentecoſtem,quomodo hoc loco probetur vniformis obſeruatio Paſchæ 428,b
2.Cor.1.qui ſignificauit nos,& dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris quomodo de ſacramēto confirmationis intelligatur 177, a
2.Cor.2. ſufficit ei,qui huiuſmodi eſt,obiurgatio, quæ fit à pluribus,quomodo de ſatisfactione ad pœnitentiam accedente accipiendum ſit 300,a, b
2.Cor. 2. nam ego quod donaui, ſi quid donaui, cur dixerit, ſi quid donaui 305, a,b
2.Cor.7.ecce enim,inquit,hoc ipſum ſecundum deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed & defenſionem &c quomodo fructus pœnitentiæ hic comprehenſi ſint 301, a,b
Gal.1.licet nos,aut angelus de cœlo euangelizet vobis præter quàm quod euangelizauimus, quomodo hoc ſcripſerit non prius quam euangelium cum Petro contuliſſet 125, b
Gal.2. & contuli cum illis euāgelium, quid de hac collatione Tertullianus, & Theodoretus, & Sophronius Hieroſolymit. ſcripſerint 124, b
Gal.2. dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, quæ ſymbola concordiæ, & conſenſionis hic ſignificet 128,b
Gal.2.Iacobus,Cephas, & Ioannes, quare hoc loco vocatus eſt à Paulo Petrus Cephas 124, b
Gal.5.ſed fides, quæ per dilectionē operatur, quomodo ex virtute verbi Græci, quod interpres vertit operatur paſſiue,demōſtratur,charitatem eſſe formam fidei, ſine qua neceſſe ſit eſſe mortuam fidem, vt corpus ſine anima. 273, b
Paul. Eph.1. in quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, quomodo de chriſmate ſiue de ſacramento cōfirmationis intelligendum ſit 177,a
Eph.3.gentes eſſe hæredes & concorporales in Chriſto propter

ſacram Euchariſtiæ communionem interprete Cyrillo dictum eſſe 88,b
Eph 5. ſacramentum hoc magnũ eſt, ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia, quomodo hunc locum Greg Naz. & Methodius martyr interpretati ſint 419,b
Epheſ. 5. nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, quomodo ad hunc locum pertineat, quod de abſtinendo à vino adoleſcẽtibus prohibet Marc⁹ Anachoreta 276, a,b
Philipp.4. de cætero fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, &c. quomodo ſit hoc loco comprehenſa generaliter materia conſtitutionum Apoſtolicarum, quas Clemens deſcripſit 98, b
Philipp.3. Verum tamen ad quod præuenimus, vt idẽ ſapiamus, in eadem regula permaneam⁹ 52, a,b
Coloſſ.1. cur Chriſtus primogenitus ex mortuis 162,a
Coloſſ.2. videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, quales ſint huiuſmodi traditiones hominum per philoſophiam 435,a
Coloſſ.2. locus ipſe de delectu ciborum quemadmodum Lutheranos redarguat, & conſuetudinem catholicorum defendat 10, a
Coloſ.2. nemo vos iudicet in cibo & potu, quomodo hic locus cibos diſcernere ſecundum literam, & Iudaice, prohibeat, nõ autem diſcernere ſecundũ ſpiritum 94, a
Coloſſ.3. nemo vos ſeducat volẽs in humilitate, & religione angelorum &c. ex interpretatione veterum auctorum 387, b 388,389,390, a,b
Coloſſ.3. quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in religione &c. quomodo apoſtolus complexus eſt hic omnia, quæ abſtinentiam ciborum, & delectum commendant 387, b
Coloſſ.3. quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ &c. quomodo virtute, & conſequentia verborum Pauli coarguantur hæretici, qui hunc locum ad damnãdum delectum ciborum pertinere dixerunt 390, a
Coloſſ.5. in humilitate ad non parcendum corpori, non in honore aliquo quomodo hæc pertineant ad approbandum cultũ, & religionem abſtinẽtiæ ciborum voluntariæ 389,b
2. Theſſ.2. tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam noſtrã, quomodo hæc ſint, qualia Plato vocat νόμιμα ἄγραφα, id eſt, inſtituta ſine ſcripto
2. Theſſ.c. 2. rogamus autem vos fratres, & quæ ſequuntur, quomodo in Lutheranos quadrent 279,280,281,282,283, a,b

2.Theſſ 2. nam myſterium iniquitatis iam operatur. quod iſtud myſterium ſit 281.a
1. Theſſ.4. vt ſciat vnuſquiſq; vas ſuum continere in ſanctificatione &c. locus collatus cum loco ad Heb.13. honorabile cōnubium. & explanatus 412.a,b
1. Tim.1. finis præcepti eſt charitas, quomodo hic locus probet fidem ſolam imperfectam eſſe, ac proinde non poſſe iuſtificare 326.a
1. Tim. 1. lex eſt iniuſtis poſita, quomodo hunc locum Philippus Melancthon ad locum epiſ. ad Rom. de gentibus illis, natura, quæ legis ſunt, facientibus, peruerſe pertinere exiſtimauit 348.b
1.Tim.1.Lex non eſt poſita iuſtis, de qua lege intelligendum ſit 347.a
1.Tim. 1. charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, quæ ſit fides ficta, quāuis vera fides ſit 327.a
1. Tim. 1. ſuperabundauit gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cū fide & dilectione, quomodo ex hoc loco demonſtretur, gratiā domini noſtri negare eos, qui per ſolam fidem iuſtificari tradunt 317.b
1. Tim.2. obſecro igitur primum omnium ſieri obſecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus, quomodo in omnibus hominibus pie mortui cōprehenſi ſint ſecundum cōſuetudinem ſcripturæ 336.a
1.Tim.3. qui epiſcopatum deſiderat, bonū opus deſiderat, quid hic ſignificet bonum opus, ex Iſidoro Peluſiota 261.a
1.Tim.3.& mulieres ſimiliter pudicas, quomodo de vxoribus epiſcoporum, & presbyterorū, ac diaconorum hoc Apoſtolus dixerit 409.a
1.Tim. c. 3. hæc tibi ſcribo Timothee, ſperans me ad te venire cito, vt ſcias interim &c quomodo hoc loco, ſignificauerit de legibus eccleſiaſticis tradendis, cum præſens eſſet 95.a
1.Tim.4. quos deus creauit ad pcipiendum cum gratiarum actione, quid ſit percipere cum gratiarum actione cibos 382.b 383.a
1.Tim.4. ſanctificatur enim creatura per verbum & orationem, quid ſignificet ibi oratio, græcè ἔντευξις ex Theodoreto, & Athanaſio 226.a
1. Tim.4. ſpiritus manifeſte dicit, quod nouiſſimis temporibus diſcedent quidā à fide &c. quomodo in Lutheranos conueniat hæc prophetia: & quomodo demonſtretur, ipſos eſſe qui à fide diſceſſerunt, & non nos 272.a
1.Tim 4. abſtinere à cibis, quomodo, & qua ratione ad doctrinā dęmoniorū hoc pertineat 94.a
1. Tim. 4. promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, quomodo vtriuſque vitæ per

gloriam

riam in cœlo,& per gratiam in terra coniuncta ſit nexu inſeparabili promiſſio 282.b

1.Tim.4. nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt &c. ex ſancti Maximi & ſancti Nili interpretatione 386.a b

1.Tim.4.ineptas,& aniles fabulas deuita, quæ ſint iſtæ fabulæ. 385.b.

1.Tim. 4 prohibentium nubere, de Manichæis, & Marcioniſtis prophetatum eſſe 175.a

1.Tim 5.vt hæc cuſtodias ſiue prę iudicio,quod hic ſignificet ſine præiudicio ex Cyrillo 231 a

1.Tim.5. vtere modico vino propter ſtomachum quomodo ad caſtigãdum carnem illa à vino abſtinentia pertineret 276.a

1.Tim.5. ſeniorem ne increpaueris,ſed obſecra vt patrem,quomodo intelligendum ſit. 263.b

1.Tim.5.habentes damnationem, quia primã fidem negauerunt, quomodo non de fide baptiſmi,ſed de fide promiſſionis omnino intelligendum hoc ſit cõtra hæreticos & explanatio eruditiſſima Chryſoſtomi in hunc locum. 413.b

1.Tim.5.damnationem habentes, quia primã fidem negauerunt, locus explanatus in Sinod. Carth. 4.& cum conſtitutione apoſtolica collatus. 274.ab

2.Tim.2. ſolicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo,&c. rectè tractantem verbum veritatis 52 a

2.Tim.2. profana autem vaniloquia deuita, quid ſit vaniloquiũ, & quæ exẽpla eius.278.a

2.Tim.2. rectè tractãtem verbum veritatis quæ regula ſit ab apoſtolo tradita in epiſt.2.ad Tim. 278.a

2.Tim 2. quæ à me audiuiſti per multos teſtes. quæ ſint, quæ ſic audiuntur,id eſt,per multos teſtes 305.b

2.Tim.c.3. tu autem permane in iis,quæ didiciſti & credita ſunt tibi,ſciẽs, à quo didiceris,quomodo hæc inſtructio hæreticos coarguat 366.b

Ad Tit 1. locus de vnius vxoris viro multorum collatione explicatus 5 b

Tit.1. increpa eos dure, vt ſani ſint in fide,quæ iſta ſit fidei inualetudo 310.a b

Tit.1.ſicut ego diſpoſui tibi, neceſſe eſſe vt diſpoſitiones ſine ſcripto ſignificauerit, quæ ſint traditiones 167.a

ad Tit.1.locus explicatus,oportere epiſcopum eſſe hoſpitalem, benignum,iuſtum,ſanctũ continentem 2.a

Tit.1.Reliqui te cretæ, vt quæ deſunt, corrigas, quo pertineat hic locus ſecundum proprietatem verborum 434.b

Tit.c.1.reliqui te Cretæ,vt ea quę deſunt,corrigas, quid hic ſignificet ἐπιδιορθῶν 81.a

Tit.2.ſenes vt ſint pudici, graues, quam pudicitiam requirat hic à ſenibus Paul. 408.a

Tit.1. vt conſtituas presbyteros per omnes ciuitates,ſcilicet maiores presbyteros per maiores ciuitates:minores verò per minores, & quomodo ſic eſſe intelligendum,ipſa diſpoſitio,ac conſtitutio eccleſiarum Cretēſiū,quæ ab ipſis vſque Apoſtolorū tēporibus vſq; in hodiernū diē durat,doceat 167.b 168.a
Hebræ 6. terra ſæpe ſuper ſe venientem bibēs imbrem,& germinās herbam opportunā illis à quibus colitur, accipit benedictionē à Deo,quādo hoc cōtingat,& qūo intelligatur 351.b
Hebr 8. talē habemus pōtificem, qui cōſedit in cœlo ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Deus,& non homo, quomodo ſancta, & tabernaculum verum vocauerit Paulus carnem Chriſti . 292.a
Heb 10. vt appareat nunc vultui dei pro nobis, ad quid ſe offerat nunc Chriſtus pro nobis in cœlo, & per miniſtros in eccleſia. 306.b
Heb.9.Ipſa autē cœleſtia melioribus hoſtiis, de quibus hoſtiis neceſſe ſit intelligere in nouo teſtamento, de quo loquitur Apoſtolus 292.a
Hebr.10. voluntarie peccantibus iam nō relinquitur hoſtia pro peccatis,quomodo hoc neceſſario accipiendū ſit de ſacrificio reali,& externo myſtico 87.b
Hebr. 10 quod ſi ſe ſubtraxerit, non placebit animæ meæ, de qua ſubtractione loquatur. 310.b
Hebr 10 accedamus cū vero corde, & plenitudine fidei vnde exiſtat iſta plenitudo fidei 351.a
Hebr.10.Voluntarie peccantibus iam nō relinquitur hoſtia pro peccatis,qui ſint iſti voluntarie peccantes,& quomodo de hoſtia externa vera neceſſe ſit accipere 292.b 293.a
Hebr.c. 10. vna enim oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos, quid faciendum ſit, vt veram interpretationem hic locus accipiat 306.a
Heb.11. arbitrans, quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus, vnde eum & in parabolam accepit 425 b
Heb.11. ante tranſlationem teſtimonium habuit placuiſſe deo, Enoch ſcilicet, quod iſtud teſtimonium fuerit 307.a
Hebr.11. ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, quomodo neceſſario intelligendum ſit hoc de fide cum operibus 307.b
Hebr.13. Honorabile connubiū in omnibus quam abſurde, & repugnanter hūc locum Marloratus Caluinianus interpretetur & quomodo interpretandus ſit 415.a
Heb.13. Honorabile connubium in omnibus quomodo locus 1. Theſſ.4. vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum &c. interpres ſit loci huius ad Heb. 412.a
Hebr.13. habemus altare de quo

edere non licet, quomodo ex ratione verbi Græci, quo hic vſus eſt Apoſt. demonſtretur, ſacrificiũ fieri ſuper altare 89.a
Hebr.13 Honorabile connubiũ, & thorus immaculatus in omnibus, quibus hoc dictum ſit, quomodo ex cauſis dictorum, & circunſtantiis perſonarũ intelligatur 409.b 410.a
Heb.13. mementote præpoſitorũ veſtrorũ, qui vobis locuti ſunt verbum &c. quomodo ad cultum dierum feſtorũ pertineat hic locus 426.b
Iacob.2. oſtẽde mihi fidem tuam ſine operibus,& ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus, quomodo imitatus ſit Salomonem in prou. 312.b
Iacob.1. Suſcipite inſitum verbũ, quod poteſt ſaluare animas veſtras, de quo verbo inſito ſiue ratione inſita intelligendum ſit hoc 324.a
1.Petr.1. in virtute dei cuſtodimini per fidẽ in ſalutẽ, quomodo de fide viua neceſſario intelligendum ſit, contra hæreticos, qui hunc locũ obiiciunt 326.a
1.Pet.1. regenerati in ſpẽ viuã per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti, quæ ſit ſpes viua 326.b
1.Pet.1. cuſtodiri nos in ſalutẽ per fidem, quomodo beatus Petrus intelligi voluerit, ex epiſtola Iudæ intelligi 319.a
1.Pet.2. quam bonus dominus, quomodo quidam veteres legunt, quod Chriſtus dñs 123.b
1.Petr.2. quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui dei, interpretatio, & collatio huius loci cum altero ex epiſt. Pauli. 346.b
1.Pet.2. vos autem genus electũ, regale ſacerdotium, quomodo ſi hæc auctoritas ſecũdum Lutheranos ſacerdotiũ externum tollit in nouo teſtamento, neceſſe ſit, vt tollat quoque in vetere 290 b
1.Pet.3. viri ſimiliter cohabitantes ſecũdũ ſcientiã, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartiẽtes honorẽ,&c. explanatio loci huius & collatio cum locis Pauli ad Theſſ. & ad Heb. 412.b
1.Pet.c.3.& iis, qui in carcere erãt, ſpiritibus veniens prædicauit, qui incteduli aliquando fuerant. quomodo ex hoc loco cũ altero ex eadem epiſt. c.4. demonſtretur, purgatorium eſſe 335.b
Pet.4. propter hoc & mortuis euãgelizatũ eſt, vt iudicẽtur quidẽ ſecundũ homines, viuant autẽ ſecundũ Deum in ſpiritu, quomodo ex hoc loco demõſtretur, eſſe purgatorium 335.a
2.Petr.c.1. vos autem curam omnem ſubinferẽtes miniſtrate in fide virtutẽ, in virtute &c. quomodo ex hoc loco clariſſime demonſtretur, vt fides aliquid valeat, debere eſſe ſubſtructam dilectioni 324.b 325.a
2.Pet.1. locus explicat⁹, miniſtrate

in fide virtutẽ: in virtute ſcientiã in ſciẽtia abſtinentiam 7.b
2.Pet.1. vos ante omnẽ curã ſubinferẽtes, ſubminiſtrate in fide virtutẽ &c. qũo hinc demõſtretur, poſſe eſſe fidẽ ſolã ſine charitate, quod hæret. negãt 311.a
2.Pet.2. dabo operã frequẽter habere vos poſt obitũ meũ, vt horũ omniũ memoriam faciatis, qũo intelligendum ſit 158.b
2.Pet.2. contingit illis illud veri prouerbij, canis reuerſus ad ſuum vomitum explanatio loci & collatio cũ doctrina eiſdẽ Petri de confeſſione in epiſtola Clementis. 350.a
2.Pet.2 dominationẽ cõtemnunt ꝙ eſſet illorũ hæreſis illa fortaſſe quæ fuit Iudæ Gal. 346.a
2.Pet.2. & eum, qui emit eos, negant &c. quomodo hoc in Lutheranos conueniat 282.b
2.Pet.3. in quibus ſunt quædã difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauãt quomodo duob⁹ verbis admonuit hic Petrus quid eſſet faciendum in difficilib⁹, & obſcuris locis Pauli recte intelligendis 110.b
Ioan.1.c.2. & vos vnctionẽ, quam accepiſtis ab eo, in vobis maneat. de Chriſmate, ſiue ſacramento confirmationis Cyrillo Hieroſoly. auctore 176 b
1.Ioan.1. fidelis eſt & iuſtus, vt remittat peccata noſtra, qũo ad euãgelium, & ad Ezech. reſpexerit Ioan in hoc loco 313.a b
1.Ioã.1. ſi cõfiteamur peccata noſtra &c. collatio huius loci cũ doctrina Petri de cõfeſ. ſecreta, & in ſpecie, in epiſtola Clẽ. & explanatio eiuſdẽ loci 351.a
1.Ioan.2. & nõ neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, quomodo intelligendum ſit 177.a
1.Ioã.2. ex nobis exierũt, qũo hoc in Lutheranos cõueniat 280.b
1.Ioan.3. maior eſt enim Deus corde noſtro, & nouit omnia qũo hic admoneamur, & ſi nobis nihil conſcij ſimus, maius tamen eſſe iudiciũ Dei, iudicio cõſcientiæ noſtræ, idcirco ſemper metuendum eſſe 305.a
1.Ioan. 4. probate, ſi ſpiritus ex Deo ſunt, qũo intelligendũ ſit de ſenſu ſcripturarum 306.a
1.Ioan.4. qui nõ diligit, nõ nouit Deũ, qũo intelligendũ ſit 312.a
1.Ioã.4. probate, ſi ſpiritus ex deo ſunt, de quo ſpiritu accipiendũ ſit, & quæ ſit optima regula ad probandum hoc 258 b 259, a
Apoc.2. age pœnitẽtiam, & prima opera fac, quæ ſint illa prima opera, & quid mouere candelabrum 255.b
Apoc.14. ſcribe, beati mortui, qui in domino moriuntur, quia amodo, dicet ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. explicatio huius loci, & quomodo illud amodo, non poſſit ſignificare ſtatim. 352.a b

FINIS.

LVTETIÆ PARISIORVM,

Cudebat Ioannes Charronius Typographus, anno domini M.D. LXXIII. ſexto idus Iulij, impenſis Sebaſtiani Niuellij & Nicolai Cheſneau, Bibliopolis.

Digitized by Google